K-3





Resp Nr 71377 (1)
B

ANTONII GARISSOLII

VERBI DEI MINISTRI ET SS. THEOLOGIÆ

in Academia Montalbanensi
Professoris celeberrimi

Tractatus

DE CHRISTO MEDIATORE.

Opus accuratissimum & Theologis ad Doctrinam & Praxim longè utilissimum.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE DE MONTAUBAN
BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

GENEVÆ,
Sumptibus Petri Chouët.

M. DC. LXII.

J.S A.E. RABAUT P.R

BIBLIOTECA

ADMODVM REVERENDIS, CLARISSIMIS ET ERVDITISS. VIRIS ECCLESIÆ TIGVRINÆ Pastoribus Vigilantissimis, Academiæ Professoribus celeberrimis.

INTER varios qui nobis ad prælum offeruntur libros, semper religiosè operam dedi vt eos eligerem qui maxime ad Ecclesiæ ædificationem & Reipubl. litterariæ emolumentum faciunt, qua in re à longo iam tempore me deceptum non fuisse summo Dei beneficio comperi. Id cùm denuò non ita pridem expertus sim in præstantissimo τῆ μονωδίᾳ Petri Rauanelli opere, creuit animus & in dies incensum est studium eiusmodi vulgandi labores è quibus Respublica Christiana tam præclaram vtilitatem percipit. Dum id animo voluo & vndique scripta cùm pietatis tum eruditionis plena studiosè exquiro, oblatus mihi est celeberrimi viri ANTONII GARRISSOLII olim in Academia Montalbanensi Sacrosanctæ Theologiæ professoris eximij liber quem de Redemptore & Mediatore inscripsit: Opus multa eruditione refertum & cui par vix aliud reperias. Agit quippe de materia imprimis nobili, excelsa & ardua in qua vertitur totius Christianæ religionis cardo, & ea arte compositum est vt nihil ad solidam ac perspicuam rei quantumuis sublimis cognitionem quisquam possit desiderare. Quod cùm non modò à quamplurimis sacrosanctæ Theologiæ studiosis à quibus auidissimè describebatur intellexissem, sed & à primæ notæ & maximis in Theologia viris, consilium inij de eo typis com-

mittendo. Id vt effectum darem exemplar aliquod sedulò conquisiui, sed diu nullum reperire potui, quod mendis non scateret, vel eiusmodi exaratum esset compendiariis characteribus è quibus verum sensum vix conjicere vel eruere liceret. Verùm cùm ideò edendi istius operis spes ferè concidisset vnum tandem nactus sum quod summa diligentia ac multis vigiliis ab ornatissimo quodam iuuene Heluetio sacrosanctæ Theologiæ studioso transcriptum fuerat, in quo nec calligraphia nec quicquam quod res vel verba spectaret defuit. Cœpi inde de eo prælo subjiciendo seriò cogitare, sed cùm isti nondum satis crederem ducerémque religioni tam præstantis authoris nomen libro præfigere qui fortè vel mancus vel mendosus foret, resciui ipsum authoris autographum penes ipsius filium dignissimum Montalbani esse, qua de re cum certior factus fuissem nulli peperci sumptui, quò genuinum istud authoris exemplar mihi compararem. Collatis deinde summa fide paríque diligentia duobus istis exemplaribus, sedulò in id incubui vt è prælo emendatissima editio prodiret, vt accepta eadémque vtilissima Theologis esset, quod iam sperare & ob impensum non exiguum laborem quodam veluti iure spondere posse mihi videor. Quod autem, Reuerendi & Celeberrimi Viri, venerandum vestrum huic operi præscribere nomen ausus sum, id nec temerè nec inconsultò factum; sed vt tum libro nunquam satis laudando dignos patronos conciliarem; tum vt debitæ vobis obseruantiæ meæ aliquam darem testificationem. Quorum neutrum vobis ingratum fore audeo mihi polliceri; & suadent plurima: neque enim ignotus ignotum vobis protrudo authorem: sed quem non mediocri prosecuti estis dum viueret amore, & cuius alium quem vobis de imputatione peccati olim dicauit tractatum singulari excepistis affectu; itaque si posthumum eximij Theologi opus vestræ clientelæ pariter committo, quidni eadem beneuolentia susceptum fore certò confiderem? Non enim me latet quanti faciatis viri doctrinam, & quàm colatur apud vos qui vestrorum plurimos iam sacro defungentes ministerio docuit. Quod me autem spectat, etsi cultu quanto possum maximo vos singulos venerer hunc meum tamen laborem Vobis inscribere non sum veritus, tum quia spectata mihi est erga quoscunque humanitas Vestra: tum potissimùm quia plurimi & maximi

maximi inter Vos viri me amore ſuo iam olim cohoneſtarunt ac etiamnum cohoneſtant; inter quos extitere heu quondam! Clariſſimi & fœlicis recordationis viri D. Ioh. Rodolphus Stuckius SS. Theologiæ Profeſſor & Scholarcha in Academia veſtra meritiſſimus, & D. Caſparus Wyſſius Græcæ linguæ Profeſſor digniſſimus: cuius iam filius hac in Academia cum ingenti laude nec vulgari fama Philoſophiam docet. Hodiéque grato lætóque animo non poſſum non commemorare Venerandum & Inclytiſſimum Veſtrum Antiſtitem I. Iac. Vlricum ſingulari pietate, prudentia & eruditione Virum: & celeberrimos Viros Fœlicem Wyſſium Eccleſiæ veſtræ Paſtorem facundiſſimum, & Academiæ Rectorem magnificum: vt & Ioh. Henricum Hottingerum linguarum Orientalium & omnigenæ doctrinæ ditiſſimum theſaurum. Nec non Clariſſimos Viros D.D.D. Caſparum Suicerum, Ioh. Henricum Ottonem, Ioh. Rodolphum Hoffmeiſterum, Academiæ Profeſſores; ac D. Henricum Vlricum Venerabilis Veſtri Antiſtitis fratrem conjunctiſſimum, Verbi Diuini Miniſtrum vigilantiſſimum & doctiſſimum; quorum ſinguli tot non vulgaris affectus notas in me beneficia contulere. Horum inprimis veſtrúmque omnium fretus fauore in operis huiuſce mei limine vos compellare non dubitaui. Quod ſi æquè gratus vobis hic liber futurus eſt, ac Theologis vtilem fore, & ſpero & voueo, alios nonnullos nec minùs commendatos eiuſdem authoris tractatus qui penès me ſunt publici iuris facere animus eſt. Ac præclarè mecum agi credidero ſi publica procurando commoda aliquid præſtare poſſim quod vobis arrideat, nihil enim antiquius habeo quàm de Eccleſia & Republica litteraria in vocatione mea bene mereri, voſque præſertim Eccleſiarum reformatarum illuſtria lumina ac columina omni cultus & officiorum genere proſequi. Hanc igitur meam opellam æqui bonique conſulatis amantérque excipiatis vehementer oro, exiguum munus eſt, ſed non exigui affectus monumentum, Deum precor vt vos incolumes Eccleſiæ Academiæ, veſtriſque familiis diutiſſimè ſervet. Dabam Geneuæ 1. Martij M. DC. LXII.

R.R.V.V. Cultor addictiſſimus

PETRUS CHOUETUS.

INDEX CAPITVM LIBRI

Primi, cuius titulus est,

DE CHRISTO REDEMPTORE.

CAPVT I. *Operis distributio varia Christi nomina, ordine Alphabetico disposita.* pag. 1

CAP. II. *De nominibus Iesu Christi Redemptoris, Reconciliatoris & Mediatoris.* 26

CAP. III. *De Christi persona, eiusq; vnitate citra vllam naturarum confusionem.* 33

CAP. IV. *Aduersus Vbiquitarios pro naturæ humanæ Christi omnipræsentia pugnantes.* 48

CAP. V. *De Incarnationis veritate & causis, efficiente & finali.* 60

CAP. VI. *De materia & forma Incarnationis, adeoque de vnione hypostatica.* 74

CAP. VII. *De modo Incarnationis, siue de assumptione naturæ humanæ.* 81

CAP. VIII. *De partibus & effectis Incarnationis, vbi nominatim de conceptione Christi & communicatione idiomatum.* 92

INDEX CAPITVM LIBRI

Secundi, cuius titulus est De Dotibus, siue Perfectionibus Christi.

CAP. I. *Dotes Christi fuisse vnionis hypostaticæ effecta.* 105

CAP. II. *De Prædestinatione Christi.* 107

CAP. III. *De Christi hominis filiatione, sit-ne naturalis an Adoptiua.* 111

CAP.

CAP. IV. *De Christi gratia.* 115
CAP. V. *De Christi virtutibus & donis.* 121
CAP. VI. *De gratiis Christi gratis datis.* 158
CAP. VII. *De Potentia & gloria Christi.* 163
CAP. VIII. *De dotibus corporis Christi.* 180
CAP. IX. *De animæ Christi dotibus.* 187
CAP. X. *De innocuis Christi defectibus.* 242

LIBRI TERTII, CVIVS TITVLVS est, De Officio Christi Mediatorio.

CAP. I. *De Officio, Oeconomia, & Christi Mediatione in genere.* 249
CAP. II. *De Constitutione Christi Mediatoris.* 261
CAP. III. *De Mediatore secundùm vtramque naturam.* 282
CAP. IV. *De Christo solo Mediatore.* 300
CAP. V. DE VNO CHRISTI MERITO.
Quæstio aduersus præsumptá humanorum operum merita, status quæstionis. 321
CAP. VI. *De triplici Christi officio. Ac primùm de Prophetico.* 342
CAP. VII. *De Christi Sacerdotio.* 411
CAP. VIII. *De merito & satisfactione Christi.* 506
CAP. IX. *De Oratione & Intercessione Christi.* 569
CAP. X. *De Regio Christi officio.* 581

LIBRI QVARTI, CVIVS TITVLVS est de Christianis, eorúmque Dignitate & Officiis.

CAP. I. *De appellatione Christianorum.* 642
CAP. II. *De excellentia Christiani nominis, & de nomine Catholici.* 648
CAP. III. *Dignitas Christianorum in Vnione, cum Christo constituta est.* 253
CAP. IV. *Vnionis illius veritas ab interna fidelium experientia*

probatur. 655

CAP. V. *Veritas vnionis iis similitudinibus declaratur, quas scriptura desumit à rebus naturalibus, œconomicis, Arte factis.* 659

CAP. VI. *Vnionis cum Christo necessitas demonstratur.* 664

CAP. VII. *De nostræ cum Christo communionis modo, ac primùm de qualitatibus illius.* 669

CAP. VIII. *Variæ vnionum species. Vnionem cum Christo, non esse Naturalem, sed Relatiuam.* 671

CAP. IX. *Vnionem cum Christo non esse corporalem.* 676

CAP. X. *Vnionem cum Christo esse spiritualem.* 683

CAP. XI. *De beneficiis ex vnione Christi profluentibus, id est, de Prophetia, Sacerdotio & Regia dignitate Christianorum.* 687

CAP. XII. *De Christianorum Prophetia.* 691

CAP. XIII. *De Christianorum Sacerdotio.* 693

CAP. XIV. *De Regia Christianorum Dignitate.* 698

CAP. XV. *De Christianorum officiis erga Deum & Christum. Ac primùm de Religione, eiusq; significatis.* 703

CAP. XVI. *An Religio sit virtus Theologica, & quidnam ipsius obiectum.* 708

CAP. XVII. *De Religionis Actibus. Adoratio λατρεία. Distinctio cultus in Ciuilem & Religiosum.* 712

CAP. XVIII. *De Pontificia Distinctione cultus in latriam, Duliam & Hyperduliam.* 719

CAP. XIX. *Adorationis actus. Contra adorationem creaturarum argumentum prius.* 723

CAP. XX. *Contra creaturarum adorationem Argumentum posterius. Inuocationem religiosam vni Deo deberi. In eo vno fidem & spem collocandam.* 731

CAP. XXI. *Votorum & iuramentorum religionem esse vni Deo debitam.* 736

CAP. XXII. *Templa, Festa, suffitus vni Deo deberi.* 744

CAP. XXIII. *De Adoratione Christo Mediatori debitâ.* 750

DE CHRI-

DE CHRISTO REDEMPTORE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Operis distributio varia Christi nomina, ordine alphabetico disposita.

DIVINITATIS & REDEMPTIONIS doctrinam esse coniunctissimam, vt & cognitionem maximè necessariam, ita vt duobus hisce capitibus vniuersa fermè Religionis Christianæ ratio contineatur; non aliunde clariùs docere possumus, quàm ex eo quod Christus ipse testificatur, Ioh. 17.3. verbis illis omni consideratione dignissimis, *Hæc est vita æterna, vt te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Itaque postquam diuinæ largitatis gratia tractationem illam, quæ de Deo est, & S. Trinitate ad vmbilicum produximus, rectæ Methodi rationem haud quaquam transgrediemur, si ad illud alterum caput accedamus, quod de Christo est, & Redemptione.

VBI ANTE OMNIA id præmonendi sumus: Quanquam hîc de secunda Trinitatis persona sermo sit nobis instituendus, longè tamen diuersam fore considerationem ab ea quam nostris iam supra commentationibus exhibuimus. Vt enim antea filium Dei absolutè spectabamus, quatenus vnus est æternus cum Patre & Spiritu Sancto Deus: ita hîc de ipso acturi sumus, quà θεάνθρωπος est, Deus in carne manifestatus, id est, quatenus est Mediator pro hominibus apud Deum ratione voluntariæ illius οἰκονομίας, quam subiit, cùm assumpto Abrahæ semine, particeps factus est carnis & sanguinis humani, vt ea omnia perageret, quæ ad nostram cum Deo reconciliationem, & salutis impetrationem erant

HOC ARGVMENTVM, vt quantum ad plenam institutionem satis est, exponamus erunt hæc nobis ordine expedienda. 1. Expenduntur præcipua quædam nomina & insigniores tituli, quibus Redemptorem nostrum Scriptura designat. 2. Ad rem ipsam explicandam aggrediemur: idque variis capitibus ita vt persona, status, perfectiones, officia Christi sigillatim considerentur: Hæc enim quatuor, si legitimè exequuti fuerimus, eadem ratione omnia elucidauerimus, quæ ad hanc causam pertinent.

DE APPELLATIONIBVS vt agamus occurrent eæ in Sacris Scripturis, quàm plurimæ: Ac hodierni quidem Iudæi argutuli sibi videntur, cùm ex eo quod Mundi Redemptor dicitur, vocandus Emmanuel, Esa. 7. 14. Christus autem noster non Emmanuelis, sed Iesu nomine donatus est, Matth. 1. 21. Colligunt non esse eum Redemptorem, qui sub V. Testamento per Prophetas promissus: Enimuero quàm futilis sit ratio, primùm id satis ostendit, quòd eo ipso loco, vbi dicitur Angelus imposuisse *Iesu* nomen filio Mariæ Virginis, statim in confirmationem huius appellationis locus ille ex Esaia profertur, vbi dicitur Christus appellandus Emmanuel, vt nouimus Emmanuelis appellationem nihil impedire quo minùs Christus proprium nomen *Iesu* habere posset: Deinde cùm doceat Esaias 9. 5. Messiam vocari debuisse *Admirabilem, Consiliarium, Deum Fortem, Robustissimum, Patrem Æternitatis, Principem Pacis.* Et Ierem. 23. 6. *Iehouam justitiam nostram*: Neque tamen aliquis sit Iudæorum qui inde colligat Redemptorem non debuisse dici Emmanuelem, frustrà certe futurus est quisquis Iesum non esse Messiam inde vult concludi, quod Messias *Emmanuel* vocandus fuerit. Illud ergo certum maneat, rectè dici à Prophetis Messiam vocari *Emmanuelem* & tamen non aliud, quàm *Iesu* nomen ei ab Angelo fuisse impositum, nimirum illud certum manet, rectè dici à Prophetis Messiam, quia Prophetæ noluerunt explicatum, quæ propria nomina Christus habiturus est, sed quas res & prærogatiuas à Deo possessurus, ita vt eæ omnes appellationes quibus Christum insigniunt, sint totidem epitheta ad amplificandam ipsius dignitatem spectantia. At verò cùm Angelus eum dicit *Iesum* nominandum esse, de propria singularisque nominis impositione loquitur. Denique vocari, siue nominari in Scripturis est idem sæpius atque reuera esse, siue existere, etiam citra illam propri nominis significationem, vt cùm Iesaiæ 1. 26. de Ierusalem dicitur, postmodum vocaberis ciuitas Iusta, vrbs fidelis, non quasi vnquam Ierusalem nomine tanquam proprio & distinctiuo vocata fuerit, sed quod talis reuera futura esset. Quia enim prima nominum impositio desumpta est ex natura, vel proprietatibus rerum, quibus nomina imponebantur. Vnde primus homo dictus est Adam, quòd ex terra rubra formatus esset, & prima fœmina vocata est Eua, quod est mater viuentium; vnde factum, vt aliquid in Scriptura tum dicatur tale nominari, quando tale reapse existit. Hoc igitur sensu de Christo legimus eum vocandum fuisse *Admirabilem, Consiliarium*, &c. quia se reuera talem operibus & doctrina

exhibi-

exhibiturus esset, sed hoc nihil obstat, quin ei proprium & singulare nomen *Iesu* in Circumcisione iuxta mandatum Angeli potuerit imponi.

DICAMVS ergo aliquid primùm de nominibus illius, seu totius Epithetis, quibus in Sacra Scriptura Redemptor noster indigitatur, tum ad primum *Iesu* & *Christi* nomen explicandum accedemus. Vocatur ergo α. & ω. Apoc.1.8. & 21.6. & 22.13. id est, vt explicatur Apoc.1.8. Principium & finis, siue vt Esa.44.6. nouissimus & primus; Idque primò absolutè propter summam suam perfectionem, æternitatem & diuinitatem in se consideratam. 2. respectiuè, siue comparatione creaturarum, quatenus est rerum omnium, tum primum principium, tum vltimus finis, à quo, per quem, & propter quem sunt omnia, Rom.11.36. & quemadmodum in Alphabeto Græco, α & ω intra suos veluti limites, literas alias omnes includunt: Ita Filius Dei omnia in se comprehendit, suoque sinu fouet, sustentat, ac portat, Col.1.17.Hebr.1.3.

ADAM posterior, siue secundus homo, 1.Cor.15.45. Propterea quòd primus Adam qui à Deo primitus creatus est, typus fuit & figura Christi, Rom.5.14. Nam vt ille fuit caput, & principium generis humani in naturalibus: Ita Christus caput electorum in spiritualibus, vt Adam filios habet generatione carnali: Sic & Christus regeneratione spirituali: Vt Adami peccatum omnibus hominibus: Ita Christi iustitia omnibus fidelibus imputatur. Vt Adam omnes in suo peccato demergit in perditionem: Ita Christus per obedientiam perducit in æternam gloriam, sed & idem Apostolus ibidem distinctionem subiungit, eamque duplicem: Alteram ratione conditionis & status: Alteram ratione originis siue ortus. Differunt ergo statu. Nam primus homo animalis fuit: factus est enim in animam viuentem, inquit Apostolus, ver.43. idem fuit animal viuens, vegetatione sensu, ratione præditum, ad sui sustentationem cibo potuque indigens: Inde & quicunque ex Adamo progeniti sunt, corpora habent animalia pasci necesse habentia ad nutritionem: at secundus homo Christus spiritualis fuit, factus in spiritum viuificum, inquit Paulus: Non quòd corpus Christi in spiritum mutatus fuerit, sed quia per resurrectionem eam gloriam consequutus est, vt vitam habuerit spiritualem, nequaquam cibis indigentem, insolubilem, perpetuam & carnem viuificam, quippe quæ viuifico verbo vnita fuerit in æternum, & per cuius passionem ad mortem vita mundo parata fuerit: differunt deinde ortu, quia primus homo, inquit Apostolus de terra terrenus fuit, id est, acceptus de terra in loco terreno collocatus, ad terræ culturam destinatus. Denique ad terrenas miserias molestiasque propter peccatum damnatus, Gen.3.17. At secundus homo de cœlo cœlestis fuit, non quòd corpus de cœlo cælestius materia in terras detulerit. Fuit enim verè de semine Abrahæ, Hebr.2.16. Sed tribus aliis de causis. 1. Quatenus diuinitas, vt carni nostræ vniretur de cœlo descendit, non loci mutatione, sed naturæ assumptione, Iohan.3.13. 2. Non quatenus hominis operatione, sed Spiritus Sancti obumbratione conceptus fuit, Luc.1.35. 3. Quatenus in terris cœlestem planè

vitam & ab omni terrenæ labis contagione remotissimam egit, sanctus, purus, iustus & impollutus, Hebr.2.26.

ADMIRABILIS dicitur Esa.9.6. Idque ratione primò diuinitatis ipsius, quæ infinitis parasangis omnem creatæ naturæ non excellentiam tantùm, sed & comprehensionem trãscendit, & generationis illius æternæ, quam nemo satis vnquam, vel concipere potest, vel explicare, Esa.53.8. 2. ratione mysteri illius ἀκατάληπτε, quo naturam humanam in vnitatem personæ assumpsit, quando verbum caro factum est, Iohan.1.14. 3. ratione totius illius administrationis, quam voluntariè assumpsit & in toto conuersationis suæ in mundo cursu exhibuit doctrinam & opera verè admiranda, omnium oculis & auribus exponens, eaque omnia passionis & mortis admirandæ termino concludens. 4. ratione status illius glorioſi in quem euectus, cùm extincta mortis potentia, in vitam immortalem resurrexit, & in cœlum ascendens consedit ad dextram maiestatis in excelsis, Hebr.1.3.

AGNVS DEI, Iohan.1.29. 1.Petr.1.19. & in Apoc. frequenter Agnus. 1. quidem alluſione ad veteres Prophetias in quibus Christus agni similitudine proponitur, Esa.53.7. Ierem.11.19. 2. repræsentatione veterum sacrificiorum. Nam agni illi, qui per singulos dies mane ac vesperè in iuge sacrificium offerebantur, Exod.29.38. non aliud erant quàm figuræ, quarum veritas exhibita est in Christo pro peccatis nostris semel in cruce oblato, & Agnus nominatim Paschalis quotannis in Israelitarum familiis immolatus eò præcipuè respiciebat, vt Christum testificaretur suo tempore pro peccatis populi offerendum, Ioh.19.36. 1.Cor.5.7. 3. significatione inhærentium Christo virtutum: vt enim non est animal agno mitius, innocentius, vtilius, cuius lana, pellis, caro, viscera, vngulæ certam vtilitatem præstant: Ita Christus fuit omnium mortalium mitissimus, humillimus innocentissimus, Esa.42.2.3. & 53.7. Matth.11.29. Hebr.7.26. 1.Petri 2.22.23. Cuius conceptio, natiuitas, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio omnia nobis in salutem, & dulcissimã consolationem cedunt. Agnus autem Dei vocatur, tum quia Dei voluntate destinatus est & missus in has terras, atque in cruce euectus, vt atrocissima morte occumberet, tum quia non terrenus, vt qui in Ecclesia Israelis offerebatur, sed cœlestis ac diuinus omnino quippe qui veram habeat diuinitatem carni sociatam.

ANGELVS, Genes.48.16. Angelus Iehouæ, Exod.32.34. Iud.13.3. 9.17. 15.16. &c. Angelus faciei Iehouæ, Esa.63.9. Angelus fœderis, Malach.3.1. Non quasi Christus antequam naturam humanam assumeret, Angelorum naturam sibi hypostaticè vniuerit, quod dicunt fuisse Origenis deliramentum, cùm clare doceat Apostolus, eum non Angelos assumpsisse sed semen Abrahæ, Hebr.2.16. Sed Angelus dicitur ratione officij illius Mediatorij, quod etiam sub Veteri Testamento administrauit, tanquam Patris nuntius siue legatus non minùs ad veterem Ecclesiam, quàm fuit sub Nouo Testamento ad Ecclesiam Euangelica prædicatione institutam. Angelus autem Iehouæ, quia à Deo destinatus & missus, & ex

eius voluntate & placito, totum Mediatoris opus perfectissima ratione consummauit. Angelus verò faciei Iehouæ, tum quia est resplendescentia gloriæ Patris, Hebr.1.3. & imago ipsius absolutissima totum in se repræsentans genitorem, ita vt qui eum vidit, viderit & Patrem, Ioh.14.9. tum quia coram Dei facie comparet in æternum intercedens pro nobis, Hebr.7.25. Denique Angelus fœderis, quia per eum eiusque sanguinem facta est reconciliatio inter Deum homines & quia fœderis quod Deus pascisci nobiscum dignatus est, & à quo tota salutis nostræ ratio dependet, non tantùm minister fuit, dum in terris ageret, sed etiam in æternum Mediator est, in cuius morte & sanguine sancitum ratumque fuit.

Amen, testis fidelis, & verax, Apocal.3.14. Idem, non tantùm verè & certè vnum æternum cum Patre suo Deum, sed etiam omni sua doctrina comminationibus & promissionibus verissimum, in quo Dei promissiones etiam *Ita & Amen*, 2.Corinth.1.20. i. in ipso ratæ, in ipso impletæ. Sic etiam *testis fidelis* dicitur quanquam Pater & Spiritus Sanctus testes sint etiam Euangelicæ veritatis & Redemptionis Christi, Iohan.5.37. & 15.26. 1.Ioh.5.7. Et Apostoli, Doctoresque Ecclesiæ eodem titulo insigniantur, Luc.24.48. Actor.1.8. quia nempe & Christi doctrinam veram esse testantur, & cùm opus est etiam ipsius veritatem sanguine suo obsignant. Quo sensu qui pro Christo moriuntur eius testes siue martyres antonomasticè dici solent, Apoc.2.13. & 11.3. & 17.6. Christo tamen hic titulus speciatim debetur, quatenus ipse vnus est qui testimonium Euangelii doctrinam protulit ex sinu Patris, Ioh.1.18. Atque ita viam salutis demonstrauit, necnon & perpetuis, dum in mundo ageret, concionibus & miraculis etiam illustrauit, & denique effusione proprii sanguinis comprobauit, atque adeò Apostolos misit in orbem terrarum, cùm Euangelii ministerium inciperet, Eph.4.11. & seq. qui testem perpetuum futurum veritatis illius vsque ad finem seculi. *Apostolus & Pontifex* confessionis, siue professionis nostræ, Heb.7.1. Matt.10.6. quia Apostolus fuit Princeps & Magister, Matt.23.8. 10. Apostolus autem confessionis, quia eum confiteri debemus omnes Christiani, Matth.10.32. Et quia ille est qui veram fidem fideique professionem, tum ipse ore proprio docuit, tum docendum Apostolis & verbi Ministris tradidit.

Arbor siue Lignum vitæ ferens fructus duodecim per menses singulos edens fructum suum & folia ad sanitatem Gentium, Apocal.22.2. nempe quia Christus per illam arborem figuratus fuit, quam Deus plantauerat in Paradiso terrestri, quamquam arborem vitæ vocauit, tum quòd conservandæ vitæ fructus eius esset efficacissimum alimentum, tum quòd æternæ vitæ esset sacramentum diuinitus institutum. Est enim reuera Christus arbor viuifica, quæ non tantùm viuentibus vitam conseruare potest, sed & mortuis vitam reddere, de qua tria notanda dixit Iohannes 1. Quod ferat fructus duodecim, i.e. vberrimos & quidem diuersæ speciei. Nam ab ipso est vocatio, fides, resipiscentia, & quicquid

est donorum spiritualium, Ioh.1.16. Quantò igitur arboribus fœlicissimis præstantior est, quæ si fructus copiosos proferunt, at non certè nonnisi vnius speciei. 2. Quòd ferat fructus per singulos menses : at terræ quidem, vel arbores fortè reperiri possunt, quæ bis in anno fructus reddant. Hoc enim de agro Babylonico Plin. lib.18. cap.17. & de quibusdam Indiarum regionibus recentiores narrant historici : at vbi reperies arborem fructus singulis mensibus producentem? Certè non alibi quàm in Ecclesiæ medio, vbi Christus auditur arbor mirifica suauissimos fructus nunquam interrupta progerminatione proferens. Singulis enim mensibus, imò diebus fructificat electos suos, fide, iustitia, gaudio, & tranquillitate conscientiæ donans. 3. Quòd eius folia sint ad sanitatem Gentium, id est, eorum omnium quicunque Christum vera fide amplectuntur, vt norimus Christum non tantùm alimenti vicem in eo nobis præstare, quòd fructus assiduos profert pascendis animis nostris idoneos, sed etiam instar medicamenti esse in eo quòd folia eius, i. suauissima Euangelii doctrina inseruiat sanitati nostræ, vel recuperandæ, cùm amissa est, vel conseruandæ, cùm recuperata est.

Consiliarivs, siue vt Septuaginta verterunt, Angelus magni Consilii, Esa.9.6. vbi dicitur, cùm respectu Dei, tum respectu nostri: Dei quia in sinu Patris existens omnia ipsius arcana nouit, estque ei ab intimis veluti consiliis, vnde sapientia Dei vocatur, Prouerb.9. Itaque nihil operatur Pater, quin consilia sua cum æterno illo Consiliario communicet, vt videre est in creatione hominis, Gen.1.26. & confusione linguarum, Gen.11.7. & in historia Iudaica legitur paulò ante destructionem vltimam templi Ierosolymitani auditam fuisse in interiori sanctuario vocem clamantem, *Discedamus istinc*: Respectu verò nostri *Consiliarius* dicitur quia sicut in ipso absconditi sunt thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ, Coll.2.3. Ita enim diuinos sapientiæ gratiæque thesauros nobis aperit, bonam Dei erga nos voluntatem enarrans, Ioh.1.18. eaque omnia tum interna Spiritus illuminatione, tum externa verbi sui prædicatione docens, quod vel ad rectum de Deo sensum, vel ad rectum Dei cultum pertinet, regens, ducens, retinens nos in via salutis, in rebus dubiis, afflictis, perditis salutaria consilia subministrans, & rationem commonstrans, qua ex angustiis & perplexitatibus euadamus. *Consilio* porro cùm dicimus non est quòd quis eo nomine intelligat, quæ vulgò dicitur consilia Euangelica, siue opera supererogationis, quæque distinguitur à præceptis, quòd præceptorum obseruatio necessaria sit. Consilia autem à nostro pendent arbitrio, de quibus aliàs docendi locus erit. Sed consilia intelligimus ductum, inspirationes internas, mandata, denique quicquid nobis erudiendis necessarium est, qualia consilia, qui reiicit, aut recusat sequi, in eam damnationem incidit, quam ipsa sapientia, siue *Consiliarius* pronunciauit, Prou.1.24.25.26.

Doctor etiam eadem ratione dicitur, item Magister, διδάσκαλος, καθηγητὴς, Rabbi, Prophetam, ἀρχοποιμὴν, Princeps Pastorum, 1.Petri 5.4. quia non tantùm dum in mundo ageret, doctoris officium erga suos Aposto-

postolos & populum ad eum accedentem diligentissimè præstitit; sed etiam præcipuè, quia in doctrina sua, quam vel ore proprio tradidit, vel scriptis per Prophetas & Apostolos suos consignauit planè αὐτοβίωσιν, tantaque authoritate præditus, vt ei simpliciter credi oporteat, iuxta illud Patris mandatum, *hunc audite*, Matth.17.5. Vnde ipse etiam testatur se vnicum esse doctorem & magistrum nostrum, Matth.23.8.10. Hæc enim Christi verba non eò spectant, vt debitum, vel honorem, vel titulum eis ereptum eamus, qui nobis doctrina & exemplo præeunt in via salutis, quique Prophetarum, Pastorum & Doctorum nomen obtinent ex vsu Scripturæ, Act.13.1. 1.Cor.12.28. Eph.4.11. vnde & Paulus se Doctorem Gentium appellat, 1.Tim.2.7. Sed Christus cùm iubet vt nolimus vocari Rabbi, primò illud significat non esse imitandos Pharisæorum, adversus quos eo loco agit, mores & vanitatem: Illi enim nomen & appellationem doctoris affectabant, non vt officium efficaciùs exercerent, sed ex ambitione studioque vanæ gloriæ, vt aliis præferrentur titulo illo abutentes ad captiuandas tyrannicè populi conscientias, & exercendum in Ecclesia regnum aliquod spirituale, vt & hodie fieri videmus ab iis qui supremam in Eccl. sibi authoritatem vindicant. Deinde etiam illud docet neminem esse quantacunque scientia præditum, qui se non existimare debeat ignarum præ Christo summo Ecclesiæ doctore, & qui non sese ipsius discipulum cognoscere debeat, & ab eius authoritate præscriptoque in docendis aliis dependere, vt nihil dicat, nihil proponat præter aut contrà ipsius verbum, iuxta illud, Gal.1.8.

DAVID, Ier.30.9. Ezech.34.23.24. & 37. vers.24.25. cuius appellationis multiplex potest esse ratio. 1. Dauid dicitur patronymicè pro Dauide, siue filio Dauidis, quemadmodum sæpius videre est in scriptura nomina propria transeuntia in significationem Gentilium siue Patronymicorum, vt cùm Israel pro Israelitis, & Madian pro Madianitis dicitur: fuit enim Christus filius Dauidis secundùm carnem, Roman.1.3. Vnde & identidem vocatur in Euangelio filius Dauidis. 2. appellatiuè, quasi dicas dilectum, quippe qui sit filius dilectionis Dei, in quo vno omnino Patri complacitum, Matth.3.17. Coll.1.13. 3. Tropicè quatenus figuratus est per Dauidem. Cùm enim significata & significantia iisdem sæpe nominibus censeantur docente Cypriano in tractatu de Cœna Domini, 2.Sam.23.1.Psalm.18.51.& 83.39.& 132.10. Non tantùm quia singulari Dei beneficio vnctus est in Regem Israelis, sed etiam quia veri Messiæ & Redemptoris mundi typus fuit inter excellentissimos. Et Christus vocatur Dauid, quia in Dauide Dauidisque rebus figuratum fuit eius officium Regium atque Propheticum, nec non etiam illa dispensatio qua per omnigenas afflictiones in regni sui gloriam peruenit, quomodo Dauid per varia calamitatum genera productus est ad culmen authoritatis regiæ inter Israelitas, quibus diu fœliciſſima gubernatione præfuit.

DOMINVS infinitis Noui Testamenti locis dicitur nec minus frequenter quàm Iesus aut Christus, idque non tantùm ratione illius do-

minij vniuersalis,quod quà Deus cum Patre & Spiritu Sancto exercet in omnes omnino creaturas, sed etiam præcipuè ratione iuris illius singularis, quod quà Mediator habet in Ecclesiam, vt eam regat, conseruet & gubernet efficacia Spiritus & sceptro verbi sui, atq; eo respectu dicitur ei data potestas omnis in cœlo & in terra, Matth.28.18. & fuisse constitutus Dominus & Christus à Deo Patre, Act.2.36. Christus quia Mediatoris authoritas ei data est à Patre, vt triplici officio pro nobis fungeretur.Dominus autem quia officia illa plenissimè potentissimèque administrauit. Itaque Christi nomen, authoritatem & functionem designat ad quam Christus vocatus est. Nomen autem Domini potestatem designat,siue consequens illius functionis, id est perfectam & omnibus numeris absolutam executionem omnium earum partium, quæ titulo Christi denotantur. Cert· cùm Christus in redemptionis opere obstinatissimos Aduersarios habiturus esset, Diabolum scilicet & mundum, ne qua ei remora ob iceretur, cum oportuit eo frui dominio, ea*que parte quà contradictionem omnem* & repugnantiam vinceret electosque suorum beneficiorum participes facere posset.

EPISCOPVS animarum nostrarum, 1.Petr.2.25. Est autem Græcis ἐπίσκοπος non tantùm ἐπόπτης seu ἔφορος *inspector*, qui rei alicui curandæ præfectus fuit, sed etiam φύλαξ custos alicuius rei, quomodo Hector apud Homer. ἐπίσκοπος ἦεν, quod virtute & fortitudine sua vrbem aduersus hostes tutaretur atque custodiret.Itaque *visitator* qui alium consolandi vel medendi gratia inuisit, vt cùm de Medico dicitur apud Lucianum ἐπεσκόπει με καὶ ἐπεμέλετο, visitauit me atque curauit. Triplici ergo nomine Christus animarum nostrarum *Episcopus* dicitur, 1. quia iis regendis curandisque præfectus est authoritate Patris, vt videat ne qua fortè, vel errorum, vel vitiorum labes eas inquinando præcipites agat. 2. Quia eas custodit atque tutatur aduersus quorumlibet hostium impressiones, atque impetus. 3. Quia eas quotidiana gratiæ suæ visitatione dignatur,vt à morbis curet,& aduersus tentationes omnes roboret atque soletur. Quo respectu etiam Medicus noster dicitur,Matt. 9.12. qui miro medendi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, vt vulnus peccatorum nostrorum sanaretur, quique curandæ ægritudinis causa cum peccatore conuersari non dedignatur.Hæc enim sanè inquit Chrysostomus, homil.21.in Matth. bonum Medicum decet, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos doloribus liberare, sed medicus est aliis omnibus tantò excellentior, quo sæpe fit, vt medicus frustrà sit in curando ægroto. Non est enim in Medico semper releuetur vt æger. At Christus in curandis fidelibus nunquam fine suo excidit : Habet enim penes se potentissima remedia quæ non à morbis modò, liberare, sed & ab ipsa morte suscitare valeant, vnde dicitur etiam habere sanitatem in alis suis, Malach.4.2. & esse in manu eius collyria, quæ non tantùm oculis malè affectis medeantur, sed & visum cæcis restituant, Apoc.3.18.

PASTOR [illegible] dicitur, vt videatur hoc inter propria Christi nomina

mina deponendum. Quanquam enim hominem indefinitè Scriptura sæpius vocet filium hominis, Deut.32.8. Eccl.3.21. Psalm.8.5. Hebr.2.6. idque phrasi Hebræa, quâ per quandam pleonasmi speciem Sion vocatur filia Sionis, & Babylon filia Babylonis, quomodo etiam Græci & Latini Grammaticæ vocant filios Grammaticorum, & medicos filios Medicorum. Et Horat. vocauit Syluam Syluæ filiam nobilem, perrarò tamen inuenietur singularis & indiuiduus aliquis homo si Christum excipias, cui ea appellatio tribuatur. In Vet. autem etsi nonnulli volunt solum Ezechielem ita vocari, obseruo tamen id nominis Danieli ab Angelo attributum, Dan.8.17. Sed hoc tamen discrimine, quod nec Ezech. nec Daniel ita seipsos vocant, verùm ab Angelis tantùm Dei nomine eos alloquentibus sic vocantur. Christus autem hoc ipso nomine frequentissimè se appellat, ab aliis rarissimè sic appellatur. Nam si excipias turbam, Iohan.12.34. Et Stephanum, Act.7.56. hac appellatione vtentes non reperies alium locum, vbi Christus à quoquam sic insigniatur. In veteri autem fœdere filium hominis dici nouimus, Dan.7.13. At Ezech. & Daniel ita vocantur ab Angelis, quia cùm Angelorum ipsos alloquentium consortiò fruerentur, & Angeli humanâ ipsis formâ apparerent. Voluerunt Angeli hoc nomine distingui eos, qui verè homines essent à sese, qui humanam tantùm formam exteriùs assumpsissent. Deinde hac appellatione Prophetæ illi docebantur ad abiectam suam vilemque formam respicere, vt quicquid virtutis & authoritatis in ipsorum administratione futurum erat, id totum diuinæ gratiæ acceptum ferrent, & cum Paulo fatentur, *Laborauimus non nos, sed Dei gratia quæ nobiscum adfuit*, 1.Cor.15.10. 3. eò refertur appellatio illa, vt rapiantur homines in admirationem diuinæ benignitatis, qui afflictissimis etiam temporibus (quale fuit seculum quo Daniel & Ezech. Prophetias suas administrarunt) cùm omnia ferè gratiæ suæ documenta è medio Eccl. sustulit, ministerium tantùm verbi perdurare vult, vt sciamus ipsum per aduersa æque ac prospera nobiscum futurum vsque ad consummationem seculi, Matth.28.20. Illum esse qui pro suorum redemptione naturam humanam, cuius præludia multa in variis Veteris Testamenti apparitionibus promiserat suo tempore assumpturus esset quemque, hoc ipso filij nomine veteres Prophetiæ donauerant, Dan.7.13. 4. Ipsum non tantùm hominem fuisse, sed & inter homines pauperem, vilem, abiectum, imò vt dicitur Psalm.22.7. vermem, non virum, opprobrium hominum & contemptum populorum. Nam in Scriptura sicut בני איש fili viri dicuntur nobiles, diuites & eminentes in populo. Ita בני אדם fili homines dicuntur plebei, egeni, & qui nullo sunt loco aut numero, Psalm.49.3.

GERMEN Zachariæ, 3.8. Vox Hebræa est thema quod 70. vertunt ἀνατολὴν, id est, orientem. Alij germen malunt, צמח, quia est propriè germinare, pullulare, succrescere. Hoc autem nomine intelligi Messiam tum ex Chaldæa interpretatione liquet, quæ vocem hanc reddit משיח pro voce Messiæ, tum ex Rabbinorum obseruatione qui docent

צמח cabalisticè intelligi Messiam, quia cùm inter nomina Messiæ à Thalmudistis hoc etiam reponatur quod dicitur מנחם, id est, consolator, vnde etiam dicitur Simeon iustus expectasse consolationem Israelis, id est, aduentum Messiæ, Luc.2.25. Quod nomen si literis vtare pro numeris valet 138. Nomen צמח eundem etiam numerum reddit: Inde conficiunt צמח illud non aliud esse quàm מנחם siue consolatorem Israëlis, tum denique ex eo quod Zacharias, 6.12.13. Vbi de eodem germine est mentio, qui eo nomine vocatur, proponitur tanquam Rex, Sacerdos, quod sane in solum Christum competit, qui vere Rex est spiritualis, Summus Pontifex Ecclesiæ. Porrò cùm Christum ita vocant Prophetæ 1. respicit ad frequentia veterum Prophetarum oracula, qui Christum vocant germen Dauidis docentque de trunco Isai proditurum, Esa.11.1. Ierem.23.5. & 33.15. Qua de causa etiam Apoc.5.5. vocatur stirps, siue radix Dauidis. 2. ratione aduentus eius significat: Sicut enim sæpe germen de terra excrescit, vel de arboris trunco, quæ nihil tale paritura putabatur. Ita Christus tunc ex Dauidis stirpe progerminauit cùm illa planè exaruisse, & in ignominia iacebat regalis illa familia omni dignitate spoliata & virgo mater tum nihil habebatur, vt nec illi daretur in stabulo locus vix vbi promissum redemptorem pareret.

Hæres omnium, Hebr.1.2. cùm enim hæredem esse bonorum paternorum consequens sit filiationis; Christus autem filius sit Dei, eadem sane ratione hæredem esse necesse est, sed cùm non simpliciter hæres vocetur, sed dicatur à Deo constitutus hæres omnium, non tam referenda videtur hæc appellatio ad Christum, quà simpliciter Deus est, quàm quà Mediator est ab æterno destinatus, & in tempore missus in mundum. Itaque hæres est, id est possessor omnium etiam secundùm naturam humanitatis quam verbum assumpsit, non eo ipso quod Christi humanitas assumpta est ad esse increatum τῆ λόγου. Competit ei vniuersis creaturis, non præferri tantùm, sed etiam ab Apostolo, Rom. 4.13. dominari. Atque adeò Christus longè alio sensu dicitur hæres omnium, quàm Abrahamus hæres mundi dicitur, vel quatenus ei promissa est hæreditas Canaanis à posteris eius possidenda, vt esset typus & symbolum hæreditatis in cœlis fruendæ, vel certè quatenus pater fuit omnium credentium, tum inter Iudæos, tum inter Gentiles. Pater inquam non carnali generatione, quippe iuxta quam Gentiles non possunt dici Abrahami filij, non regeneratione Spiritus: Nec enim ipse regenerator fuit, vel effector fidei in cordibus, cùm hoc proprium sit Spiritus Sancti officium. Sed analogia tantùm, quatenus cum eo Deus fœdus iniuit, quod ex eo transmitteretur ad futuros omnes fideles, sicut paterna bona & iura transeunt à patribus ad filios. Atque ita nomine mundi, non orbis vniuersus, aut etiam omnes omnino homines, sed fideles tantùm & participes fidei Abrahæ intelligendi veniunt, adeò vt nomen hæredis de Abraha dictum non actiuè accipi debeatur pro eo qui in alterius bona succedit, sed passiuè pro eo in cuius bona succe-

ditur,

ditur, vt significetur Abrahamum hæreditate possidendum esse à mundo credentium, id est omnes fideles transituros in fœdus Abrahæ. At verò Christus omnium hæres dicitur, propter dominationem quam exercet in omnia, quatenus ei data est potestas in cœlo & in terra, Matth.28. 18. *Iuxta illud pete à me & dabo tibi Gentes in hæreditatem*, &c. Psal.2.8. Quo fit etiam vt propter communionem illam quam habemus cum Christo, omnia dicantur esse nostra, 1.Corint.3.21.22. Sicut enim sunt Christi dominio & proprietate, ita nostra sunt vsu & fructu, quia omnibus vti possumus bona conscientia, & quia omnia sunt vtilitati nostræ parata, ac deputata omnia, inquam non in indiuiduo ne quis bonorum communionem inde concludat, sed omnia in specie, quatenus rerum omnium creatarum species in salutem piorum conditæ sunt, & propter fideles in tanta hominum peruersitate conseruantur.

EMMANVEL, Esa.7.14. Matth.1.23. Illud autem est, si Latine interpreteris *Deus nobiscum*, quo nomine Christus appellatur. 1. Ratione personæ, quia verus Deus est, & verus homo in vnitate personæ. 2. Ratione officij, quatenus est Mediator inter Deum & homines, *in quo placuit Deo conciliare sibi omnia*, Coloss.1.20. *per quem & propter quem Deus, antea nobis propter peccata infestus & auersissimus, nunc propitius est & nobis coniunctissimus habitans in nobis, tanquam in templo suo*, 2.Cor. 6.16. 3. Ratione effectuum, quia beneficiis spiritualibus nos assiduè cumulans, verè ostenditur se nobiscum esse nosque dignari sua præsentia. Namin vsu Scripturæ Deus cum illis esse dicitur, quos donis mactat, & aduersus omnes hostes protegit, Genes.26.3. Exod.3.12. Iudic.6.13. Vnde illud identidem sonans in Epist. Apost. fine, *gratia Dei sit nobiscum*. Quæ benedicendi formula complectitur quidquid ad corporis bonum & animæ salutem pertinet. Sicut enim illis qui Deum habent hostem omnia in perniciem cedunt, etiam quæ maximè blandiri videntur. Ita eis qui Deo fruuntur propitio omnia conuertuntur in bonum, etiam quæ maximè putantur aduersari, Rom.8.27.

IVDEX vniuersorum, Act.10.42. Idque non tantùm quà Deus est, sed etiam quà ἀνθρωπος, quo respectu dicitur Iohan.5.22. neminem Pater iudicare, sed dedisse filio iudicium, non quòd Deus Pater iudicandi authoritate se abdicauerit, cùm toties in Scriptura mundum iudicaturus dicatur, sed propter alias duas causas. 1. Etiamsi Pater & Spiritus Sanctus eandem habent potestatem iudicandi, quam filius, & iudicium extremum exercituri sunt per carnem siue humanitatem assumptam à filio, Pater tamen & Spiritus S. per eam iudicabunt, tanquam per instrumentum separatum: at filius qui solus est incarnatus per carnem etiam solus iudicabit, tanquem per instrumentum sibi vnitum & coniunctum. 2. Quia solus filius iudicaturus visibili specie comparebit, loquetur, etiam proferet, sicut de impiis dicitur videbunt, quem pupugerunt, Zach.12.10. & Ioh.19.37.

IVSTVS ET SANCTVS, Actor.3.14. Verè enim talis est Christus. 1. essentialiter, ratione Deitatis suæ, quæ iustissima est, adeoque

iustitia ipsa. 2. originaliter, quia quà homo nulla originalis maculæ contagione fœdatus est, sed Spiritus Sancti illapsu, in vtero virginis purissima conceptione formatus. 3. Habitualiter, quia infusis iustitiæ sanctitatisque donis ab ipsa natiuitate instructus est. 4. Actualiter, quia iustitiam omnem in hac vita impleuit, Patri obedientissimus, & mandatorum ipsius obseruator perfectissimus. 5. Communicatiuè iustitiam suam gratiosè nobis communicat per eam imputationem, de qua Paulus Rom. 4. Denique effectiuè, quia quamcunque iustitiam, vel intus corde gerimus, vel foris opere exhibemus, eam omnem non aliunde, quàm à Christo Christique spiritu habemus.

LAPIS angularis, Psalm. 118. 22. Matth. 21. 42. Et PETRA, Matth. 16. 18. Quia enim Ecclesia in Scripturis repræsentatur, tanquam domus quædam spiritualis est, cuius architectus, quatenus ipse Deus, ideo Christus petra dicitur & lapis angularis, siue caput anguli. 1. Quia Christus vnum est, & in ea domo firmissimum fundamentum, & inconcussa rupes, 1. Corint. 3. 11. Quid enim Apostoli duodecim vocantur 12. fundamenta domus Dei, Apoc. 21. 14. non debet intelligi de ipsis Apostolorum personis, sed de Euangelica tantùm eorum prædicatione, ita vt fundamenta dicantur metaleptice, quatenus eorum vnusquisque in regionibus sibi creditis fundamentum, id est, Christum Christique doctrinam ministerio suo posuerunt. 2. Dicitur lapis in angulo positus, quia sicut lapis anguli duos parietes conuertit. Ita Christus populos diuersos, Iudæos puta & Gentiles in vnam societatem aptauit, vt ex duobus fieret vnus populus, esset que vnus pastor, & vnum ouile, Ioh. 10. 16. 3. Quidam tamen adduntsicuti, solent lapides angulares extra ædificium eminere, ita vt minùs cauti, dum prætereunt, ad eos offendant. Ita ad Christum tanquam lapidem offensionis & petram scandali nullos partim Iudæos offendisse eius Euangelium scandalo ducentes, 1. Petr. 2. 7. 1. Cor. 1. 23.

LEO de tribu Iuda, Apocal. 5. 5. allusione ad illud quod de tribu Iuda dictum est, Gen. 49. 9. ac de tribu quidem Iuda dicitur quia Christus ex tribu Iuda oriundus. Leo verò 1. Propter dignitatem; vt enim Leo quadrupedum rex est. Ita Christus hominum Angelorum Dominus ac princeps. 2. Propter fortitudinem: vt enim Leo fortissimus est animalium, omnium gerens imperterritum. Ita Christus quà Deus est, habet æternam potentiam, & quà Mediator ea fortitudine præditus est, qua potest Aduersarios omnes spirituales & corporales nullo negotio debellare. Vnde & potentissimus vocatur, Psal. 45. 4. 3. Propter generositatem. Vt enim Leo lacerat obsistentes, & cedentibus parcere dicitur. Ita Christus superbis resistit, humilibus dat gratiam, Matth. 23. 1. Petr. 5. 5. Hic addi potest, quòd à Philosophis notatur, quanquam sit Leo partibus anterioribus fortissimus & inuictus. Posteriores tamen habere debiles & infirmas. Ita enim Christus qui secundùm diuinitatem omnipotens est, in assumpta tamen humanitate voluit per tempus conuersationis in hoc mundo esse infirmissimus.

MICHAEL

MICHAEL ARCHANGELVS Dan.10.13. & 21. Iudæ vers.9. Apoc. 12.7. Ac Michael quidem Hebræis idem est, ac, si dicas *qui est sicut Deus fortis*. Quod nominis tum in Christum, tum in aliquem Angelorum competere potest, sed longè diuersa ratione cùm Christus vocatur Michael, id intelligendum est absolutè & essentialiter, vt significetur illum esse verè æqualem ἰσοθέον Deo patri quippe *qui non reputarit rapinam esse æqualem Deo* Phil.2.6. Itaque particula, sicut, non similitudinem aliquam sed omnimodam in æqualitate essentiam designat. Cùm verò aliquis ex præcipuis Angelis ita vocatur intelligendus est ita dici comparatè tantùm & accidentaliter, quia nempe ad Deum propiùs accedit propter eminentiam præstantiámque, vel donorum, vel officij à Deo impositi, ita vt hoc sensu, sicut, comparationem tantùm, non ἰσωσίαν denotet. Ita cùm Christus Archangelus dicitur ab Apostolo Iuda: Suppono enim cum doctissimis viris Apost. de Christo, non de Angelo creato loqui sic vocatur respectu excellentiæ illius eminentissimæ, quam habet supra omnes Angelos, etiam quà ἀρχιστράτηγος est, vnde dicitur Princeps exercituum Iehouæ, Ioh.5.14. Et caput omnis principatus & potentiæ, Col.2.10.

MINISTER siue seruus. Seruus, inquam non per aliquam seruitutem peccati: 1. quòd Iesum Christum ne afflauit quidem vnquam, sed duabus aliis de causis. Primò nempe ratione humanitatis per seruitutem naturalem, quia quatenus creatura naturaliter subjacet dominio Dei, ita vt, non possit ab hac subjectione, siue seruitute vnquam eximi humanitas Christi in quocunque statu, siue exinanitionis, siue gloriæ eam consideres. Nunquam ergo seruitutem hanc, vel deposuit, vel depositurus est. 2. ratione ministerii & actionum per seruitutem voluntariam & œconomicam quatenus dum in his terris ageret, non tantùm formam serui assumpsit, Phil.2.7. Sed etiam ministerium seruile subiit, sicut ipse testatur se venisse vt ministraret, non vt ei ministraretur, Matth.20.28. quam seruitutem deposuit resurrectione sua. Sæpius autem cum adiuncto vocatur seruus Dei, Es.42. vers.1. & 53. 11. Quod à Deo missus omnia eius mandata perfectè adimpleuerit obediens factus vsque ad mortem crucis, & eius salutarem voluntatem ad homines detulerit: dicitur itaque minister circumcisionis, Rom. 15.8. non modò, quia ex populo circumciso, id est, Iudæis nasci voluit, ne tantùm, quia toti legi Iudaicæ, adeóque circumcisioni se subiecit, sed etiam partim, quia ipse per se Iudæis prædicauit Euangelium, cùm ad gentes miserit Apostolos suos. Vnde dicitur se non esse missum, nisi ad omnes oues perditas domus Israel, Matth.15.24. apud quos etiam totum ministerii sui cursum impleuit, Heb.8.2. dicitur λειτουργὸς, minister τῶν ἁγίων, & veri tabernaculi. 1. quia τῶν ἁγίων sitos fideles suos in terra agentes de cœlo curat perpetua pro eis intercessione apud Deum defungens. 2. quia τὰ ἅγια cœlestia & offerenda dona, quæ promeruit effusione sanguinis suis fidelibus administrat virtute Spiritus. 3. quia εἰς τὰ ἅγια in Sanctuarium cœleste ingressus est vt ibi sacerdotis æterni partes agat. 4. denique, quia minister fuit veri tabernaculi; quatenus

expoſuit corpus ſuum, quod tabernaculi nomine docet Apoſtolus Heb. 9.11. & vocat tabernaculum perfectius & maius, non manufactum, ſed diuinæ ſtructuræ id eſt non ex virili ſemine, ſed ex mirabili Spiritus Sancti conceptione formatum.

NAZARENVS quo nomine ſæpius in Nouo Teſtamento donatus. Ac Nazareni quidem, ſiue Nazaræi appellationem non Chriſto tantùm in Scriptura, ſed & Chriſtianis, ſimò & hæreticis, nonnullis attributum legimus in hiſtoria Eccleſiaſtica. Nam vt ex Euſeb. & Epiphanio liquet veteres quidam ſectarii Nazaræi dicti ſunt, nempe, tum illi, qui libris Veteris Teſtamenti authoritatem omnem abrogabant, eoſque conſictos eſſe blaſphemabantur, tum aliis etiam qui ita Chriſtum Chriſtique doctrinam amplectebantur, vt tantum legalium ceremoniarum obſeruationem tanquam Chriſtianis ſub Euangelii gratia neceſſariam vigerent, ſed nunc quidem cum illis nihil nobis eſt negotii. Quod autem olim Chriſtiani omnes apud Ethnicos & Iudæos per deriſionem Nazaræi & Galilæi dicti ſunt. Inde factum eſt quod iam antè ſeruator ipſorum Chriſtus eo nomine infamatus eſſet apud Iudæos, à quibus ſine dubio illud mutuati ſunt Ethnici: vnde illud morientis Iuliani, *vicisti Galilæe:* certè Iudæis magno contemptui tum Galilæam, tum oppidum Galilææ Nazaretham fuiſſe liquet, ex Ioh.1.46. Et 7.52. Quòd igitur Ieſus Chriſtus Nazarethæ in Galilæa habitaſſet Inde Nazarenum & Galilæum per contemptum dixêre, Matth.26.69.71. Apoſtoli verò & Euangeliſtæ nomen illud Iudæis infame, veterum in honorem, & vnde Chriſtus contemnebatur, inde gloriæ titulum erexerunt. Itaque Ieſum ſæpius Nazarenum vocant, Act.2.22. & 3.6. & 4.10. &c. Imò & Chriſtus ipſe Paulo apparens eo ſe nomine appellat, Act.22.8. Atque adeò Matth.16.2. docet à Prophetis prædictum eum Nazarenum vocandum, ne quis putaret id nominis probroſum eſſe. Nazarenus autem dictus eſt triplici de cauſa. 1. Propter habitationem quòd aliquandiu Nazarethæ ſedem fixiſſet. 2. Quia vere Nazarenus erat, quod rationem nominis attinet, i. e. ſegregatus & ſeparatus ab aliis, adeoque per veteres Nazaræos figuratus, Num.6. qui ita dicti ſunt, quòd ſe ab aliorum victus ratione ſepararent abſtinentes vino, cicera, & carnibus & aliis delitiis, neque comam abradentes, neque mortuos tangentes. Quamquam enim Chriſtus has ceremonias externè non vſurpauerit, neq; vino abſtinuerit, Matt.11.19. & 26.29. Neque ad mortuos accedere eoſque tangere recuſauit. Luc 7.14. fuit tamen Nazarenus in re ipſa per illas ceremonias ſignificata; nam & Deo ſe totum addixit & perfectiſſimam temperantiam exhibuit, & fortitudinem quæ per capillos Nazaræorum ſignificabatur Iudic.16.27. In toto adminiſtrationis ſuæ curſu continuam, infractamque præſtitit, & omnem immunditiem & prohibitum Nazaræis mortuorum tactum deſignatam hac ſeſe longiſſimè remouit. 3. cùm Nazaræus iuxta aliam etymologiam deducatur à נצר, florem ſeu ſurculum deſignante. Vnde fit vt Chriſtus vere Nazaræus dicatur, quatenus eſt ille ſurculus, qui de virga Iſai eiuſque radicibus efflorescere debuit à radice נצר cuſtodiuit,

diuit, seruauit, quòd custodiâ egeat, ne à vento deiiciatur Es.60.21. vt *super eum requiesceret Spiritus Iehouæ.* Porro surculus de virga Isai dicitur, vt denotetur Christum 1. verè hominem esse debuisse ex semine Dauidis verè propagatum. 2. eum tum aduenturum in terras, cùm ita succisa esset arbor Dauidica, vt nihil de ea appareret præter truncum aridum & virgam tenuissimam, & sanè defecerat omnis authoritas in Domo Iuda, & Dauid cùm Christus ex virgine natus est. Vnde dicitur virgultum, & tanquam radix è terra solitaria, Es.53.2. Et notatur potiùs virga Isai quàm Dauidis, vt ostendatur in aduentu Messiæ futuram familiam regiam, tanquam Dauidis, sed humilem & obscuram, tanquam Isai Bethlehemitæ.

ORIENS ex alto, Luc.1.78, vocatur מצמח quam vocem LXX. seniores verterunt, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, Luc.1.78. interpretari de ortu stellæ, quàm de ortu germinis cùm statim subjiciatur, vers.70. *Christum ortum esse vt illucesceret eis, qui in tenebris*, &c. Nam sanè germinis est illuminare, sed solis, aut stellæ. Illucescit ergo potius hac appellatione sacra ad ea Veteris Testamenti loca, vbi Christus sub solis aut stellæ nomine fidei nostræ proponitur. Num.24.17. Es.60.1.2. Malach.4.2. Inde & in Euangelio Christus lux sæpissime dicitur, & eius facies esse quæ solis, cùm in vigore suo lucet. Apoc.1.16. dicitur ergo sol siue oriens, quia sicut sol ortu matutino hæmisphærium priùs tenebris obductum illuminat, lucem suam quaquauersum dispergens: Ita Christus aduentu suo & Apost. per totum orbem missione discussit ignorantiæ tenebras, & clarissimam Euangelij lucem passim disseminauit, Es.9.2. Et quia nos omnium beneficiorum spiritualium luce collustrat spiritumq; largitur, cujus ductu in luce rectæ cognitionis & bonæ operationis continenter ambulemus. Dicitur sol Iustitiæ non tantùm quia ipse purissimus & iustissimus est, nulla omnino macula, vel leuissimè aspersus (cùm tamen in hoc sole mundano maculas quasdam obseruasse dicantur nonnulli Astrologi) sed etiam quia quæcunque iustitia in nobis est, siue imputatam dicas, siue inhærentem, eam in solidum Christo acceptam ferre debemus, quippe cùm, & iustificationem habeamus per fidem in sanguine & ejus sanctificationem per spiritum ipsius. Rom.3.24.25. 1.Cor.6.11. Dicitur gestare sanitatem in alis suis, alas autem solis vocat Script. quibus quasi volare videtur id est calefaciendi, vegetandi, viuificandi vim per totum orbem diffundere, quia sicut sol aduentu suo omnia lætificat, & ex Medicorum doctrina etiam ægrotis nonnullam recreationem affert; ita & Christus Euangelio suo, quasi pennis per totum orbem delatus partæ salutis prædicatione, & Spiritus efficacia totum mundum cœlesti gaudio perfudit, & peccato laborantes in spiritualem vitam excitauit. Dicitur oriens ex alto, quia cùm sol iste ex terra vel oceano iuxta poëtas oriri videatur. Imò cùm omnium hominum status & conditio terrena sit. Christus è contra rectis velut lineis ad nos de cœlo descendit, non humana generatione productus, sed ineffabili spiritus obumbratione conceptus.

PATER æternitatis Es.9.6. Vbi eodem ℣. vocatur puer, filius, Pater. Puer, vt significetur infirmitas, cui se substitutum voluit in diebus carnis suæ. Filius, vt denotetur ordo ille internus personarum diuinitatis inter quas est: vt prima Pater ab æterno generans. Ita secunda est filius ab æterno genitus. Pater vt denotetur ordo & respectus sine relatione quam habet ad fideles, quorum Pater est, non generatione naturali, sed spirituali, non communicatione naturæ, sed participatione spiritus. Vnde & sæpius in Euangelio Apostolos filios suos vocat, Ioh.13.33. Marc.10.24. eósque spiritu adoptionis donat. Rom.8.15. sed Esai. eum notatim vocat Patrem æternitatis, non tantùm quia ipse æternus est, sed etiam quia vitæ spiritualis & æternæ naturæ author est, Ioh.10.28.29. & ideo dicitur vita æterna in eo esse, 1.Ioh.5.11. non tantùm quia eam nobis acquisiuit merito suo, verùm etiam quia eam reipsa confert, tum quoad inchoationem in hoc seculo, tum quoad conseruationem in futuro.

PRINCEPS, Rex, Dux, ἄρχων subinde dicitur; idque variè: aliquando enim simpliciter ita vocatur, vt Act.5.31. Vbi tamen loquitur Scriptura præsertim de principatu, quem Christus exercet, in Ecclesia, vt satis patet, ex eo quòd principis nomen cum nomine seruatoris ibidem conjungitur. Seruator autem non est Christus nisi corporis sui Eph.5. Aliquando cum adjecto quodam ita notatur, sic Apocal.19.17. vocatur rex regum, & Dominus dominantium, cùm tamen Dei proprium sit, 1. Tim.6.15. Vel hinc patet Christum esse verum cum patre suo Deum. Quod autem reges nonnulli Artaxerxes, Esd.7.12.10. & Nabucadnetzar, Dan.2.37. dicuntur reges regum & quòd imperatores Constantinopolitani solebant inter titulos suos præferre quatuor β, β, β, β vt significarent se esse βασιλέως, βασιλέων, βασιλεύοντος, βασιλεῶν. res est potius furti, quàm iuris, & attribuenda potius consuetudini, quàm rationi, non alio fine quàm vt denotaretur dominationem eorum longè latiùs extendi quàm vulgarium principum. Cùm è contra Christus dicatur propter iustissimum & absolutissimum ipsius in omnes creaturas imperium; Itaque de eo dicitur datam ipsi omnem potestatem in cœlo & in terra, adeóque id nominis gestare Apo.19.17. non tantùm in vestimento suo, vt significetur ipsius dominationem olim manifestandam coram omnibus creaturis, sed etiam in femore, vt denotetur ejus imperium in omnem posteritatem id est in æternum duraturum, prout nouimus in scriptura femoris vocabulum propagatione posteritatis iudicari. Vocatur item Princeps exercituum Iehouæ, Ioh.5.14. quia verè princeps, & caput est, tum Angelorum bonorum tum fidelium, Col.2.10. quia non tantùm quà Deus, sed etiam quà Mediator Angelorum dignitatem longè supereminet, quia in eos gubernatoriam potestatem exercet, quia deniq; illi per Christum Mediatorem in statu conseruantur, à quo primitus à Deo creati fuerunt Ecclesiæ similiter & fidelium princeps est & caput; Oseæ 1.11. Ephes.1.22. & 4.15. & 5.23. Col.1.18. Et caput fidelium & princeps dicitur caput 1. ratione dignitatis, gubernationis & influentiæ: vt enim in capite tanquam in arce quadam natura sensus omnes longè perfectiùs, quàm in reliquis membris

membris obtinet. Sic Christus dona omnia possidet abundantiùs, quàm tota Ecclesia simul, Iohan.3.34. Et quemadmodum caput reliqua membra supereminet. Ita Christus excellentiori gloria pollet, quàm vllus Angelus, aut homo. 2. Ratione regiminis; vt enim vniuersa corporis membra in operationibus suis à capite suo diriguntur & gubernantur; sic Ecclesia Christo subjicitur, tanquam gubernatori directoríque suo, Ephes.5.24. 3. Ratione influxus & causalitatis: vt enim caput membris suis sensum, motum communicat, quæ à capite abscissa, nec remoueri possunt, nec viuere: sic Christus fidelibus vitam, sensum, motúmque spiritualem ita influit, vt sine ipso in causa boni spiritualis nihil possimus, Iohan.15.5. Vbi Christus se vitis nomine designat, fideles autem nomine palmitum, vt ita declaret à suo spiritu esse vim illam viuificam, quæ nos spiritualium fructuum feraces reddit. Vocatur Princeps pacis, & Rex pacis, Esa.9.6. adeoque pax nostra, Mich.5.5. Ephes.2.14. Hebr.7.2. 1. Quia boni omnis & prosperitatis author est & conciliator, prout nouimus pacis vocabulo felicitatem & bona omnia ex vsu Scripturæ significari. 2. Quia Deum nobis reconciliauit, eúmque nobis propitium fecit. 3. Quia pace cum Deo composita, pacem conscientiæ nobis impertitur, adeoque fideles inter se pacis vinculo conuertit, dicitur consummator fidei, Hebr.12.2. Non tantùm certaminis, quod Agonothetas defungendum nobis est aduersus hostes spirituales ἀγωνοθέτας, qui salebrosum hoc stadium priùs decurrit, & crucem pertulit & afflictionum omne genus, vt ad cœlestem gloriam iret, sed & fidei author & collator, patronus & defensor, quia omnia nobis confert, quæ ad fidem pertinent. Et denique fideles à fide transfert, ad aspectum, quæ vera est fidei nostræ consummatio. Denique princeps siue dux salutis vocatur, Hebr.2.10. & causa salutis æternæ, Hebr.5.9. quia salutis viam nos edocuit, tum quia eam vt Mediator dignissima sua passione acquisiuit, tum quia eum vt verus Deus, in cuius manu sunt, omnia communicat.

PRIMOGENITVS idque variis adiunctis, primogenitus beatæ virginis, Matth.1.25. non quòd beata Virgo vllum alium pepererit post Christum natum, sed quia nullum antè pepererat, ita vt excludantur sequentes filij. Primogenitus omnis creaturæ, Colos.1.15. tum quod ante creaturas omnes sit genitus, quà æternus est æterni Patris Filius, tum quia quà Mediator Dominus est totius mundi & Angelos & electos omnes longè lateque dignitate transcendit, fideles regit, sanctificat, benedicit. Qua de causa primogenitus inter multos fratres dicitur, Rom. 8.19. allusione ad prærogatiuam primogenitorum, qui ante legem Mosis non tantùm fratribus loco dominorum erant, ita vt ab eis reliqui fratres penderent: sed & regis & Sacerdotis officio in familia fungebantur, & ab eis ad reliquos benedictio deriuatur *Principium & primogenitus ex mortuis*, Col.1.18. Apoc.1.5. non quòd nemo ante eum sit à mortuis excitatus, cùm contrarium ex Scriptura manifestè pateat, sed ita dicitur respiciendo ad ordinem causarum & effectuum, quatenus nem-

pe Christus resurrectionis nostræ causa est, tum efficiens, quà Deus, tum meritoria, quà θεάνθρωπος, qui passione sua & victoria nobis resurrectionem promeruit, tum exemplaris, quatenus Christi resurrectio nobis proponitur tanquàm typus resurrectionis nostræ, Rom.3.4. Philip.3. 21. Vnde Christus etiam vocatur primitiæ dormientium, 1.Cor.15.20. quia vt in lege primitiarum oblatio causa erat, cur reliqui fructus benedicerentur. Ita Christus resurgens causa est resurrectionis cæterorum membrorum.

Semen Abrahæ, Genes.22.18. & semen mulieris, Genes.3.15. Quia enim ex Abrahami posteritate debuit emergere, propterea semen Abrahæ dicitur, nec non & filius Abrahæ, Matth.1.1. Quia autem ex muliere selectissima citra omne viri commercium originem ducere debuit, propterea de eo dicitur, *(ipsum nempe semen mulieris conteret caput serpentis)* sed non est hic dissimulandum de istius loci explicatione, contrariam esse tum Christianorum adversus Iudæos, tum Christianorum inter se. Ac Iudæi quidem per semen mulieris, Genes.3.11.15. intelligunt simpliciter humanum genus ab Eua propagatum, & inimicitiarum nomine non aliud significari indicant, quàm naturale illud odium quod homini cum serpentibus intercedit, verùm hic sensus facilè refutatur, 1. cùm in assumpto serpente hominem Diabolus decepit, & ab eminentissimo dignitatis culmine in ruinam præcipitauit. Quis putet hic vbi Deus homini victoriam de serpente promittit, intelligi tantùm serpentem nulla facta Diaboli mentione, quasi Deus interminaretur exitium instrumento. Nullam autem perniciem principali nostri defectus causa intentatam vellet. Ergo fateamur agi de serpentum & hominum naturali odio, sed ita tamen vt vlterius progrediamur ad laruatum vsque serpentem illum Diabolum, & agnoscamus aduersus eius tentationes, Dominum suis certissimam victoriam promittere. Cùm ait semen mulieris contriturum caput serpentis. Enimvero plane nihil esse aduersus serpentem terrenum esse potentem, & interim serpenti Tartareo manere substitutum. 2. Cùm victoria quæ hominibus promittitur, de Diaboli potentia frangenda, eiusque viribus & tentationibus retundendis intelligi debeat. *Sic autem illud diuinum plane omnipotentis dextræ opus*, Zach. 3.2. Rom.16.20. Non est quòd singulos homines per semen mulieris intelligamus, sed eum nominatim designari fateamur, *qui venit vt destrueret opera Diaboli*, 1.Iohan.3.8. vt per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, id est Diabolum & liberos redderet quotquot metu mortis damnati erant seruitutis per omnem vitam, Hebr.2.14.15. Non est autem quod hic in crimen Caluinus vocetur, quasi desertis Christianis in castra Iudæorum conscenderet, eo quòd hoc loco semen mulieris non indiuiduè de Christo accipiendum doceat, sed collectiuè de posteris Euæ. Nam cùm ipse se satis exponat, doceatque explicationem illam ita amplectendam, vt tamen ad vnum caput, nempe Christum veniatur, qui vnus Diabolum subiugauit, & per quem vnum Ecclesia victrix euadit Diaboli. Sanè non est putandus à communi Christiano-

ſtianorum ſententia receſſiſſe. Id tantùm ſibi voluit, & à Chriſto, & à fidelibus conteri caput ſerpentis, ſed Chriſtum id feciſſe virtute propria. Fideles autem nonniſi in Chriſto, & per Chriſtum, & quatenus ſunt Chriſti membra. Inter Chriſtianos porro diſceptatio eſt de verbis illis, *ipſum conteret tibi caput* : Nam Pontificij plerique referunt ad beatam Virginem, adeoque Latinè vertunt ipſa conteret, nempe mulier. Enimverò pronomen הוא, id eſt ipſum referri ad ſemen, non ad mulierem; atque ita de Chriſto non de beata Virgine multa probant. 1. Teſtes antiqui LXX. Interpretes, Iren.lib.3.cap.38. Cyprian.adverſ.Iud.lib.2.cap. 9. Hier.trad. Hebr.in Gen.cap.3.Leo ſerm.2.de Natiu.Rupert.in Gen.3. c.19. & ex ipſis Pontificiis Doctoribus, Canus lib.2.c.15. Feliſ.elucid.decal.ad 1.præcept.cap.49. Andradius defenſ.Trid.lib.4. Steuchus recogn. cap.3.Gen.Pererius in Daniel.lib.10. & qui Biblia Latinè vertunt, Arias Montanus, Benedictus Iſidorus, Clarius. 2. Conterere caput ſerpentis eſt proprium ejus qui diuinâ & omnipotenti virtute ſit inſtructus. Atqui hoc pertinet ad ſolum Chriſtum, non ad beatam Virginem. Itaque rectè Feliſius vbi ſupra nullomodo hoc accipiendum eſt, quaſi Maria diabolum vicerit, aut chirographum decreti abſtulerit. Abſit enim, vt tale quid puræ creaturæ, qualis eſt Maria deferamus, quia ſicut non eſt creatrix, ita nec redemptrix, vel ſervatrix. 3. Grammatica vocum conſideratio idem docet. Nam cùm Hebræę dictiones quæ hic habentur תוא בשוּם, id eſt, ipſe conteres ei, ſint maſculini generis, non poſſunt certè referri ad mulierem, ſed referendæ ſunt ad זרע, i. e. ſemen : quod nomen eſt maſculinum ad Hebręos. Reſp. Bellarm.lib.2.de verbo Dei c.12. in Scriptura cum nominibus fœmininis coniungi pronomina aut verba generis maſculini; vt patet ex Ruth.1.8. Eſth.1.20. Eccleſ.12.4. Reſp. ita quidem eſſe aliquando, ſed vbi res ipſa non cogit, haudquaquam inferendas in Scriptura iſtas anomalias. Alioquin fatente ipſo Bell.lib.1.de Chriſto, c.5. Si liceret ita mutationes perſonarum aut generum ſine cauſa fingere, nihil vnquam certi ex diuinis Scripturis colligi poſſet. Itaque hic idem concludo, quod Bell.lib.de Bapt.c.7. qui ex vnica voce Hebræa maſculini generis (hic autem nobis occurrunt tres) colligit verba, quæ profert ex Exod.4.26. non poſſe fœminæ conuenire.

Scilo, Geneſ.49.10. quo nomine Meſſiam intelligi ſiue Chriſtum, non tantùm Chriſtiani contentiunt, ſed etiam Iudæi fatentur. Itaque triplex targum, ſiue periphraſis Chaldaica oncheloſis Ionathanis & Ieroſolymitani Scilo vocem verterunt per vocem Meſſiæ, hos Paraphraſtas ſequitur ingens numerus Talmudiſtarum, & Rabbinorum, quos etiam laudat Rabbi Manaſſe Ben Iſrael, qui nuperrimè librum Latinum edidit, cui titulus eſt Conciliator quæſt.65. in Gen. Et verò cùm de eo loquatur Spiritus Sanctus ad quem ſpectare debebat congregatio populorum. Chriſtus autem ille demum ſit qui nationes omnes ad ſe collegit eaſque fidei & charitatis vinculo inter ſe coniunxit, vnde dicitur congregaturus filios Dei, qui antea erant diſperſi, Ioh.11.52. Nullum dubium eſſe poteſt, quin titulus iſte ad Chriſtum pertineat. Qua verò de cauſa

ita vocetur, non est eadem omnium sententia. Hieronymus non Scilo videtur legisse, sed Sciloah, cùm Latinè vertit eum qui mittendus est, sed reclamant omnia exemplaria. Itaque hoc missō dicamus eum Scilo vocari, vel quasi שלו, id est, אשילו, cuius sunt, id est, in cuius potestate sunt omnia, sicut statim additur ad eum spectare congregationem populorum, vel quasi secundinas eius, nempe mulieris. Nam quòd Hebræi שליה dicunt, Latini secundinas dicunt, id est, fasciam illam, quæ nascentem embrionem inuoluit, ita vt hoc nomine duo significari videantur. Alterum est Christum non nisi ex muliere nasci debuisse, nec vllam ad eum procreandum interuenturam hominis operam. Alterum verò infirmitates omnes nostras excepto peccato ita Christum acceptarum, vt in omnibus etiam in contemptibili natiuitatis specie nobis similis futurus esset vel Schilho, filium eius. Est enim Hebr. שיל filius ה autem loco ו, vau cholem, positum est, vt fit, aliquando in Scriptura, quæ significatio non abludit à priori. Vel denique Scilo, est à radice שלה, Schala, quòd est tranquillè agere, securum & felicem esse, vt Scilo dicatur Christus non tantùm quòd ipse quietè & securè vixerit, vt nullis vnquam carnis, aut Diaboli tentationibus ab illo tranquillitatis statu deturbari potuerit, sed semper Patri charissimus fuerit illius mandata in omnibus quietissima mente perficiens, verùm etiam quòd placabilem nobis Patrem effecerit, & conscientiæ nostræ veram tranquillitatem reddat, & in medio tentationum æstu nos ea securitate donet, vt cum Iobo verè dicere possimus, etsi Deus me occideret, &c. Iob.13.18.

Sponsvs & Maritus Ecclesiæ, Matth.9.15. Ioan.3.29. Apoc.18.22. & 21.9. & 22.17. vnde dicitur Ecclesiam sibi desponsauisse, Oseæ 2.19. 2. Cor.11.2. Eph.5.25. Et totus liber Cantici canticorum hac conjungi similitudine Christi Ecclesiæq; communionem spiritualem designat. Ad hujus autem rei explicationem tria notanda veniunt. 1. Christum ita esse vnicum Ecclesiæ sponsum, vt nemo sit hominum qui titulum hunc sibi jure vindicare possit, tum quia est diuinitus instituta coniugij ratio, vt sit non plurium, sed tantùm vnius, cum vna conjunctio Matt.19.5 adeòque cùm Christus sit verus Ecclesiæ sponsus, nemo præter eum id iuris vsurpare potest, tum quia docet Apostolus, nos aptari, siue desponsari Christo tanquam vni viro, 2.Cor.11.2. Ita Christus ibidem tanquam promissum aut paranymphum proponit, cujus ministerio Corinthij Christo desponsati sunt, sed sponsi dignitatem vni Christo seruat illibatam, & Ioh. Baptista se sponsi amicum fatetur, sed sponsum esse negat. Ioh.3.29.2. hac connubij similitudine declarari dignationem, amorem, & conjunctionem Christi cum Ecclesia. Dignationem quia sicut vir vxorem sumit non ex domesticis, sed ex alienis; ita Christus nos à Deo. Denique fœdere alienos & in miseria nostra iacentes, sordibusque omnigenis conspurcatos, adeóque nihil præter Dei odium & abjectionem æternam commeritos sibi in fide & misericordia sponsare dignatus est Ezech.16.6.7.8.9.10. Et cùm in conjugiis assumantur virgines, vt fiant mulieres. Christus è contra nos corruptos

ruptos assumpsit, vt per admirabile hoc conjugium repararet in sanctam virginitatem, amorem & charitatem. Non enim inter homines fortius est amoris coagulum, quam per conjugij vinculum, vnde hoc simili amorem suum erga Ionathanem Dauid expressit, 2.Sam.1.26. Quantus autem Christi in Ecclesiam amor, cui non tantum se subjungere, sed pro ea mori voluit, qui non tantùm sponsalitias veluti arrhas dedit exteriùs, verbum scilicet & Sacramenta, sed & Spiritum interiùs indidit, imò se totum ipsumque vitæ & mortis meritum gratiosissimè communicauit. Vt enim non est aliud arctius, quàm conjugij vinculum, quod nonnisi morte soluitur, & per id sponsus & sponsa habent omnia communia, corpora, bona, dignitates, conditionem, prospera & aduersa: ita non est arctior vlla communio, quàm quæ Christo & Ecclesiæ intercedit, adeò vt, & Christus nostris infirmitatibus & peccatorum pœnis, dum in terris ageret communicare voluerit, & etiamnum in cœlis gloriosus congesta in Ecclesiam probra & damna quæque sibi illata deputet. Act.9.v.4. Et nos in bonorum suorum omnium, adeoque regni communionem admittat. Vnde dicimur sedere cum ipso in cœlestibus, Ephes.2.6. Imò esse ex ejus carne & ossibus, Ephes.5.30. 3. distinguendum esse in hoc conjugio spirituali inter sponsaliorum, & nuptiarum tempus. Ad sponsalia quidem quod attinet, à Dei filio duplicia celebrata esse docent veteres & recentiores Theologi. Priora illa sunt, quibus Dei filius humanitatem nostram quasi sponsam in vnitatem naturæ assumpsit factus homo nobiscum; vnde & frater dicitur, Hebr.2.11. quia per Spiritus conceptionem eam naturam habuit, quam nobis corporalis generatio communicat. Atque horum sponsaliorum quidam velut paranymphus fuit Angelus Gabriel ad beatam Virginem annuntiando conceptionis mysterium missus. Sed nos hic sponsalia posteriora tantùm consideramus, quæ Christus iniuit cum Ecclesia, quando ei sese spiritualis communionis perpetuo vinculo conjungere non est dedignatus, & sponsalia in hac vita perpetuò celebrantur, quatenus Christus ad se singulis diebus aliquos vocat, vt eos bonorum suorum cœlestium participatione beatos faciat. Eam in rem verbi sui administris, quasi totidem pronubis utens, qui vocatos Christo quasi sponso suo aptent, 2.Cor.11.2. Itaque sponsalia durant quamdiu in hoc seculo fideles per verbum & Sacramenta congregantur & conuocantur ad communionem gratiæ in Christo. At verò nuptiæ tum demum celebrandæ dicuntur, cùm animæ nostræ in cœlestem gloriam euectæ fuerint, Apoc.19.6. &c. Cùm enim sponsus nunc veluti peregrè agere videatur, & sponsa nondum omnino parata sit, quatenus nondum est omnino perfecta, nec dum aggregati sunt in vnum omnes electi, propterea nondum est lætitiæ nuptiarumque tempus, sed tum demum quando sponsus veniet in gloria, vt nos in æternum ad se assumat, & completus electorum numerus interminabili fœlicitate fruatur. Vbi tamen id discriminis inter corporum hoc nostrum & spirituale Ecclesiæ connubium obseruan-

dum venit, quod hic inter nos non ſponſalibus, ſed nuptiis debentur filij. At ibi Chriſtus per ſponſalia ex Eccl. filios, non ſingulis tantùm annis, ſed quotidie & per ſingula momenta generat. Cùm autem accedent nuptiæ, tunc non noua ſoboles ſuccreſcet : nec enim in cœlo noui Deo generabuntur filij, ſed qui tantùm ante nati fuerunt, in æterno flore & vigore conſeruabuntur.

VIA, veritas, & vita, Ioh.14.6. quæ tria vocabula compendium eſſe videntur totius Euangelii. Itaque conſiderantur tum conjunctim omnia, tum ſeparatim ſingula. Conjunctim, nam 1. vt norimus Chriſtum non eſſe viam illam de qua dicitur, Prou.14.12. eſſe viam, quæ recta videtur in conſpectu hominum, ſed quæ tamen tendit ad mortem, ideo Chriſtus non modò ſe viam dicit, ſed etiam veritatem & vitam, vt ſignificet, ſe eſſe viam minimè fallacem, ſed quæ ducat infallibiliter ad veritatem doctrinæ iuſtitiæque & per veritatem ad æternæ vitæ interminabile gaudium. 2. Cùm virtutes Chriſtianorum tres ſint, nimirum charitas, fides & ſpes, adeò vt, inquit Cyrillus propter primam Chriſtus ſe dicit eſſe viam, quia præcepta virtutum & charitatis nobis dedit, propter ſecundam ſe eſſe veritatem, quia rectæ fidei doctrinæque aùthor eſt ; propter tertiam eſſe vitam, quia ipſe vitam nobis reſtiſtuit. Eſt ergo, inquit Leo, via ſanctæ conuerſationis, veritas doctrinæ cœleſtis, vita beatitudinis ſempiternæ. Via, in qua per charitatem ambulare ; veritas, cui per fidem inhærere ; vita, in quam per ſpem attolli debemus. 3. Fideles per medias ſeculi tenebras ad æternam fœlicitatem votis omnibus contendant. Docet Chriſtus ſe eſſe viam, quæ calcanda eſt, & veritatem, quæ facem alluceat, quæque præeat viam ipſam oſtendens, & vitam, ad quam via ducat, & in qua fœliciter terminetur. Itaque rectè Auguſt. Quà vis ire, Chriſtus eſt via, quò vis ire, Chriſtus eſt veritas, vbi vis permanere, Chriſtus eſt vita. 4. Cùm Chriſtus tria præcipuè præſtiterit, dum in terris ageret ; nam primò actiones omnes ſuas ad Dei obſequium exegit perfectiſſimè, ſecundò doctrinam cœleſtem docuit ſapientiſſimè, tertiò redemptionis opus peregit abſolutiſſimè ; ratione actionum, via eſt ; ratione doctrinæ veritas eſt ; ratione redemptionis vita eſt, via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio ; Via nos dirigens, veritas nos docens, vita nos ſaluans ; via ducens, veritas lucens, vita paſcens : Via per quam ambulandum, veritas per quam ſapiendum, vita in qua permanendum: quintò, cùm tota miſeria noſtra tribus præcipuè partibus contineatur: nam 1. erramus quaſi per auia. 2. Ignorantiæ & mendacij tenebris obuoluimur. 3. Tandem morte deſtruimur Chriſtus triplici malo triplex remedium adhibet. Eſt enim via ſine errore, veritas ſine mendacio, vita ſine morte ; via ne ruamus in præcipitia, veritas ne abripiamur in mendacia, vita ne funeſta morte pereamus; ſextò, denique cùm in ſalute noſtra tria conſideranda veniant initium, medium, & finis, vt norimus in vno Chriſto totam nobis ſalutem conſtare, ipſe ait ſe hæc omnia eſſe. Initium ſalutis eſt tranſire à peccato ad juſtitiam, &

ab ira

ab ira ad ejus gratiam, vt hoc possimus, via est Christus. Medium est cœlestis doctrinæ rectam cognitionem habere, vt hoc possimus, Christus veritas est, finis salutis est apprehendere vitam æternam, ut hoc possimus, Christus vita est. Est igitur via incipientium, veritas proficiscentium, & vita perfectorum.

Sed jam separatim omnia expendamus, 1. Christus est via, quia per eam imus ad Patrem, i. e. per Christum accessum habemus ad Deum à quo dissiti eramus per peccata. Etenim ipse vt nos Patri reconciliaret, & ius appropinquandi ad gratiæ diuinæ tribunal restituit. Huc pertinent loca de accessu ad Deum per Christum & de intercessione Christi. Rom.8.34. Eph.2.18.Hebr.7.24.& 10.19.1.Ioh.21.2. Hæc illa est sanctis via, quâ, inquit Esai.35.8. non transibit pollutus, & in qua nemo poterit deerrare. Immundis enim & reprobis nulla portio cum Christo, 2.Cor.6.14. & qui Christum sequitur, nunquam ambulabit in tenebris, Ioh.8.12. Itaque tutissimam hanc esse viam Propheta testatur; quia sicut Princeps mundi nihil vnquam habuit in Christo, Ioh. 14.30. Ita nec in Christi membris per viam illam ambulantibus vllum vnquam jus habiturus est, quascunque demum ijs insidias extruxerit. Rom.8.33. Hæc est via illa recens & viua, quam Christus consecrauit per velum id est carnem suam, Hebr.10.20. Recens quidem siue noua, non tantùm, quia Christus tum temporis scribebat Apost. recens mortuus erat, sed quoniam etiam via est excellentissima (nam quia noua maximo sunt in pretio, ideo quòd excellens est, scriptura vocat nouum, Ioh.13.34.) & quoniam omnibus temporibus viam suam obtinet, nec vnquam desueuerunt, aut desuescent electi per eam ambulare. Viuens autem vt opponatur viæ illi, quæ ducebat olim ad sacrarium terrenum templi Ierosolymitani, quæ nullam in se habebant viuificandi vim, sed quasi mortua erat, cùm via hæc eos omnes viuificet, qui per illam ambulant, non abludit etiam à nomine viæ, quòd, Ioh.10.7. Christus ostium se dicit, per quod intrandum sit in ouile. Ostium autem dicitur 1. respectu omnium fidelium: vt enim non introitur legitimè in interiora domus, nisi per ostium; ita nemini patet accessus ad Deum, Deique notitiam, ad Eccl. veram, ad regnum Dei, ad æternam gloriam, nisi per Christum, adeoque frustrà sunt, quæ ad Dei cognitionem cœlestemque vitam alias vias aut media quærunt. 2. respectu pastorum: sicuti enim qui non per ostium, sed alio intrant in domum inuito domino, pro furibus & latronibus habentur. Ita qui alio, quàm per Christum intreount in Eccl. & pro pastoribus sese gerunt, nec tamnm vlla legitima vocatione, qualem Christus instituit, instructi sunt, non pro pastoribus habendi sunt, sed pro furibus. Vnde Christus ibidem subijcit fures fuisse quotquot ante ipsum venerunt, non vt Prophetas damnet, aut abijciendos esse significet. Illi enim per illud ostium ingressi sunt, & per Spiritum Dei locuti, 2.Petri 1.21. Sed vt eos minimè recipiendos esse doceat, qui nulla Christi authoritate muniti docere præsumpserunt, qui etiam quasi pro vero Messia recipi vo-

luerunt, quales fuêre Theudas & Iudas, de quibus, Act.5.36. Et Simon Galilæus, de quo Ioſephus lib.2. belli Iudaici cap.7. & poſt Chriſtum inſignis ille Plani Barcochab & Moſes Cretenſis, de quibus Eccleſiaſtica hiſtoria.

SECVNDO Chriſtus eſt veritas. 1. enim quatenus eſt λόγος Patris, ſua natura & eſſentialiter veritas eſt. Sed de hac veritate ſatis in tractatu de attributis Diuinis. 2. Veritas eſt reſpectu promiſſionum, typorum, victimarum & oblationum, quæ ſub Veteri Teſtamento præceſſerunt. Promiſſionum quidem, quippe quæ ſunt etiam & amen in Chriſto, id eſt, in eo impletæ & effectu ipſo comprobatæ, 2.Cor.1.20. Omnium igitur typorum & ceremoniarum veterum, quippe quæ nihil aliud erant, quàm vmbræ, quarum corpus eſt in Chriſto, vt ait Paulus, Coloſſ.2.17. Vbi egregia ſimilitudine diſcrimen oſtenditur inter Vet. & Noui Teſtamenti diſpenſationem: nam cùm hæc ſit vmbræ ratio, vt ipſa de ſe nihil poſſit, & non aliud ſit, quàm ſignum & repræſentatio corporis eaque valdè obſcura & imperfecta. Corporis autem ſolius ſit agere & virtutem ſuam exercere, non potuit clariùs ſignificari, quæ fuerit ratio eorum quæ ſub V. fœdere fuerunt externè diſpenſata, nempe ceremonias & ſacrificia illa omnia non habuiſſe in ſe vim vllam ad ſanctificandas hominum animas, aut præſtandam peccatorum expiationem, Hebr.9.9. adeoque non aliud fuiſſe, quàm typos & figuras quæ Chriſtum ſignificarent & obſcura imperfectaque repræſentatione adumbrarent. Chriſtum autem eum verè eſſe qui rem ipſam præſtat, id eſt, qui ſanguine ſuo redemptionem æternam nobis acquiſiuit, in quo vno & per quem vnum verè habemus peccatorum remiſſionem, ſanctificationem & quodquod eſt donorum ſpiritualium: eò referendum quòd Iohan.1.14. dicitur verbum habitaſſe inter nos plenum gratiæ & veritatis. Gratiæ quidem, quatenus nos cœleſti Patri gratos fecit & reconciliauit, veritatis autem quatenus id omne in ſe exhibuit quod legalibus ceremoniis fuerat præfiguratum. Vnde poſtea ℣.27. inſtituta inter Moſen & Chriſtum comparatione dicitur lex per Moſem data fuiſſe. Gratia autem & veritas per Chriſtum facta. Vbi veritas non eſt opponenda falſitati. (Nam quæcunque in V. lege proponunt, veritatis ſanctitatis & iuſtitiæ ſunt pleniſſima) ſed typis tantùm & ceremonialibus figuris. Sic & gratia non opponitur legi, quaſi lex non fuerit gratia, id eſt, donum Dei, ſed maledictioni tantùm & iræ Dei, adeóque ſignificat reconciliationem & remiſſionem peccatorum. Itaque ſenſus eſt Deum per Moſis miniſterium antiquitus dediſſe, tum legem moralem, quæ maledictionem pronuntiabat adverſus omnes illius præuaricatores, Deut.27. 27. tum etiam ceremonialem quæ nonniſi vmbram habebat futurorum bonorum, Hebr.10.1. Sed Chriſtum aduentu ſuo tum gratiam exhibuiſſe, quatenus abolita legis maledictione & præſtito eius ἀπαρτισμῷ, Rom.8.3. nos Patri æterno reconciliauit, tum veritatem feciſſe, quatenus promiſſionum & figurarum omnium complementum perfectiſſimè exhibuit. 3. Chriſtus eſt veritas, quia eſt doctor veritatis, id eſt,

doctrinæ

doctrinæ fidei, quâ nihil certius, aut verius esse potest, verbum enim Dei est veritas, Iohan. 17. 17. Cùm enim in omnibus aliis disciplinis, prout traduntur & explicantur ab omnibus multa sint, quæ vel dubiam veritatem, vel certam falsitatem continent. Hic è contra Christus quæcunque ad salutis æternæque vitæ rationem spectant. Ita per Amanuenses suos Prophetas & Apostolos tradidit, vt nihil sit, quod vel leuissima mendacij macula aspergatur. Et quanquam Scriptores sacri variis locis, temporibus scripserunt, tanta tamen concordia consentiunt omnia eorum scripta inter se, vt firmissimum inde colligamus testimonium, & veritatis, & diuinitatis Scripturarum, scilicet vt docent Logici ex veris nihil nisi verum colligi potest. Ita ex limpidissimo illo veritatis fonte Christo nihil nisi verum emanare potuit.

Tertiò Christus vita dicitur, 1. quia quà λόγος æternus est Patris vitam & motum rebus omnibus largitur. Sicut enim per ipsum omnia creata sunt, ita per ipsum existunt, Colos. 1. 16. Quo sensu, Iohan. 1. 4. 9. dicitur in ipso vita esse & vita illa esse lux hominum. Itaque vitam naturalem & corporalem Christus largitur omnibus viuentibus, 2. quia quatenus Mediator est vitam spiritualem & æternam electis suis communicat, quippe qui vnus sit beatæ immortalitatis fons, cui quisquis adhæret, nunquam æterna morte periturus est, propterea Ioh. 6. 48. vocat sese Christus panem vitæ, siue viuificum, & panem è cœlo & panem Dei. Panem equidem quatenus se nobis participandum præbet, tum spiritualiter per fidem in prædicatione Euangelij, tum sacramentaliter in Cœna, vbi panem & vinum nobis proponit: tanquam corporis & sanguinis sui symbola sacratissima. Panem autem vitæ quia nos spiritualiter cibamur in spem certissimam vitæ æternæ, quæ quia nonnisi per ipsum & propter ipsum obtinetur. Ideo dicitur ea vita esse in ipso, 1. Iohan. 5. 11. Panem denique Dei & panem è cœlo, quia nobis, non ab Angelis, vt olim manna in deserto, sed ab ipso Deo nobis paratus est, & quia non de nubibus descendit, vt manna, sed de cœlo cœlorum, adeoque de ipso Patris sinu missus est in hunc mundum. Huc spectat quod Act. 3. 15. Princeps siue dux, vitæ dicitur, vtpote qui vitæ mortisque imperium habet, qui non vitam naturæ largitur, sed & cùm libet morte amissam excitatione à mortuis reparat. Qui vita gratiæ fideles donat, qui gloriæ vitam repositam in suis in altero sæculo seruat, eosque ad plenam illius fruitionem infallibiliter perducit, quare dux salutis vocatur, Hebr. 2. 10. & causa, siue author salutis æternæ, Hebr. 5. 9. tum quia salutis viam nos edocuit, tum quia eam nobis vt Mediator dignissima sua passione acquisiuit, tum denique quia non nisi per fidem ad eam vitam peruenitur. Ideo etiam inter titulos eius eminet ea appellatio qua insignitur ab Apostolis, Hebr. 12. 2. vbi vocatur dux & consummator fidei, id est, non tantùm certaminis, quo defungendum nobis est aduersus simplices hostes agonothetas qui salebrosum hoc stadium prius decurrit. Atque vt ad regnum Patris & cœleste gaudium viam sibi faceret, crucem in hac terra pertulit & afflictionum omne genus, sed

etiam fidei nostræ author & collator, patronus ac defensor, qui & negotium redemptionis, id est, præcipuum fidei nostræ objectum ipse consummauit, & omnia nobis confert, quæ ad fidem pertinent, & nos tandem à fide translaturus ad aspectum, id est, ad visionem beatificam, quæ vera est & vltima fidei nostræ consummatio.

CAPVT II.

De Nominibus Iesu Christi Redemptoris, Reconciliatoris & Mediatoris.

AD justam horum nominum explicationem tum rationem etymi, tum etymum examinare par est; IESV nomen Hebræum esse nemo ignorat. Quidam tamen ex veteribus deriuationem arcessere maluerunt à Græca voce ἰάομαι, quod seruare est, siue mederi, quia Christus animarum nostrarum peccato laborantium curator est & medicus, sed etymum huius nominis allusionis magis quàm veræ notationis, prout nouimus Græcos doctores in honorem patriæ linguæ allusiuis etymologiis esse delectatos ita cùm Pascha per leuem mutationem sit ab Hebr. פסח——transitum significantem, illi tamen ἀπὸ τῶ πάσχειν deducunt, quod passionem significat quòd nempe Christus paschatis tempore passus sit. Et cùm ab Hebræo Ierusalem ירושלאים nomine Hierosolymorum appellatio desumpta fuit, illis tamen placet ita dictam vrbem, quasi ἱερὸν Σολωμόντος. sed nos hîc veram originationem quærimus.

Castalio dicitur à Domino Serio.

Nonnulli sunt inter quos chorum videtur ducere Osiander, qui Iesu nomen quod est Iehosuah, non aliunde volunt esse quàm nomen יהוה interposita tantùm litera ש quâ denotetur humanitas Christi, quæ à diuinitate filij assumpta est in vnitatem personæ. Verùm hoc, vt aliquando subtilitatis laudem habere possit, nullam tamen habet soliditatis. Nam cùm Iehoua, יהוה, scribatur per He, ה, In fine versus Iehosuang per, ע, & cùm alterum sit ab, Aja, היה, essentiamque denotet, alterum, Iaschang, ישע, & salutem significet, non est quod putemus in nomine Iesu comprehendi ex vi vocabuli nomen Iehouæ. Alij, inter quos est Galatinus, certum quidem hoc esse nomen à radice illa Iaschang deriuari dicunt quâ salus designatur, ita vt Iesus seruatorem significet, sed distinguendum esse putant inter nomen Iehosuang, & Ieoschuah. Nam prius illud appellationem esse, quæ etiam in homines competere possit, cùm eo nomine, & vocatus fuerit filius Nun, qui Mosi successit in politica Israëlis gubernatione, & Summus Sacerdos Iehothadaki filius de quo Zacharias 3. quia nempe illud nomen idem est, ac si dicas Deus saluabit, vt vel ipsa appellatione pateat eos qui ita vocati sunt, non saluatores, sed ministros tantùm & instrumenta per quæ Deus beneficia sua fidelibus impertiuerit. At verò nomen Ieschuah,

Ieschuah, cùm simpliciter salutem, vel Saluatorem significet, non posse de alio dici, quàm de Christo, cùm in alio nulla sit salus, Act.4.12. Verùm & hoc subtilius est, quàm verius: Nam cùm ille idem Sacerdos qui Zachariæ 3. vocatur Iehosuah, vocetur etiam Ieschuah, Esdr.3.8. & 5.2. Satis inde liquet hæc duo nomina indiscriminatim eodemq; sensu vsurpari, adeoque idem esse, siue Iehosuah, siue Ieschuah Christum nuncupemus. 2. Quia litera, ע, Aijn, quæ vltima est illius, nominis linguæ Græcæ Latinæque penitus ignota est. Propterea septuaginta Seniores, quoties illud nomen in Veteri Scriptura extat, inflexerunt aliquatenus, & ad formam Græcam accommodarunt pro Iehosuah, & Ieschuah dicentes Iesum. Vnde Latini nomen, Iesu desumpserunt. Atque inde ansam arripuerunt abominandi Iudæi blasphemiæ illius suæ, quâ Christum nunquam Ieschuah vocant, sed semper Iechu nominant, virus detestandæ imprecationis in Christianorum ea voce occultantes per vocem illam cabalisticam, quam Notaricon ipsi vocant, quando nempe singulæ literæ vnius alicuius dictionis totidem alias dictiones integras connotant: nam per tres illas literas, ימח, Id significant Timnath Schemò, vesierhò, id est, deleatur nomen eius, & memoria eius. Sed malè pereant illi cum suis diris. Nos Iesum scimus inde dictum docente Angelo, Matth.1.21, quod saluum faciat populum suum à peccatis ipsorum.

CHRISTVS, non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & regni, vt, inquit Lactantius, lib.4. de vera sapientia, cap.7. in 1.Iohan.2. Iesus, inquit, proprium nomen est, quomodo Moses, Elias, Abraham: Christus etiam Sacrarum, id est, sacræ vocationis nomen est, quomodo si dicatur *Propheta*, vel *Sacerdos*, atque hoc nomine indigitatus est etiam ab Angelis, Luc.2.11. vocabulum est originationis Græcæ, quod Latinis vnctum significat, quomodo Hebr. משח משיח, quod idem sonat, ac Latinis, vnxit, quanquam hoc nomine, tum reges, tum Pontifices subinde vocentur in Vet. Testamento, appellatio tamen in Redemptorem nostrum, αὐτοτελῶς competit, tum ob vocationis excellentiam, tum ob donorum plenitudinem, tum denique quia Veteres reges & Pontifices vnctione illa sua corporali quâ consecrabantur, typum & figuram exhibuerunt spiritualis illius vnctionis quâ Redemptor vnctus est à Patre cœlesti. Porrò Messiæ appellatio benedicto illi Abrahæ semini à Dauide primùm expressè tributa est Psalm.22. quia etiam huius appellationis rationem reddit, Psalm.45.8. Postea nomen illud vsurpatum legitur apud Dan.cap.9.21.26. Inde percrebuit in Ecclesia Iudaica & in Chaldaica translatione frequentissimè vsurpatur. Denique notus fuit hac appellatione Redemptor promissus, non inter Iudæos modò, Iohan.1.25. & 7.26. Sed & inter Samaritanos, Iohan.4, 25.29.42. Atque hic etiam, vt in nomine Iesu luserunt, etymologiis Græci, qui Christum ita dictum docuêre, quasi χρηστὸν, quo nomine cùm vtilitas, bonitas, probitas, siue lenitas & suauitas, siue iucunditas significetur, haud absre esse, quod ita vocetur ille in quo hæc omnia perfectissimè reperiuntur. Quid enim vtilius Christi morte, quâ redempti

sumus à peccato. Quid melius Christi vita quam totam in perficienda Dei voluntate occupauit? Quid probius ac lenius moribus Christi, quos ipse toties discipulis suis commendat? Matth.11.19. Iohan.13.15. Quid denique suauius & iucundius gratiis illis ac donis spiritualibus, quæ Christus in fideles confert, sed non est quod alia etyma quæramus, cùm certum & indubium habemus χριστὸν ἀπὸ τῆ χίειν esse deductum, quòd vnctionis significationem habet.

A NOMINE ad rem veniamus inter has duas appellationes IESV & CHISTI, ea potest obseruari distinctio, quod Iesus sit gratiæ nomen: Christus autem nomen authoritatis. Itaq; quod Iesus designet propriè Christi actionem respectu nostri, quatenus nos saluat. Christus autem communicationem dignitatis & donorum quæ recepit à Patre, vt salutem nostram perficeret. Quod denique Iesus finem denotet aduentus & commemorationis Christi in mundo. Christus autem media quibus hunc finem consecutus est.

QVEM IESVM Hebræj vocant ישוע, eum Gr. σωτῆρα, Latin. Seruatorem dicunt. Quamquam Tullius actione quarta in Verrem σωτῆρας nomen ἐμφατικώτερον esse vult quàm vt vna voce latina significari possit. Is enim σωτὴρ inquit, qui salutem dedit. Christus ergo propterea IESVS, saluator dicitur, quia salutem dat, siue quia σώζει, id est, saluum facit populum suum à peccatis ipsorum Matth.1.21. Ita vt aliunde sperari, nec haberi possit salus Act.4.12. Cùm enim salus sit omnino triplex, corporalis, spiritualis, & æterna; Siue salus naturæ, gratiæ, & gloriæ. Etsi Christus, quà Deus est, triplicis illius salutis sit author & effector, tamen quà Mediator dicitur propriè IESVS, respectu salutis tantùm spiritualis & æternæ. Salutem corporalem voco, non tantùm integram ac tutam incolumitatem corporis, quæ vulgò sanitas dicitur, & quam consistere docet Medicus in contemperie totius corporis, non tantùm singularum partium, similariumque, earumque ineffabili proprietate, & occultis proprietatibus & qualitatibus in organicarum conseruatione iusta, & vtrarumque vnitate, vt habetur apud Sennert. Inst. Medica, lib.4.q.2.c.1. Sed etiam benedictiones omnes externas & communem liberationem à vitæ præsentis incommodis: hoc enim sensu sæpius in Scriptura occurrit, nomen תשועת, siue salutis Iud.15.28. 2. Reg.5.1. & Ps.33.17. Quoniam autem ad communicandam istam salutem corpoream Deus hominum ministerio sæpissimè vtitur, inde fit vt homines aliquando saluatores esse dicantur, quales fuêre apud Iudæos, Iosue, Othoniel, Gedeon, Iephte, & alij, per quos Deus populum suum de manu inimicorum liberauit, quique à Deo in acquirenda illa salute corporea typum gesserunt veri Saluatoris, & salutem illam repræsentarunt spiritualem, quam habemus in Christo, vnde typici saluatores dici possunt, sed Theologia propriè considerat animæ salutem, cui etiam comparandæ propriè destinatus est Mediator, & quam si describere velimus, dicemus esse in vnione Dei participationem gratiarum spiritualium, siue imperfectam in hac vita, siue consummatam in hoc

seculo,

seculo, quæ inchoata est, salus gratiæ dicitur, quæ plena, salus gloriæ ob vtramque Christus Iesus dictus est, quia vtramque non tantùm dat, quà Deus vt causa efficiens, sed etiam nobis acquisiuit, quà Mediator, vt causa meritoria. Atque inde est, quòd de Messia loquens Zacharias. Luc.1.69. dicit *Deum* erexisse in Domo Dauidis cornu salutis, id est salutem firmissimam,& excellentissimam,abundantissimam, prout notum est nomine cornu, robur, ornamentum, & plenitudinem designari, in Christo est salus gratiæ,quæ constat vocatione,iustificatione,adoptione, regeneratione, in eo est salus gloriæ, quæ consistit in beatifica Dei contemplatione, quam scriptura vocat vitam æternam, & docet donum esse Dei in Christo, Rom.6.23.

PRÆTEREA cùm de veræ salutis ratione sit,vt & omne malum tollatur & bonum omne conferatur, dubitari non potest Christum esse vero nomine Salvatorem, cùm & à veris malis nos liberet, & vera bona nobis communicet:ac malorum quidem duplex est genus.Est enim aliud malum culpæ,nempe peccatum, aliud malum pœnæ: atqui Christus nos salvat, primùm quidem à peccato, quod tantùm est beneficium vt ab eo notatim Iesum esse dictum testetur Angelus,Matth.1.21. Non quod Iesu nomine contineantur alia dona, sed quia saluatio à peccatis, siue remissio peccatorum, est quasi fundamentum & basis reliquarum omnium gratiarum. Vnde etiam in ea vera constituitur hominis beatitudo, Ps.32.1. Itaque sicut domus vocatur, cujus tantùm fundamenta sunt jacta, ita salus dicitur, quæ salutis totius verum est & stabile fundamentum : alterum à quo liberamur est malum pœnæ, nempe tum maledictio legis in peccatores, cùm miseriæ & afflictionum omne genus quibus homo propter peccatum obnoxius est, ac notatim mors æterna. Iesus ergo verè dicitur qui nos saluat. 1. à maledictione legis, Gal.3.13. 2. ab æterna morte, 1.Cor.15.54.2. Tim.1.10. Hebr.2.14. 15. 3. quoad pœnas temporales ac nominatim corpoream mortem attinet, ab eis liberari dicimur per Christum, non qui post Christi redemptionem nihil ampliùs eorum pateremur, sed tantùm quatenus eæ non tam pœnæ sunt fidelibus quàm exercitia, & castigationes paternæ neque vindicta iudicis, sed salutare remedium Medici, sanandis animarum nostrarum languoribus præscriptum, vt & mors corporalis non iam nobis mors est, sed transitus ad vitam æternam, vnde beati qui moriuntur in Christo Apoc.14.13. Bonum similiter duplex est illi malo duplici oppositum, nempe Iustitia, quæ peccatum expellit, & vita æterna, quæ mortem & miseriam quamlibet eliminat; atque vtrumque à IESV habemus: seruat enim nos, quatenus per gratiosam imputationem iustitiæ ipsius nobis communicatur vt iusti habeamur apud Deum 2. Cor.5.21. Seruat etiam, quatenus suo sanguine ius nobis ad æternam fœlicitatem acquisiuit, sed etiam ad illam nos reapse per Spiritum sanctificationis deducit. Rom.6.22.1.Ioh.5.11. Cum seruatoris nomine paria, fermè facit redemptoris, quem Græci ἀπολυτρωτὴν, Hebr. גאל vocant, & quo Christus frequenter donatur in Scriptura, quatenus sub-

inde nos redemisse dicitur, & factus fuisse nobis à Deo Redemptio 1. Cor.1.30. & nactus fuisse redemptionem æternam, id est, cujus vis & efficacia non certis temporibus concluſa sit, sed ab initio mundi vsque ad finem potentissimè pertingat. Heb.9.12. Dicitur porro Christus redemptor noster, tum meriti, tum efficaciæ: respectu meriti quidem quatenus iustitiam & vitam nobis semel & perfectissimè acquisiuit, cùm nempe in terris agens Patri obediens vsque ad mortem crucis, & sanguinem suum pro nobis effudit. Efficaciæ verò quatenus acquisitam redemptionem & iustitiam nobis per Spiritum suum efficaciter applicat, quod non semel aut iterum, sed continuè facit, quia continuè electos suos vocat, dum eorum numerus compleatur. Cæterum cùm demum consummata erit redemptio nostra tum ab omni peccato & miseria liberi æternæ vitæ, gaudiis ineffabilibus fruentes, in cœlo, propterea dicit Scriptura redemptionem nostram, dum in hoc mundo agimus, non tam præsentem esse, quàm appropinquare. Luc.21.28. Vnde etiam futuro seculo reseruare dicitur non tam ratione corporis, quòd tum temporis de sepulchri tenebris erutum, in æternam lucem asseritur Roman.8.23. Sed etiam ratione animæ quatenus ea tum demum à malis omnibus siue culpæ, siue pœnæ in dulcissimam & plenissimam libertatem vindicabitur, Eph.4.30. Enimuero cùm redimere sit captiuum à seruitute liberare quod multis modis fieri potest, putà gratiosa manumissione, mutatione, ablatione violenta, solutione pretij, Scriptura docet quando nos à captiuitate nostra redempti fuerimus per Christum, nempe non per simplicem & gratuitam manumissionem, quando servi olim apud Romanos in libertatem vocabantur à Dominis, non per aliquam manumissionem, vt & cùm in bello totidem captiuis permutantur, non per violentam ablationem, vt cùm Dauid armorum vi suos eripuit à manibus Amalec.1.Sam.30.17.18. Quamquam enim iure suo potuit Christus nos de manibus Diaboli per vim liberare, non poterat tamen per violentam illam oblationem homo reus Deo reconciliari. ergo eam redimendi rationem adhiberi voluit Deus, quæ fit per modum iustitiæ id est soluto pretio & præstitis ijs omnibus per Dominum nostram Iesum Christum quæ Dei iustitiam requirebat; itaque non tam redempti dicimur, sed etiam redempti pretio, 1.Cor.6.20.& 7.23. Pretium autem illud fuit non res aliqua corruptibilis, sed sanguis Iesus Christi agni illius immaculati 1.Pet.1.18.

Eodem spectat quòd Christus reconciliator, siue ἱλασμός, aut καταλλαγή nobis proponitur qui nos Deo reconciliauit pace per crucis sanguinem facta. Rom.5.10.2. Cor.5.19. Eph.2.16. Col.1.20. Vnde verbum Euangelicum quod partam morte Christi salutem nobis declarat & gratiosè offert, dicitur ministerium reconciliationis, 2.Corinth.5.18. Reconciliare est in concordiam reducere & in gratiam restituere eos, qui ob grauem offensam abalienati erant, & reconciliator idem est ac pacificator, siue dissidiorum compositor. Cùm ergò Deum nos peccatis nostris grauiter offendissemus, & ab eo essemus separati, ejusque facies

facies à nobis auersa. Es.59.2. Christus se medium interponens direptam prius amicitiam resarcit & propitium nobis fecit Patrem cœlestem. Vnde & propitiatio nostra dicitur, 1.Ioh.4.10. Quamuis enim Deo Patri adeoque & toti S.Triadi, vt causæ primariæ adscribendum sit opus reconciliationis, Christo tamen illud attribuitur, vt proximo & immediato agenti, qui meritum subministrat, cujus respectu nos Deus sibi reconciliat. Nos, inquam, reconciliat, etsi fortassis ex vsu Græcæ Latinæque linguæ magis est, vt pater offensa potius reconciliari dicatur, ei qui offendit, quàm, offendens ei qui offensus est. Hebr. tamen רצה. Cui respondet Græcum διαλλάττειν, & Latinum reconciliare indifferenter vsurpant, vt significent non tantùm placare eum qui læsus est, sed etiam eum qui læsionem & offensam intulit, in gratiam restituere. Ita, Matth.5.23. si frater tuus habeat aliquid contra te &c. Ita, 1.Cor.7.11. Si vxor separauerit se à viro, aut maneat cœlebs, aut viro reconciliator id est cùm eo in gratiam redito, ita cùm ex Comment. magno Exod. qui Schemóth (ריצה) Rabbha dicitur hæc verba à doctis laudantur. Id est Moses, qui surrexit, ad vocationem super Israelem & reconciliauit eos patri eorum qui in cœlis est, id est, conciliauit eis gratiam Patris cœlestis quam & Græci aliquando in hunc sensum verbo καταλλάττειν, vtuntur.

Sed iam sequitur vt obseruemus duo esse omnino nomina super quæ multi superstitiosas opiniones fouent. Primùm est nomen τετραγράμματον, Iehoua, à cujus pronuntiatione sibi cauent, non Iudæi tantùm, sed & multi Christiani, imò cujus vnius legitima pronuntiatione nugantur Rabbini multa posse fieri miracula, eò blasphemiæ prorumpentes, vt Christum in terris agentem non alia ratione miracula patrasse contendant, quàm quod legitimam hujus nominis pronuntiationem probè nouisset. Alterum est nomen Iesu de quo mira sibi persuadent superstitiosè. Nam quia in Scriptura legimus hoc nomine nos saluos fieri, Act.4.12. Et corporis ægritudines ac morbos curari. Act. 3.6. & 4.10. Et dæmonia pelli. Marci 10.7. Quibus consilia passim legere est apud Patres: ita enim Iustinus dialog. apud Triph. per nomen ipsius filij Dei primogeniti omnis creaturæ, omne dæmonium adjuratum vincitur. Et Origenes, lib.1. contra Celsum, Nomen Iesu lymphatos, dæmones abigit, morbis præsentaneum affert auxilium, & Arnobius, lib.1. contra gentes, nomen Iesv auditum fugat noxios Spiritus, imponit silentium vatibus, auspices inconsultos reddit, arrogantium magnorum frustrari efficit actiones. Inde factum est vt posterioribus seculis superstitio omnia hæc retulerit ad ipsum vocabulum Iesu, prout literis constat, aut ore profertur, aut manu exaratur: at nosse debuerant illi homines, quod sana docet Philosophia, nullum esse nomen, siue per se sumptum, siue in aliorum verborum complexione spectatum, quod ratione simplicis soni, ac prolationis in se vim habeat, adeoque magnam prauitatem redolere opinionem illam, quæ ipsis externis vocabulis virtutem, aut efficaciam aliquam affingit: Nam quod de vi nominis

Iesu, in Scriptura & Patribus legitur, non est referendum ad ipsam externam prolationem illius vocabuli, sed per nomen intelligi debet (vt sæpe fit in Scriptura) maiestas, authoritas, potentia, mandatum Iesu Christi, cui omnia sponte, vel coactè obedire necesse est.

Levivs errant, qui ad prolationem nominis Iesu caput aperiunt, aut genua flectunt, & religiosa veneratione illud prosequuntur: ita fit à Pontificiis iuxta illud mandatum Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, quod refertur cap. decret. tit. de Immunit. Eccles. in 6. lib. decret. Conuenientes nomen illud Sanctum Iesu Christi, quod est supra omne nomen, exhibitione reuerentiæ specialis attollant, & quomodocunque glorioſum illud nomen recolitur, flectantur genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. Fit etiam à Lutheranis eò referentibus dictum Apostoli de Gentibus in nomine Iesu flectendis, Phil. 2. 10. eius consuetudinis satis antiquæ originem ita explicat Zanchius in illum Apostoli locum. Hæc est, inquit, Catastrophe huius nominis Iesu, quod cùm antea ab omnibus fere Iudæis blasphemaretur post mortem patefactâ eius Deitate ab omnibus adoratur, ita vt ad solam nominis Iesu mentionem ei genua flectant. Atq; hinc non dubito, quin profecta sit antiquissima illa consuetudo in Ecclesia, vt cùm nominatur Iesus, omnes aperiant caput in testimonium reuerentiæ & adorationis, & confirmata fuit contra Arrianos, & alios hæreticos qui dicebant Iesum hunc nudum esse hominem. Consuetudo non fuit improbanda, sed postea versa est, in superstitionem, & multa alia piè & sanctè instituta. Hactenus Zanchius; nos in hodierno vsu vituperamus id, 1. quòd plerique literas & syllabas nominis venerantur & colunt, i.e. vocabulo tribuunt quod nonnisi personæ debetur. 2. quòd ad vnius illius vocis prolationem hanc venerationem præstant, quasi in nomine Iesu plus esset honoris, quàm in nomine Christi aut redemptoris. 3. Quòd ita fieri necessarium putant, & in ea consuetudine aliquam meriti rationem cultusque diuini partem constituunt. Nam de cætero augustissimum hoc nomen honorari non recusamus, dummodo à nomine ad rem ipsam significatam anima fidelis deuotè transeat. Licet enim piis internam deuotionem externo gestu libere exprimere, modo superstitionem omnem meritique, aut necessitatis opinionem excutiat, & scandalum proximo nullum ponat. Neque tamen locus Pauli, Phil. 2. Huc pertinet quippe qui non de externa aliqua genu flexione loquatur, sed significet tantam Iesu Christi maiestatem ac diuinitatem ita omnibus manifestandam, vt, vel ipsi Diaboli eam tandem cogantur, quantumuis inuiti agnoscere.

Christi nomen ad sacram eius vnctionem refertur, ac triplex designat officium, Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Ratio est, quia sub Vet. Testamento vsus vnctionis erat, in sacrandis regibus & Sacerdotibus & Prophetis. Regibus; vnctus enim est à Samuele Saul, 1. Sam. 10. 1. & Dauid, 1. Sam. 16. 13. *Nota obiter quod* qui propterea in Psalm. toties vnctus, siue Christus Domini vocatur. Ita Tsadoch & Nathan Salomo-

Salomonem vnxerunt, 1.Reg.1.34. Elias Azaelem & Iehu, 1.Reg.19.15. Iehoiada, 2.Chron.23.11. Sacerdotibus enim illi vnctione olei Sacri consecrabantur, Exod.29.7. & 30.30. Leuit.8.12. Psalm.133.2. Prophetis. Nam iussus Elias à Deo Elizæum Prophetam vngere, 1.Reg.19.16. In omnibus illis vnctionibus vsus olei manifestam habet causam. Cùm enim duplici præsentem virtute oleum emineat. Altera quod odorem habet insitum quo fragrantia facit corpora: altera quod vi sua emolliendi membra, quibus illinitur, agilia reddit, propterea meritò assumptum est ad vsus sacros, quippe cùm valde accommodatum sit, rebus duabus supernaturalibus significandis: nam odore suo confragrantia ritè denotat ordinationem, sanctificationem & consecrationem personæ ad munus diuinum obeundum. Virtute autem illa mollitiua, quâ membra reddit ad actiones aptiora, optimè designatur eorum donorum, quæ ad legitimam muneris administrationem necessaria sunt, collatio, siue administratio.

Itaque Christi nomine tria designantur. 1. Redemptorem nostrum esse Prophetam, siue doctorem Sacerdotem, siue Pontificem nostrum, & Regem nostram spiritualem. 2. Ad hæc munera non fortuitò venisse, non clanculariò irrepsisse, non humanitus vocatum fuisse, sed à Patre cœlesti designatum consecratumque iuxta illud, *vnxi regem meum in Sione monte sanctitatis meæ*, Psalm. 2. 6. 3. Necessariis donis instructum fuisse ad tantum munus obeundum. Propterea enim dicitur vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, Psalm.45.8. & Deus non admetitus ipsi fuisse Spiritum, Iohan.3.34. id est, ei totam plenitudinem Spiritus cumulatissimè communicasse, prout nouimus eos, qui largiter & effusè dant, non metiri, aut numerare quod dant, sed cumulatim profundere, quo discrimine ab aliis secernitur quibus dat quidem Deus Spiritum suum, sed ad mensuram, siue secundùm mensuram donationis Christi, Ephes.4.7. Sumus enim nos angustiora vascula, quàm vt totam gratiarum plenitudinem accipere valeamus, sed in Christo abundantissima plenitudo est. Ille enim quâ filius est æternus Patris Spiritum habet, non dono, sed natura, non distributione, sed gratiosè. Quâ verò homo est, omnia Spiritus dona habet, & quod ad numerum, quia nullum ei deest, & quoad perfectionem, quia tam eximia habet, vt nec humanæ, nec Angelicæ gratiæ tanta, vel aliquando communicata, vel vnquam communicanda sint. Cæterum vnctio illa vnde Christus dictus est, humanæ tantùm naturæ competit, quatenus vnctionis nomine collatio donorum designatur, quæ abundantissimè in humanitatem Christi à Dei Spiritu effluxerunt. Diuinam tamen naturam etiam spectat, quatenus per vnctionem designatur ordinatio ad munus Mediatoris.

Huc pertinet quod Christus, vt Mediator, sponsor, & intercessor, siue Patronus aut advocatus apud Deum proponitur. Mediator Græcis, μεσίτης, dicitur, quam vocem, etsi sacris literis, peculiarem esse, vult Erasmus, tamen & Lexicographi, & à Philone Iudæo, & à Scholiaste Theucydidis vsurpatam notarunt: ita & Latinum Mediatoris vocabulum, etsi fortasse

melioribus Latinitatis seculis incognitum, Apulei tamen & Lactantij, qui eo vtuntur temporibus frequentatum esse constat: Enimuerò Μεσίτης appellatio duobus tantùm in Scripturis tribuitur, Mosi & Christo Mosi quidem, Gal.3.19. vbi dicitur lex ordinata fuisse per Angelos in manu Mediatoris. Quanquam enim multi, tum ex nostris, tum ex Pontificiis verba Pauli non de Mose, sed de Christo potius intelligunt, Mediatorem tamen illum, de quo loquitur Paulus, non alium esse quàm Mosem multis argumentis Beza confirmat & post Bezam Iustinianus. Et certè Moses ipse, Deut.5.5. cùm testatur se stetisse inter Iehouam & Israelitas ad referendum illis sermonem Domini. Annon satis manifestè significat, se Mediatorem & sequestrum fuisse, id est, interpretem & internuntium qui Dei mandata proferret ad populum. Nam & cùm vocem Domini populus sustinere non posset. Mosem sibi delegit, vt esset medius inter ipsos & Dominum, Exod.20.19. De Christo tamen sæpius vlurpatur vox μεσίτης, vt videre est, 1.Timoth.2.5.Hebr.8.6. & 9.15.& 12.24. Dicitur autem Christus Mediator duplici respectu, nempe tum ratione personæ, quam vocant Mediationem substantialem: tum ratione efficaciæ, quam dicunt Mediationem operationis. Ratione personæ, Christus dicitur Mediator, vel potius, si rectè loqui velimus medius, quatenus in eo conjunctæ sunt admirabili mysterio diuina humanaque natura. Sed hìc attenditur præcipuè Mediatoris nomen, quatenus operationem & efficaciam significat, & prout Mediator dicitur, qui inter duos dissidentes medium se interponit, vt eos ad concordiam reducat. Christus autem Mediator est doctrinæ, arbitrationis, aduocationis, reconciliationis & gubernationis. Doctrinæ, fuit enim diuinæ voluntatis Interpres, per quem Deus mysteria sua patefecit hominibus, Iohan.1.18. & 4.25. & 15. 15. Arbitrationis: nam vt ait Ambrosius in 1.Timoth.2. Christus à Deo factus arbiter iudicauerit sic fieri posse pacem, si Deus, 1. agnosceretur, & homo deinceps in Dei fide permaneret. Aduocationis, siue patrocinij, quia ipse est ὁ παράκλητος. Advocatus, siue intercessor noster apud Deum, 1.Iohan.2.1.Hebr.7.25. Reconciliationis, quia patri suo nos acceptos fecit, & per sanguinem crucis reconciliauit. Vnde & sponsor N.Testamenti dicitur, Hebr.7.22. Sponsor enim est qui pro alio satisfactionem spondet, & siquidem ille pro quo spopondit soluendo non erat, pro eo reapse satisfacit, quod & Christus præstitit satisfactionem pro nobis Deo exhibens absolutissimam. Deniq; gubernationis, quatenus rex noster est spiritualis, qui nos & ab hostibus nostris potentissimè tueatur, & sanctissimo spiritus sui ductu nos regit, atque gubernat. Obseruamus hìc vltimo loco cùm redemptor noster, & Iesus dicatur, & Christus, fideles tamen qui ad eius communionem vocantur, Christianos tantùm dictos fuisse à Christi nomine. Idque statim ab initio nascentis Eccl. Actor.11.26.& 26.28. 1.Petr.4.16. Sed ab appellatione Iesu neminem vnquam cognomen sibi assumpsisse ante exortum superiori seculo nouum hominum genus, quibus parum fuit Christianos dici, nisi etiam à Iesu appellationem ascisceret. Nos autem nomen à Iesu aliquid

quid desumendum esse, negamus simpliciter quia Iesu denotat propriè salutiferam Christi actionem. Saluationem, inquam & redemptionem quæ tantæ dignitatis est, vt non possit ipsa alicui creaturæ communicari, sed tantùm eius fructus percipitur. At verò Christus significat receptionem, i.e. collationem gratiarum, quas Pater per Spiritum in Filij sui humanitatem effudit. Quod autem recepit Christus, eo fine recepit, vt nobis communicaret. Et sanè Christum esse, & Prophetam, Sacerdotem, & regem. At fideles Sacerdotum & regum appellatione decorantur, Apoc. 1. 16. iure etiam fit, quod Christiani dicuntur à cœlesti illa vnctione quam habet à Spiritu Sancto, 1. Ioh. 2. ℣. 20. & 27.

Hactenus de nominibus Christi: sequitur nunc vt de eius persona verba faciamus.

CAPVT III.

De Christi persona, eiúsque vnitate citra vllam naturarum confusionem.

HACTENVS expediuimus præcipua, quibus Christus insignitur, nomina: nunc ad rem ipsam nobis veniendum est, id est, ad arcem & caput totius religionis Christianæ augustissimum, arcanum, mysterium, inquit, Leo serm. 6. de natura. Quod cùm nunquam fuisset hominis oculis visibile, cœpit etiam suo tempore manibus esse tractabile, quod nempe Deus manifestatus est in carne, de quo cùm loqueretur Apostolus, non tantùm dixit esse magnum mysterium, 1. Timoth. 3. 16. Sed ita magnum, vt eius magnitudinem & sublimitatem nemo, vel verbis exprimere, vel mente comprehendere valeat, ne ipsi quidem Angeli, qui in hoc introspicere cupiunt, inquit Petrus, 1. Petr. 1. 12. Quia tanta est Christi, qui pro nobis passus est, gloria, vt & Angelicæ virtutes, cùm sint in æterna fœlicitate perfectæ, non solùm immortalis diuinitatis magnificentiam, sed & assumptæ humanitatis claritatem semper aspicere gaudeant, verùm etiam addidit Apostolus hoc mysterium esse magnum ὁμολογουμένως, i.e. citra vllam controuersiam, sine vlla dubitatione, confessione omnium, non quòd hæc de Christo non fuerit variis hæreseωn machinis impetita doctrina: Imò, inquit Fulgentius, lib. 1. ad Thras. Certum est penè omnes hæreticæ prauitatis errores insurrexisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, aut sicut est, non reddunt, aut omnino non credunt, sed quia fundatissimum est hoc Christianæ doctrinæ principium, quodque adeò apud omnes pios certissimum esse debet, cùm habeat se instar principiorum illorum, & hy-

potheseων αὐτοπιστῶν, quibus Philosophi, tanquam fundamentis totam suam scientiam superstruunt, quæque nonnisi ab ignaris aut malè scientibus in dubium reuocantur. Deinde magnum etiam est sine Controuersia, non quasi nullam de eo Controuersiam mundus & Satanas mouerit, sed quia superior fuit veritas, déque suis omnibus hostibus triumphauit: vnde subdit Apostolus hoc mysterium, non tantùm prædicatum fuisse Gentibus, sed & toti mundo creditum habuit, nempe doctrina ista incredibilem successum contra omnem regionis spem, obtinuit contra Philosophorum argumentationes & Iudæorum furores, & Magistratuum edicta. Eam igitur vt clariùs exponamus, videndum est 1. quæ sit vnitas personæ Christi, 2. quæ naturarum & naturalium proprietatum distinctio. 3. Quare Christus homo factus fuerit, 4. Quomodo homo factus fuerit. Quæ omnia ex more nostro theorematis comprehendemus.

Iò. THEOREMA primum Iesus Christus est verus Deus & verus homo in vnitate *personæ*. Id vt designent Christiani Christum dicunt esse verè θεάνθρωπον, siue θεανδρικὰς vocant, quasi dicat, Dei viriles, id est, humanitùs, diuinas, & diuinitus humanas, ac Christum quidam vnum ac verum esse ab æterno cum Patre Deum, satis iam ante suo loco demonstratum est. Itaque duo h c nobis tantùm confirmanda supersunt. Alterum Christum esse verè hominem. Alterum in coniunctione diuinæ humanæque naturæ esse nisi vnam personam. Prius quod attinet, vt variarum hæreseων furoribus impetita est Christi diuinitas. Ita multos adversus eius humanitatem hæreticos excitauit Satan. Manichæi Christum blasphemabant non esse verè, sed phantasticè tantùm & apparenter fuisse hominem. Atque ita eius humanitatem in spectrum transformabant. Valentiniani corpus quidem habuisse Christum, sed de cœlo missum, non de Virgine acceptum. Itaque Virginis corpus habuisse tantùm instar ruinæ, vel fistulæ, per quam corpus Christi transierit. Appelliani corpus Christi fuisse carnem, non de Virgine, sed de elementis acceptam, quòd Christus resurgens ex mortuis mundo reddiderit, & ita sine carne in cœlum ascenderit. Apollinaristæ Christum carnem habuisse, non quòd eam ex Virgine sumpserit, sed quòd in incarnatione aliquid verbi in carnem conuersum fuerit. Iidem Christi carnem anima caruisse dixerunt, sed loco animæ habuisse diuinitatem, quæ eam informaret.

IIò. ADVERSVS omnes istas hæreses extant passim in Scriptura clarissima testimonia de vera Christi humanitate ex Virgine. 1. Christus homo dicitur & filius hominis frequentissimè. Matth.8.20. Marc.2.10. Luc.5.24. Ioh.1.51.1. Tim.2.5. &c. Quomodo autem vel homo, vel filius hominis diceretur, si nihil haberet hominis præter externam speciem. 2. ex Dauidis semine propagatus est secundùm carnem, Rom.1. 3. Vnde Dauid vocatur pater ejus, Luc.1.32. Dicitur itaque filius Abrahæ, Matth.1.1. & semen Abrahæ, Gal.3.16. Hebr.2.16. Non igitur ex cœlo, aut elementis, sed ex beata Virgine filia Dauidis & Abrahæ, corpus suum assumpsit. 3. Dicitur factus ex muliere, Gal.4.4. Et beata

Virgo

Virgo in Euangelio mater ejus ſubinde vocatur, diciturque cum concepiſſe, peperiſſeque, Matth.1.23. Luc.1.7. Ex vera autem muliere, quia dubitat hominem verum prodiiſſe, adeóque Chriſtum non per virginem, tanquam per fiſtulam tranſiiſſe, ſed ex ſanctificata ejus ſubſtantia naturalem ſuam originem duxiſſe. 4. Partes eſſentiales humanæ naturæ, nimirum corpus & anima Chriſto manifeſtè tribuuntur. Ac corpus quidem Deus Chriſto adaptaſſe dicitur, Hebr.10.5. Vbi Paulus vtitur verbo καταρτίζεσθαι, quod eſt coagmentare, componere vtrumquodque ſuo loco ita congruenter diſponere, vt partes & inter ſe aptè cohæreant, & toti concinnè reſpondeant, quod ſanè de corpore phantaſtico dici nequit. Ita Hebr.10.10. dicimur ſanctificati oblatione corporis Chriſti ſemel facta, & 1.Pet.2.24. peccata noſtra in corpore ſuo tuliſſe ſupra lignum. Et Heb.2.14. particeps fuiſſe carnis & ſanguinis, ſicut pueri. Quis autem dixerit pueros non verum, ſed apparens tantùm corpus habere. Denique quod fuit etiam Tertulliani aliorumque argumentum aduerſus Marcionem & Manichæum, cùm Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, rerum verarum & verè exiſtentium, non autem fictarum ſymbola ſunt. Sacram porrò Euchariſtiam Chriſtus inſtituerit, vt eſſet ſignum corporis & ſanguinis ſui, planè concludendum eſt, Chriſtum verò corpore ac ſanguine præditum eſſe, non autem corporis tantùm ſpectrum pertuliſſe præſertim cùm ipſe poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis præſentiam exhibens hanc imaginem exemerit, palpate, inquit, & videtur: nam Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut videtis me habere, Luc.24.39. Animam etiam verè humanam Chriſtus habuit, quemadmodum vel inde patere poteſt, quòd verus homo fuit. Homo autem verè non eſt, qui formam eſſentialem hominis id eſt animam non habet. Et ſanè cùm à forma, non à materia res demonſtrationem accipiat. Si Chriſtus deitatem ad informandum corpus habuiſſet, vt delirabat Appollinarius, non iam amplius homo, ſed Deus tantùm vocandus eſſet. Præterea, cùm mors ſit ſeparatio animæ à corpore, id eſt, hîc ſupplenda ſunt aliqua, qualia ejuſmodi poſſunt eſſe. Si deitas loco animæ corpus informauit, nec Chriſtus animam habuit, ſequeretur vel Chriſtum, non eſſe verè mortuum vel ſolutam vnionem perſonalem, quorum vtrumque manifeſtè falſum eſt, Quidquod de anima Chriſti Scriptura ſæpius loquitur? Eſa.53.10. Matth. 26.38. Iohan.10.15. & 12.27. & 15.13. Ac ne quis nomine animæ vitam intelligi dicat, vt ſæpius fit ex vſu Scripturæ, ſed nouerit eſſe intelligendum principium vitæ, id eſt partem illam hominis quę contra diſtinguitur à corpore. Chriſtus non animam tantùm, ſed & Spiritum ſibi attribuit; Matth.27.50. Luc.22.46. Spiritus autem non vitam ſignificat, ſed principium illud internum & viuificum, vnde vita promanat. 5. Chriſtus habuit proprietates & conditionem naturæ humanæ, conceptus eſt, Matth.1.23. natus, Matth.2.1. faſciis inuolutus, Luc.2.7. matris vbera ſuxit, Luc.11.27. creuit ſtatura & ætate, Luc.1. 42. & 2.52. & 3.23. fleuit, Luc.19. Eſuriuit. Matth.4.2. Sitiuit, Ioh.

4.7. ex itinere fatigatus fuit, Iohan.4.6. Denique corpore & animo varias passiones pertulit, tristitiam crutiatus, dolores omne genus, vt in Euangelio videre est. Hæc sanè omnia plus satis ostendunt eum verè hominem fuisse, & in omnibus similem nobis factum excepto peccato, Heb.4.15. Nam omnia illa verè in Christo non apparenter tantùm Scrip. narrationis simplicitate satis insinuat, nisi quæcunque ibi narrantur, velimus in apparentias & vana phantasmata conuertere.

ITAQVE mirum quòd Sancto Hilario venerit in mentem, qui cùm de passionibus Christi loqueretur, docuit ita impassibilem esse Christi carnem, vt per medias plagas & ictus nullo tamen dolore afficeretur, quod est reapse Christi carnem in spectrum commutare. Videatur Hilarius, lib.10. de Trinitate vbi docet, quamuis in Christum, aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, attulisse hæc quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis, inferrent vt telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aër vulnerans: omnes has quidem passiones naturæ suæ infert, vt perforet, vt compungat, vt vulneret, sed naturam suam in hæc passio non illata retinet, dum in natura non est, vel aquam perforari, vel ignem pungi, vel aëra vulnerari. Quamuis natura teli sit vulnerare & compungere & forare, cui errori ita patrocinatus est imperator Iustinianus, vt edictum scripserit, in quo asserebat corpus Christi fuisse τῶν φυσικῶν παθῶν καὶ ἀδιαβλήτων, ἀνεπιδέκτων, i.e. naturalium passionum & inculpabilium incapax, apud Euagrium hist. lib.4.cap.38. Sed hanc fuisse semitam, quam nec Apostoli, nec patres vnquam triuerant, & Euagrius ibidem testatur, & res ipsa demonstrat. Itaque non alia ratione Hilarium excusat Claudius Mamertus lib.2. de statu animæ, quàm quod hujusce opinionis vitium virtute confessionis aboleuerit, & sic sustineat reprehensionis stylum, vt non patiatur detrimenta meritorum. Lomb. autem lib.3.dist.16.lib.2.c.... & Scholastici verba Hilarij trahere conantur ad bonum sensum; idque dupliciter. 1. Quòd Hilarius non ademerit Christo, vel passionis sensum, vel passionis, necessitatem, sed tantùm causam & meritum patiendi ac dolendi, qualis in nobis est, eo quòd in nobis ea sint ex peccato. In Christo verò non ex aliqua conceptionis labe, sed ex libera voluntate. 2. Quod non negauerit sensum passionis, sed passionis tantùm vim atque dominium, vt dicatur non esse passus ac doluisse, quatenus doloribus & passionibus non succubuit. Sed an sensum istum verba Hilarij ferant, isti viderint. Nos verba Patrum amicè & beneuolè quantum fieri potest explicari, ac benigna interpretatione molliri non recusamus.

OBIICITVR. 1. Christum dici hominem de cœlo, 1.Corint.15.4. Ergo corpus ipsius non de Virgine desumptum, sed de cœlesti materia compositum fuisse. Resp. ea verba non materiam corporis designare, sed causam efficientem, nempe Spiritum Dei, de quo humanitas Christi concepta est, & conditionem vitæ Christi in terris, quæ planè cœlestis fuit, vt supra diximus in voce Adam. Obijcitur etiam Christum in similitudi-

militudinem hominium factum esse & figura inuentum, vt hominem Phil.2.7. Itaque non veram carnem, sed carnis tantum simulachrum assumpsisse. Resp. nullam esse consequentiam: Adam enim Gen.4.3. dicitur Sethum genuisse ad similitudinem suam, Quis tamen inde inferat Sethum non fuisse verum hominem. Et Iac.5.17. Elias dicitur ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν. quis verò inde concludat non habuisse verè, sed apparenter tantùm affectus humanos. Ergo cùm similitudo, sit alia externæ apparentiæ; alia verò naturalium proprietatum, de posteriori non de priore loquitur Apostolus: nam vt Christum verum hominem fuisse doceat. 3. ipsi attribuit quidem veritatem naturæ humanæ vel constituunt, vel consequuntur. 1. quod assumpserit formam serui id est naturam humanam, quæ Dei dominio naturali subest. Vt enim forma Dei, in qua fuisse Christus dicitur, significat diuinam essentiam quam vnam eandemque habet cum Patre ab æterno. Ita forma serui referenda est ad essentiam, substantialemq; formam hominis, quam Christus per incarnationem accepit. 2. quùd fuerit in similitudinem hominum formatus i.e. naturales omnes proprietates assumpserit, quæ naturam humanam consequuntur; nam & in scholis identitatem à similitudine ita distinguunt, quòd identitas referatur ad formam & speciem; similitudo verò ad ea quæ speciem consequuntur. 3. quod fuerit schemate, siue figura siue habitu inuentus, ut homo, quod non tantùm ad corporis lineamenta externamque pulchritudinem, sed & ad mores, gestus vitæque consuetudinem referendum est, quippe in quibus Iesus Christus similis nobis, sed sine peccato factus fuerit.

ALTERVM quòd theoremate exprimitur personæ Christi vnitatem spectat. Est autem ita Christus verus Deus & verus homo, ut tamen in eo vna tantùm sit agnoscenda persona, non verò plures confingendæ cum Nestorio, qui duas in Christo personas, adeoque duos Christos faciebat, quorum vnus crucifixus fuerit à Iudæis, alter verò nequaquam. Vnde illud identidem ingeminabat, Quid gloriaris Iudæe, hominem crucifixisti, non Deum? Itaque filium Dei à filio hominis separabat, & filium hominis fatebatur θεόφορον, sed θεὸν esse negabat, vt & Mariam χριστότοκον vocabat, sed θεότοκον non ferebat dici: volebat enim filium Dei esse vnitum filio hominis, non tamen substantialiter, sed accidentaliter tantùm; nempe. 1. per habitationem, quatenus verbum habitabat in homine Christo vt in suo templo. 2. per affectum quatenus homo Christus erat affectu & voluntate filio Dei conjunctissimus. 3. per operationem quat. instrumentum Dei erat in admirandis illis operibus, quæ filius Dei patrabat. 4. per communicationem, quatenus non per essentiam, sed per singularem quandam participationem Deique dignationem eo honore fruebatur, vt Deus & filius Dei diceretur. Atque hæc 4. quanquam magna sunt & eximia, tamen in homines omnia competere possunt: nam in sanctis Deus habitat vt in templo suo, 1. Cor.3.17.& 6.19. Et per voluntatis vnionem sancti sunt vnum cum Deo 1. Cor. 6.17. & Deus per Sanctos, vt per instrumenta operatur

Rom.15.18. 2.Corint.5.19. & filiorum Dei, adeóque Deorum appellatio aliquando hominibus tribuitur,Psal.82.6. Ioh.10.34. Cùm igitur vnio diuinitatis & humanitatis in Christo mysterium sit admirabiliter singulare, quod in nullam creaturam competit, sed dignitas est vni Christo reseruata. Non est putandum diuinitatem humanitati fuisse in Christo conjunctam accidentaliter tantùm & secundum 4. illos modos à Nestorio propositos, sed agnoscenda est vera perfecta & substantialis vnio,quà in duabus naturis,vna tantùm persona est.

CONFIRMATVR variis Scripturæ testimoniis. 1. Ex iis locis quæ ostendunt Dei filium, id est, secundam diuinitatis personam, de virgine natum esse, quod cùm respectu naturæ diuinæ intelligi non potuit, quæ increata est & æterna sed de natura humana intelligendum sit, quæ suo tempore principium habuit & natiuitate venit in mundum; facilè concluditur diuinam humanamque naturam in Christo non nisi vnam personam constituere, de qua rectè prædicentur quæcunque in diuinam vel humanam naturam competunt, loca sunt, Luc. 1.35. quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Vbi tria docentur de Christo. 1. quod sit verè & secundùm essentiam homo illis verbis (ex te nascetur) deinde quod cum sanctitate & iustitia originali citra omnem concupiscentiæ carnalis labem conceptus fuerit. Id autem denotatur per vocem (*sanctum:*) denique quod verè sit & essentialiter Deus, quippe qui dicatur filius Dei: sic Luc.1.4. vnde hoc,inquit, mihi Elizabeth,vt veniat ad me mater Domini mei. Quem enim Dominum suum dicit,nisi eum,de quo Dauid Psal.110.1. & de quo Syracides,Eccles.51.13. oraui Dominum Patrem Domini mei, vt relinqueret me die a tlictionis. De quo deniq; Thomas cùm immisisset digitum in latus Christi,dicebat admirabundus,Ioh.20.28. Domine & Deus mi,is est sanè Deus benedictus in secula. Vt inde colligamus Virginem vero nomine Deiparam esse. Nam,inquit Gregor.lib.9.regist. Epist.61. dum vnigenitus existens ante secula ex virginis vtero natus est homo inuestigabili miraculo facta est ancilla hominis per diuinitatem,& mater Dei per carnem. Sic Gal.4. 4. dicitur Deus misisse filium suum factum ex muliere. Vbi cùm filius Dei æternus ex muliere traxisse originem dicatur, consequitur filium Dei non esse aliam personam à filio Virginis,August.lib.de prædest.Sanctorum, faciente, ac suscipiente verbo, Ipse homo ex quo esse cœpit, Filius Dei vnicus esse cœpit, Filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit de Spiritu S. & Virgine Maria Dei Filius etiam vnicus natus est, non carnis cupidine, sed solo Dei munere.

Secundò ex iis locis, quæ ita de Christo loquuntur, vt vnam personam insinuent,& in ea vna persona duas naturas manifestè distinguant, Rom.1.℣.3. Iesus Christus dicitur factus ex semine Dauidis secundum carnem;declaratus autem Filius Dei potenter secundùm Spiritum sanctificationis per resurrectionem ex mortuis;Qui est factus inquit August.in collect. Bedæ, quod erat,quid factus est? Verbum erat, caro factus est, Filius Dei erat, filius hominis factus est, suscepit humanitatem, non amisit

amisit diuinitatem, factus est humilis, mansit sublimis, natus est homo non destitit esse Deus benedictus in sæcula, Rom. 9.5. ex quibus est Christus quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in secula, ex fœmina natus est, sed ex illa infirmitate, quam suscepit in nobis, vt in ea moreretur pro nobis & eam sanaret in nobis; nō ex forma Dei, in qua cùm esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo, natus ex fœmina, sed ex forma serui, quam accipiendo semetipsum exinaniuit; Neq; enim ob aliud se exinaniuisse dictus est, nisi accipiendo formam serui, non amittendo formam Dei: Illa enim natura quà in forma Dei æqualis est Patri incommutabiliter permanente suscepit mutabilem naturam, per quam de Virgine nasceretur. Sic 1. Tim. 3.16. dicitur Deus conspicuus factus fuisse in carne. Vbi videmus eum ipsum, qui Deus est adeoque natura sua inuisibilis. Ita tamen manifestatum fuisse, vt oculis hominum conspiceretur, quod non aliter intelligi potest, quàm quia diuinitas filij naturam humanam ita assumpsit in vnitatem personæ, vt ratione illius naturæ assumptæ ab omnibus videri potuerit. Sic Ioh. 1. 14. verbum caro factum est, id est, filius Dei incarnatus est, siue factus homo. At hoc nequaquam dici potest, nisi persona filij Dei esset verè homo. At homo dici non posset albus per eam albedinem, quæ est in alia persona, sed per eam tantùm quæ est in propria sua persona. Ita nec verbum potest dici incarnatum per carnem alterius personæ, neque filius Dei dici potest homo per humanitatem in altera persona existentem. Huc adde quod filius Dei ipse dicitur filius hominis, nimirum propter vnitatem personæ, in qua cùm sint diuersæ naturæ nihil mirum est, si quia filius est Dei secundùm Diuinitatem, idem dicatur filius hominis propter humanitatem. Sic Matth. 16. cùm peteret Christus ab Apostolis suis, quem dicunt homines esse filium hominis. Resp. Petrus alios aliter sentire, sed Apostolos eum habere pro vero Dei filio. Nam tu es, inquit filius veri Dei viui. Sic Iohan. 3. nemo ascendit in cœlum, &c. Vbi cùm filius hominis in terris existens dicatur esse in cœlo, neque hoc intelligi possit, nisi respectu diuinitatis, sequitur filium hominis verè habere Diuinitatem, id est, esse vnam eandemq; personam cum Filio Dei. August. in Catech. Th. Quamuis in terra factus sit Filius hominis, tamen diuinitatem suam, quæ in cœlo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei. Per vnitatem enim personæ, qua vtraque substantia vnus est Christus & Filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo.

IIIò. Tertiò, ex iis locis, quæ filio Dei, id est, æterno verbo ea tribuunt, quæ ipsi nonnisi respectu humanæ naturæ competere possunt. Aut enim hæc falsissimè dicuntur, quod cogitare blasphemum est, aut certè Filius Dei assumpsisse dicendus est in vnitatem personæ naturam humanam. Cuius ratione hæc ei tribuuntur, Actor. 20.28. Deus Eccles. acquisiuit proprio sanguine, quomodo sanguis effusus esse dicitur sanguis Dei, nisi quia vna est persona Deus & homo, qui secundùm humanita-

tem in cruce pro nobis mortuus est. Beda non dubitat sanguine Dei dicens propter vnionem personæ in duabus naturis Iesu Christi. Cessat Nestorius Filium Dei à filio hominis separare & duos facere Christos, Rom.8.32. Deus proprio Filio non pepercit,&c. Illum audis proprium Dei Filium, non personam aliquam ab ipso separatam traditam fuisse in mortem pro nobis peccatoribus. Sicut & Iohan.3.16. 1.Corinth.2.8. Si cognouissent,&c. vbi rectè Thomas,Christus est vna persona & hypostasis in vtraque consistens, natura diuina scilicet & humana. Vnde potest vtriusque nomine designari & quocunque nomine significetur, possunt prædicari de eo,id quod est vtriusque naturæ, quia vtrique non supponitur, nisi vna hypostasis, & per hunc modum possumus dicere, quòd homo creauit stellas, & quòd Dominus gloriæ est crucifixus, & tamen non creauit stellas secundùm quod homo, sed secundùm quod Deus,nec est crucifixus secundùm quod Deus, sed secundùm quod homo. Vnde ex verbo destruitur error Nestorij. Concludo ergo cum Synodo 5. can.5. Si quia in mysterio Christi conatur introducere duas personas & non confitetur Dei verbum carni substantialiter vniri, adeoque vnam esse eius personam anathema sit,& cum Hieronymo epist. 150.ad Oedip. quæst.9. non esse quòd alium Deum & alium hominem esse credamus & duas personas faciamus in vno Filio Dei, sed vnus atque idem filius Dei,& filius hominis est; etenim inquit Greg.lib.18.moralium, cap.36. Mediator Dei hominum homo Iesus Christus non aliter in humanitate,aliter in Deitate est. Quamuis enim ipse aliud ex patre,aliud ex Virgine,non tamen alius ex Patre,alius ex Virgine, sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre.

10. Obiiciebant Nestoriani 1. Humana Christi natura fuit templum diuinitatis,Ioh.2.19. Atque inauditum est templum esse eandem personam cum habitante.Resp.templum materialiter ac propriè dictum non esse idem cum habitante persona, sed de templo metaphoricè negatur.Sic anima nostra dicitur esse in corpore nostro,tanquam in tabernaculo siue templo aut loco habitationis suæ, Iob.4.19. 2.Corinth.5.1. & 2,Petr.1.13. Nemo tamen ideo dixerit ex anima & corpore non constitui vnicam personam. Itaque cùm Christi humanitas dicitur templum diuinitatis, naturarum quidem distinctionem notat, sed personarum diuersitatem non arguit.

11. Secundò actiones sunt suppositorum. At humanitas Christi habet suas actiones,sicut & diuinitas. Humana igitur natura non minus est suppositum & persona, quàm diuina. Resp. in eo axiomate suppositi nomine intelligendum esse id quod est singulare, non autem id necessariò quod per se subsistit, nec sustentatur ab alio, præterea actiones sunt suppositorum quidem, sed vbi supposita diuersas naturas continent, multæ sunt actiones quæ supposito tribuuntur secundùm alteram naturarum.Ita in homine ratiocinari est actio suppositi, sed secundùm animam, & currere est actio suppositi, sed secundùm corpus, similiter in Christo excitare mortuos est actio personæ, sed secundùm naturam

turam diuinam, proficiſci de loco in locum eſt actio perſonæ ſecundùm humanitatem.

Tertiò, ſi anima & corpus in Chriſto vnita non conſtituunt perſonam, tunc Chriſtus non eſt nobis factus ſimilis in omnibus præter peccatum, cùm in nobis vnio animæ atque corporis perſonam conſtituat, propterea illa vnio in Chriſto erit minoris virtutis, quàm in nobis cùm in ipſo non poſſit efficere perſonam, ſicut in nobis. Reſp. ad prius cùm Scriptura dicit Chriſtum factum eſſe nobis ſimilem per omnia eam ſimilitudinem intelligendam eſſe de re ipſa, non autem de modo rei. Ita in conceptione & natiuitate Chriſtus factus eſt nobis ſimilis, quia verè ac reipſa conceptus eſt & natus, quanquam alius fuerit modus conceptionis & natiuitatis eius quàm ſit noſtræ conceptionis & natiuitatis. Eſt enim ipſe conceptus de Spiritu S. & natus de Virgine, quod de nemine alio dici poteſt. Si ergo in eo nobis factus eſt verè ſimilis, quòd verum corpus & veram animam habuerit inter ſe verè vnitam, ſicut & nos, non autem reſpectu modi, quia hæc nobis ita vniuntur, vt fiat vna perſona, ſed in Chriſto nequaquam. Ad poſterius quòd in Chriſto corpus & anima non efficiunt perſonam, non fit ob aliquem defectum rerum vnitarum, ſed potiùs ob maiorem eorum perfectionem. Nobilius enim eſt aſſumi in vnitatem perſonæ verbi, quàm eſſe perſonam à verbo ſeparatam, & eſſe in perſona verbi longè præſtantius, quàm per ſe ſubſiſtere. III.

Quartò, ſi Chriſtus quà homo non eſt diſtincta perſona à Filio Dei, ſequitur, 1. vocem homo de Chriſto & nobis prædicari æquiuocè, cùm de nobis ita prædicetur, vt ſignificet perſonam. De Chriſto autem vt deſignet tantùm naturam in æterna perſona ſubſiſtentem. 2. perſonam λόγου eſſe ignobiliorem carne Chriſti, quippe quæ ſit ſuppoſitum carnis. Suppoſitum enim eſt ignobilius eo cui ſupponitur, vt materia eſt ignobilior forma cui ſupponitur. 3. humanam naturam eſſe in perſona λόγου, tanquam accidens, quippe cùm accedat ad perſonam λόγου per ſe ſubſiſtentem. 4. perſonam Filij Dei non eſſe vbique, ſed eſſe cohibitam intra certos limites, ſicut & cohibetur eius humanitas, quia nulla hypoſtaſis latius extenditur illa natura, cuius eſt hypoſtaſis. Nec enim hypoſtaſis, ſiue perſona mea latiùs patet, quàm natura meâ. Reſp. ad primam nullam hic eſſe æquiuocationem. Æquiuocatio enim non dicitur, cùm diuerſa ſunt ſuppoſita, de quibus aliquid prædicatur, ſed cùm diuerſa ſignificata ſecundùm quæ prædicantur. Sic etiamſi Paulus & Iohannes ſint diuerſa ſuppoſita non ideò tamen de illis prædicatur æquiuocum, quia prædicatur ſecundùm idem nomen & eandem definitionem nominis, ſed cùm homo prædicatur de Paulo eiuſque effigie, ibi eſt æquiuoca prædicatio, quia tum vocabulo hominis diuerſa forma ſignificatur. Atque cùm homo prædicatur de Chriſto & de nobis ſignificatur eadem res & eadem forma, nempe humana natura. Ergo in eo non eſt prædicatio æquiuoca. Ad ſecundum verbum non ſupponitur carni materialiter, ſed ſicut materia ſupponitur formæ, qualis ſuppoſitio IV.

rem facit ignobiliorem, sed supponitur personaliter, quatenus scilicet persona verbi, quæ res est perfectissima assumpsit in vnitatem personæ rem imperfectiorem, & propria subsistentia carentem, qualis suppositio nullam ignobilitatem, sed maximam potiùs præstantiam designat. Ad tertium illud ad rem perfectam accedit, vt accedens, quod rei cui accedit, confert tantùm esse accidentale, non autem substantiale. Atque humana natura ita accessit ad verbum, vt esse substantiale contulerit, quatenus verbum per assumptionem humanitatis verè factus est homo, non desinens esse quod erat, factus est quod non erat. Ad quartum quando hypostasis habet suam subsistentiam ab illa natura, cuius est hypostasis, fatemur eam non latiùs patere ea natura: atque personæ Filij Dei, quanquàm in humana natura subsistentiam tamen suam non ab illa habet, sed à natura tantùm diuina.

THEOREMA secundum, *In vnitate personæ Christi, tum naturæ, tum etiam naturarum facultates & proprietates distinctè seruantur, & inconfusè.* Eutychetis Archimandritæ hæresis fuit in Concilio Chalcedonensi damnata non esse post incarnationem naturas duas in Christo agnoscendas: in ipso enim incarnationis articulo hùmanitatem in diuinam naturam aut diuinitatem in humanam fuisse conuersam & commutatam docebat, ita vt ex diuinitate & humanitate facta fuerit vna natura, atque adeò Deitatem verè passam, mortuam, sepultam fuisse. Inde Eutychiani dicti fuêre monophysitæ, quod vnam tantùm in Christo naturam agnoscerent. Ad quos etiam accesserũt monothelitæ, qui nisi vnam in Christo voluntatem agnoscebant. Huic errori & furori potius obuiam iuerunt Chalcedonenses Patres statueruntq; iuxtà Scripturæ mentem Christum esse agnoscendum in duabus naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, id est, inconfusè, immutabiliter, indiuisè & inseparabiliter vnitis, vnione haudquaquam differentiam naturarum tollente, sed proprietatem potiùs vtriusque naturæ conseruante, & in personam atque hypostasim vnam concurrente. Illud ergo est quod theoremate exponitur, vbi supposita contra Nestorium personæ vnitate distinctio docetur, tum naturarum, tum etiam facultatum & proprietatum in Christo.

Ac primùm quidem duas esse in Christo naturas realiter distinctas docetur locis iam supra laudatis, Ioh.1.14. Rom.1.3. & 9.5. Phil.2.7. & verò cùm Christus natus sit Augusti temporibus, & tamen testetur Ioh.8.58. se fuisse Antequam Abraham esset, necessarium est, vt in ipso duas agnoscamus naturas. Alteram diuinam & æternam secundùm quam antiquior fuerit Abrahamo. Alteram temporalem & humanam, secundùm quam longè post Abrahamum natus fuerit, cùm item Deus qui Spiritus est simplicissimus sanguinem carnémque non habeat & tamen dicatur Deus Ecclesiam acquisiuisse proprio sanguine, Actor.20.28. Et Deus in carne manifestatus fuisse, 1.Timoth.3.16. Necessarium est vt dicamus in ea persona quæ Deus est, esse aliam naturam secundùm quam carne præditus est & sanguine, nempe naturam humanam: deinde naturas istas ita distinctas & inconfusas esse, vt nec diuinitas in humanitatem abierit,

abierit, nec humanitas in diuinitatem versa fuerit, adeoque dici non possit diuinitatem esse passam aut mortuam, patet ex omnibus illis locis, quæ docent Deum esse immortalem & incorruptibilem, Malach.3. 6.Iac.1.17. 1.Timoth.1.17.& 6.16.Ergo diuinitas neque confundi cum re aliqua creata, nec nasci, nec pati, nec mori potest. Adde quod cùm Scriptura doceat Christum esse natum ex semine Dauidis secundùm carnem, Rom.1.3.Et mortuum esse ac passum secundùm carnem, 1.Petr. 3.18.& 4.1. neque limitatio illa (secundùm carnem, vel in carne) inutiliter apponatur, inde patet esse in Christo aliquam naturam, nempe diuinam secundùm quam, nec temporaliter natus, nec passus, aut mortuus est, nempe, vt ait Leo Epist.19.

Vt autem duæ sunt in Christo naturæ. Ita duæ in earum quaque facultates, proprietates & operationes cognoscendæ sunt. Facultates voco intellectum & voluntatem, quæ in Christo duplices sunt juxta Theologicum axioma, omnia in Chtisto esse duplicia præter subsistentiam. Intellectus diuinus ille est secundum quem Christus quà Deus nouit omnia, Iohan.16.30.& 21.17. Intellectus verò humanus, qui vt essentia finitus est, etiam scientiam propriè infinitam non habet; vnde dicitur filius nescire diem judicij, Marc.13.32. quia quà homo est, per scientiam suam & intelligentiam humanam eò non pertingit, sed per scientiam tantùm & intellectum diuinum. Sic & voluntatem habet, tum diuinam quâ Deus est, de qua dicitur, quis voluntati Dei resistet? Rom.9.19. quæ voluntas suprema est ἀνυπεύθυνος & independens, quam nemo impedire potest, aut ad reddendam actorum suorum rationem cogere. Dan.4.3. tum etiam humanam, quà homo, adeóque substitutam & dependentem à diuina, vt Christus jpse testatur dicens, *non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, Matt.26.39. Vbi manifestè distinguitur voluntas humana Christi à voluntate diuina, vnde confutatur Monothelitarum hæresis vnicam in Christo voluntatem ponentium, Quos etiam sexta Synodus Constantin. habita damnauit verbis notatu diuinis rem ita explicans iuxta quod olim Prophetæ de eo & ipse nos Iesus erudiuit, & sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum duas naturales voluntates in eo & duas naturales operationes indiuisè, incommunicabiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum Patrum doctrinam æquè prædicamus & duas naturales voluntates non contrarias, iuxta quod impii asseruerunt hæretici, sed voluntatem ejus humanam sequentem & non resistentem, sed potius subsiantiam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati &c.

Nec minus inconfusæ manent in Christo naturæ vtriusq; proprietates, ita vt diuina suas habeat, quas nunquam transfundit in humanam, & humana suas, quas nunquam realiter communicat diuinæ. Cùm enim rerum proprietates essentiales ab eis omnino sint inseparabiles. Fieri sanè non potest, vt si naturæ distinctè maneant & inconfusæ, sicut modò probauimus, non debeat idem etiam de proprietatibus dici. Itaque Christus de se testatur modò quod nunquam nos deserturus sit. Ioh.14.18. Sed mansurus nobiscum in æternum. Matth.28.20. &

futurus in medio eorum qui in nomine ipsius congregati fuerint, Matth. 18.20. quia nempe secundùm proprietatem diuinæ suæ naturæ tum vbique est omnipotentia suæ naturæ, tum inter fideles præsentiâ gratiæ, spirituque directionis & gubernationis singularis, modò quòd discipuli non semper habituri essent hic agentem in terris, Matth. 26.11. quippe qui discessurus esset à mundo ad Patrem, Ioh. 13.1. & quòd in aliquo loco existens alibi nequaquam esset eodem tempore, Ioh. 11.15.30. Matth. 28. 7. quia scilicet secundùm proprietatem humanæ naturæ circumscriptus est, certóque loco ac spatio definitus, adeóque, hoc respectu cœlum & terram replere non est existi mandus.

DENIQVE operationes quod attinet, eæ etiam in Christo ita distinctæ sunt, vt quanquam humanitas instrumentum diuinitatis fuerit in operibus, tum redemptoriis, tum miraculosis, adeóque vt non fuerit opus siue ἐνέργεια, aut ὑποτέλεσμα. Operationes tamen suas vtraque natura distinctè contulerit. Nam, vt ait Leo Epist. ad Flauium cap. 4. agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est & carne exequente, quod carnis est. Ita enim in curatione leprosi Matth. 8.2. Humana Christi natura quod suum est, operatur; tangit enim leprosum, & verba illa profert, volo, mundator. Diuina verò suas partes easque nobiliores exequitur, quippe reapse lepram abigit omnipotente sua virtute, & sanitatem ægroto restituit; Ita in opere redemptionis humanitas patitur, diuinitas ad electorum salutem illi passioni æternum pondus & efficaciam addit. Mediator noster, quà homo orat, offert, sacrificat; quà Deus est exorat, perlitat, propitiat, quia sicut pro salute orare Deus, nisi homo factus non poterat: Ità exorare homo, nisi Deus simul existens, non valebat.

EVTYCHIANI obiiciebant. 1. celebre dictum, Ioh. 1.14. Verbum caro est factum. Nam sicut Ioh. 2.9. cùm dicitur aqua vinum facta, significatur aquam conuersam in vinum. Ita volebat hac phrasi, verbum caro factum est, conuersionem diuinitatis in humanitatem, ita vt ex duabus naturis vna facta fuerit. Resp. verbum caro factum est. Id est homo, prout nomine carnis, homo sæpe significatur Ps. 63.3. Es. 40.5. Ioh. 2.28. Ioh. 17.2. non conuersione diuinitatis in humanitatem, sed assumptione humanitatis in vnitatem personæ verbi, vt ex illis Scripturæ locis satis declaratur. Vbi docetur Christum formam serui accepisse, Philp. 2.7. & semen Abrahæ assumpsisse, Heb. 2.16. Vbi quod dicit Ioh. verbum esse carnem factum, Paulus ita explicat Christum accepisse formam serui & assumpsisse semen Abrahæ, id est humanam naturam. Itaque non eo sensu dicitur verbum factum caro, quo dicitur aqua vinum facta, sed quo dicitur Dauid Rex factus, aut Aaron factus Pontifex quod sine dubio non est intelligendum de aliqua conuersione sed tantùm de noui muneris assumptione, quatenus Dauid & Aaron manentes quod priùs erant, cœperunt esse quod non erant. Ita cùm dicimus hominem factum esse sanum, non significamus eum conuersum esse in sanitatem, sed recepisse

pisse sanitatem manente natura tum hominis, tum sanitatis, sic Gen. 2. 7. dicitur homo factus in animam viuentem non per conuersionem corporis in animam, sed quia corpori anima fuit hypostaticè conjuncta. Et Gal. 3. 13. Christus factus fuisse maledictio pro nobis, non quia conuersus fuerit in maledictionem, sed quia maledictionis onus voluntariè suscepit pro nobis.

OBIICITVR 2. Si duæ naturæ in Christo integræ remanent post vnionem. Ergo dicendum est Christum non esse totum Deum, nec totum hominem, sed ex parte Deum, & ex parte hominem. Resp. aliud est si dicas totus Christus est homo, aliud si totum Christi est homo. Nam totus personam significat, sed totum designat naturam. Vnde in Trinitate vbi est vnica natura in tribus personis rectè dicimus esse alium & alium, id est diuersas personas, sed non aliud & aliud, id est, diuersas naturas. Contra vero in incarnationis mysterio vbi est vnica persona in duabus naturis rectè dicimus esse aliud & aliud, id est diuersas naturas, sed non alium & alium id est diuersas personas. Itaque rectè dicitur totum Christum esse Deum, sed non rectè totum Christi esse Deum; quia hoc denotaret omnes naturas, quæ sunt in Christo esse Deum, quod falsum est.

OBIICITVR 3. Antiquos Patres Iustin. Aug. Athan. & alios vnionem diuinitatis & humanitatis in Christo comparare cum vnione corporis & animæ in homine. Cùm ergo corpus & anima ita vniantur, vt ex illis resultet vna natura, vnde collectum volebant, ex vnione diuinæ humanæque in Christo exurgere similiter vnam naturam. Resp. nullum simile esse idem. Itaque has duas vniones aliquid simile & aliquid dissimile habere. Similitudo in duobus præcipuè consistit 1. quia vt corpus & anima conueniunt in vna persona humana: Ita diuinitas & humanitas in vna persona diuina. 2. quia sicut anima per corpus operatur, tanquam per organum sibi substantialiter vnitum; ita & diuinitas per humanitatem. Sed dissimilitudo in aliis est. 1. corpus & anima sociantur naturali vinculo. Humanitatem & diuinitatem non naturam conjunxit, sed supernaturalis gratia. 2. anima forma est corporis: diuinitas autem forma humanitatis est. 3. corpus & anima sunt naturæ imperfectæ, quæ concurrunt tanquam partes essentiales ad vnam naturam integram constituendam; sed diuinitas & humanitas sunt duæ naturæ integræ & perfectæ, quæ non possunt immediatè conjungi ad vnius naturæ compositionem. Concludimus ergo cum Greg. lib. 6. Epist. 61. Verbum carnem dicimus factum non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat, nostra auxit, sed sua non minuit.

CAPVT IV.

Aduersus Vbiquitarios pro naturæ humanæ Christi omnipræsentia pugnantes.

QVANQVAM inter eos protestantes qui vulgò Lutherani audiunt multi humanitatis Christi vbiquitatem, tanquam absurdum dogma refugiunt, quia tamen complures eam ex illis pro ista doctrina, tanquam pro aris & focis pugnant, Operæ pretium mihi facturus videor, si ad majorem elucidationem ejus theorematis, quod proximè proposui: & aduersus Eutychianos confirmaui, non nihil addere de Constantia Ila vbiquitaria percelebri, de qua multa scripserunt. Vbiquitarum quos quantumuis reluctantes cùm Eutychianis meritò componimus. Hæc sententia est Iesum quidem esse verum Deum & verum *hominem* & vnione hypostatica bene distinctas & inconfusas manere naturas, nihilominus tamen vnionis illius beneficio naturam humanam Iesu Christi verè ac realiter participem diuinarum proprietatum esse ac præsertim omnipotentiæ, omnipræsentiæ, & omniscientiæ, ita vt omnia possit, & vbique sit præsens, & omnia sciat non minus quàm Deitas. Declinandæ tamen tam absurdi dogmatis inuidiæ distinguunt ἕξιν, siue κτῆσιν à χρήσει siue ἐνεργείᾳ. Nam etsi humanitas Christi, ab ipso conceptionis momento habuerit proprietates istas ἐξικῶς, siue habitualiter, quod ad actum primum & ratione κτήσεως tamen non nisi per cessionem ad dextram Patris eas possidet quoad actum secundum siue ratione ἐνεργείας & χρήσεως i. operationis & vsus. Ergo esse earum proprietatum subiectum primarium volunt Deitatem, secundarium humanitatem, adeóq; eas humanæ naturæ conuenire, non essendo sed habendo, non οὐσίᾳ, sed ἕξουσίᾳ, non per naturam, sed per gratiam, non in seipsa, sed in persona λόγου. Denique non naturaliter, physicè, sed supernaturaliter, hyperphysicè, & vt loquuntur modo majestatico. Nos huic sententiæ refutandæ argumentum duplex proferemus in medium, quorum prius ex Euangelica de Christo historia, atque articulus inde desumptis accipietur. Alterum ex ipsa cùm diuinitatis, tum humanitatis natura colligetur.

PRIMVM ergo, qui humanam Christi naturam omnipotentem esse volunt, aliorum attributorum diuinitatis esse participem; idque ab ipso conceptionis & incarnationis articulo, vniuersam fermè de Christi conceptione, natiuitate, accretione, peregrinatione, passione, morte, sepultura, nec non resurrectione, sessione ad dextram, adventu ad judicium, id est, tum de exinanitione, tum exaltatione Christi doctrinam velle videntur euertere. Nam si caro Christi vbique præsens erat, quomodo intra vterum beatæ Virginis concipi continerique, quomodo inde egredi & nasci, & in vitæ lucem emergere potuit? Certè res omni-

præsens,

præsens, nec aliquo limite contineri potest, nec in locum aliquem deuenire, vbi antea non erat. Deinde Christum statura sapientiáque profeciſſe testis est Scriptura, Lucæ 2.52. & 3. 23. & aliquid quà hominem ignorasse, Marci 13.32. At quomodo statura crescere potest, qui omnipræsens & immensus est cùm homo per staturæ crementum, majorem quàm antea quantitatem obtineat. Quomodo qui omniscius est, vel sapientia crescere, vel aliquid ignorare potest. 3. De vno loco in alium transiisse, putà de Galilæa in Iudæam, de Ierusalem in Emmaus Scriptura docet. Igitur sic fuisse in aliquo loco vt eodem momento non fuisset alibi, Matth. 28.6. Iohan. 11.15. At quis dixerit eum alicubi non esse, qui vbique sit, aut eum qui spatia omnia, & loca occupat, de vno loco in alium peregrinari, aut progredi. 4. qui verè omnipotens est, ille sanè quà talis nullis potest infirmitatibus laborare. Quandoquidem omnipotentia omnem imbecillitatem & infirmitatem excludit necessariò. Atque Christus infirmitates omnigenas pro nobis suscepit, passiones, cruciatus, dolores, mortem denique ipsam subiit. Qua igitur ratione caro ipsius à 1. conceptionis momento fuisse dicitur omnipræsens. Præterea cùm mors sit vera & realis animæ à corpore separatio. Dicendum erit, aut Christi corpus & animam non esse omnipræsentes, aut non esse Christum mortuum. Quomodo enim anima omnipræsens, quæ à nullis omnino locis excluditur dici potest à corpore suo separari, quod est ipsum vbique præsens. Denique quomodo potuisset Christi corpus sepeliri terraque condi, quòd si omnipræsens erat in suo sepulchro, iam antequam ibi conderetur, verè præsens aderat.

Neque minus est in glorioſum Christi statum iniuriosa hæc vbiquitatis doctrina, Christum à mortuis resurrexisse, ita vt anima & corpus ipsius, quæ per mortem separata fuerant, verè iterum coniuncta. Dogma est ex Scriptura testatissimum: atque nulla ratione fieri potuit, posita ista vbiquitatis doctrina, vt Christi corpus & anima verè iterum coniuncta fuisse dicantur, quippe, quæ cùm antea essent vbique, nunquam potuerint à se mutuò diuelli, quòd Christus mundum reliquerit & ad patrem ascenderit ad cœlos fidei articulus est. Atque vbique præsens est, cùm omnia loca impleat, nec ascendere, nec verè descendere, nec locum omnino mutare possit. Sic etiam credimus omnes Iesum Christum sedere ad dextram Patris in cœlis, id est, præstantissimam gloriam, potestatemque, dominationem quam antea reapse non habebat, ipsi datam fuisse: At Aduersarij docent Christi carnem hæc omnia ab ipso incarnationis momento possedisse. Ergo aut incarnationem cum sessione ad dextram confundunt, aut articulum sessionis ad dextram reipsa negare dicendi sunt. Denique Iesum Christum esse rediturum in hunc terrarum orbem. Et secundo suo aduentu iudicaturum omnes homines, electosque suos æterna beatitate donaturum, vt vbi ipse est, sint etiam illi, Iohan. 17.24, & corpora eorum conformaturum glorioso suo corpori, Phil. 3.21. certissimum est omnibus Christianis: at quomodo rediturus in hunc orbem, qui ab ipsa conceptione totum orbem impleuit sua præ-

sententiæ futuri sunt electi vbi Christus erit. Christus autem est vbique præsens, an igitur electioni præsentes erunt, & quia conformanda sunt electorum corpora Christi corpori. An ergo personæ nostræ per illam gloriam cœlum & terram occupabunt. Ex illis omnibus tale nobis argumentum emergit. Natura illa non potest dici omnipotens verè, neque omnipotens, neque omniscia, quæ concepta, nata, adulta, peregrinata, passa, mortua, &c. Atque hæc omnia & supra allata de humanitate Christi dicuntur. Ergo non est omnipræsens, omnipotens, &c. Quorum absurditate cognita, multi protestantes anno 1571. in Synodo Dresdensi, eiusmodi dogma, tanquam horribile repudiarunt.

Alterum vbiquitarum argumentum desumitur ex natura & proprietatibus, tum humanitatis, tum diuinitatis: nam certè si Iesus Christus verus Deus est & verus homo, quod Christiani omnes fatentur, necessarium est, vt naturam & proprietates retineat, tum diuinas, quà Deus, tum etiam humanas, quà homo est. Atque hæc realis communicatio & transfusio proprietatum diuinarum in humanam Christi naturam euertit manifestè principium illud. Primò essentia & essentiales proprietates in Deo sunt vnum idemque reipsa, neque possunt vnquam, vel natura à proprietatibus suis, vel proprietates à natura diuina separari. Vnde sequitur cuicunque communicantur proprietates diuinæ, illi etiam ipsam essentiam reapse communicari. Itaque in mysterio Sacrosanctæ Triados. Sicut Pater communicat essentiam filio per generationem, & Spiritui Sancto per processionem. Itaque essentia communicat quoque omnes essentiales proprietates. Atque per incarnationem diuina essentia non est communicata realiter humanitati. Neque enim humanitas Christi facta est Deus, sed mansit & manebit in æternum creatura. Ergo neque dici debet proprietates essentiæ diuinæ esse in humanitatem realiter transfusas. 2. Diuinæ proprietates sunt à sese inuicem inseparabiles; neque possunt diuelli ab altera, adeoque qui vnam habet, eadem ratione reliquas omnes possidet: cùm enim proprietates omnes & singulæ idem sint cum essentia, essentia verò nunquam sine omnibus proprietatibus existat. Consequitur vt vbicunque est vna proprietas, ibi sit essentia, adeoque etiam omnes proprietates, sine quibus essentia nunquam est. Ergo aut fatendum est Omnipotentiam, omnipræsentiam, & omniscientiam non esse communicatas realiterque transfusas, in humanitatem Christi, aut eadem ratione dicendum est communicatam quoque esse æternitatem, simplicitatem, &c. Ita vt humana Christi natura, verè dici possit æterna, increata, carens principio & fine, nullam in se speciem compositionis admittens. Cùm igitur posterius illud sit absurdum prius quoque tanquam ἀσύστατον rejiciendum est. 3. Antiqua Ecclesia aduersus hæreticos, Iesu Christi & Spiritus S. Diuinitatem confirmatura argumentum inter alia inde deducebat, vt inter veteres Patres passim videre est, quod Filius & Spiritus Sanctus habeant veram omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam, &c. Ergo vetus Ecclesia iudicauit omnipotentiam, & alia diuina idiomata non posse in vllam,

vllam, quantumuis nobilem creaturam deriuari atque realiter communicari. Quod si alicuius esset momenti Vbiquitarum distinctio docentium humanam naturam non esse omnipotentem per se, sicut Deus est, sed κατ' ἀλλο tantùm, & per aliud. Potuissent hæretici os facilè obstruere Catholicis respondendo Christum dici omnipotentem non per se, sed per aliud, nec essendo, sed habendo, adeoque ex omnipotentiæ, & omnipræsentiæ titulis, neutiquam sequi Christum esse verum Deum, vnum eundemque cum Patre cœlesti. 4. Quod proprium est vnius naturæ non potest alteri realiter communicari, quin desinat esse proprium, cùm proprium & commune inter se manifestè opponantur. Atque omnipotentia, omnipræsentia, &c. semper fuerunt & erunt propria diuinitatis. Ergo, atque adeò quamuis Mediatoris persona ex diuina humanaque natura constans rectè dicatur omnipotens, & omnipræsens, &c. quia hæc proprietas in eam competere intelligitur diuinæ naturæ respectu, de humanitate tamen non potest dici quod sit omnipotens aut omnipræsens. 5. Omnipotentia & omnipræsentia humanitatis Christi, vel eadem est, quoad rem ipsam, vel diuersa ab omnipotentia & omnipræsentia diuinitatis. Si diuersa, cur ergo dicitur Filius Dei suam omnipotentiam & omnipræsentiam carni & humanitati communicasse. Nam potiùs dicendum fuerat effecisse omnipotentiam & omnipræsentiam in illa humanitate. Quomodo item ferent Christiani duplicem omnipotentiam & omnipræsentiam introduci. Nam eadem ratione dici poterit duos esse æternos Deos increatos, adeoque duos Deos, quod sine blasphemia cogitari non potest. Si verò sit eadem quoad rem ipsam cum omnipotentia, & omnipræsentia, à qua Deus dicitur omnipotens, &c. Ergo Christi humanitas reapse adæquatur diuinitati, vt sit æquè omnipotens ac omnipræsens. Nam quod dicunt diuinitatem esse omnipotentem τῷ εἶναι, siue essendo, humanitatem verò τῷ ἔχειν, siue habendo, nihil est; Quia hac distinctione denotatur quidem quandam diuersitatem originis, siue modi inter omnipotentiam & omnipræsentiam, quatenus est in diuinitate, & quatenus est in humanitate. Sed illud interim manet nullam esse differentiam, quoad rem ipsam attinet, ita vt verè dici possit, sicut humanitas est omnipotens, non τῷ εἶναι sed τῷ ἔχειν: Ita etiam esse Deum, si non essendo, saltem habendo, id est, per communicationem, aut transfusionem, aut vt meliùs dicam, coufusionem diuinæ humanæque naturæ.

Sed variis distinctionibus aduersarij clarissimæ veritati tenebras offundere moliuntur ac præcipuè quidem distinguere solent illi in Christo duplex esse. Quorum prius *esse locale*, siue circumscriptum vocant; alterum *esse illocale*, seu incircumscriptum. Itaque Christi corpus fatentur secundùm *esse* illud *locale*, certis spatiis, & limitari, & hac ratione dici conceptum esse in vtero beatæ Virginis, peregrinatum, passum in cruce. At verò secundum *esse illocale* volunt ab initio incarnationis fuisse, & porrò semper futurum omnipræsens. Resp. *esse* illud corporis *illocale* est esse verè ἄπαυ. 1. quia cùm ratio temporis non minùs sit connexa

corpori, quàm ratio loci, si duplex *esse, locale* nimirum & *illocale* in vnum idemque competat, nihil obstare poterit, quamvis ei conuenire dicatur *esse temporale* & *esse intemporale*. Atque in id præcipitium proruent aduersarij, quod omnibus modis effugere conantur, nimirum humanitatem Christi esse *intemporalem*, adeoque æternam & increatam. 2. Deus sibi soli *esse illocale*, i. incircumscriptiuè, & nullis limitibus finitum, tanquam proprium vindicat, cùm sese à rebus omnibus eo distinguit, quòd cœlum & terram impleat, & cœli cœlorum eum capere non possint, 1. Reg. 8. 27. Es. 66. 1. Ier. 23. 24. Ergo *esse incircumscriptum & esse illocale*, in Christi corpus competere nulla ratione potest quin diuinitati exæquetur. 3. illa distinctio nunquam admittet ab illis, qui norunt Christum in Euang. sæpe negare se alicubi fuisse, Ioh. 11. 13. gaudeo quòd ibi non fuerim &c. Nam sanè si verum esset Christum *illocaliter* ibi fuisse, non ita simpliciter negasset. Ergo quemadmodum nemo dicet, nisi absurdissimè Deum non esse in cœlo, quia ibi *localiter* non est ad modum corporum; Ita sine absurditate dici non potest Christi corpus alicubi non esse, quia ibi non est *localiter*, sed *illocaliter* tantùm. 4. *locale*, & *non locale*, siue non esse in loco & esse in loco sunt contradicentia. Ergo non possunt in vnum idemque corpus simul competere, neque respondere possunt hæc Christi corpori diuersis respectibus attribui, ita vt dicatur habere *esse locale* propter proprietatem corporis humani, esse autem *illocale* per gratiam hypostaticæ vnionis. Hoc enim semper manet vnionem hypostaticam non tollere essentiam & proprietatem coporis, adeoque nec *esse locale* abolere. Ergo non dat *esse illocale*, quia qui alteram partem contradictionis relinquit, non potest ei simul tribuere alteram, vt qui conseruat naturam corporis, non potest ei dare simul, vt sit non corpus, & qui conseruat albedinem parietis, non potest ei dare simul non esse album. Cùm igitur fatentibus aduersariis vnio hypostatica conseruauerit humanitati Christi *ℭ esse in loco*, non potuit ei simul concedere *ℭ non esse in loco*. 5. Addi possunt patrum testimonia, qui vnanimi fermè consensu docent *ℭ esse in loco* ita proprium esse vnius corporis, etiam illius quod Christi diuinitas assumpsit & vbiquitatem siue carentiam circumscriptionis & limitum ita esse à quolibet corpore alienam, vt si sit vbique non sit ampliùs corpus. Hilar. lib. 8. de Trinit. *Homo aut aliquid aliud ei simile, tum alicubi erit, tum alibi non erit, quia quod est illic continetur vbi fuerit infirma ad id natura eius vbi vbique sit, qui insistens alicubi sit.* Cyrill. lib. de Trinit. c. 3. docet adeò esse corpori proprium in loco & magnitudine seu quantitate esse, vt dicat ipsam diuinitatem, si corpus esset, nec quantitatem atque magnitudinem, nec loci circumscriptionem fugere posse. *Quomodo* (inquit) *fieri posset vt corpus esset, id quod fines & terminos non habet, & figura caret, & tangi videriq; non potest, & simplex est, atque compositionis expers, aut quando immutabile esset, id quod circumscriptioni & passioni est obnoxium.* Augustin. Epist. 57. *Spatia locorum tolle corporibus & nusquam, & quia nusquam erunt qui omnino erunt.* Et de corpore Christi nominatim contra Faustum lib. 20. cap. 11. *Secundum*

dum præsentiam corporalem simul, & in Sole, & in Luna, & in cruce esse non posset: glorificationem incircumscriptum dicere blasphemum est, sed vt verbum Dei Patris inuisibile, incomprehensibile, & in omni loco suæ dominationis existit. Ita secundùm naturam humanam quam assumpsit, visibilis & circumscriptus est. Denique Patres ita distinguunt inter humanam diuinamque Christi naturam, vt diuinitatis quidem ratione dicantur eum vbique esse, sed humanitatis respectu alicubi tantum. Orig. homil.33. in Matth. Christus secundùm diuinitatis suæ omnipræsentiam non peregrinatur, sed peregrinatur secundùm dispensationem corporis quodaccepit. August. tract.30. in Ioh. *Sursum est dominus, sed hic etiam est veritas dominus. Corpus Domini, in quo resurrexit, vno loco esse oportet, sed veritas Domini vbiq; diffusa est.* Et tract.78. *à quibus homo abscedebat Deus non recedebat, & idem Christus homo & Deus, & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat.* Vigil.lib.1.contra Eutych. *per formam serui quam abstulit à nobis in cœlum, Christus absens est. Per formam verò Dei, quâ à nobis non recessit præsens est nobis* Ex quibus omnibus satis patet non existimasse Patres humanitatem Christi per vnionem hypostaticam accepisse esse aliquod illocale & incircumscriptum.

Secundò distingunt modum physicum, siue naturalem à modo hyperphysico, siue, vt vocant majestatico. Itaque Christi corpus aiunt circumscriptum esse modo physico, sed tamen esse omnipræsens, modo hyperphysico, siue modo maiestatis. Sed contra. 1. Modus hyperphysicus non destruit naturam corporis, cùm de natura corporis, quatenus existit, sit circumscriptio sine dubio, & finitudo per dimensiones. Ergo vbiquitas non est modus hyperphysicus, sed antiphysicus corporis. 2. corpus Christi per vnionem hypostaticam non amisit esse quantum, adeòque conseruauit modum necessarium ad hoc vt quantum sit. Modus autem necessarius ad hoc vt corpus sit quantum, est vt habeat dimensiones suas, ita vt illud dimetiri possimus. Porrò infinitum nullum dimetiri potest, quia nec vllus potest illud pertransire, aut ad illud quod fine caret, peruenire. Corpus igitur Christi dimensiones suas seruauit, adeòque infinitum & omnipræsens non euasit per modum aliquem hyperphysicum. 3. cùm Christi corpori modum maiestatis attribuunt. Quæro, quod nomine maiestatis intelligant Aduersarij. Nam si in illa voce nihil aliud significatum velint, quam excellentissimam illam gloriam quâ Christi corpus eminet. Certè cùm illa gloria sit donum creatum, quia quidquid creatum est, finitum est etiam eadem ratione. Si autem maiestatis vocabulo designent illam omnium attributorum, quæ in diuinitate relucent, complexionem & collectionem, cùm illa maiestas nihil aliud quàm Deitas; consequeretur sanè si modus maiestaticus corpori Christi communicatus fuerit, etiam diuinitatis modum ei communicatum fuisse, adeoque Christi corpus verè Deum esse, cùm Deitas & deitatis modus idem sint reapse & nullomodo differant.

TERTIO distinguunt inter *actum primum & secundum* κτήσιν & χρῆσιν, οὐσίαν & ἐνέργειαν, *esse & habere per se &* κατ' ἀλλο. Hæc enim omnia eodem recidunt. Dicunt enim Deitatem esse omnipræsentem per se, κατ' οὐσίαν, κτήσιν, & essendo. Christi verò corpus esse omnipræsens κατ' ἀλλο, κατ' ἐνέργειαν, & habendo, illudque, dum in terris ageret omnipræsens fuisse tantùm quod *ad actum primum*, sed illa omnipræsentia sese abdicasse, ita vt non exercuerit *actum secundum* siue operationem suam. Contra. 1. In Deo & attributis diuinis facultas ab operatione, siue *actus primus* ab actu secundo non distinguuntur distinctione *vlla reali*. Multò minùs putandum est vnum posse ab alio separari frustrà igitur in omnipræsentia, quæ attributum diuinum est, distinguere satagunt Aduersarij *actum primum* siue facultatem, ab actu *actu secundo*, siue operatione 2. si præsentia non aliud est quàm existentia rei cum re à qua non distat. Existentia vero neutiquam distingui debeat in *actum primum* & *secundum*, vt pote quæ *actum secundum* de se necessario significet. Quis ferat omnipræsentiam siue præsentiam in omnibus locis distingui per *actum primum* & *secundum*. 3. quanquam in rebus terrenis κτήσις siue proprietas Rei distinguatur ab eius χρῆσις, siue vsu, ita ut qui vsum rei habet, non tamen semper eius proprietatem habeat; Non est tamen idem in rebus diuinis dicendum; Neque enim alius est omnipræsens vsu, quàm qui omnipotens esse omni proprietate, cùm testetur Deus se suam gloriam alteri non daturum, alioqui quid impediret, quid obstaret, quominus dici posset humanitatem Christi esse Deum vsu, non autem proprietate, cùm Deum esse & omnipotentem, idem sint. 4. nec minus absonum est quod dicunt humanitatem Christi esse omnipotentem non essendo, sed habendo; hoc enim idem est ac si diceretur Christi humanitatem non esse omnipotentem, sed tantùm habere omnipotentiam. Atque Scriptura hæc duo pro eodem vsurpat. Idem enim sine dubio denotat, cùm dicit Deum esse viuentem, Iohan. 6. 57. & Deum habere vitam, Iohan. 5. 26. Igitur Deum esse immortalem, 1. Timoth. 1. 17. Deum habere immortalitatem, 1. Timoth. 6. 1. Adde quod τὸ ἔχειν, siue habere, tollere non debet τὸ εἶναι, siue esse rei. Hic autem tollit: nam cùm dicunt Christi corpus habere omnipotentiam, tollunt ab eo quod ipsi essentiale est, nimirum, vt sit finitum, adeoque certis limitibus conclusum. 5. Illa distinctio per se & κατ' ἀλλο, prout adhibetur ab Aduersariis talis est, vt vix possit aliquis eam intelligere. Quid enim sibi vult illud per se, cùm dicunt Christi corpus non esse per se omnipotens. An significant non esse omnipræsens, siue λόγῳ, vel extra λόγον: Atqui eiusmodi per se quod nunquam fuit, aut futurum est, non debuit in distinctione adhiberi. Distinctiones siquidem non debent esse ludificationes, aut explicationes imaginariæ rerum, quæ nunquam vllam veritatem, aut habuerunt, aut habebunt. An verò potius illud per se significat naturalem proprietatem corporis, vt denotetur Christi corpus à λόγῳ assumptum non habere eam naturalem proprietatem, vt sit vbique. Si ita concludunt vnionem hypostaticam non id efficere vt humanitas Christi sit

vbique,

vbique, quia vnio illa non priuat humanitatem eo *per se*, id est, ea proprietate, adeoque etiam in vnione hypostatica manet corpus Christi in sua proprietate, id est, in essentiæ finitudine. Similiter quod ad alterum membrum distinctionis attinet. Si κατ' ἀμφότερα, id est, Adversariis explicantibus per vnionem hypostaticam etiam Christi corpus est vbique. Christi autem corpus nunquam fuerit, aut futurum sit extra illam vnionem; sequitur nunquam fuisse aut fore, quin corpus Christi sit vbique. Quid itaque fiet prioris distinctionis membro, quæ significabatur humanitatem Christi *per se*, id est, ex proprietate sua naturali, esse circumscriptam, & certis finibus cohibitam.

MVLTA objiciunt Adversarij, quæ tamen facilè possunt reduci ad prima capita. Prius ea argumenta continet, quæ deducuntur ex fidei articulis. Posterius ea quæ colligunt ex quibusdam Scripturæ locis. Ex fidei articulis duo præcipuè vrgent, incarnationem & sessionem ad dextram Patris; atque ex mysterio incarnationis sic arguunt. 1. Vnio hypostatica humanæ & diuinæ naturæ facta est ἀδιαιρέτως & ἀσυγχύτως, i. e. indiuisibiliter & indistanter, ita vt vna natura non sit extra alteram. Ergo vbicunque erit diuinitas, etiam ibi erit humanitas Christi. Atqui diuinitatem Christi esse vbique præsentem nemo negat. 2. Totus λόγος est incarnatus. Ita nusquam dici potest (ita enim loquuntur Adversarij) *excarnatus*, i.e. extra carnem assumptam. Et verò si verbum esset extra carnem; verbum esset alicubi; vbi tamen non esset homo. 3. Hypostasis siue subsistentia verbi non differret realiter ab essentia & proprietatibus essentialibus ipsius. Atqui verbi subsistentia communicata est carni Christi. Ergo ei etiam communicatæ sunt proprietates essentiales, nimirum omnipræsentia & omnipotentia.

Respondeo ad primum vnionem ἀδιαίρετον & ἀσύγχυτον nequaquam id exigere, vt vbicumque est vnum vnitorum, ibi sit etiam alterum, sed tantùm vt alicubi simul sint. Ita Sol est inseparabiliter vnitus orbi suo, neque tamen est vbicumque est orbis. Ille alioqui eodem tempore esset in Oriente & in Occidente. Regula igitur illa, cui argumentationem suam superstruunt Adversarij eorum quæ vniuntur indiuisibiliter vnum esse vbicunque est alterum, non semper & in omnibus vera est, sed in iis tantùm locum habet, quorum vnum non excedit alterum, quæque inter se sunt æqualia, quod de humanitate & diuinitatè Christi nemo dicturus est.

Ad secundum totum λόγον incarnatum esse nemo dubitat. Sed enim ita incarnatus est, vt quemadmodum totus est intra carnem, ita etiam sit totus extra carnem assumptam, quia cùm sit infinitus, totus vbique est totalitate essentiæ atque personæ suæ, non autem partem habet hìc sitam, & partem alibi, vt fit in compositis materialibus. Itaque non ita dicitur esse totus intra carnem, quasi à carne circumscriberetur. Sicut neque Deus ita dicitur esse totus in mundo, vt mundus eius essentiam definiat, aut intra suos limites coërceat. Verùm totus ideo dicitur esse intra carnem quod natura diuinitatis requirit, vt vbi est, ibi

tota sit, quippe impartibilis & simplicissima. Neque est quod dicas, si verbum est extra carnem. Ergo esse alicubi, vbi verbum non sit homo: Nam propositio ista verbum alicubi non est homo, duplicem sensum habere potest, aut verò significat verbum deseruisse alicubi humanitatem, & hoc sensu falsa est, quia quod verbum semel assumpsit, id nunquam dimisit aut dimittet; aut significat verbum esse alicubi vbi non sit caro verbi & ita vera est, cùm dicat Christus Apostolis, me non semper habebitis, nimirum secundùm carnis & humanitatis præsentiam, quibus tamen dicit ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, nimirum secundùm diuinitatis præsentiam. Interea vbi non est Christi humanitas, ibi tamen Christus est, homo quatenus λόγος ibi existens sustentat humanitatem, etsi non ibi, sed alibi existentem.

Ad tertium, aut illud argumentum nihil concludit, aut concludit, carnem Christi non tantùm esse omnipotentem & omnipræsentem, sed etiam æternam, simplicissimam & increatam, adeóque Deum ipsum, siue diuinam essentiam, quod cùm nolint Aduersarij necessarium est, vt suæ argumentationis imbecillitatem agnoscant. Cæterum quamuis nullum sit reale discrimen inter essentiam aut proprietates diuinas, & subsistentiam verbi, inter ea tamen intercedere rationis differentiam, alioqui nulla posset reddi ratio, cur vna sit trium personarum, cur non Pater & Spiritus Sanctus æquè incarnati fuerint atque filius. Adde quod à communicatione subsistentiæ ad communicationem proprietatum non possit vlla duci consecutio, cùm communicandi verbum aliter atque aliter accipiatur, quando de subsistentia τῷ λόγου, & quando de proprietatibus essentialibus agitur. Cùm enim dicitur communicari carni subsistentiam verbi, vox communicandi sumitur intransitiuè, neque aliud designat, quàm diuinam actionem, quâ verbum ad se recepit & assumpsit carnem, ita vt per eam assumptionem siue appropriationem singularem caro hæreat & subsistat in λόγῳ ea fermè ratione, quâ paret aduentitia toti naturali, putà surculus, arbori inseritur & implantatur. At verò cùm de communicatione proprietatum vocabulum illud transitiuè sumunt, ita vt significet realem effusionem attributorum diuinorum in humanam naturam, non autem assumptionem, siue sustentationem partis alicuius extraneæ & aduentitiæ.

Deinde de articulo de sessione Christi ad dextram Patris ita colligunt. 1. dextra Dei, cùm ex vsu Scripturæ frequentissimo non aliud significet, quàm supremam, & infinitam Dei potentiam sine dubio vbique est. Atque adeò qui ad eam dextram sedet, necessarium est, vt vbiq; esse dicatur. Christi autem natura humana sedet ad dextram Dei. Est igitur omnipræsens. 2. sessio Christi ad dextram Dei supremam illam dominationem & absolutum imperium significat, quod Christo datum est in creaturas omnes: Atque ad exercendum eiusmodi Dominium, necessarium est, vt caro Christi sit vbique præsens. Resp. ad primum sicut dextra Dei est infinita: ita etiam increata est & æterna. Ergo inde non minus concludetur æternitas, quàm omnipræsentia carnis. Præterea

longè

longè aliud est dextra Dei, quàm sessio ad dextram Dei. Caro autem Christi non dicitur esse ipsa Dei dextra, sed tantùm sedere ad dextram. Porrò, vt scholastici loquuntur, Christus consedet ad dextram Patris, æqualiter quidem secundùm diuinam, sed aliqualiter tantùm secundùm humanam naturam. At secundùm suprema illa dominatio, quæ per sessionem ad dextram significatur, data est personæ Mediatoris nostri. Mediatorem porrò esse omnipræsentem nemo dubitat. Verùm ab omnipræsentia Mediatoris, ad omnipræsentiam carnis Christi non concluditur legitimè. Adde quod etsi humanitas Christi imperium exerceat in omnia, non ideò tamen necessarium est eam facere omnipræsentem, sicut neque princeps præsens est toti regno, qui tamen toti regno imperat, quippe qui & Angelis & aliis causis secundis humanitas Christi pro libitu vtatur in illius dominij atque gubernationis exercitio. Sed de sessione Christi ad dextram patris plura suo loco.

ALTERA classis argumentorum varia Scripturæ loca proponit, ex quibus confectum volunt Deitatis idiomata & nominatim, omnipræsentiam, omnipotentiam, & omniscientiam esse Christi humanitati communicata. 1. generatim ita colligunt Aduersarij, cui Deus non dat Spiritum ad mensuram & in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, quique diuino cultu & religiosa adoratione afficiendus est. Cui denique diuinæ & in Deum vnum competentes operationes tribuuntur, putà esse panem vitæ & purgare nos ab omni peccato, remittere peccata, illi Deitatis idiomata realiter communicantur. Atqui de Christi carne dicuntur hæc omnia, vt videre est, Iohan. 3. 34. Colloss. 1. 19. & 2. 9. Philip. 2. 10. Iohan. 6. 48. 1. Iohan. 1. 7. Matth. 9. 6. &c. Ergo infusa sunt realiter in Christi carnem Deitatis idiomata. Resp. 1. si ratio aliquid legitimè concludit, non minùs pro communicata æternitate ipsaque Deitatis essentia militat, quàm pro omnipotentia & omnipræsentia; atque eiusmodi proprietates & ipsam Deitatem in Christi carnem transfusa esse nolunt Aduersarii.

Secundò quæ citantur loca de Christi persona loquuntur. Perperam igitur ad Christi humanitatem, in abstracto referuntur, alioqui cùm Scriptura testetur alibi Dominum gloriæ esse crucifixum & Deum gloriæ suo sanguine redemisse Ecclesiam. Sic concluderetur carnis infirmitates ad diuinam naturam esse transfusas, quod vel cogitare blasphemum est certè cùm laudatis locis dicitur Deus non admetiri Spiritum ei quem misit in Christo habitare plenitudinem Deitatis, in nomine Iesu flectendum omne genu, filium hominis remittere peccata. Videmus semper vsurpari aliquod nomen personam significans. Nusquam autem opponi nomen naturæ, putà, corpus, carnem, humanitatem. Cùm igitur aduersarij quæ de Christo θεανθρώπως in concreto dicuntur, transferant ad Christi corpus, siue humanitatem, in abstracto vitiosè procul dubio concludunt. 3. Si quæ loca sunt, quæ referuntur ad Christi humanitatem in abstracto, pertendimus ea nullo legitimæ consequentiæ modo concludere effusas esse in humanitatem Christi Deitatis proprietates, sicut patebit in breui singulorum examine.

Iohan.3.34. non aliud docetur quàm Christi humanitatem esse sancti Spiritus donis instructam supra reliquas omnes creaturas. Itaque verba illa οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσι non dat ad mensuram, non significant communicationem simpliciter infinitam & nullis limitibus conclusam, sed talem donorum plenitudinem & abundantiam, quæ in se verè quidem finita sit. Sed quam tamen comparatiuè infinitam dicere haud immeritò possimus, respectu scilicet creaturarum, quæ quantalibet excellentia sint præditæ, longè tamen parciori mensura quascunque possident dotes à Deo acceperunt, Col.1.19. Dicitur in Christo habitare omnis plenitudo, i.e. abundantissima omnis gratiæ copia: Gratia enim illa quanquam sit in Christi humanitate creata, qualitas tamen longè eminentior est quàm in aliis omnibus creaturis cùm alij homines qui gratiarum spiritualium participes fiunt, neque omni genere gratiarum donentur, neque quas habent gratias eas in summo & intentissimo gradu possideant: at verò Christi humanitas in se se continet omnem gratiam & omnem gradum gratiæ, & denique quidquid ad rationem gratiæ pertinet. Ita enim factum oportuit, 1. Propter vnionem carnis ad verbum cùm consentaneum sit, vt quò proprietas acceditur ad causam influentem, eò abundantiùs eius influxus participetur. 2. Propter dignitatem capitis. Cùm enim Christus gratiam acceperit, non tanquam priuata quædam persona, sed tanquam caput & principium. Vnde fuit illa gratia in alios deriuanda, Iohan.1.16. Eph.4.7. Oportuit sanè illam in Christo, vtpote capite nostro & principio spirituali fuisse plenam & omnibus numeris perfectam, Col.2.9. dicitur plenitudo Deitatis in Christo corporaliter habitare, quia cùm necessarij sint modi, quibus dicitur Deus creaturis adesse juxta vulgatum illud, *Ester præsenter est Deus, & vbique potenter*, tamen in Christi humanitate inhabitat Deus speciali quadam & mirabili ratione, quam explicatam voluit Apostolus vocabulo illo corporaliter, quod idem designat atque personaliter, prout nouimus Græcos nomine σώματος, & Latinos nomine corporis, sæpius personam designare, vt apud Epigrammatarium, σώματα πολλὰ τρίφατα. Et apud Virgil. septena quotannis corpora natorum: nimirum, vt ostendatur Deitatem non habitare in Christo vel per vniuersalem præsentiam tantùm, vt in omnibus rebus, vel per solam efficaciam, vt in electis, sed per vnionem hypostaticam, ita vt inhabitans & res inhabitata, id est, λόγος & natura humana efficiant vnam personam non plures.

Philipp.2.10. Quæ adoratio, siue genuflexio notatur, ea non Christi humanitati, sed toti Christo, id est, personæ in concreto tribuitur. Nam & omne genu dicitur flectendum in nomine Iesu. Iesus autem personam, non naturam, & adoratio illa ei deberi dicitur, qui non tantùm factus est obediens Patri vsque ad mortem, sed etiam qui non arbitratus est rapinam esse æqualem Deo. Quis autem ille, nisi persona Filij Dei, nemo dixerit humanam Christi naturam, Deo fuisse æqualem.

Iohan.6.48. Caro Christi dicitur esse viuifica non vitam æternam efficienter producendo, sed vitæ materiam, seu meritum subministrando, qua-

do, quatenus scilicet merito mortis & passionis Christi, quam in carne pertulit, vita nobis comparata est. Sic & 1. Iohan. 1. 7. Sanguis Christi dicitur nos ab omni peccato purgare: non efficienter, & carnaliter, quippe quod vnius Dei est, sed ministerialiter & meritoriè, quatenus sui sanguinis effusione id Christus meruit, vt Deus nos ab omni peccato purgaret. Quod idem etiam debet dici de remissione peccatorum, de qua Matt. 9. 6. Quanquam ex eo loci remissio peccatorum non humanæ Christi naturæ, sed Christo προσώπῳ, personæ, inquam, illi diuinæ tribuitur, qui ita est homo pro peccatis occumbens, vt sit etiam Deus peccata condonans.

Secvndò tria Deitatis attributa omnipræsentiam, omnipotentiam, &c. in Christi humanitatem competere ex Scriptura Adversarij ita confectum volunt. 1. Omnipræsentem Christi carnem colligunt ex Matth. 18. 20. vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, & 28. 20. Vobiscum ero vsque ad consummationem seculi, & Apoc. 1. 13. Christus homo dicitur esse in medio candelabrorum septem, id est, Ecclesiarum. Resp. hæc loca nihil ad causam Adversariorum facere. Cùm enim hæc de persona dicantur, perperam trahuntur ad humanam naturam: Deinde Christus dicitur esse præsens perpetuò Ecclesiæ suæ, tum respectu gratiæ & spiritus sui, per quem habitat in cordibus suorum, tum ratione dominationis & imperij spiritualis quod exercet in Ecclesia per spiritum, id est, efficaciam verbi sui.

Deinde Omnipotentiam colligunt ex eo quod Dan. 7. vers. 14. Dominatio æterna in omnes populos & nationes Christo data dicitur, & Matth. 11. 27. omnia ei in manum tradita & Matth. 28. 18. omnis potestas ei data est in cœlo & in terra: vide etiam Ioh. 3. 35. & 5. 22. & 17. 3. Sed, 1. Similis est responsio: Nam quæ personæ tribuuntur in concreto, non debent ad humanitatem referri in abstracto. 2. Non est quod objicias locis laudatis dici potestatem eam fuisse Christo donatam, adeoque cùm Deitati nihil donari possit, intelligenda esse loca de Christi humanitate, quia quanquam Deitati per se nihil donari possit, personæ tamen προσώπῳ quatenus munus Mediatoris exequitur, rectè dicitur ea potestas & dominatio data fuisse quoad officij illius œcumenici atque Mediatorij executionem necessaria est. 3. Adde quod etiam humanæ naturæ Christi maxima sine dubio potentia data est, quæ quanquam ad diuinam potentiam non assurgat, & inter creatas qualitates connumerari debeat, cùm tamen ad omnes creaturas se extendat, & tanta sit quanta in nullam vnquam creaturam collata sit, vel porro conferetur haud absurdè vocari possit, non absolutè quidem, sed comparatè tantùm omnipotentia, siue infinita potentia.

Denique omniscientiam humanitati tribuere videntur loca sequentia, Esa. 11. 2. Super eum requiescet spiritus scientiæ & sapientiæ, Luc. 2. 40. plenus erat sapientia, Ioh. 21. 17. Domine tu scis omnia, Col. 2. 3. in Christo absconditi sunt thesauri sapientiæ & scientiæ. Propterea

Christus iudex est totius mundi, Ioh.5.27. Act.10.42. Adeoque omnes hominum cogitationes & facta nosse debet. Vnde etiam dicitur renes scrutari, Apoc.2.23. & nosse quæcunque latent in corde hominis, Ioh. 2.24.& 25. Resp. hic pariter peccari dum de humana natura in abstracto intelliguntur, quæ ad personam pertinent. Nemo autem qui non cum Aquinate facilè concedat, quidquid de Deo potest sciri, id totum in se verbum abundanter cognoscere. Quidquid etiam cognosci potest de creaturis, verbum in se supereminenter cognoscere, adeoque in Christo esse omnes omnino thesauros scientiæ & sapientiæ. Secundò quæ cognitio rerum diuinarum & humanarum in Christi humanitatem collata est, sine dubio abundantissima est, adeoque cognitionem, vel humanam, vel Angelicam multis parasangis transcendit, sed manet tamen & continetur intra scientiæ creatæ limites. Itaque non negamus eam aliquo respectu dici posse omniscientiam, puta non absolutam illam & simpliciter dictam, quæ Deitatis propria est, sed secundùm quid appellatam & similitudinariam, qualem nimirum par est, & in eo reperiri, qui Iudex, adeoque cognitor esse debet motuum & actuum & omnium nostrorum. Sed de scientia Christi plura suo loco, hæc enim sufficerent refutandis vbiquitariis cùm quæ in medium proferunt confirmandæ suæ sententiæ ad has classes argumentorum fermè omnia reuocentur, quas hactenus proposuimus.

CAPVT V.

De Incarnationis veritate & causis, efficiente & finali.

HACTENVS de personæ Christi vnitate nobis satis dictum est: nunc ad incarnationis mysterium accedimus & eius veritatem, causas, modum, effecta, quantum ad sobriam cognitionem satis est, expendamus. Non potest autem aliunde meliùs duci huius tractationis exordium, quàm à nominibus quibus inter Scriptores Ecclesiæ insigniri solet hoc mysterium. Apostolus Philip.2.7. Exinanitionem vocauit, & formæ seruilis assumptionem. Hilarius corporationem dixit. Græci σωμάτωσιν, vel ἐνσωματώσιν, vt denotetur verum corpus fuisse à diuino verbo assumptum. Damasc. ἐνανθρωπήσεως, siue inhumanationis voce vsus est Assumptionem humanitatis ad verbi personam designante. Greg.Nazian.& aliis vocatur οἰκονομία τοῦ λόγου, dispensatio verbi, quia singulare est diuinæ dispensationis opus, quod ὁ λόγος carnem nostram sibi coniunctam voluit personaliter. Alij Epiphaniam, seu apparitionem nuncuparunt ex eo nomen desumentes quod dixit Apostolus Deum φανερωθῆναι manifestatum fuisse in carne, 1.Tim.3.16. Alij ἀνακεφαλαίωσιν vocarunt, id est, collectionem, siue recapitulationem, quia per hoc mysterium Deus omnia in Christo recollegit, & partes antea veluti dissectas diuulsas-

que

que in corpus vnum reduxit, Eph.1.10. Denique Auguſt. admirabilem mixturam appellauit quia verè mirandum eſt quod Deus homini voluit, tam arcta & ineffabili coniunctione ſociari.

In vſu tamen Eccleſiæ communiùs vſurpatur ἐνσάρκωσις vel ἐνανθρώπησις & incarnationis vox, quæ ſine dubio ex, Ioh.1.14. deſumpta, vbi dicitur ſermo ille caro factus fuiſſe, cùm nihil aliud ſit carnem fieri, quàm incarnari. Itaque occurrit ſæpius illud vocabulum in antiquis Cypriano ſymbolo Niceno Athanaſio Ambroſio, Hieronymo, Auguſt. Theod. &c. Verum ne quis ex incarnandi voce occaſionem arripiat, cum Appollinariſtis ſentiendi, qui docuerunt λόγον carnem quidem humanam aſſumpſiſſe, ſed animæ humanæ nequaquam ſe ſe vniuiſſe. Obſeruandum carnis vocabulo, vnde incarnatio dicitur, non illam hominis partem deſignari quæ contradiſtinguitur ab anima, ſed totam naturam humanam intelligit iuxta frequentiſſimum Scripturæ vſum, in qua caro totum hominem ſæpiſſime ſignificat, Gen.6.22. Pſal.65.3. Eſ.40.5. Luc.3.6. Ioh.17.2. Gal.2.16. &c. quod etiam notatum eſt ab Athanaſio oratione in Deiparam. Incarnationis, inquit, & aſſumptæ humanitatis ſpeciem ſub vna voce prædicamus, neque ſolam incarnationem annuntiamus, ſed vnà cum incarnatione aſſumptam etiam humanitatem, ne videamur cum impiis hæreticis, inanimatam & irrationalem incarnationem ſtatuere, ſed ex eo quod dicimus incarnationem ſimul & humanitatem aſſumptam, & carnem credimus & animam rationalem ac mente præditam ſignificamus. Nec verò abs re eſt quod vocabulum iſtud in carnationis frequentat Eccleſia, quippe quo clariùs inſinuatur diuinæ erga homines charitatis, atque miſericordiæ magnitudo, cùm eò vſque ſeſe dimittere fuerit dignatus Deus, & non tantùm animam ſibi intimè ſociauerit, quæ nobilior eſt noſtri pars, ac diuinæ auræ particula, ſed etiam quod in nobis viliſſimum & infirmum eſt, carnem, inquam, hanc fragilem & mortalem aſſumpſerit. De Incarnatione ſunt ſequentia Theoremata.

Theorema 1. *Incarnationis myſterium, quod non à lumine rationis, ſed beneficio tantùm reuelationis cognoſcitur, vt verè, conuenientiſſimè, ita ſuo tempore diſpenſatum eſt.* Multa ſunt quæ hoc vno theoramate docentur. Ac. 1. quidem vnde habeatur & hauriatur huius arcani notitia, quamquam enim ad rerum naturalium eſſentiam, & proprietates cognoſcendas rationis naturale lumen ſufficere poſſit, non eſt tamen id eius acumen, vt ad hæc vſque myſteria penetrare valeat, nimirum naturaliter ſapimus quæ ſunt hominum, quę Dei ſunt non ſapimus. Matt. 16.23. Itaque cùm Petrus ſuo & Apoſt. nomine, Matth.26.17. Hanc Chriſto confeſſionem edidiſſet, tu eſt Chriſtus filius Dei vini; Reſpondet Chriſtus hoc non à carne & ſanguine, ſed à Patre cœleſti reuelatum fuiſſe, id eſt, eiuſmodi cognitionem non ex naturali intelligentiæ facultate hauſtam, ſed cœlitus à Patre luminum Apoſtolorum mentibus fuiſſe infuſam: Atque inde eſt quòd Deus Eſ.40.v.5. vocatur Deus abſconditus & doctrina Chriſtiana dicitur ab Apoſtolo ſapientia abſcondita in

mysterio, 1.Cor.2.7. Huc faciunt Patrum dicta. Orig.lib.2. περὶ Ἀρχῶν c.6. Illud penitus admirationem humanæ mentis excedit, nec inuenit humanę intelligẽtiæ fragilitas quomodo capere possit, quod tanta potentia diuinæ maiestatis ipsum illud verbum Patris, atq; ipsa sapientia Dei, in qua creata sint omnia visibilia & inuisibilia. Cyrill. lib.8.contra Iulium. Admirabilis est & supra mentem & sermonem dispensationis cum carne modus. Itaque mysterium hoc vocant Patres nouum nouorum, & solum sub sole nouum, summum gratiæ exemplum, sine exemplo cardinem, & verticem miraraculorum, de quo verè dicere possumus cum Augustin.Epist.3. ad Polluſt. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid facere, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus talis ratio facti est potentia facientis. Addo rationem huc nos vocare, vt concedamus incarnationem ratione cognosci non posse. Certè ad cognitionem huius arcani tria sunt, quorum notitia clara & euidens exigitur id est vt norimus naturam humanam in indiuiduo spectatam posse propria sua personalitate, siue subsistentia priuari. Alterum vt intelligamus naturam humanam ita posse vniri personæ diuinæ, vt ad illius vnitatem assumatur, & per diuinam subsistentiam, non causaliter tantùm, verùm etiam formaliter subsistat. 3. vt agnoscamus tres in diuinitate personas, quorum vni tantùm, non aliis conjuncta fuerit humanitas. Atque hæc 3. notatim verò secundum & tertium naturalem creaturæ captum transcendunt.

Obiicitvr 10, Angelus solo naturæ lumine nouit quanta sit naturæ humanæ capacitas. Ergo nouit eam destitui posse propria personalitate, vt à diuina persona sustentetur. Resp. capacitatem creaturæ aliam esse naturalem, aliam obedientialem. Ac priorem quidem totam ab Angelo cognosci, Non autem posteriorem: nouit enim Angelus quod in natura humana fieri possit naturaliter, sed non nouit totum illud, quod in ea fieri potest supernaturaliter: Atque priuatio personalitatis in humana natura, non pertinet ad naturalem, sed ad obedientialem eius capacitatem.

Obiicitvr secundò, Angelis & intellectui humano notum esse potest, quod contradictionem non inuoluit. Atque tale est incarnationis mysterium. Resp. intellectum humanum & Angelicum confusè & in generali cognoscere posse, quæ non inuolvunt contradictionem, sed tamen ea omnia, qui non sunt ἀντιφατικὰ distinctè & in particulari cognoscere nequeunt, quia nulla planè creatura est, quæ totam Dei omnipotentiam percipiat, aut penetret, quam nouimus ad ea omnia extendi, quę contradictionem non implicant. Sed an igitur nihil est omnino in hac causa quod ratio cognoscere valeat, Resp. si quæritur cognitio euidens & perfecta; nullum esse rationis lumen naturale, quod cognoscere possit, qui Deitatem personalitatis verbi Dei aut modum vnionis naturæ humanæ cum persona verbi, Verùm si de obscura quadam & imperfecta cognitione quæstio sit, fatemur eò vsq; ascendere posse ratio-

se rationem naturalem, vt concludat incarnationem non esse impossibilem, quatenus nulla fieri possunt aduersus hoc mysterium argumenta quibus soluendis ratio non sufficiat, & in quibus reperiri non possit ratio aliquem esse vel in materia, vel in forma defectum. Vnde fiat vt prudenter ratiocinantes non conuincantur argumentis huiusmodi.

SECVNDÒ loquitur Theorema de veritate incarnationis id est docet verbum verè ac reipsa incarnatum fuisse contra Iudæos & hæreticos permultos, verùm vnitatem personæ Christi in duplici natura humana & diuina iam ante satis confirmauimus. Contra Iudæos militant pleraque V. Testamenti loca inter quæ hæc pauca selecta volumus, Gen.3.15. dicitur semen mulieris caput serpentis contriturum, quod ad Messiam sine dubio pertinere iam ante docuimus. Ergo Messias cùm sit semen mulieris, futurus erat verus homo de muliere prognatus, sed quod additur eum serpentis id est Diaboli caput contriturum, significatur satis eius diuinitas, cùm alterius non sit, quàm Dei conterere Satanam sub pedibus nostris, prout dicitur, Rom.16.20. Gen.49.10. At Sçilo id est Messias de Iuda oriundum dicitur fore יקהת id est populorum, quam vocem Hebræam alij congregationem, alij obedientiam vertunt, LXX. & vulgatus Interpres Expectationem. Ergo Messiæ proprium est, quod congreget Gentes, quod Gentes ei obediant, & quòd in eum sperent, Vnde satis concluditur Messiam ita futurum verum hominem ex Iuda tribu suo tempore oriturum, vt sit etiam verus Deus. Dei enim est ad se omnes populos congregare, Ps.147.2. Es.11.12. Et 43.5. & 54.℣.7. Deus enim cui vni debetur obedientia fidei, quique obiectum vnum est fiduciæ Christianorum, Ier.17.℣.5.6.7. Sic Es.7.14. Virgo concipiet filium qui vocabitur Emmanuel, nec est quod hoc vocabulo designari putemus simplicem assistentiam diuinæ gratiæ, quia cùm sit hic titulus Messiæ proprius, vt aliis communicari non debeat, necessarium est procul dubio, eo magis aliquid significari, quàm id quod nouerimus piis omnibus commune, nimirum assistentiam & efficaciam illam. Sic Es. 9.5. puer natus est nobis, cuius nomen erit Admirabilis, &c. Audis puerum, & agnoscis infirmitatem naturæ humanæ, sed audis etiam admirabilem, Deum fortem, Patrem æternitatis, vt fatearis veritatem & potentiam diuinæ naturæ. Huc adde Iudæorum quantumvis Christo infensorum clara testimonia, celebre est illud Iosephi lib.Antiquit.18.c. 4. *eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen eum virum fas est dicere Parum omnino abest, quin* dicat illum, non hominem tantùm, sed & Deum fuisse, quod etiam sequentibus significare videtur, cùm ait eum ingentium operum & miraculorum patratorem fuisse. Sic Rabbi Haccardos id est sanctus manifestè scripsit Messia vocandum Emanuelem quatenus est Deus & homo & in Es.cap.9. duas docet agnosci debere filiationes, in Messia vnam, quatenus est filius Dei, alteram, quatenus filius Propheticè. Philo Iudæus lib.de Profug. sentio, inquit, ego hunc summum sacerdotem λόγον ipsum Dei futurum, peccati omnis expertem, tum spontanei, tum inuoluntarij. Denique egregia narratio, si modò

vera apud Suidam in Collectan. voce (ἰωνᾶ) Theodosi cuiusdam Iudæi exponentis, quomodo Christi nomen in album Sacerdotum fuerit relatum totius Sacerdotij consensu, cùm hoc elogio Iesus filius Dei viui & Virginis Mariæ, & testificantis scriptum illud fuisse in templo Hierosolymitano asseruatum. Deinde Tyberiadem translatum, vbi adhuc suo tempore absconditus lateret.

CONTRA Gentiles verò qui non minùs Scripturæ authoritatem, quàm incarnationis veritatem rident, argumentis pugnari potest, tum communibus, tum particularibus, & communia quidem sunt, quæ ostendunt Christianam doctrinam, cuius præcipuum dogma est incarnatio Christi certissimam esse, fideque dignissimam putà. 1. quòd ea doctrina prius omnino incognita mirandis planè modis, & propagata, & propugnata est ab hominibus abjectissimæ conditionis, nulla humana, vel eruditione instructis, vel eloquentia valentibus, nulla vi armatis, nulla præstantibus opulentia, Qui tamen quid quid erat in mundo nobilissimum, eloquentissimum, eruditissimum, & potentissimum deuicerunt, & sub Christi iugum tandem reduxerunt. 2. Quod qui fidem Christianam susceperunt & verè coluerunt, adeoque secundùm eius instituta vitam componunt, interiùs exteriusque mirificè imitantur in melius, quod his verbis eleganter exprimit. Lactant. lib. 3. cap. 26. Dei præcepta quia etiam vera, etsi simplicia sunt, quantum valeant in causis hominum quotidiana experientia demonstrat. *'Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus, pauciſſimis Dei verbis tam pl. cidum quàm quemreddam, Da cupidum, auarum, tenacem, Iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam plenis manibus largientem, da timidum doloris ac mortis, iam cruces & ignes & periculum esse, & taurum contemnet, da libidinosum, adulterum, ganeonem, iam sobrium, castum, continentem videbis, da crudelem & sanguinis appetentem iam in veram clementiam furor ille mutabitur, da iniustum, insipientem, peccatorem, continuò, & æquus, & prudens & innocens erit: vno enim lauacro malitia omnis abolebitur, tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam vno simplici impetu expellat.* 3. quod innumeri homines, qui castissimè & innocentissimè vixerunt, adeoque Deo fuerunt charissimi, doctrinam hanc ita cordibus amplexati sunt, vt ei honores, diuitias, proximorum amicitias, adeoque suam ipsorum vitam constantissimè postposuerint, ab aliis iam argumentis supersedeo.

PARTICVLARIA verò argumenta probandæ incarnationis, veritati hæc tria videntur esse præcipua; primùm scil. ab admirandis Christi operibus ducitur, quæ cùm facta fuerint à Christo vt se demonstraret verum esse Deum, sicut ipse ait, opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ea testimonium perhibent de me, Ioh. 10. 25. neque verò voluerit Deus homines in errorem inducere operum illorum exhibitione, neminem enim Deus vel decipit, vel decipere potest: consequitur vt dicamus Christum verè Deum fuisse. Secundum desumitur ab Integritate & sanctitate, tum doctrinæ tum vitæ Christi, qui cùm insensissimo-

rum

rum hostium odiis vexaretur. Ita tamen vixit & docuit, vt in eius documentis, vel moribus, nemo quidquam potuerit reprehendere. Sed maximi Aduersarij testimonium ipsi perhibere coacti fuerint; cùm igitur Christus se Dei filium vnúmque cum Deo esse manifestè testatus fuerit, non humanitatem tantùm, sed & diuinitatem illis agnoscendum esse. Tertium colligitur ex calamitatibus & miserrima conditione in quam detrusi sunt Iudæi, qui Christum propterea morte mulctarunt, quòd se filium Dei prædicaret. Sanè si Christus non fuisset verè Dei filius, qualem se palàm ferebat. Quis dubitat Iudæos Deo gratissimum præstituros obsequium, diuinam gloriam vindicando, quam ad se Christus transferre voluisset, adeóque non futurum Dei bonitati iustitiæque consentaneum, vt populus zelo gloriæ diuinæ ardentissimus tantis ærumnis conflictaretur. Atqui contra videmus eos ingentibus malis seuero Dei Iudicio cumulatos. Ergo hinc Christi satis superque patet diuinitas, addamus etiam ipsorum Gentilium testimonia, lib. sanè Sybillinis multa passim occurrunt de Christo Dei Filio eiúsque mirandis operibus & passionibus carmina, inter quæ notanda sunt imprimis illa ex quorum Acochristichide exursit iste titulus Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, neq; obliuione sepeliendum quod narrat in Apologia Tertull. Tyberium Imperatorem, cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit, cùm annuntiatum ipsi esset à præfectis Syriæ Palestinæ Iesum Christum diuinitatis suæ veritatem reuelasse, rem detulisse ad Senatum etiam cum prærogatiua suffragij sui, i.e. ita vt ipse priùs & ante omnes Christum censeret inter Deos agnoscendum. Denique siluisse idola in aduentu Christi testantur Euseb. lib. 6. demonstr. 20. Origen. hom. 3. in diuersos Athanas. orat. de Incarnatione verbi & noti versus, quibus oraculum Apollinis respondit Augusto quærenti, quis esset futurus sibi imperio successor παῖς ἑβραῖος &c. quæ Latinè sic sonant.

Me puer Hebræus diuus eus ipse gubernans
Sedere sede jubet tristemque redire sub orcum
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

IAM vt ad tertium accedamus conuenientissimè dispensatum fuit Incarnationis opus, 1. quia Deus non tantùm omnia fecit bona, Gen. 1.38. Sed etiam bene fecit, id est, conuenientissima optimáque ratione, Marc. 1.31. Ergo & hoc opus quod inter omnia sine dubio eminentissimum est, non potuit non esse conuenientissimè factum, 2. quia conueniens erat diuinæ naturæ ita fieri. Certè conueniens illud dicitur, quod vnicuique secundùm propriæ naturæ rationem competit: atque natura diuina est summè bona, imò ipsa bonitas essentialiter, & immutabiliter, vt demonstratum est suo loco. Itaque non est dubium, quin ei competat quidquid ad boni rationem, aut conditionem pertinet. Hæc autem est boni conditio, vt sese diffundat, & communicet aliis. Ergo cùm Deus sit summum bonum, ei conueniet, vt se summè communicet. Verùm communicatio Dei duplex est, alia interna & naturalis, quam vocant ad intra, altera externa & voluntaria, quam dicunt ad extra.

Prior illa infinita est & supra captum cuiusque creaturæ, quia nempe persona diuina sese personæ diuinæ communicat. Ita Pater sese filio communicat per æternam generationem, Pater & Filius Spiritui Sancto per æternam spirationem: sed de hac nobis non est sermo: agimus enim tantùm de communicatione externa, quæ creaturas respicit. Ea communicatio varios gradus habet; inter quos aliquem oportet esse summum & eminentem, ad quem cùm creatura producta fuerit, non possit vlteriùs assurgere: Atqui talis est communicatio, quæ fit per incarnationem, quia per eam non tantùm gratia spiritualis, aut gloria cœlestis communicatur. Sed etiam aliquid nobilius, nempe subsistentiam diuinam, quatenus ad eius vnitatem creatura assumitur. Ergo vt eum communicationis gradum assequi posset creatura, conueniens fuit Deum incarnari. Sed, inquies, maior fuisset communicatio, si, aut ipsa essentia diuina, aut saltem tres substantiæ personarum simul humanitati communicatæ forent. Resp. essentiam diuinam esse omnino incommunicabilem ad extra, adeoque frustrà eum futurum qui quærat communicationem impossibilem. Quod verò ad substantias tres attinet, etsi illæ communicatæ forent, non tamen maior fuisset communicatio intensiuè, sed extensiuè tantùm. 3. conueniens fuit hoc mysterium incarnationis humanæ naturæ, non quidem quòd incarnatio non esset supra conditionem, aut meritum humanitatis. Transcendit enim eius dignitatem incomparabiliter iuxta illud Augustin. de Prædestinatione sanctorum, cap. 15. *Christus vt hoc esset quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est comparauit. Respondeatur quæso, ille homo, vt à verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset. Vnde hoc meruit quod eius bonum qualecumque præcessit? Quid egit, ante quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?* sed conueniens eatenus dicitur, quatenus quod optimum est, vnicuique rei quodque ipsi maximam confert præstantiam, sed etiam conuenientissimum est: at nihil melius dari potuit humanæ naturæ, neque maior vlla perfectio illi communicari, quàm si ad personæ filij vnitatem asciscretur. Hoc enim pacto homo factus est Angelis superior & totius vniuersi caput, quæ dignitas in totum genus humanum naturaliter redundat. Nam ista omnia singulariter admiranda & alia, si quæ Christi propria verissimè dici possunt. Similiter in illo accepit humana, id est, nostra natura, inquit Augustin. vbi supra, imò cùm in humana natura tanquam in epitome quadam illustri contineantur omnes rerum creatarum gradus, qua ratione factum volunt Aug. lib. 1. de Sermone Domini in monte, cap. 11. & Greg. Magn. hom. 29. in Euang. vt homo in Scripturis Sacris aliquando dicatur mundus, Matth. 5. 14. Aliquando omnis creatura, Marc. 16. 15. Haud absurdè dixerimus diuinam personam vnientem se humanitati, eadem ratione se quodammodo toti rerum vniuersitati communicasse. 4. Conuenienter etiam requiri videbatur istud mysterium ad perfectionem & quasi complementum vniuersi, vt nimirum ipsi nihil deesset. Nam primum vt rerum

rum omnes ordines caperet vniuersum, non tantùm oportuit esse in mundo ordinem naturæ, qui infimus est, nec tantùm ordinem gratiæ, qui superior est, verùm etiam ordinem vnionis hypostaticæ, qui summus est & eminentissimus. Deinde cùm in mundo sit substantia quædam increata & infinita nempe Deus & substantia creata & finita, quales sunt spiritus & corpora, par fuit esse aliquam substantiam, partim creatam, partim increatam. Talis autem est Christus incarnatus, creatus quidem & finitus ratione humanitatis : infinitus autem ratione diuinitatis. Præterea cùm inter substantias sit vna, quæ habeat plures personas in vnica natura, nempe Deus & sint aliæ quæ in vnica natura vnicam personam habeant, vt Angeli & homines. Consentaneum erat, vt daretur etiam substantia quæ in pluribus naturis haberet vnicam personam. Is autem est Christus incarnatus. Denique sicut inuenitur in humano genere quidam productus sine viro & muliere, nempe Adam, quidam genitus ex viro & muliere, vt Abel, & alij; quidam formatus sine muliere ex viro, vt Eua, par erat etiam vt aliquis produceretur ex muliere sine viro. Talis autem est Christus.

VLTIMO loco additur in Theoremate dispensatam fuisse incarnationem suo tempore quo conueniens erat, vndeq; incarnationis tempus non modo χρόνος dicitur, sed etiam καιρὸς, quòd propriè opportunitatem & commoditatem temporis notat, 1. Petr. 1. 11. Hebr. 9. 10. Atque hoc est tempus quod vocatur plenitudo temporis, Gal. 4. 4. non tantùm respectu ordinationis diuinæ, quatenus impletum est tempus, quod Deus apud se ab æterno præfinierat, de mittendo in mundum filio suo, verùm etiam respectu typorum, promissionum & gratiæ, quatenus tunc impletæ fuerunt Veteris Testamenti figuræ, quæ Christum, tanquam corpus & veritatem respiciebant & vaticinia in cuentum deducta sunt, & gratiarum longè maior tunc, quàm priùs effusa est copia. Vnde dicitur gratia & veritas facta fuisse per illum Iohan. 1. 17. vocatur tempus correctionis, siue directionis, Hebr. 9. 10. quia in aduentu Christi, quæ priùs erant sub lege correcta sunt, non quòd mala essent, sed quùd essent infirma, neque possent conscientias hominum sanctificare, Hebr. 9. 9. Itaque corrigi oportuit, id est, in melius immutari; perierunt enim typi & figuræ, mansit illud quod iis significatum & demonstratum voluit Deus. Denique vocatur etiam consummatio seculorum, Hebr. 9. 26. non tantùm quia in vltima mundi ætate dispensatum est hoc mysterium, sed etiam quia tunc perfecta & consummata sunt omnia, vt iam nec nouus Legislator, nec noua lex aut Euangelium aliud sit expectandum, & quia tunc aduenit συντέλεια, i.e. finis eorum sæculorum quem Christi aduentu Deus præfixerat.

QVÆSITVM est quare eo demum tempore non citiùs aut tardiùs incarnari voluit. Nam & eiusmodi quæstione vexatos olim Christianos, Porphyrio & à Gentilibus discimus ex August. epist. 49. Respondent variè Patres & Chrysost. Hom. 27. ad Rom. Periculosam hanc esse quæstionem iudicauit. Neque enim esse rationem mysteriorum exigendam

neque talia sollicitè inquirenda, sed diligenda magis, cùm fides obedientiam quærat curiositatem non exigat. Leo verò serm. 3. in natiuitate Christi cessare debere docuit illorum querelas, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes de Dominicæ tarditate natiuitatis causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quòd in vltima mundi ætate est gestum, verbi quippe incarnatio hoc ipsum contulit facienda, quod & facta, & Sacramentum in nulla vnquam antiquitate cessauit, quod prædicauerunt Apostoli, hoc annuntiarunt Prophetæ, nec serò est impletum quod semper est creditum. Denique cùm necessarium non sit curiosum esse in nascendis temporibus, siue opportunitatibus, quas Deus in sua ipsius potestate statuit, Act. 1. 6. 7. Satis esse debet, & optimæ rationis instar, quod Deus ita factum voluit. Interim cùm etiam Prophetæ scrutati fuerint quando & quo temporis articulo fieri deberent ea quæ semper Deus pronuntiarat de passionibus Christi & consequutura gloria, 1. Petri 1. 11. Haud inutile futurum est si veterum ac recentiorum Theologorum examen huc referamus qui docuerunt varias magna cum verisimilitudine causas produci propter quas incarnationem adeoque redemptionis opus in illud vsque tempus distulerit Deus, nec citiùs administratum voluerit. Ea verò partim Christum, qui venit, partim homines pro quibus venit, partim causas pro quibus venit, respiciunt.

Ac 1. quidem si Christum respiciamus, iudicabimus facilè id requisisse ipsius dignitatem, vt antequam veniret in mundum varij Præcursores eius tanquam summi principis aduentum prænuntiarent, August. tract. 31. in Ioh. per multam seriem annorum, & temporum prædicendi fuit: non enim aliquid paruum venturum fuit, diu fuerat prædicandus, semper tenendus, quantò maior Iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat. Deinde cùm tam admirabile beneficium, quod Christus allaturus erat, non debuit illud statim primo mundi nascentis exordio exhiberi, sed longa expectatione opus fuit, vt eò commendatius esset, apud homines hoc beneficium. Leo vbi supra, sapientia & benignitas diuina hac salutiferi operis mora capaciores nos suę vocationis effecit, vt quod multis signis multísque mysteriis per tot secula fuerat pronuntiatum in his diebus Euang. non esset ambiguum, & natiuitas, quę omnia miracula omnémque intelligentiæ erat excessura mensuram, vt tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio eius antiquior præcessit, & vberior.

Secvndò si homines respiciamus, notauit Aug. lib. 1. de Gen. c. Manich. cap. 23. Sicut homo sexta & vltima creationis die conditus fuit, ita sexta & vltima mundi ætate fuisse Christi aduentu recreandum: idem epist. 49. quæstione 2. Porphyr. & Gentilibus de hac aduentus Christi dilatione quærentibus respondet, noluisse hominibus apparere Christum & apud nos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum erant credituri. His enim temporibus & his locis quibus Euang. non est prædicatum tales omnes in eius prædicatione futuros

futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed multi tamen in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt, aliam rationem profert Theodoret. lib. 6. de curand. Græc. affect. Si id principio mundi Christus venisset mortem subiturus neminem aut paucos succedentibus ætatibus credituros, quia nimirum apud homines ita videmus fieri, vt feruerent quidem rerum initia, sed progressus torpescant, & extrema frigeant. Quare si ab ipsis statim mundi cunabulis sese Christus manifestasset, vix vlla post tam multa secula in mundo reliqua fides foret: Nam & Christus cùm de vltimis seculis loquitur, vix vllam fidem inter homines repertum iri profitetur, Luc. 18. 8. Quantò minorem reperturus, si tanto spatio distaret aduentus Christi quantum est inter initium & finem seculi. Præterea voluit Deus hanc filij sui incarnationem ita differri, vt homines paulatim prępararentur & aptarentur ad tanti beneficij perceptionem, tum per proprię imbecillitatis scientiam, tum per maiorem in dies diuinorum mysteriorum notitiam.

Tertio si ad causas animum aduertimus propter quas dispensatus est aduentus ille, cùm certum sit venisse Christum vt peccata hominum expiaret, sicut sequenti Theoremate docebitur. Voluit tantisper expectare, dum morbi grauitas notesceret, hominúmque conscientiæ de peccatorum multitudine conuincerentur, vt ita certiùs remedij necessitas appareret. Rectè Gregor. Nyssen. oratione de natura Christi. Quemadmodum Medici corpus febre adhuc excruciante, dum per mortificas causas adhuc accenditur, nullum adhibent ægroto ex cibis auxilium, sed expectant, dum malum ad summum excreuerit. Sic & nobiscum actum est: expectauit enim Medicus animarum donec vniuersa malitiæ ægritudo panderetur. Et Bernard. serm. 1. de aduentu, verè, sapienter disposuit sapientia, vt Christus, cùm magis esset necessarius, tunc 1. ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios, non ignorans: verè enim aduesperascebat, & inclinata iam dies erat, recesserat paulò minùs sol Iustitiæ, ita vt exiguus nimis splendor eius aut calor esset in terris: Nam & lux diuinæ notitiæ parua admodum erat & abundante iniquitate feruor refrigerat charitatis. Iam non apparebat Angelus inquit Aug. non loquebantur Prophetæ, cessabant, velut desperatione victi præ nimia vtique duritie hominum & obstinatione: at ego, ait filius tunc dixi, ecce venio. Sic dum medium silentium tenerent omnia & nox in suo cursu iter pergeret omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit. Cæterum sicut ab initio mundi Christus incarnari voluit, sic nec vsque ad finem mundi aduentum suum dilatum voluit, dum ne per tam longas moras omnis Dei notitia & reuerentia ex hominum cordibus euanesceret, tum vt eò clariùs patefaceret diuinæ virtutis magnitudo, quæ seruauit homines multis modis, nempe per fidem futuri Christi, antequam aduenirет, & per fidem præsentis dum in mundo ageret, & per fidem iam exhibiti, postquam factus est ex semine Danidis secundùm carnem.

Secvndvm theorema *incarnatio propter redimendos & saluandos*

homines à Deo dispensata est, à Deo solo. Causam incarnationis efficientem & finalem exponit hoc theorema: ad efficiens quidem non aliud est quàm Deus vnus, quamquàm ad incarnationis opus peragendum materiam humanitatis sancta Virgo subministrauerit. Quamquam Angelus Gabriel Dei Minister fuit in annuntiando conceptionis miraculo, non alius tamen quàm Deus admirabili dispensatione diuinitatem cum humanitate conjunxit. Potest tamen sanè natura copulare animam corpori, sed eum homini personaliter vnire non alius potest quàm author naturæ, vt cùm Propheta dicamus, factum est hoc à Iehoua, & mirum fuit in oculis nostris, &c. Ps.118.23. Et certè vbi de conceptione B. Virginis scriptura loquitur, docet illud signum non ab alio quàm à Deo fuisse exhibitum. Es.7.14. Et Es.9.5.6. Postquam dictum est puerum esse natum nobis subijcit zelum Iehouæ exercituum id fecisse, & in nouo testamento passim Deo tribuitur quòd Christus missus fuerit in mundum, & quòd datus nobis fuerit seruator, Matth.10.40. Luc.4.15. Ioh.3.16. Act.3.20. Rom.8.31. 1.Ioh.4.9. Deum cùm dico totam S. Sanctam Trinitatem intelligo, quia cùm incarnatio sit opus quod vocant ad extra, tribus sine dubio personis commune est, ita vt quamquam terminus ipsius sit sola persona filij, actio tamen sit omnium personarum. Nam solum quidem verbum incarnatum est, Ioh.1.14. Sed omnes personæ incarnauerunt.

Causa finalis ex parte Dei considerata est gloria ipsius sapientiæque & charitatis diuinæ in hoc opere vel maximè iplendescentis manifestatio. At ex parte creaturæ non alia est quàm redemptio nestra à peccatis, & quæ inde consequitur, salus, testatur Scriptura passim. De Redemptore quidem, Gal.4.4. Deus misit filium suum, &c. 1.Ioh.3.5. Christus apparuit, vt peccata nostra tolleret & v.8. vt dissolueret opera Diaboli. De salute verò Matth.18.11. venit in mundum, vt peccatores seruaret, Ioh.3. Filium suum dedit Deus, vt quisquis credit in eum &c. 1.Ioh.4.9. Filium suum vnigenitum, &c. Docent iidem frequentissimè Patres. Iræneus lib.5.c.14. Si non haberet caro, saluari nequaquam Dei verbum caro factum esset & si non haberet sanguis Iustorum inquiri, nequaquam dominus sanguinem habuisset. Athan.orat.3. contra Arrium cùm Deus homo efficitur tum causa substituitur: necessitas enim & indigentia hominum anterior est, quàm illius natiuitas, quâ sublatâ carnem non induisset: August. serm.9. de verbo Apost. cap.1. Nulla causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos faceret, tolle morbos, tolle vulnera, nulla est causa medicinæ, Greg.lib.4.c.1.in primam regulam nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem susciperе nostram non oporteret. Non enim vocare venit justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum non oporteret venire. Leo serm. de pentec. Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ naturæ honore mansisset nec Diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus,

piternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam serui & similitudinem carnis peccati assumeret: atque in hoc bonitatem & charitatem suam Deus vel maximè commendat, eamque nobis in hoc mysterio præcipuè contemplandam proponit, Ioh.3.16. Rom.5.8. 1.Ioh.5.9. Quis enim dubitare potest longè maiorem esse charitatem, quòd Deus filium suum eo solùm fine misit in mundum, vt nos liberaret à peccatorum vinculis, & in æternam salutem assereret, quàm si aliis etiam de causis aduenisset. Atque inde patet quàm longè abeant à scripturæ dictis & Patrum antiquorum consensu, qui inter Scholasticos contendunt, etiam si homo non peccasset, Christum tamen fuisse incarnandum, non quidem in carne passibili & ignominiæ substantia, sed in carne glorioſa & impassibili. Nos magis Thomam audimus ita concludentem part.3. sum. quæst.1. art.3. ea quæ ex sola diuina voluntate proueniunt, supra omne debitum creaturæ nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in scriptura traduntur per quam diuina voluntas nobis innotescit. At in Scriptura vbique incarnationis ratio ex peccato assignatur. Ergo dicendum opus incarnationis sic ad peccati remedium ordinatum esse, vt peccato non existente, non fuisset incarnatio. Cæterum cùm liberationem à peccatis finem faciamus incarnationis, peccata quæcumque intelligimus, siue originalia siue actualia, & inutiliter hîc quæri putamus à Scholasticis, Christúsne incarnatus fuerit magis propter tollendum originale, quàm propter expianda actualia. Cùm Scriptura hîc nullum faciat discrimen, sed in genere dicat Christum dedisse semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni peccato, Tit.2.14. & sanguinem eius nos purgare ab omni peccato, 1.Ioh.1.7. vnde vocatur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, Ioh. 1.29. non est quòd peccati nomen restringamus ad solum originale cum Scholasticis, sed potius intelligamus de quocunque, siue originis, siue actus. Quærunt & hîc Scholastici, si peccatum originale nullum fuisset, an propter sola actualia Christus in mundum veniſſet. Verùm hæc quæstio de eo est, quod nec fuit, nec supposito decreto diuino esse potuit. Nos hîc duo dicimus 1. Christum eo fine venisse, vt sicut per vnum hominem perditi eramus: ita per vnum hominem restitueremur. Rom.5.12. 1.Cor.15.21. 2. Christum eo fuisse affectu in homines, vt si vel vnus peccasset reliquis in integritate permanentibus, pro eo in hunc mundum venire & mortem crucis subire non fuisset dedignatus, vt ostendit parabola illius Pastoris, qui relictis 99. ouibus pro vnica, quæ perierat, solitus, Luc.15.4.5.6.

Obiicitvr. 1. Si Christi incarnatio decreta fuit ante præuisionem peccati. Ergo etsi peccatum non fuisset, Christus incarnatus esset, adeóque sola incarnationis causa finalis non est redemptio à peccatis. Atqui prius est verum ex Prou.8.22. Vbi sapientia, quæ est Christus incarnatus ita loquitur, Dominus creauit me, ἔκτισε με, ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret. Creatio enim certè passiua non potest attribui sapientiæ diuinæ, nisi ratione incarnationis.

Et ex Col.1.15. Vbi visibiliter Christus incarnatus dicitur primogenitus omnis creaturæ: At Christus non potest dici creatus ante omnia opera. Quod ad rem ipsam attinet, cùm certum sit eum à multis, à mundo condito seculis in hunc mundum venisse. Debet igitur hoc referri ad decretum Dei, quòd nimirum Deus decreuerit, Christi incarnationem antequam decerneret de aliis rebus creandis, adeóque antequam statueret promissionem peccati. Resp. 1. hoc argumento si quod confeitur, sanè Christum incarnari debuisse non modò quamuis peccatum non introiuisset in mundum, sed etiam quamuis nulla creatura condita fuisset, adeóque quamuis mundus non extitisset, quod tamen absurdum est: Nam cùm Scriptura incarnationem describit, vocat eam missionem filii Dei in hunc mundum, 1.Ioh.4.9. Adeóque supponit mundum esse debuisse, antequam filius incarnari deberet. 2. locus Prou.8.22. nihil facit in rem Aduersariorum quippe qui de Christo non loquitur quatenus incarnatus est, sed quatenus est verè Deus & increata Patris sapientia, & verò in Prou.8. de creatione, ne γῆ quidem: sed tantùm de possessione, cùm ita verti debeant verba possedit me, non autem creauit me. Spiritus enim Sanctus vtitur voce קנה id est possedit, non autem voce (ברא) id est creauit, sicut ex veteribus obseruarunt nominatim Epiph. hæresi 79. Bas.lib.2. contra Eu. Et Hieron. Epist. ad Cypr. Quamquam autem hodie in versione Græca legatur ἔκτισε με, Verisimile tamen est vertisse LXX. ἔκτισέ με. Quod postea fatentibus Arrianis facilè corruptum fuerit in ἔκτισέ με, vt haberent, vnde orthodoxam de Christi diuinitate personam sollicitarent. Sic & Coll.1.15. primogenitus dicitur omnis creaturæ, non quasi eius incarnationis decretum alia quæcunque decreta præcesserit, sed quatenus Deus; genitus est ab æterno, & quatenus Mediator noster dominationem habet, tum in Angelos, tum in homines, nempe quomodo primogeniti olim suis fratribus dominabantur.

Obiicitvr 2. Deus non subtrahit humanæ naturæ bonum illud cuius ipsa capax est. Atque natura humana, etsi non peccasset, fuisset capax vnionis hypostaticæ cum verbo Dei. Ergo etsi homo non peccasset, Deus beneficium vnionis cum verbo ei non subtraxisset, adeóque Deus incarnatus fuisset. Resp. non subtrahere humanæ naturæ id cuius est capax per capacitatem, vt vocant, obedientialem, quæ non aliud est quàm non repugnantia suscipiendi ea omnia, quæ Deus vult, sisiue, ad hoc ex intrinsecis suis principiis disposita sit, siue non. Alioqui enim quia ex lapidibus per potentiam obedientialem possunt suscitari filij Abrahæ, Matt.3.9. concluderetur reapse Deum implere & in effectum deducere hanc potentiam, quod falsum est. Iam autem quod natura humana capax est vniri cum natura verbi, non est ex capacitate quadam naturali, quæ ex ipsius naturæ principiis exurgat, sed ex capacitate tantùm illa obedientiali, quâ potest vnaquæque creatura fieri, vel suscipere quod Deus vult.

Obiicitvr 3. Quod est maius & præstantius non debet referri ad id

ad id quod est minus & nobilius tanquam ad finem suum: atqui gratia vnionis hypostaticæ, siue incarnatio est aliquid sine dubio præstantius redemptione. Ergo non debet ad eam tamquam ad finem referri, adeóque non est existimandum Christi Incarnationem dispensatam esse eo tantùm fine, vt homines liberarentur à peccatis. Resp. finis incarnationis duplex est, alius quidem supremus & simpliciter vltimus, nempe gloria Dei; alius verò subalternus & inferior, nempe liberatio nostra à peccatis; ergo si de vltimo fine loquamur, fatemur eam esse debere digniorem mediis quæ ad eum tendunt: Nam & gloria Dei est aliquid etiam dignius incarnatione, sed si de finibus intermediis & subalternis sit sermo, Non est dubium, quin res nobilior à Deo aliquando dirigatur ad illud quod est minus nobile tanquam ad finem: sic enim Angeli sunt nobiliores hominibus, & tamen sunt Spiritus administratorij eo fine missi, vt inseruiant fidelibus, Hebr. 1. 14. Atqui hîc necesse est eam vt fateantur Auersarij: Agnoscunt enim illi incarnationem, quatenus fuit in carne passibili ordinatam fuisse ad redemptionem à peccatis, & tamen negare non possunt incarnationem etiam in carne passibili esse aliquid per se dignius liberatione hominum à peccatis.

Obiicitvr 4. Si ante præuisionem peccati datur æquè sufficiens motiuum incarnationis, æquè post præuisionem peccati non esse negandam incarnationem decretam fuisse ante præuisionem peccati, adeoque Deum incarnari debuisse, etiamsi peccata non fuissent: atqui prius verum. Nam cùm conueniens sit diuinæ bonitati, vt Deus incarnaretur, quatenus illa bonitas est maximè sui communicatiua. Bonitatis autem diuinæ communicatio fieri potuerit, etiamsi nullum in mundo peccatum fuisset. Sequitur sufficiens incarnationis motiuum fuisse etiam remoto peccato, fuisse communicatione bonitatis diuinæ. Resp. distinguendo esse motiuum necessarium, à motiuo conuenienti. Nam quod fuit motiuum necessarium incarnationis ad illud necessarium etiam fuit sequi ipsam in re incarnationem. Tale motiuum est Redemptio nostra à peccatis, quæ non potuit fieri, nisi ab eo, qui verus Deus esset, & verus homo, vt suo loco latiùs exponemus. Sed si de motiuo conuenienti loquamur id est de eo quod fieri potuit conuenienter, non est necessarium vt posita illa conuenientia, res ipsa statim sequatur. Multa enim conuenienter possent fieri, putà vt mundus esset perfectior, & essent plures stellæ in cœlo & plures rerum species in mundo, &c. quæ tamen nunquam fuerunt aut futura sunt. Ita etiam si fateremur potuisse incarnationem conuenienter fieri etiam remota consideratione peccati, non tamen sequitur eam reapse dispensatam esse proprer aliam causam, quàm propter peccatum.

CAPVT VI.

De materia & forma Incarnationis, adcóque de vnione hypostatica.

HACTENVS de causa efficiente & finali incarnationis, sequitur iam ut de materia & forma illius dicamus, Ac de materia quidem hoc nobis est theorema, *Christus seruator noster ex diuinitate & humanitate, verè, sed admirabiliter & ineffabiliter compositus est*, Quamquam in accidentibus, ac præsertim in actionibus materiam non esse quærendam Philosophi docent, quia accidentium natura in hoc magis est quòd sint in aliquo, quàm quòd sint ex aliquo, non dubitamus tamen incarnationi suam quodam sensu materiam assignare, non aliud intelligentes, eo nomine, quàm duas substantias, diuinitatem nempe filij & humanitatem, ex quarum conjunctione factum est, vt filius incarnatus dicatur, ac diuinam quidem & humanam naturam in vnitatem personæ conjunctas fuisse. Iam antè contra Nestorianos probatum est. Nunc id expendendum supereſt: an Christi persona ratione coniunctionis illius composita rectè dici possit, & si possit, quęnam demum sit illa compositio. Prius quod attinet Theologi nonnulli ab hoc compositionis nomine abstineri velint, plerique tamen, tum veterum, tum recentiorum Theologorum id vocabuli indicant sine periculo vsurpari posse. Certè Conc. Constantinop. secundum Coloss. 8. Can. 4. Et Constant. tertium Actor. 13. cap. 16. & Damasc. lib. 3. cap. 3. Sicut & Iustin. in edict. ad Thomam 2. pap. quod habetur tom. 1. 162. Personam Christi vocant hypostasim συνθετον, subsistentiam compositam ex duabus naturis. Thomas, & qui eum sequuntur vnionem hypostaticam veram compositionem esse docent. Et verò si communissimam vocis notionem respiciamus id compositum dicitur, quod cùm sit aliquomodo vnum, ex differentibus tamen rebus constat. At Christi persona vna est, & constat tamen ex differentibus rebus, diuina scilicet & humana natura, nihil igitur obstat quominus eam compositam dicere possimus.

Objicitur 1. Compositio includit imperfectionem aliquam in partibus componentibus cùm singulę partes minùs sint perfectę, quam totum compositum. Resp. hoc verum esse in omnibus componentibus quę sunt finitæ perfectionis, quia tum res composita aliquid perfectionis accipit à singulis partibus ad compositionem ordinatis, adeoque maiorem habet perfectionem, quàm habeant seorsim singulæ partes componentes, sed falsum reperitur in ea compositione, in qua alterum componentium infinita perfectione præditum est. Quemadmodum fit incarnatione, vbi verbum infinitè perfectum non potest dici minori perfectione pollere, cùm in sese præcisè consideratur. Quod cùm spectatur, vt coniunctum humanitati, quoniam scilicet fieri non potest, vt infinita perfectione detur aliqua maior.

Obji-

Objicitur 2. Compositum realiter distingui à suis componentibus. Homo enim realiter distinguitur ab anima & à corpore, ex quibus constituitur : at Christus non realiter distinguitur à verbo. Ergo Christus non est verè compositus. Resp. posse nos de Christo dupliciter loqui. 1. vt ea voce significamus præcisè personam verbi diuini. 2. vt denotamus eam personam, quatenus incarnatam. Hoc autem posteriori sensu nihil absonum dicimus, cùm dicimus Christum realiter distingui à persona verbi præcisè sumpta, quia Christum significat totum compositum ex natura diuina & humana. Verbum autem significat alterum componentium tantùm, neque connotat per se naturam humanam.

Objicitur 3. diuinitatem non posse in compositionem vllius rei venire. Resp. compositionem, quæ est per modum materiæ & formæ, vel subjecti & accidentis, vel actus & potentiæ, vel partis propriè dictæ, vel per quam constituitur. Vna natura nullomodo in diuinitatem competere, sed nihil absurdi esse, si dicatur diuinitas venire in compositionem per modum assumentis alteram naturam, ita vt dicatur aliquid componere cum alio, non quidem essentialiter, sed personaliter & hypostaticè.

Quod ad compositionis huius modum attinet diximus eam vt veram, ita ineffabilem, & admirabilem esse. Ita Dionysius de diuinis nominibus, cap. 1. dicit Iesum secum iunxisse nostram humilitatem, ἐξ ἧς ἀῤῥήτως συνετέθη, ex qua ineffabiliter compositus est. Et certè vbi percurris omnes compositionis species, quæ inter creaturas reperiuntur, nihil planè videbis simile. Est nempe ea compositio, ex materia & forma, alia ex subiecto & accidentibus, alia ex actu & potentia, alia ex partibus integrantibus & entitatiuis. Non enim alterum componentem materiæ, subjecti, potentiæ, alterum formæ, actus, accidentis instar habere putandum est, cùm nihil horum in naturam diuinam cadere possit. Quòd autem Iustin. in edicto de quo supra totum & partes in hoc mysterio admittit his verbis, cùm compositionem dicimus necesse est confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci putandum est. Partis nomine κατὰ χρῆσιν & laxiori sensu vsurpasse dicatur, neque nomine totius aliud intellexisse, quàm id quòd completum actu & perfectum. Denique verè admirabilis est illa compositio, quæ copulauit summum & imum, primum & vltimum, id est, Deum qui est omnium rerum principium & humanam creaturam, quæ in operibus sex dierum fuit omnium vltima. Singularem huius compositionis rationem vt quapote explicarent Scholastici dixerunt hanc esse compositionem, non ex pluribus, sed cum pluribus, siue non esse compositionem partium, sed numeri, quia nempe ad hanc compositionem sufficit numerus rerum differentiarum, quæ substantialiter coniunguntur.

Forma incarnationis consistit in illa vnione, quâ humanitas ad substantiam verbi diuini ascita est, de qua obseruetur hoc theorema. *Vnio hypostatica quæ personalis est siue substantialis duarum naturarum in Christo coniunctio, sicut vnionum omnium maxima, & præstantissima est : Ita perpetua est & omnium omnino creaturarum merita excedens.* Sic paucis verbis vnio-

nis eius tum definitio, tum præcipuæ conditiones explicantur. Sed hic obseruetur, 1. Theologos in hac causa tribus modis istam vnionem considerare, 1. quatenus significat actionem illam Dei per quam humanitas Verbo est vnita. 2. Quatenus significat relationem, quæ est inter diuinitatem filij & humanitatem, tanquam extrema inter se vnita. 3. Quatenus denotat diuinæ illius actionis terminum, id est, coniunctionem illam quâ humanitas manet coniuncta verbo Dei. Primo sensu vnio transitiuè accipitur pro vnione, quæ nihil aliud est, quàm actio transiens & momentanea, quâ Deus humanam naturam personæ verbi coniunxit arctissimè, adeoque humanitatem coniungendo produxit & producendo coniunxit. Quanquam autem si ordinem naturæ spectes videtur humanitas priùs producta fuisse in primaria existentia, quàm verbo vniretur, quia priùs est rem existere, quàm alteri rei à se toto distinctè genere coniungi, tamen si ordinem temporis consideres. Non est existimandum eam 1. ita productam, vt separatim à verbo existeret; tum deinde verbo coniunctam fuisse. Natura nostra, inquit Leo epist. 11. non sic assumpta est, vt priùs creata, pòst assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur, & serm. 8. de natura simul per Spiritum S. fœcundata Virginitas sine corruptionis vitio edidit, & sui generis sobolem, & suæ stirpis authorem. Et Bellarm. lib. 3. ἅμα σὰρξ· ἅμα θεοῦ λόγου σὰρξ, διὸ οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεοθέντα λέγομεν διὰ θεὸν ἀνεανθρωπιθέντα, simul caro fuit, & verbi Dei caro, quare non hominem Deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Sic August. siue Fulg. lib. de fide ad Petrum, cap. 18. firmissimè tene & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinite conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem verbi incarnatione conceptam. Denique Canon est Concilij 5. gener. Si quis dixerit priùs formatum corpus Christi in vtero Sanctæ Virginis & Dei vnitum ei verbum anathema sit.

Secundò vnionis nostræ intelligitur aliquando relatio exurgens ex vnione humanitatis & verbi, quæ relatio respectu quidem verbi, est relatio tantùm rationis, cùm verbum per illam vnionem, nec aliquid à natura humana verè acceperit, nec vllo modo in sese mutatum fuerit, sed ratione tantùm ad eam referatur, quatenus nimirum intelligitur esse terminus dependentiam naturæ humanæ personaliter terminans, verùm humanitatis respectu, ea relatio verè realis est, quatenus humanitas verè dependet à verbo tanquam hypostatico, seu termino.

Sed nos de vnione loquimur tertio sensu, quatenus designat vnionem, non in fieri, sed in facto esse, id est, permanentem illam coniunctionem verbi & humanitatis; eam autem 1. vnionem *personalem* siue substantialem diximus: Est enim triplex coniunctio rerum quæ inter se vniuntur, *essentialis* putà, *accidentalis* & *substantialis*, siue personalis. Essentialis est propriè earum rerum quæ Physicè concurrunt & vniuntur ad vnam tertiam naturam, siue essentiam constituendam, quando corpus & anima essentiali coniunctione vnitæ constituunt hominem. Huiusmodi

modi coniunctio hic fingenda non est: nec enim diuinitas & humanitas in Christo concurrunt eo modo quasi ex illis vnitis conficeretur aliqua tertia natura, quæ nec Deus sit, nec homo, vt antea docuimus Aduersus Eutychianos. Itaque cùm apud Greg. Nazianz. Orat. 51. & Damasc. lib. 3. c. 3. legimus hanc vnionem dici ὑποστατως siue κατ' οὐσίαν, non est nomine οὐσία intelligenda essentia, sed potius subsistentia, & cùm Petrus Diaconus lib. 3. de incarnatione, & gratia docet verbum non solùm substantialiter, sed etiam essentialiter carni vnitum fuisse, vel simpliciter rejicienda phrasis est, vel si debeat interpretatione moliri, ita intelligenda, vt dicatur vnio essentialis, non quasi ex duabus essentiis vna tertia conflata esset, sed quia citra vllam confusionem vtraque essentia, tum verbi, tum carnis in Christo formaliter remanserit. Accidentalis conjunctio vocatur propriè in iis rebus quæ per aliquod accidens inter se vniuntur, vt cùm duo ciues sociantur in eodem magistratu, vel duo amici iunguntur, eodem affectu: quando Nestorius docebat vnionem verbi & carnis esse tantùm propter gratiam, amorem, affectum, & dignitatis participationem. Nonnulli tamen hanc vnionem accidentariam vocari posse contendunt, quatenus latè improprieque sumpto vocabulo id omne accidentarium dici posset, quod non est de ratione interna & essentia alterius, siue quod aduenit alteri rei, quæ iam simpliciter actu perfecta completaque, qualis sine dubio est diuinitas respectu carnis, quam ad sese assumpsit. Superest igitur, vt dicamus hanc vnionem esse personalem & subsistantialem. Personalem quidem, non quasi sit coniunctio plurium personarum, sed quia ea coniunctio ita dispensata est, vt humanitas assumpta ascitaque fuerit in vnitatem personæ verbi. Substantialem autem tum quia eius extrema, nempe diuinitas & humanitas sunt verè substantiæ, tum quia duæ illæ naturæ in vno tertio substantiali conueniunt, nempe in persona verbi diuini siquidem persona, siue hypostasis & subsistentia est aliquid substantiale, siue substantialis terminus ad substantiæ Categoriam reductione pertinens. Ita Conc. Later. primò confitemur Christum ex duabus naturis substantialiter vnitis.

Deinde coniunctionem eam diximus esse duarum naturarum, neque tamen naturalem diximus. Naturalis enim coniunctio est, quæ vel solis naturæ viribus efficitur, vel ex aliqua naturæ necessitate citra vllam rationem libertatis, vel quæ ex pluribus coniunctis efficit vnam naturam. Atqui de hac vnione nihil eiusmodi dici posset. Non enim ea per aliquas naturæ vires, sed ex sola Dei persona dispensata est, neque necessitas vlla interna, sed mera Dei voluntas & beneplacitum hoc opus produxit, nec denique ex duabus naturis conflata est aliqua tertia natura. Ergo non propriè potest dici naturalis. Adeoque quod Cyrillus Anathem. 3. eam vocauit vnionem naturalem benignè interpretandum est, vt non tam ratio vnionis spectetur, quàm vnionis extrema considerentur, nempe naturalis dicitur, quatenus extrema vnita sunt duæ naturæ; quanquam non est hic silentio prætereundum coniunctionem hanc duplicitèr considerari, ita vt altera dicatur mediata, altera immediata. Ac im-

mediata quidem coniunctio est inter diuinam filij personam & humanitatem. Non enim natura diuina præcisè accepta naturam humanam assumpsit, sed persona filij humanitatem sibi copulauit. At verò quia persona filij habet in se naturam diuinam & verè Deus est. Præterea etiam dicimus naturam diuinam & humanam coniunctas fuisse coniunctione mediata, id est, mediante verbi persona.

Accedamvs iam ad conditiones siue proprietates illius vnionis, prout in Theoremate ponuntur. 1. ea vnio est omnium vnionum maxima, Vnionem excipe, quâ Sacrosanctæ Trinitatis personæ inter se vniuntur: cùm enim illæ vniantur: in essentia, vel per essentiam, quasi per medium, & vnaquæque persona idem sit reipsa cum essentia. Hîc autem natura humana vniatur cum diuina mediante verbo, non sit autem reipsa idem cum verbo; Consequitur vt dicamus hanc vnionem non esse tantùm, quanta est inter Trinitatis personas & reliquarum vnionum respectu maxima est: nam cùm vnio natura sua tendat ad vnitatem, ipsa certè eò maior censeri debet, quo compositum ex ea resultans est magis vnum: atqui compositum quod exurgit ex vnione personali magis vnum est, quàm quodlibet aliud compositum rebus distinctis. Nam, 1. magis vnum est, quàm quod componitur ex substantia & accidente, quod non est vnum, nisi per accidens, Cùm istud vnum sit per se. 2. Quàm totum ex partibus integrantibus constans quippe cuius partes non copulantur secundùm se totas, sed secundùm aliquem duntaxat extraneum terminum, cùm hic humanitas secundùm se totam cum toto verbo conjungatur. 3. Quàm compositum ex materia & forma; Quamuis enim maiorem inter se proportionem habeant materia & forma, quarum vtraque creata est & finita, quàm humanitas quæ creatura est cum diuinitate increata & infinita, tamen vbi nexum etiam vinculum vnionis consideramus, ea vnio maior existimanda est, quàm vinculum, quo extrema copulantur, habet simplicius & perfectius: atqui nihil perfectius persona verbi, qua mediante vniuntur naturæ in Christo.

Obiicies maiorem esse vnitatem essentiæ quàm personæ, vbi in vnitatum essentia est personarum pluralitas, atque ex materia & forma exurgit vnitas essentiæ. Ex diuinitate autem & humanitate tantùm vnitas personæ. E. Resp. si simplicem essentiam cum simplici persona conferas, vnitas essentiæ maior est, quam vnitas personæ, si comparationem instituas inter essentiam compositam ex rebus distinctis, & personam compositam ex natura & subsistentia, Dico maiorem esse vnitatem personæ quàm vnitatem essentiæ compositæ ex materia & forma, vt vel ex eo patet, quod illam Angeli possident, qui tamen cum ista multum habent commercium. 2. hæc vnio est omnium præstantissima, non tamen ratione termini ex illa vnione resultantis, qui Christus est ad cuius dignitatem atque præstantiam nulla creatura potest accedere, cùm ipse sit primogenitus omnis creaturæ, & caput Angelorum atque hominum, Coll. 1. 15. & 2. 10. Eph. 1. 20. Sed etiam respectu ipsius vnionis,

quæ

quæ Christi humanam naturam in longè sublimiori ordine collocauit quàm donum vllum naturale vel supernaturale creaturarum constituere possit. Certè nullum est creaturæ donum, quod faciat, vt creatura sit Deus: at vnio hypostatica efficit vt homo sit verè Deus, cùm per eam Verbum fuerit factum caro, Ioh.1.14. Deinde donorum omnium, quæ in creaturas conferri possunt, præstantissimum est visio beatifica, quippe quæ est gratiarum omnium consummatio & coronamentum, vnde etiam vocatur corona vitæ atque iustitiæ. Apoc.2.10.2.Tim.4.8. Et vnio tamen personalis est aliud hac visione longè præstantius. 1. quia per visionem beatificam tres quidem Deitatis personæ conjunguntur cum animabus beatis, verùm accidentaliter tantùm. Non autem substantialiter vnitur. 2. visio animabus tribuit beatitudinem tantùm: at vnio hypostatica Christi Carni, & beatitudinem, & subsistentiam tribuit. Subsistentiam quidem immediatè, atque proximè. Beatitudinem autem mediatè atque consequenter: Nam humanitas Christi ratione vnionis cum verbo, jus habet ad visionem beatificam certissimum & infallibile. 3. hæc vnio perpetua est & constantissima, cujus vinculum nullis creaturarum viribus solui, ac ne tantillum quidem laxari potest: nam vt habet vulgata Theologorum regula, quod Deus semel assumpsit, illud nunquam dimisit, Leo serm.17. de passione in tantam vnitatem conuenit natura Dei & hominis, vt nec supplicio dirimi poterit, nec morte disiungi; & certè cùm dicatur Deus gloriæ crucifixus fuisse 1. Cor.2.8. Et Deus Ecclesiam suam acquisiuisse suo sanguine, Act.20.28. Necessarium est vt concludamus etiam in ipsis mortis angoribus integram mansisse illam diuinitatis & humanitatis vnionem, ex qua fit, vt verè Dominus & Deus dictus sit ille qui moriebatur, nempe quamquam separabatur per mortem anima Christi ab eius corpore, tamen vtraque pars diuinitati conjuncta manebat. Quod autem inter mortiferos illos cruciatus querebatur Christus se derelictum à Patre, intelligendum est non de derelictione, quoad actum, sed quoad sensum, neque ad vnionis dissolutionem referendum, sed tantùm ad operis cessationem & temporariam protectionis negationem: fuit enim vt loquitur Bernard. quædam derelictio vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis demonstratio, adeóque sicut in morte Christi diuisa est anima à corpore non ἀποστατικῶς, sed ὀπτικῶς, nec ratione personæ, sed ratione loci. Sic in derelictione illa separata est diuinitas non ἀποστάσει, sed operatione ὑποχάσματος nimirum τοῦ λόγου quiescente verbo, vt ait Irenæus, & sequestrata parumper iuxta dictum Ambrosij delectatione diuinitatis æternæ.

QVARTO hæc vnio ex mera Dei charitate, & misericordia nullis intercedentibus vel humanitatis Christi, vel creaturæ cuiuscunque meritis dispensata est. Itaque cùm de hoc mysterio loquitur Scriptura Dei gratiam subinde inculcat, Luc.1.78. per viscera misericordiæ Dei nostri &c. Ioh.3.16. Deus ita dilexit, &c. 1.Ioh.5.4.9. In hoc innotuit charitas, &c. Sic Patres excludunt merita quæcunque. 1. in genere August. Euch.c.36. Vbi naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus

meritis ſine dubitatione gratuita niſi quia hic magna & ſola gratia euidèter oſtenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari a peccatis, per quam factum eſt, vt homo Chriſtus nullum poſſet habere peccatum & lib. 2. de prædeſtinatione ſanct. c. 15. ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, quia gratia homo eſt factus ab initio Chriſtus & ſerm. 8. de verbis Apoſt. hanc vnionem præceſſerant peccata potius quàm merita noſtra; ac ſi de hominibus quidem ſit mentio cum illis nulla ſuppetant ex ſeipſis nec ad gratiam nec ad gloriam merita ut alio loco demonſtrandum eſt, quando mereri potuerimus aliquid ex iis ut filius incarnaretur. 2. Excluduntur ſpecialiter peccata Beatæ Virginis. Hieron. lib. 10. contra Pelagium. Aduerte quod B. Virgo ſe beatam dicat non proprio merito, ſed Dei in ſe habitantis clementiâ Bernard. in ſerm. de natiuit. Mariæ, non pertendit meritum, ſed gratiam quærit. Denique eò vſque fidit gratiæ & non altum ſapit, vt ſalutationem Angelicam non vereatur. Noui Patres aliquoties de merito & dignitate B. Virginis loqui ſolent. Sic Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. tantæ puritatis Maria extitit, vt mereretur eſſe mater filij Dei & Ambr. lib. 2. de Virgine Maria, digna extitit, ex qua filius Dei naſceretur. Sed illi, nec nomine meriti aliud intellexerunt, quàm conſecutionem eius gratiæ, quâ facta eſt mater Dei, prout certum eſt mereri apud Patres infinitis locis idem eſſe atque obtinere, ſiue conſequi, etiam citra vllam rationem meriti propriè dicti, & cùm dignam vocarunt quæ mater filij Dei eſſet, non de dignitate humana loquuti ſunt, ſed de dignatione diuina, quatenus ſcilicet eam Deus præ reliquis mulieribus præſtantiſſima ea gratia dignatus eſt donare. 3. Excludunt ipſa merita diuinitatis Chriſti Aug. c. 36. Enchir. Quæ bona voluntas, cuius boni propoſiti ſtudium, quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo. Numquid antea fuit homo & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſinguläriter promereretur Deum, imò ex quo homo cœpit eſſe, non aliud eſſe cœpit, quàm Dei filius, atque id etiam certa ratione confirmatur: neceſſe enim eſt, vt meritum propriè dictum bonitatem, perfectionem & valorem ſuum accipiat aliunde, quàm ex ipſo præmio, vt cùm ad meriti rationem ſpectet, vt præmio compenſetur, atque omnes Chriſti actiones valorem ſuum & perfectionem habuerunt ex incarnatione, cùm ejus humanitas operata ſit nunquam, niſi ex vi vnionis cum verbo. Nulla eſt ergo humanitatis Chriſti operatio, per quam meruerit ſibi hanc vnionem.

CAPVT

CAPVT. VII.

De modo incarnationis, siue de assumptione naturæ humanæ.

MODVS incarnationis constituitur in ipsa humanæ naturæ assumptione, quâ caro in vnitatem personæ verbi accepta est & ascita. Vbi, 1. notandum, quanquam incarnationis, vnionis, & assumptionis vocabulis, sæpius apud Theologos idem significetur, si liberet tamen rem κοινολογεῖσθαι. Esse interea nonnihil discriminis. Nam incarnatio mysterium ipsum significat: vnio mysterij formam, assumptio mysterij modum. Incarnatio præcisè ac propriè denotet actionem illam transeuntem, quæ diuinitati humanitatem sociauit. Vnio terminum substantialem ex actione illa emergentem, id est, conjunctionem permanentem verbi & carnis, vnà cùm relatione inde resultante. Assumptio verò præter quam quod significat idem cum incarnatione nempe actionem illam vnitiuam includit etiam respectum principij terminantis, cùm ea voce designetur verbum sumpsisse ad se tanquam ad terminum naturam humanam. Porrò assumptionis voce vtuntur Theologi, tum quia rem satis explicat, cùm assumptio sit quasi ad se sumptio, tum quia Græcæ voci respondet probè, quam vsurpat Sacra Scriptura. Dicit enim Filium Dei formam serui λαβεῖν, Phil. 2. 7. & semen Abrahæ ἐπιλαβεῖσθαι, Heb. 2. 16. quod est si Latinè vertas, accipere, apprehendere, assumere. Quanquam in voce ἐπιλαμβάνεσθαι, vbi emphasim obseruant Chrysost. & Ambros. quippe quæ significet propriè manum injicere, aut fugientem apprehendere, vt reuoces & retineas, nimirum, inquit Ambros. filium Dei nos qui recedentes ab eo & longè fugientes apprehendit & in vnam personam naturæ fragilitatis naturam sibi contemperauit: vt enim qui fugientem apprehendit, manum in eum injicit, eumque retrahit, & ad se reuocat. Ita Christus vnione hypostatica humanitatem nostram quasi manu apprehendens ad sese adduxit sibique coniunxit, quo factum est, vt Chrysost. ex illa vocabuli significatione ansam acceperit, tum nostræ naturæ à Deo fugientis miseriam explicantis, tum Dei misericordiam in vnienda sibi ad summam dignitatem euehenda nostra natura, eleganter declarandum. De hac igitur assumptione esto.

THEORAMA *primum nec tota Trinitas, nec Pater aut Spiritus sanctus, sed sola filij persona naturam humanam assumere debuit.* Certum est totam Trinitatem in incarnationis mysterio fuisse operatam, prout vulgatum Theologiæ axioma. Opera Trinitatis ad extra esse indiuisa, & ad omnes Sacrosanctæ Triados ex æquo spectare. Itaque sicut Prou. 9. 1. dicitur æterna sapientia, qui Dei filius est, exædificasse sibi domum (quæ verba ad incarnationis arcanum haud absurdè referri possunt quanquam & aliò pertinere non negamus.) Ita dicitur Pater misisse filium

in mundum, 1.Iohan.4.9. Et Spiritus Sancti virtute Christus in vtero beatæ Virginis conceptus fuisse, Luc.1.35. Interea tamen non alia persona, quàm secunda incarnata est. Hoc Theologi vt explicent dicunt incarnationem esse totius Trinitatis, quoad efficientiam, sed solius filij quoad terminationem, & in vocabulo assumptionis notent duo includi atque significari, principium scilicet actionis, & actionis terminum. Ac prius quidem si spectemus, esse assumptionis principium naturæ diuinæ secundùm seipsam, cùm illius virtute facta fuerit assumptio. Si verò posterius consideremus, assumptionis terminum esse non conuenit naturæ diuinæ secundùm seipsam, sed ratione personæ. Atque ita & natura, & persona dici possunt assumpsisse humanitatem, sed diuerso modo, nempè persona primariò & per se. Natura verò nonnisi secundariò & per personam. Etenim natura diuina non potest per seipsam immediatè vniri humanitati coniunctione substantiali, quia cùm duæ naturæ secundùm se præcisè consideratæ inter se vniuntur, exurgit ex illa vnione quædam totalisque natura, quæ homo vocatur. Iam autem absurdum esset dicere ex diuinitate & humanitate conflari totalem quandam naturam, sicut antea docuimus adversus Eutychianos. Itaque cùm legimus apud veteres Athan. August. Fulgentium & Damasc. &c. formam Dei assumpsisse formam serui, naturaque semper genita manet ex Patre naturam nostram sine peccato suscepisse, vt nasceretur ex Virgine, naturam Dei incarnatam esse, &c. Interpretari debemus iuxta prædictam distinctionem quòd nempe diuinitas assumpserit humanitatem secundariò, non secundùm se ipsam, sed ratione personæ.

Deinde non Pater aut Spiritus Sanctus, sed solus Filius humanitatem assumpsit, non enim de Patre, aut Spiritu Sancto, sed de sola persona secunda dicitur verbum caro factum est. An autem Pater aut Spiritus Sanctus potuerint assumere naturam humanam otiosè quærunt Scholastici, cùm in hoc mysterio non absolutam personam, sed Dei voluntatem Scriptura Sacra nobis proponat. Haud abs re tamen dictum ab Anselmo lib.2. Cur Deus homo cap.9. plures personæ nequeunt vnum eundemque assumere hominem in vnitatem personæ, & ratio eius dicti non leuis videtur: 1. Quia natura humana adæquatè terminatur à persona filij, id est, omni modo quo terminabilis est, non minùs quàm humanitas, in vnoquoque homine terminatur adæquatè à propria personalitate id. Sicut humanitas non potest in nobis tractari à pluribus personalitatibus. Ita nec humanitas Iesu Christi à pluribus personis diuinis. 2. Quia quemadmodum Iesus Christus est vnus homo, qui assumptus est ab vna persona, & habet vnicam subsistentiam. Ita dici posset Iesum Christum esse tres homines, si humanitas assumeretur à tribus personis. Hoc autem sine absurditate dici non posse vident omnes.

Cur autem filius potius quam Pater, aut Spiritus Sanctus humanitatem assumpserit, variæ à Theologis rationes assignantur, 1. Decebat eum qui est sapientia increata per quam omnia facta sunt, fieri sapientiam

tiam creatam, vt per eam omnia repararentur. 2. Decebat eum qui medius est inter Patrem & Spiritum S. esse Mediatorem inter Deum & homines. 3. Oportuit eum qui Filius Dei naturalis est reducere homines ad filiationem adoptiuam. Siue eum qui filius est natura, nos faceret filios adoptionis. 4. Filium Dei fieri hominem decuit, vt homo posset fieri Filius Dei. 5. Homo, qui ad imaginem Dei factus est, & non potuit melius reparari, quàm per eum, qui est imago inuisibilis. Non fuit autem conueniens vt Pater incarnaretur, 1. Quia non debuit, qui Pater est in diuinitate filius fieri in humanitate ex Virgine nascendo. 2. Qui incarnatur, mittitur : at Pater mitti non potuit: Quomodo enim mitteretur ab alio, qui ab alio non est. Ita enim haberet principium qui principio caret. 3. Quia persona incarnata debuit supplicare apud Deum. Atqui non erat conueniens vt Pater supplicaret apud Filium & Spiritum Sanctum, qui ab ipso sunt. Sic neque conueniebat Spiritum Sanctum vniri carni, quia tunc duo fuissent filij nempe secunda persona per æternam generationem, & tertia per temporariam incarnationem. Deinde debuit Mediator Spiritum S. mittere ad discipulos suos, Ioh. 16. 7. Atqui fieri non posset, vt Spiritus Sanctus mitteretur à seipso. Itaque concluditur non alterius esse quam filij assumere humanitatem.

Hæc assumptio humanitatis in vnitatem personæ Verbi est opus verè diuinum, adeóque res ita mirabilis, vt non ab alio quàm à Deo effici potuerit. Vnde & incarnationem Patres vocant cardinem & verticem miraculorum omnium, quæ vnquam facta sunt, aut fieri possunt. Itaque quidquid nonnulli garriunt à persona creata aliam posse naturam in vnitatem personæ assumi. Quidquid olim Origenes & alij nonnulli docuerint Malachiam, Aggæum & Iohan. Baptistam Angelos in Scripturis vocari, quod Angeli naturas eorum sibi hypostaticè coniunxissent (cùm tamen certum sit Angelos dici propter officium ad quod à Deo vocabantur) dubitari non debet vnius Dei esse alienam naturam assumere personaliter, vt cognouit etiam Thomas part. 3. quæstione 3. art. 1. dum ait, proprium esse diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum secundùm subsistentiam. Et certè qui aliter docent, præterquam quod incarnationis mysterium valdè extenuant, dum docent à persona creata fieri posse id quod factum est à persona increata, etiam ratione satis euidenti confutantur: nam persona, quæ & aliam naturam terminare potest, debet eius perfectionem in sese eminenter continere. Atqui solus Deus Opt. M. naturæ alienæ perfectiones eminenter continere potest. Deinde quòd est adæquatus tractatus naturæ suæ, non potest vlteriùs extendi ad terminandam naturam alienam. Atqui creata personalitas est adæquatus tractatus naturæ suæ. Ergo non potest alienam naturam tractare.

Vt autem assumens non alius est quàm Dei Filius, ita natura assumpta non alia est quàm humana. Noui quonàm vsque plerorumque audacia proruperit vt nimirum doceant assumi potuisse à Deo, non tantùm na-

turam rationalem, sed & irrationalem. Vnde apud Occamum in Centilegio loquitur. Sicut hæc propositio vera est, Deus est homo. Ita has esse possibiles, Deus est Asinus, Deus est lapis, quia naturam Asini, aut lapidis potuerit assumere. Imò quòd nemo Christianus absque horrore audire sustineat. Gabriel Biel in 3. Sentent. distinct. 1. & sect. 2. artic. 1. eò vsque processit, vt diceret (o blasphemiam intolerandam) has propositiones esse possibiles Deus est homo damnatur, Deus est Diabolus, qua de re cùm ageret Greg. de Valent. Tom. 4. disput. 4. puncto 1. negare non potuit hæc verba parum esse verecunda, nec tantùm malè sonare aurésque offendere, verùm etiam esse simpliciter falsa. Si enim, inquit, diuina persona naturam hominis damnati & Diaboli corruptis earum personalitatibus assumeret, desumeret omnino in eis esse omnis culpæ peruersitas, cùm repugnet prorsus naturam hypostaticè vnitam diuinæ personæ, aut peccatum admittere, aut peccato inquinatam esse. Nos ita habeamus, sicut ex Scriptura apparet, non aliam naturam, quàm humanam assumptam esse, Iohan. 1. 14. Ita nec aliam assumi vel debuisse, vel potuisse: assumitur enim natura, quæ 1. potest reparari per gratiam. 2. Quæ potest eleuari ad gloriam: extra enim istas causas assumptio frustrà fieret. Atqui in Angelis deest prima ratio: nam si bonos consideres, illi reparatione non egent, cùm nunquam peccauerint. Si malos spectes, illi reparari non possunt, quippe qui in malitia sua sint obfirmatissimi, & irreconciliabili aduersus Deum odio flagrent. In creaturis autem irrationalibus deest vtraque conditio. Nam neque reparari debuerunt, neque possunt ad beatitudinis & gloriæ fruitionem extolli, quia cognitione & amore Dei destituuntur, in quibus beatitudo consistit.

Secvndvm theorema *Filius Dei, quem verum hominem esse oportuit, assumpsit ex stirpe Adæ naturam singularem, & partes omnes, quæ pertinent ad naturæ humanæ veritatem.* Redemptorem oportuit, tum Deum esse, tum hominem. Deum quidem variis de causis: 1. Quia qui homines ex potestate diaboli liberaturus erat, eum oportebat diabolo fortiorem esse. Atque Redemptor in hunc finem venit, vt contereret caput serpentis, Gen. 3. 15. & diabolum ejusque opera destrueret, Heb. 2. 14. 1. Ioh. 3. 8. Oportuit igitur esse potentiorem diabolo. Iam autem ea est naturæ Angelicæ conditio, vt inter creaturas non habeat, vel se fortiorem, vel etiam parem, quo fit ut in Scriptura diaboli vocentur potestates principatus, & κοσμοκράτορες, Eph. 2. ℣. 2. & 6. 12. Diuinitas vna est quæ potestates Angelicas superat infinitiuè. Debuit igitur Redemptor verè Deus esse. 2. Quia redemptoris erat eadem homini aut etiam majora dona restituere, quàm quæ Deus in primo Adamo concesserat, quæque Adami rebellione amissa fuerunt, qualis fuit in primis imago Dei, quæ in justitia & vera sanctitate consistit, Ephes. 4. 24. Col. 3. 10. At nemo sanè potest tanta beneficia restituere, præter eum, qui ea primitus in hominem contulerat, nempe vnus Deus. 3. Quia cùm peccatum nostrum infinitum sit, quatenus cum, qui infinitus est, offendit, & ab eo infinitè recedit. Iam

Redem-

Redemptorem oportuit pœnam infinitam ferre, infinitumque pretium & meritum Deo pro nostra à peccatis redemptione offerre: at quis hoc potuit, quàm qui verus Deus est. 4. Qui alios saluaturus venerat, eum oportebat non tantùm à peccatis immunem esse, sed etiam verum esse fontem sanctitatis, salutis, & vitæ, vt ex illius plenitudine hauriamus gratiam pro gratia, Ioh.1.16. Atqui fons vitæ & salutis non alibi reperitur, quàm in Deo, Ps.36.10. 5. Quia sicut Diabolus suis non alienis viribus homines superauerat, & in horridam miseriarum abyssum detruserat; Ita Redemptorem par fuit propriis non alienis aut ascititiis viribus fretum, hominem de inimici manibus eripere, & opus salutis implere. Oportuit igitur esse Deum vnde & Christus dicitur habere vitam in se ipso, Ioh.5.26. & 5.57. & 11.25. Vno verbo Redemptor Deus esse debuit, quòd ita exigeret, & magnitudo mali quo premebamur, à quo præter Deum nemo nos liberare potuit, & magnitudo boni, quo destituebamur, quod nemo præter Deum conferre nobis potuit. Sed & hominem oportuit eum esse, qui nos redempturus erat, adeóque vt theorema loquitur humanam naturam ex stirpe Adami assumere. 1. Quia Iustitia Dei id requirebat, vt quemadmodum ab humana natura Deus offensus fuerat, ita & in humana natura placaretur, atque hoc significat Apostolus, Heb.2.16. dum ait Christum non assumpsisse Angelos, sed semen Abrahæ, & per omnia fratribus similem factum vt misericors esset & fidus Pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent ad expiandum peccatum populi. 2. Quia à Christo oportuit nos donatione Spiritu Sancti sanctificari. At qui sanctificat & qui sanctificantur idem sunt, id est ejusdem naturæ participes, Heb.2.11. Sic & caput atque membra eandem naturam habere conuenit. Esse autem Christum caput corporis sui, id est Ecclesiæ ex hominibus constitutæ Scriptura passim docet. 3. Quia inter Deum & homines Mediator futurus erat, eum oportebat esse participem tum diuinæ, tum humanæ naturæ, vt haberet quod esset simile Deo, apud quem intercessurus erat, & simile hominibus pro quibus intercessurus erat. Vnde & Mediatorem Apostolus hominem vocat, 1.Tim.2.5. 4. Quia debuit redemptor perfectissimam Deo in omnibus diuinæ legis partibus obedientiam præstare, vnde etiam dicit, non vt legem destrueret, sed magis vt legem impleret se venisse, Matth.5.17. Oportuit ergo cum legi subijci, Galat.4.4. adeóque hominem esse, cùm lex hominibus data fuerit. 5. Quia redemptorem oportebat pœnas eas perpeti, quæ peccatis nostris debebantur, adeóque mortem subire ignominiosissimam & durissimam, Phil.2.8. vt ex ea victor eluctaretur, & *victor* resurgeret, noséque vi resurrectionis suæ è morte ad vitam reuocaret, Rom.4.25. Mori autem non potuit, nisi homo esset, nec resurgere nisi mortuus esset. Concludamus igitur cum August. serm.33.de temp. tali auxilio & natura nostra indigebat & causa vt repararetur genus humanum, nec sine maiestate posset humilitas, nec sine humilitate majestati.

Quam naturam Christus assumpsit eam diximus ex Adami stirpe

assumptam fuisse; nam & propterea eius Genealogia vsque ad Adamum deducitur, Luc.3.& rectè dictum est ab Anselmo libro.Cur Deus homo c.8.Si Deus nouum hominem non fecisset ex Adæ genere,non pertineret ad genus humanum quod natum est ex Adam, quare non deberet satisfacere pro eo qui non esset de illo. Sicut enim rectum est vt pro culpa hominis homo satisfaciat; ita necesse est vt satisfaciens idem sit, qui peccator,aut eiusdem generis.Aliter enim nec Adam,nec genus eius satisfaciet pro se. Hinc est quod Aug. ita concludit, lib.13. de Trinit.cap.18. Poterat vtique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset Mediator Dei & hominum, non de genere illius Adæ, qui peccato suo genus hominum obligauit, sicut ipsum quem 1. creauit non de genere creauit, alicujus poterat ergo, vel sic, vel alio quo vellet modo creare vnum alium hominem de quo vinceretur victor prioris, sed melius iudicauit, vt de ipso, quod victum fuerat, genere, assumeret hominem Deus, per quem Deus generis humani vinceret inimicum.

Naturam igitur humanam assumpsit non abstractam ab omnibus indiuiduis, & secundùm esse illud quod habet in mente (hæc enim vt inquit Damasc. non assumptio esset, sed fictio) non etiam in omnibus indiuiduis generis humani (quanquam enim totam humanitatem ratione essentiæ, non tamen totam ratione massæ) sed naturam singularem & à qualibet alterius hominis natura numericè distinctam. Etenim primò natura humana in Christo debuit esse sensibilis iuxta illud, vidimus gloriam eius, Ioh.1.14. Quod vidimus & audiuimus, & quod manus nostræ palparunt, 1.Ioh.1.1. Atqui non vniuersalis natura, sed singularis esset sensibilis. 2. Actiones & passiones sunt singularium. Debuit ergo Christi natura multa pro nobis agere & pati ergo debuit assumere naturam singularem. 3. Assumptio tractari debuit ad personam, & humanitas assumi in vnitatem personæ diuinæ. Atqui contra rationem formæ communis & vniuersalis est, vt sit in persona quia quatenus existit in persona indiuiduatur,adeoque non vniuersalis,sed singularis est.Vltimò docet theorema Christum assumpsisse partes omnes quæ pertinent ad naturæ humanæ veritatem:partes enim aliæ ad essentiam humanitatis pertinent, vt corpus & anima, aliæ ad eius integritatem, vel conseruationem, vt sanguis & alij tres humores. Igitur Spiritus vitales & sensitiui, aliæ ad ornamentum & complementum, vt dentes, capilli, vngues. Christum igitur diximus non tantùm partes essentiales assumpsisse, corpus nempe, & animam, cum eius proprietatibus & facultatibus, sed etiam eas, quæ ad veritatem naturæ pertinent, id est quæ ipsius integritatem, vel ornamentum spectant, quanquam enim primariò ac directa velut intentione corpus & animam assumpserit, secundariò tamen & per naturalem quandam sequelam, assumpsit, etiam reliqua, putà sanguinem,humores, & Spiritus: factus est enim Christus particeps carnis & sanguinis, Heb.2.14. Et Conc. Ephes.I. Epist. ad Nestor. docet, verbum factum esse hominem assumptione carnis & sanguinis, & verò ratio docet ea debuisse suscipi, quæ suapte natura sunt propter

conser-

conseruationem naturæ humanæ, & sine quibus natura hæc nostra subsistere ac operari nequit, quales sunt sine dubio, sanguis, humores, spiritus. Vngues, capillos, dentes quod attinet cùm ita ad ornatum corporis pertineant, & consentiant Theologi eos etiam in beatorum corporibus post resurrectionem fore ex Aug. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. Et Ench. 88. cap. Nulla videtur esse ratio, cur eos negemus à Christo assumptos fuisse, præsertim cùm ex Euangelio satis pateat Christum comedisse cum discipulis, ad quod necessaria est dentium opera, & in declaranda Christi pulchritudine Scriptura capillorum meminerit, Cant. 5. 11.

Obiicitvr, 1. Quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit: atqui Christus sanguinem suum dimisit, cùm ipsum pro nobis effudit in cruce, ergo non assumpserat. Resp. 1. Axioma illud intelligendum esse de iis quæ primariò assumpta sunt, siue quæ pertinent ad essentiam humanitatis, vt corpus & anima; non autem de iis, quæ secundariò sunt assumpta, neque humanitatis essentiam constituunt, qualis est sanguis. 2. Neque absurda videtur eorum sententia, qui effusum sanguinem volunt mansisse vnitum diuinitati, & à Christo in resurrectione receptum fuisse, suisque naturalibus vasis iterum inclusum.

Obiicitvr, 2. Si Christus hypostaticè assumpsit sanguinem, possemus dicere Deus est sanguis, vt dicimus Deus est homo, & Verbum est caro propter assumptionem humanitatis & carnis. Resp. Verbum in concreto non denominari à natura assumpta, nisi quando ea est planè totalis & ab alia totali non dependens: atqui sanguis non significat naturam totalem, qualem significat vocabulum homo, & vocabulum caro, ex vsu Scripturæ. Ergo nihil mirum si rectè dicatur Deus est homo, nec rectè tamen dicatur Deus est sanguis.

Obiicitvr, 3. Si Spiritus vitales, capilli, vngues, &c. assumpti sunt. Ergo quotidie facta est noua vnio, facta est noua vnio ad verbum, & noua separatio à verbo, quia quotidie crescebant capilli, resoluebantur & restaurabantur Spiritus vitales. Resp. hoc nihil esse absurdi: nam qui fatemur carnem assumptam fuisse in vnionem hypostaticam, non negamus in Christi nutritione factam fuisse quotidie resolutionem & reparationem in carne per alimenta, quibus Christus ad nutriendum corpus vtebatur.

Theorema 3. *Christus vnà cum humanitate defectus etiam naturales culpa carentes & generi humano communes voluit assumere.* Hoc ante omnia Christianis omnibus certum est Christum fuisse à peccato, & culpa qualibet immunem: nam qui alios à carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne etiam ipse damnatu quodam carnis istius vinceretur, & quomodo lubricum peccati timere poterat, qui peccatum remissurus aduenerat, inquit Ambros. lib. de incarnationis Dominicæ sacram. c. 7. Et vero illud est quod tota Scriptura clamat, Es. 53. 9. Ioh. 8. 46. 2. Cor. 5. 21. Heb. 4. 15. & 7. 25. 1. Petri 2. 22. 1. Ioh. 3. 5. &c. Peccatum cùm Scriptura ab humanitate Christi abjudicat, peccatum intelligit

quodcunque originale, habituale, actuale fomitem peccati. Et denique quidquid habet veram peccati rationem, Athan. lib. de incarn. verb. Nam vt ait Aug. lib. 2. de mero & remed. peccati cap. 11. Non solùm in diuinitate Christi, sed nec in eius natura, nec in carne vllum potuit esse peccatum. Hoc per singula peccatorum genera vadenti patebit primùm nullum habuit originale peccatum iuxta illud Angeli ad Beatam Virginem, quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei, Luc. 1. 35. Vbi Greg. Mag. in Cat. ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus singulariter Sanctus nasciturus asseritur nos, quippe etsi sancti efficimur non tamen enascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis cogitatione constringimur. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ex coniunctione carnalis copulæ conceptus non est, neque verò alij peccato originali infecti sunt, quam qui per generationis carnalis viam, siue per seminalem generationem ex Adamo descendunt. Atqui Christus quanquam ex semine, id est, stirpe siue progenie Dauidis, adeoque Adami factus fuerit secundùm carnem, Rom. 1. 3. non tantùm per seminalem generationem, sed per miraculosam Spiritus sancti obumbrationem natus est. 2. Nullum in Christo fuit actuale peccatum. Non eum fecit peccatum, inquit Petrus 1. 2. ℣. 22. Et quis de vobis arguet me de peccato, inquit Christus, Iohan. 8. 46. Vbi Origen. in Caten. th. habet hoc verbum Christi magnam fiduciam, cùm nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit, nisi solus Dominus noster, qui peccatum non fecit. Quod autem obijcitur ex Psalm. 22. 2. Vbi Christus ita introducitur loquens, vt videatur peccatorem se fateri, Deus mi, quare me dereliquisti longè à salute mea verba delictorum meorum? non habet fundamentum, quam in praua versione, cùm in Hebr. verbum nullum compareat, quo delictum significetur, sed tantùm vox שאגה quæ rugitum significat, vt Esa. 5. 29. & Zach. 3. 11. ex שאג non autem à שגה, errare. Vertendum igitur fuit, Verba rugitus mei, non verba delictorum meorum. Atqui ita non est quod confugiamus ad subtilem eorum explicationem, qui Christum volunt peccata sua sibi vocare, non quæ commiserit, sed pro quibus Mediatorem & vadem se constituerit, vel quæ sibi transcribens & imputare voluerit. Ita etiam quod obijcitur ex 1. Petr. 4. 1. Christo passo in carne & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne desiit à peccatis. Nihil veritati præiudicat, cùm hæc postrema verba, qui passus est in carne desiit à peccatis, non de Christo sunt intelligenda, sed de fidelibus & piis, qui cùm exemplo Christi patiuntur in carne desinant à peccando, id est, ita mortificant veterem hominem, vt in iis peccatum non amplius dominetur, aut vigeat. Subtilior enim meo quidem iudicio, quàm verior est eorum interpretatio qui hæc verba de Christo ita intelligunt, vt dicant eum desiisse à peccatis, non formaliter, sed efficienter, nec sanctificatione intransitiua, sed transitiua, i. non quasi ipse peccare non desierit, quia nunquam cœpit, sed quòd faciat alios nempe membra sua desinere à peccatis, eo nimirum sensu quo dicitur spiritus interpellare pro nobis, quia facit nos interpellare Deum gemi-

tibus.

tibus inenarrabilibus, Rom.8.25. 3. Nullum fuit in Christo nec esse potuit peccatum habituale. Cùm enim contrariæ formæ in vno eodem subjecto eodem tempore subsistere nequeant. Christi autem humanitas ab instanti conceptionis fuerit iustitiæ atque sanctitatis habitu donata, Luc.1.35. Vnde etiam Christus absolutè sanctus, id est, iustus dicitur, Actor.3.14. Consequitur nullum in Christo etiam potuisse peccati habitum. Itaque abominanda est blasphemiæque plena sententia quorundam Scholasticorum, Scoti nominatim ac Durandi, qui docent Christum simpliciter loquendo potuisse peccare, quod ita nonnullis aliis, atque inter eos Capreolo displicuit, vt sic opinantes non argumentis, sed flammis esse coercendos dixerit, referente Greg. de Valent. tom.4. disp. 1. quæst.15. punct.2. Nobis certum est Christum ex ipsa ratione vnionis hypostaticæ fuisse ἀναμάρτητον & impeccabilem. Quomodo etiam vocatur in VI. Synodo, Act.8. & à Chrysost. in Es.7. Et Damasc. lib.3. cap.19. & 20. Et verò quomodo fieri posset vt persona diuina humanitatem sibi substantialiter vnitam ita desereret, vt ab ea gubernanda & dirigenda abstineret. Vt autem semper direxit & gubernauit. Ita in illa directione & regimine nullomodo deficere potuit; Ergo nec natura directa potuit vllomodo peccare quod si humanitas peccauisset, quis non videt potuisse peccatum illud imputari personæ diuinæ: cùm enim actiones sunt suppositorum; vnicum autem in Christo sit suppositum, nempe diuinum; certè actio peccandi meritò illi adscriberetur.

Obiicitvr mors non minùs opponitur diuinæ vitæ, quàm peccatum diuinæ bonitati & perfectioni: atqui diuina vita non impedit quò minùs dicamus Deum esse mortuum. Ergo nec bonitas diuina impedit, quò minùs certè dicamus verbum peccare posse in assumpta natura. Resp. Latum esse discrimen inter mortem & peccatum: mors enim non est aliquid, quod sit simpliciter contra rectam rationem, quodque habeat turpitudinem sibi essentialiter adjunctam: Deinde quod non possit esse aliquomodo licitum & honestum. Peccatum verò est contra rationem & contra legem æternam, est culpa, atque culpabile, nec vlla ratione fieri licitum potest. Ergo non sequitur si mors Deo attribui possit per communicationem idiomatum, etiam peccatum ei adscribi posse.

Qvartò nullus fuit in Christo peccati fomes. Fomitem peccati vocant qualitatem illam ἄτακτον & inordinatam appetitus sensitiui, quâ inclinatur & disponitur appetitus ad oblata sensibilia, turpia, & rectè rationi contraria. Eiusmodi fomes nec in actu primo, nec in actu secundo putandus est in Christo fuisse. Non quidem actu secundo, quia fomes hoc sensu nihil aliud est, quàm actualis rebellio membrorum contra rectam rationem. Atqui nulla fuit in Christo eiusmodi rebellio membrorum, quippe quæ sit peccati originalis effectum. Quod nullam in Christo fuisse diximus. Itaque August. lib.1. contra duas Epist. Pelagij docet proprium fuisse in Christo non sentire repugnantiam carnis & concupiscentiæ. Et Leo Epist.11. Christus, inquit, nihil habebat carni suæ

aduersum, nec discordia desideriorum gignebat discordiam voluntatum, nec tenebatur illecebris. Sed neque fomitem in actu primo, id est, nullam habuit inclinationem appetitus sensitiui, quæ possit exire in actum rationi contrarium, aut Christum ad peccandum allicere. Eiusmodi enim inclinatio præterquam quòd turpis est, & indecora, adeoque peccatum inde propterea exclamat Apostolus, Rom. 7. 24. etiam vtilitatem nullam habuit ad redemptionem, propter quam homo Christus factus est. Fuit igitur in Christo appetitus sensitiuus, sed ita vt non potuerit inordinatè moueri. 1. Quia verbum dirigebat perfectè hominem. 2. Quia ratio perpetuò vigilabat in Christo. 3. Quia Christi voluntas potentiis corporis & naturæ perfectè imperabat.

VT autem certum est fuisse Christum à quæcunque peccati contagione penitus immunem. Ita non est dubium, quin defectibus quibusdam nostris fuerit obnoxius, cùm dicat Scriptura eum factum nobis similem per omnia, Hebr. 2. Et tentatum sicut nos in omnibus excepto peccato, Hebr. 4. 15. Quis autem nescit, etiam citra peccatum plurimos nobis inesse defectus. Eos igitur & quales, & quomodo Christus susceperit theoremate declaratur. Nam 1. non quoscunque, sed naturales tantùm suscepisse defectus dicimus. Naturale autem dicitur, vel quod inest ex principiis naturæ ipsius primitus institutæ, vel quod inhæret ac trahitur ex natura destitutæ. Similiter defectus, alij sunt negatiui, alij priuatiui. Negatiui, qui perfectionem excludunt quæ per naturam inesse non debuit. Priuatiui, qui perfectione priuant, per naturam inesse debita. Priores defectus in natura primitus creata fuisse non est dubitandum. Neque enim Adam habuit omnes perfectiones creatas, sed eas tantùm, quæ ipsius naturæ debebantur. Ergo & in Christi humanitate fuerunt eiusmodi defectus, quatenus peccatum includunt. Quemadmodum nullos habuit Adamus in statu innocentiæ, ita nullos etiam humanitas Christi, quippe quæ opus Redemptionis impediissent magis quàm promouissent: sed enim cùm naturam consideramus, vt destitutam, & ab illo perfectionis gradu deturbatam, quæ in creatione sua obtinuerat, naturale illud esse ipsi dicimus, quod non tantùm interna & essentialia principia, vel constituitur, vel consequitur, sed etiam quod à natiuitate inest, vel per totam vitam hominem comitatur. De defectibus naturalibus eo sensu quando loquimur, non est absolutè dicendum assumptos fuisse à Christo defectus omnes nostros naturales, sed eos tantùm qui culpa carent. Nam vt etiam Damasc. innuit lib. 3. cap. 20. Defectus sunt duplices, alij ἀδιάβλητοι, innocui, inculpabiles, simpliciter miserabiles, alij διάβλητοι, detestabiles, damnabiles. Posteriores absit vt Christo tribuamus in quem diximus peccatum nullum cadere potuisse. Sed priores non sunt simpliciter ab eo abjudicandi.

DEFECTVS enim simpliciter miserabiles in duplici sunt ordine: Alij communes sunt toti generi humano, & in hominum naturam post primum peccatum ita exundarunt, vt nemo sit ab iis omnino liber, eo sensu reponenda sunt fames, sitis, defatigatio, somnus, vigilia, corporis morta-

mortalitas,&c. quæ pœnalitatum nomine apud Scholasticos veniunt,& à quibus nullus est, qui eximatur. Hoc etiam collocandi sunt numero appetitus sensitiui dolor,tristitia,pauor,admiratio,ira,&c. Atque eiusmodi defectus à Christo assumptos, fuisse Scriptura docet, flevit enim esuriuit, sitiuit, defatigatus est ex itinere, &c. Itaque subjectus fuit Christus passionibus, corporalibus, & animalibus, id est, affectionibus, tum corporis, tum appetitus sensitiui, sed ita tamen vt illæ longè aliter fuerint in Christo,quàm in nobis. Discrimen notari potest quadruplex. 1. Ex parte principij, quia passiones nostræ sæpissimè rationem præueniunt, & in nos incurrunt priusquam velimus. At in Christo deliberatam semper rationem secutæ sunt, & sicut habuit partem ponendi animam & resumendi quando voluit, Iohan.10.18. Ita & passiones illas pro arbitrio consilioque suo assumpsit,doluit, quia voluit. Et vt inquit August.lib.14. de Ciuit. Dei, cap.9. Passiones eas adhibuit vbi eas adhibendas esse iudicauit. 2. Ex parte oblati nam cùm in nobis eiusmodi passiones ad illicita plerumque ferantur, & cum recta ratione pugnent è diametro in Christo contra rectæ rationi semper fuerunt consentaneæ,nec aliquid illicitum vel leuissimè attentarunt. Itaque semper iuxta iustitiæ limites sese cohibuerunt. 3. Ex parte modi : nam passiones illas nos homines non assumimus modò, sed contrahimus. Contrahi autem illud dicitur quod simul cum causa sua ex necessitate attrahitur. Causa porrò passionum defectuum,mortis,non est alia,quàm peccatum, Rom.5.12. Itaque nos defectus contrahimus ex peccato per modum pœnæ. Christus autem non contraxit,sed assumpsit eas sine peccato per modum medij ad perficiendam redemptionem nostram. 4. Ex parte effectus: in nobis enim sæpius fit, vt passiones præcipitem agant, rapiantque rationem, ita vt ea opprimatur & impediatur, quò minus propriis & necessariis operationibus sese applicet. At in Christo non ita fuisse putandum est. Motus enim sensitiui appetitus tales in ipso erant, vt nullomodo à suis consiliis, & actionibus sibi conuenientibus per eos ratio prohiberetur. Vnde factum,vt Theologi quæ in nobis πάθη, siue passiones vocant, eas doceant potius in Christo προπαθείαι, siue propassiones dicendas esse, iuxta illud Hieron. in Matth.26.38. Dominus noster, vt veritatem hominis assumpti probaret, verè quidem contristatus est, sed ne passio in animo dominaretur, propassionem dicimus, quòd cœpit contristari & molestus esse; passiones enim eas vocant, quæ vel rationi dominantur, vel etiam nonnihil turbant, & aliquem voluntatis consensum extorquent, quod in Christo sine dubio locum habere non potuit. Propassiones autem, quæ hominem quidem mouent & aliquem doloris aut delectationis sensum afferunt. Animam de quiete sua non turbant, nec voluntatem abripiunt, nec in rationem vllum exercent imperium. Eiusmodi passiones in Christo agnoscit Scriptura eos porrò defectus communes Christus assumpsit. 1. Vt pro nobis, patiendo diuinæ iustitiæ satisfaceret & peccata nostra tolleret, Rom.4.25. 2. Vt ostenderet se non simulatam aliquam & imagina-

ria humanitatem perferre, sed verè hominem esse nobis per omnia similem, Hebr.2.17. & 4.15. 3. Vt nos exemplo suo ad patientiam animaret, 1.Petri 2.21.

Cæterum præter communes illos, vniuersales defectus sunt etiam in nobis alij, quos proprios, peculiares & personales vocare possumus, quia non omnes omnino homines, sed aliquos tamen impetunt & infestant, tales sunt varij morbi, Epilepsia, lepra, pleuritis, febris, &c. Tales organorum sensibilium indispositiones, cæcitas, surditas, loquendi impotentia; tales membrorum distorsiones, gybbositas, deformitas; huiusmodi defectus Christus se subjectum minimè voluit, quia illi non totam naturam peccato lapsam consequuntur, cui reparandæ Christus in mundum venit, sed particulares causas habent, quæ in Christum competere non potuerunt; Accidunt enim illi defectus, vel ex imbecillitate virtutis formatiuæ, vel ex humorum intemperie, vel ex vitæ intemperantia. At Christus & vita, & humoribus temperatissimus fuit, & virtus eius formatiua, cùm fuerit à Spiritu Sancto deficere nequaquam potuit.

CAPVT VIII.

De partibus & effectis Incarnationis vbi nominatim de conceptione Christi & communicatione idiomatum.

Postquam incarnationis causas & modos explicuimus: consequens est vt ad eius partes accedamus, quas vulgò duas ponunt Theologi, conceptionem, scilicet & natiuitatem Christi, quanquam, si res ad rigidum examen reuocetur, non videatur pro parte incarnationis habenda natiuitas, cùm incarnatio ante natiuitatem numeris suis omnibus perfecta fuerit & absoluta. Verùm hic non ita necesse est ἀκριβολογίαν. Ergo latiùs & laxiùs accipiatur partis nomen, vt eò non tantùm veniat, quod pertinet ad integram rei constitutionem, sed quam etiam ad complementum eius externum, siue manifestationem spectat. Certè cùm per natiuitatem Deus in carne conspicuus factus fuerit, 1.Tim.3.16. Haud absonum erit, si natiuitatem dicamus incarnationis partem. Cæterùm nos sequitur tractatu de natiuitate latiùs dicturi hoc cap. conceptionem tantùm Christi exponemus.

Conceptionis, siue συλλήψεως nomine Scriptura vtitur, Luc.1.31. eodem sensu γενέσεως, genitiuæ, siue natiuitatis vocem Matthæus vsurpat, Matth.1.20. Non quod non aliud sit concipi, quàm nasci, cùm conceptio natiuitatem pluribus mensibus præcesserit sed quia natiuitatis vox ambigua est, quam vt explicent Theologi duplicem faciunt, aliam enim dicunt esse natiuitatem in vtero: aliam ex vtero, ac natiuitas quidem in vtero idem facit cum conceptione, eoque sensu de natiuitate

uitate Christi loquitur Scriptura, Matth.1.20. Sed natiuitas ex vtero conceptionem longo interuallo sequitur, atque hæc est natiuitas, de qua sermo est Matth.2.1. Et in symbolo Apostolico; vbi, 2. Distincti ponuntur articuli. Prior de Conceptione, posterior de natiuitate Christi. Per conceptionem igitur inuisibiliter formatus est Christus in visceribus beatæ Virginis; per Natiuitatem visibiliter in mundo comparuit; per conceptionem vnita est humanitas Verbo; per natiuitatem verbum humanitati, tanquam instrumento sibi conjuncto vti cœpit de conceptione esto.

THEOREMA 1. *Humana Christi natura non hominis operatione, sed Spiritus sancti obumbratione concepta est.* Conceptionem duplicem faciunt Scholastici *Seminis & hominis.* Conceptio seminis est mixtio seminum in loco generationis apto ante alterationem facta: conceptio vero hominis est cùm in materiam iam aliquatenus dispositam anima rationalis infunditur, atque ita fœtus animatur. Christi conceptio cum priore specie commune nihil habet. 1. Quia species illa viri operationem supponit. At hic nulla viri actio interuenit, cùm ita conceptus fuerit Christus, vt sua Beatæ Mariæ manserit integra & illibata Virginitas. Leo serm.2.de natura Domini, origo dissimilis, sed natura consimilis humano vsu & consuetudine quod credimus, caret, sed diuina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo peperit, Virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est vt volebat & poterat. Si veritatem quæris, humanæ naturæ cognosce materiam, si rationem scrutaris originis, virtutem confitere diuinam. 2. Quia ex illa conceptione peccatum originale propagatur & contrahitur. Christus autem extra vllam peccati maculam conceptus est. Ergo ad posteriorem conceptionis modum magis nobis respiciendum est, quem diximus non hominis operatione, sed Spiritus Sancti obumbratione dispensatum, nempe in Christi conceptione principium duplex cooperabatur, passiuum vnum: alterum actiuum. Passiuum principium non aliud fuit quàm Beata Virgo. Passiuum autem vocamus, non qui ad Christi pro creationem nihil contulerit; sed quia ex se nihil aliud contulit, quàm materiæ illius subministrationem ex qua formata fuit Christi caro, & propter quam fuit, vt Christus verè dicatur semen mulieris, Gen.3.15. & factus ex muliere, Gal.4.4. Et filius Mariæ, & Maria mater ipsius, Matth.1.18. & 2.13.14. Quemadmodum & propter eandem causam Virgo B. ab antiquis Conciliis & Patribus dicta est Θεοτόκος μήτηρ. Id est, Virgo Dei genitrix. Actiuum vero principium non virorum aliquis fuit, vt in generatione communi, sed virtus altissimi, siue Spiritus Sanctus, Matth.1.18. & 21. Luc.1.35. Quanquam enim tres diuinitatis personæ indiuisim in ea conceptione sint operatæ, appropriatur tamen hæc actio peculiariter Spiritui Sancto. Propterea quòd ea conceptio facta est per sanctificationem materiæ illius, vnde caro Christi formata est. Iam autem in vsu Scripturæ, vt opera Spiritui Sancto nominatim attribuitur quæ creationis, gubernationis & potentiæ sunt,

Pater facere dicitur ; quæ redemptionis & sapientiæ filio adscribuntur; quæ vero beneficij liberalitatis & fœcunditatis Spiritui Sancto tribuuntur. Certè Spiritus Sanctus est, qui dona quælibet eximia conferre dicitur in homines, vnde qui aliquid egregij obtinuerunt à Deo, dicuntur Spiritu Dei induti fuisse, vel repleti, Exod.31.3. Act.1.8. Et Spiritus nobis proponitur, quasi semen aliquod admirandum, quo omnia animantur, viuificantur, fœcundantur, Gen.1.2. Ps.104.30. Cùm igitur Christi conceptio. 1. Fuerit ingens beneficium, & diuinæ benignitatis mirandum testimonium. 2. Fœcunditatis & viuificationis opus eximium, propter istas duas causas factum est, vt conceptio Spiritui Sancto speciatim adscribatur.

QVÆRITVR autem cùm Spiritus Sanctus actiuum fuerit carnis Christi principium, annon igitur vocari debeat Christi pater. Resp. non posse vlla legitima ratione. 1. Quia Christus quemadmodum in diuinitate ἀμήτωρ ita etiam in humanitate ἀπάτωρ, iuxta id quod typo Melchisedeco repræsentatum est, Heb.7.31. 2. Quia vt quis inter homines alterius pater dicatur, non id vnum sufficit, vt sit ipsius causa efficiens quomodocunque, sed illud præterea requiritur, vt ad eius generationem, materiam aliquam ex seipso suaque substantia conferat, quando nouimus Scripturam posteros vocare semen Patrum & maiorum suorum : at Christus nullam corporis sui materiam ex Spiritus Sancti substantia, sed ex Virgine tantùm habuit. Conceptus est igitur à Spiritu Sancto non σπερματικῶς, sed δημιουργικῶς, non κατ' οὐσίαν, sed κατ' ἐξουσίαν, non ex Spiritus substantia, sed ex Spiritus potentia, non fusione seminis, sed iussione seminis. Denique non generatione, sed benedictione, seu consecratione, vt loquuntur Aug. Basilius, & alij.

OPERATIONEM Spiritus in conceptione Christi Scriptura, vt explicet duobus verbis vtitur, Luc.1.35. *Superueniendi* scilicet & *obumbrandi*. Quibus admirabilem illam & potentissimam efficaciam designat, qua mysterium illud operatus est Deus. 1. Enim inquit Beatus Angelus ad Beatam Virginem Spiritus Sanctus superuenier in te quo verbo non generalis quædam, & communis Dei operatio, sed vis & actio extraordinaria, & omnino cœlestis intelligenda venit : est enim ἐπέρχεσθαι superuenire in aliquem, ex alto descendere. Ita dicitur Spiritus Sanctus superuenisse in Apost. Act.1.8. Cùm cœlitus ad eos sanctificandos & in opus Euangelij præparandos linguarum ignearum specie missus est, siue vt alibi loquitur Scriptura, cùm induti sunt virtute ex alto, Luc.24.49. Ita dicitur in eos irruisse, vel superuenisse Spiritus qui olim ad magnum & extraordinarium opus destinabantur, Iudic.14.6. aut Spiritu Prophetico donabantur, 1. Sam.10.6. Vbi עלה Scriptura vtitur, qua designatur motus & virtus omnia prorumpens & superans, & liberè, valideque, ac sine impedimento sese exercens ergo superuenisse dicitur Spiritus in Virginem, cùm omnia naturæ obstacula prorumpens, & per Physica quælibet impedimenta virtutem suam exercens Virginitatem, quæ semper sterilis est, admirabiliter fœcundauit.

2. vir-

2. Virtus altissimi, inquit Angelus, obumbrabit te, quâ voce multa significantur. 1. Vmbra protectionem in Scriptura, & adjunctum diuinum designat, Ps.17.8. & 57.2.& 91.4. Lament.4.20. Ita Spiritus dicitur obumbrasse virginem, quia eam protexit & adjuuit, vt sine ope vlla, & opera humana conceperit in eius vtero, velut in officina cœlesti, sacri fœtus mirabile opificium peragens. 2. Vmbra radios solis prohibet, quos alioquin ardentissimos ferre possemus. Ita Spiritus Virginem obumbrauit, quia virtutem suam immensam ad naturæ humanæ modum, sic attemperauit, vt efficacissimam Virgo B. diuinitatis præsentiam ferre posset. 3. ἐπισκιάζειν, est obumbrare, obtegere & velare, nempe quia sicut solet auis oua sua tegere, ea fouere, iis incubare, vt ipsius calore pulli gignantur & excludantur: haud aliter Spiritus Sanctus Beatæ Virginis sanguinem in ipsius vtero ita fouit & calefecit, vt humana Christi natura ex ea operatione & q. incubatione producta fuerit. 4. Deniq; sicut dicitur vmbra & nubes esse in circuitu Dei, Ps.92.1. Vt ita significetur multa ad ipsius opera, quæ admirari magis quam scrutari debemus, cùm diuinæ dispensationis rationes & causæ nos lateant vt plurimum: Ita haud absre est quod dicitur Spiritus obumbrasse Virginem, vt doceamur arcanam fuisse illam Spiritus Sancti operationem & sermone inexplicabilem, & mente incomprehensibilem. Itaque Deum, quasi vmbram & nubem opponere voluisse vt hominum oculos ab intuitu summoueret, nec auderet aliquis hæc mysteria humani ratiocinij legibus metiri, sed ea potius omnes religiosè mirarentur, & adorarent, quanquam igitur Spiritus Dei, qui in vniuersali rerum creatione agebat, Gen.1.2. Et in omnium conseruatione operabatur, Psal.104. Etiam in quacunque hominis conceptione vim suam exerat, & fœtui vitam ac formam inspiret, Psalm.139.13.14.15.16. Tamen hæc omnia nonnisi per vsitata media, & ordinem in natura constitutum exequitur. At vero in isto mysterio non vsitata via processit Deus, non ordinem naturalem obseruauit, non organum aliquod carnale adhibuit, sed immediata actione sine mediis & instrumentis quibuscunque rem totam præstitit. Propterea dicitur hoc totum à Spiritu Sancto factum & dispensatum fuisse.

Conceptionis huius fines duo sunt: prior Christum respicit, qui cùm Redemptor noster esse deberet ex æterno illo Dei decreto, quo electos in peccato jacentes sibi reconciliare destinauit, proculdubio ab omni peccati labe prorsus immunis esse debet, adeóque cùm qui communi modo concipiuntur & per naturalem generationem in hunc mundum veniunt originali macula nullóque excepto infecti sunt, Ps.51.7. Ephes.2.3. Christum oportuit, neque via illa naturali, neque conceptione ordinaria in vtero matris formari, sed efficaci & extraordinaria virtute Spiritus Sancti eius conceptionem perfici: posterior homines spectat, quorum sordidam & impuritatibus fœdam conceptionem esse nemo nescit. Christum igitur purè concipi par fuit, vt conceptionis suæ perfecta puritate nostræ sordes eluerentur. Author.lib.1. de fide ad

Petr. apud Aug. c.2. Filius Dei vt carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis atque animæ realis incarnatus est, & vt illud peccatum quod in concubitu mortalis carnis generatio humana contraxit, auferret, conceptus est nouo more, vt per Deum hominem, quem absque libidine conceptum inuiolatus edidit Virginis vterus abluueretur peccatum, quod nascentes trahunt omnes homines.

SECVNDVM theorema *Christus ex Spiritu Sancto conceptus est, quatenus Spiritus, & materiam Christi ex Virgine desumptam idoneam sanctificatione præparauit, & ex præparata corpus Christi formauit anima cœlitus in illud infusa.* Theorema duorum capitum explicationem continet, quæ in Christi conceptionem consideratu digna sunt: alterum est præparatio materiæ, vnde formata est Christi caro. Alterum carnis illius formatio atque perfectio. Ad prius quidem quod attinet cùm Christi corpus ex Adamo per varias generationes deductum, ac tandem ex Virgine immediatè desumptum fuerit. Sic autem totum genus humanum originis vitio maculatum, quæritur qua ratione factum sit, vt Christi caro immaculata esset, & ab ea vniuersali contagione prorsus immunis. Quidam ridiculè confixerunt in Adamo peccante conseruatum fuisse diuinitùs particulam aliquam corpoream à reliquarum labe liberam quæ per propagationem continuam ad Virginem vsque deriuata fuerit & ex qua formatum Christi corpus constiterit. Sed delirium illud inde satis confutatur, quod si res se ita haberet. 1. Christus falsò filius Abrahæ, Dauidis & Virginis diceretur, cùm Filius non vocetur propriè, nisi qui per veram generationem ex paterna substantia trahit originem. Sic autem nulla foret Abrahæ, Dauidis aut Virginis substantia, sed tantùm Adami substantiæ portiuncula, per Abrahamum, Dauidem & alios transiens, qui propterea magis carnales, quàm Patres dici deberent. 2. Vel in vnaquaque parturientium ex quibus Christus descendit, perpetua Spiritus Sancti obumbratione opus fuisset, vt portio illa à reliqua materia segregata maneret, & in puritate conseruaretur, vel certè non opus fuisset in Virgine eam obumbrationem fieri, magis quàm in aliis, vt in illa conciperetur pura Christi caro: atque vtrumque absurdum est. Aliis tutum videtur, si dicant nulla labe vitiatam Christi carnem, quippe quam ex Virgine desumpserit, quæ nulla esset peccati, vel actualis, vel originalis contagione coinquinata: Nam vt ex impuro nihil nisi impurum procedit, ita etiam puritas sordes, & inquinamenta non generat. Prognatam igitur sine vitio virginem, vt purum ἀναμάρτητον filium producere valeret. Enimuerò quis non videt nodum ita magis constringi, quàm solui, quia qui de Christo quæstionem illam instituebant, non minùs etiam erunt circa Virginem dubij. Quærent enim quî factum fuerit vt Virgo sine peccato conciperetur. An quòd ipsius mater & ipsa labe caruerit. Atqui sic fiet progressus in infinitum & quærendo ibitur semper vlteriùs. Sin autem respondeatur Virginem immaculatam ex maculata matre processisse. Ex hac ipsa responsione manifestum erit ad conseruandam Christo suam puritatem minimè opus esse vt matri

ipsius

ipsius immunitatem ab ipsius originali peccato tribuamus. Adde quod postea Scripturæ authoritate. Veterumque consensu probaturi sumus, frustrà eos esse qui B. Virginem volunt sine vllo peccati inquinamento conceptam fuisse. Huc ergo deueniendum est, vt dicamus Christum ex ipsa Virginis, quamuis peccatricis substantia carnem suam hausisse, quæ tamen maculæ nihil contraxerit, quia massa illa ex qua Christi caro proditura erat, inenarrabili Spiritus operatione sanctificata est. Quanquam enim nulla sit ex creaturis quantauis virtute polleat, quæ purum ex impuro possit educere, Iob.14.4. non est tamen ad humanas vel Angelicas vires metienda Dei potentia, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom.4.17. & ex ipsis lapidibus potest filios Abrahæ excitare Matth.3.9. Quique lumen radiantissimum iubet ex meris tenebris exsplendescere, 2.Cor.4.6. Quidni ergo possit opus manuum suarum ab illa rubigine vindicare, quam creatura per generationem ordinariam contrahit. Vt vt ergo satis nequeamus, vel exprimere, vel intelligere mirandam illam Spiritus Sancti in hoc mysterio actionem. Certum esto tamen eò pertinuisse obumbrationem illam, de qua Luc.1.35. vt impediretur labes omnis originalis, & procedens ex ipsa imputatione reatus, ne in Christum incurreret, & vt omnis puritas ac plenitudo sanctitatis, quanta necessaria fuit ad redemptionis opus in Christi humanitate copiosissimè transfunderetur, quod satis significatum voluit Angelus, qui statim atque de obumbratione Spiritu Sancti locutus est, subjicit id quod ex Virgine nasciturum erat sanctum fore, id per illam obumbrationem planè sanctificandum.

Alterum caput est formatio humanitatis Christi, Orig.Gregor. Nyss. & apud Hieron.The. Ieros. qui censuerunt omnes omnium hominum animas ante corporis, in quod introductæ sunt, creationem extitisse etiam animam Christi ante vnionem & assumptionem fuisse contenderunt, manifesto errore, quem Scriptura satis confutat, dum docet Christum nobis fuisse similem per omnia excepto peccato, Hebr.4.15. Hominum autem animas non esse ante ipsarum corpora, tum Scriptura docet Zachar.12.1. Id vbi dicitur Deus formare Spiritum hominis in medio eius, tum Patres consentiunt. Nam Bracan primo Concilio, an.6. si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & propter hoc in corpora humana in terram deiectas, vt Priscilianista damnatur, & anathemate percutitur. Fides enim Catholica, testante Leone epist.71. constanter atque veraciter prædicat quòd animæ hominum non priusquam suis inspirentur corporibus fuêre. Iam autem, vt ait idem Leo Epist.11. non erat alterius naturæ caro Christi, quàm natura, neque anima alia illi, quàm cæteris hominibus ab initio est inspirata. Abdicato igitur hoc errore, quærendum potius est. An Christi corpus & anima vno eodemque momento fuerint vnita Verbo. An verò priùs corpus tanquam naturale domicilium animæ conceptum & efformatum fuerit, prout fieri creditur in nobis, & suo postea tempore anima fuerit in corpus iam formatum & organi-

cum infusa, qua de re, cùm nulla sit inter doctores nostros dissensio, nos ab illis magis facimus, qui hæc omnia volunt dispensata fuisse, ita ut statim atque conceptum est corpus, anima etiam in illud infusa fuerit, id est in ipsa prima conceptione corpus fuerit & omnibus suis membris quantumuis paruulis & tenuibus formatum, & anima rationali cœlitus aduenienti præditum. Neque Christus primò corpus assumpserit, tum deinde animam, sed animam simul & corpus sibi vniuerit. Rationes sunt primò, quia caro Christi de Spiritu Sancto concepta est, atque Spiritus Sancti virtus est infinita, non igitur opus habuit illa mora, & illo tempore, quod naturæ necessarium est ad formanda cæterorum hominum corpora. 2. Filius Dei non assumpsit, nisi naturam humanam, nec alterius rei creatæ, quàm naturæ humanæ fuit hypostasis atque corpus & anima non sejuncta, sed vnita inter se constituunt humanitatem. Ergo corpus & animam assumpsit vnita, nec separata, neque vnum post aliud. 3. Accedit non tantùm consensus Scholasticorum omnium, sed & Conciliorum authoritas ac nominatim Ephesini primam quod docet c. 13. Verbum diuinum copulasse sibi carnem animatam anima rationali. Neque est quòd objiciatur ordinem naturæ in generatione hominum id postulare vt paretur, 1. habitaculum animæ per dispositiones præuias, conformationem corporis & postea in corpus formatum infundatur anima. Christum autem nobis esse similem per omnia, adeoque procreationem ipsius secundùm illud commune naturæ præscriptum ordinatam fuisse. Nam quòd dicitur Christus nobis esse similis per omnia, ad rem & substantiam referendum est, non autem ad modum & rationem rei: alioqui eiusmodi argumentationis vi sequeretur, quia nos ex copula viri & fœminæ generamur, etiam Christum eodem modo generatum fuisse, quod est absurdum. Ita igitur vrgenda est similitudo inter humanitatem Christi & nostram, vt tamen dissimilitudo agnoscatur. Similitudo enim in eo est quòd corpus & anima Christi verè inter se vnita fuerunt, sicut & nobis fit. Dissimilitudo autem in eo quòd in nobis formatio corporis præcedit ipsius animationem: At in Christo carnis conceptio, & animæ creatio, & corporis animatio, & vtriusque partis assumptio ad personam verbi facta fuerit eodem tempore.

Devenimvs tandem ad Incarnationis effecta, quæ si omnia huc vellemus congerere, & vno tenore explicare, latus se dicendi campus aperiret. Sunt enim alia, quæ Eccles. spectant, alia quæ Christum ipsum respiciunt. Et Ecclesiam quidem quod attinet, sicut personalis illa vnio, qua corpus & anima nostra in vnum ὑφ' ἑαυτὸν coeunt, pertinet ad constitutionem communis huius naturæ, quâ homines sumus. Ita diuinæ naturæ humanæ in Christo personalis conjunctio pertinet ad restitutionem naturæ nostræ, qua fideles sumus. Quod enim habemus vnionem eam cum Deo, vt diuinæ ipsius naturæ participes simus, 2. Petr. 1. 4. Et quòd nobis illud est ius ad æternam salutem, vt in eam olim introducamur, totum huic præcipuè admirandæ vnioni debetur, quatenus vnicum

hoc

hoc medium est, tum vnionis nostræ cum Deo, tum salutis æternæ: Nam quæ disiuncta erant ac dissociata priùs, Deus inquam & homo isto diuino quasi glutine rursus inter se amicabili concordia coierunt, faciente Mediatore Christo vt summa cum imis colligarentur, vt inquit Apostolus, Ephes. 1. 10. omnia in seipso ἀνακεφαλαιώσατο, id est, recapitulauit, id est, dissipata priùs, disiunctaque in vnum composuit. Respectu verò Christi ipsius, varia sunt huius vnionis effecta, putà, 1. gratiam, quam vocant vnionis, quâ humana natura in tantam dignitatem euecta est, vt in vnitatem personæ filij fuerit assumpta. 2. Gratia habitualis, quo nomine continentur dona omnia hyperphysica, quibus copiosè perfusa est humanitas Christi. 3. Gratia officij, siue potestas illa eximia, qua factus est & Mediator, & caput Ecclesiæ. Ita iudex & Dominus totius mundi, sed nos ista commodiùs alio loco explicaturi, vnicum hunc effectum breuiter expendamus. Illum nimirum quem vocant idiomatum, siue proprietatum communicationem, quod consectarium est quoddam illius gratiæ, quam diximus gratiam vnionis vocari. Quia enim Christus in vtraque natura inseparabiliter & inconfusè consistit, inde fit vt naturæ vtriusque proprietates cum persona communicentur, id est, vt de Christi persona quocunque nomine appelletur, siue à diuinitate, siue ab humanitate sua denotetur, verè ac realiter dicatur, quidquid alterius naturæ proprium est. Hæc enim quam Theologi ἀντίδοσιν, ἀλλαγὴν, κοινωνίαν, ὑπόζευξιν ἰδιωμάτων, participationem, permutationem, communicationem & conjunctionem nominum. Theologi vulgò communicationem proprietatum.

Hic notandum theorema: *quòd alterius Christi naturæ proprium est, de tota Christi persona alterius nominis vocata ita prædicatur per communicationem proprietatum, vt tamen vni naturæ* κατ' αὐτὸ, *alteri* κατ' ἄλλο *competat.* Ex iis quæ iam ante docuimus satis patet incarnationem siue vnionem personalem id effecisse, vt diuinitas & humanitas vniantur in persona verbi, & in ea subsistant, & vt hæc persona, modò ab vna, modò ab altera denominetur natura: nam siue Deum dicas, siue hominem voces, semper vnam eandemque personam intelligis. Huic autem personæ tria competunt attributorum gratia, diuina, humana, & συναμφότερα, siue communia: diuina quidem diuinitatis respectu, vt cùm dicimus æternum, infinitum, omnipotentem. Humana verò humanitatis ratione, vt cùm eum dicimus creatum natum mortuum. Sed συναμφότερα, siue communia, quæ vtriusque naturæ dicuntur respectu. Vt cùm nominamus Seruatorem, Redemptorem, Sacerdotem, Prophetam, Regem Eccles. quæ omnia Christo communium, quà Deus, & quà homo est. Hinc multiplex oritur prædicatio. Aliquando enim diuina de diuinis dicuntur, vt Deus est æternus, verbum est increatum. Aliquando humana de humanis, vt homo mortuus est, humanitas passa est: aliquando συναμφότερα de συναμφοτέρῳ, vt Christus est Redemptor, persona secunda pro peccatis generis humani satisfecit. Quamuis autem illis tribus prædicationum generibus locum propriè non habeat illa, de qua loquimur

BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE DE MONTAUBAN
BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

proprietatum communicatio, in tertio tamen illo genere, vbi θεανδρικὰ de θεανθρώπῳ dicuntur consideranda venit communio, siue vnio naturarum, proprietatum & operationum vtriusque naturæ quæ in opere Redemptionis ad commune ἀποτέλεσμα concurrunt in opere, siquidem Redemptionis, neque diuinitas suas edit operationes sine humanitate, neque humanitas sine diuinitate suas exequitur. Sed quemadmodum Damasc. *loquitur*, Christus & quæ Dei sunt ἀνθρωπικῶς peragit, & quæ hominis sunt θεικῶς operatur, non quòd vna natura edat operationes alterius, aut quòd naturæ vnius actionem cum actionibus alterius sint confundendæ, sed quia diuersarum naturarum actiones procedunt ab vno eodemque agente, id est, ab vna persona Christi, & quia quamuis distinctæ sint actiones, non sunt tamen separatæ, neque seorsim sed coniunctim eduntur.

Hoc, vt explicent Theologi solent ista inter se distinguere, τὸν ἐνεργοῦντα, τὸ ἐνεργητικὸν, τὴν ἐνέργειαν, τὸ ἐνέργημα, τὸ ἔνεργον, siue agens est ipsa persona Christi ex natura diuina humanaq; constans, τὸ ἐνεργητικὸν est principium per quod persona illa agit, nempe alterutra Christi natura ἡ ἐνέργεια, est actio, quæ procedit ab illo principio, & principium suum naturamque sequitur: τὸ ἐνέργημα, siue ἀποτέλεσμα est opus externum, ex illa, distinctis naturarum actionibus, procedens, ad quod efficiendum vtraque natura suis operationibus concurrit. Humana siquidem diuinæ cooperatur per modum organi personaliter conjuncti diuina cum humana concurrit per modum artificis concurrentis cum instrumento, quod ipse sibi fabricauit & vniuit, quódque mouet ac dirigit, quod ea præstanda quæ opus sunt. Ita Redemptio nostra est ἐνέργημα ἀπὸ τοῦ ἐνεργοῦντος à persona Christi procedens ad quod concurrunt duo ἐνεργητικὰ principia, nempe diuinitas & humanitas, quod vtrumque confert suam εὐέργειαν, siue actionem. Istæ porrò naturarum actiones, quanquam habent inter se communionem, quatenus vnitæ sunt, & conjunctæ, communicationem tamen propriè non habent, quia nec actio diuinitatis cum actione humanitatis, neque contra operatio humanitatis cum operatione diuinitatis confunditur. Id scitè atque eleganter expressit Leo Epist. ad Flauium his verbis. *Agit vtraque forma cum alterius communione quod suum est Verbo faciente, quod verbi est, & carne operante, quod carnis est.*

Proprietatvm ergo communicatio in duplici præsertim prædicationum genere locum habere dicitur. Prius est cùm altera natura prædicatur de persona verbi, quæ ab altera denotatur, vt cùm dicimus verbum caro factum, Deus est homo, homo est Deus, filius Mariæ est Filius Dei. Posterius (ad quod sine dubio, vel ex ipsa nominis significatione magis propriè spectat κοινωνία ἰδιομάτων, cùm alterius proprietates & idiomata de tota persona dicuntur, ab altera natura nomen accipiente, quales sunt illæ propositiones in Scriptura, nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, Ioh. 3. 13. Caro Christi est viuifica, Iohan. 6. 51. Deus acquisiuit Eccl. suo sanguine, Act. 20. 28. Dominus gloriæ est crucificus, 1. Cor. 2. 8. Deus assumptus est in glo-

in gloriam, 1. Tim. 3. 16. filius hominis remittit peccata, Matth. 9. Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato, 1. Iohan. 1. 7. De his igitur prædicationibus aliquid dicamus. Priorem quod attinet, quâ dicitur Deus esse homo, & Filius Dei esse Filius Mariæ Quæritur ad quam prædicationum logicarum ea prædicatio reduci debeat. Vbi quanquam magna esse videtur diuersitas sententiarum, in re tamen ipsa non est magna dissensio, sed diuersa tantùm explicandi ratio, quæ inde sine dubio procedit, quòd vnio hypostatica ex qua sequuntur huiusmodi prædicationes res est penitus mystica & arcana, & captum humanum superat, ita instituta, vt vocibus & nominibus humanis adumbrari magis possit, quam sufficienter exprimi. Certè per eam videtur humanitas multis modis se habere respectu diuinitatis vnitæ. Nam, 1. est quasi adjunctum proprium diuinæ personæ, à qua in vnitatem hypostaticam assumpta est 2. Est quasi subjectum quod diuina natura sibi selegit, vt in eo habitaret, Col. 2. 9. 3. Est quasi pars aut membrum admirandi illius compositi, quem vocamus θεάνθρωπον quo ad subsistentiam est quasi effectum singulariter à natura diuina sustentatum. 4. Cùm homo dicitur de Deo, est quasi species ad quam refertur illud indiuiduum extraordinarium. Sed vltimò, vbi omnia in hac vnione perpendimus, inuenimus reapse esse aliquid inusitatum & miraculosum, cujus nullum vnquam, aut extitit, aut extiturum est exemplum. Hinc igitur promanat illa Theologorum & Philosophorum discrepantia, de qualitate harum propositionum, homo est Deus, &c.

In hoc vno consentire mihi videntur omnes, quòd hæ propositiones sint analogæ ad propositiones Logicas, sed ubi ad particularia deuentum est, alij alias rationes ineunt. 1. Nonnulli dicunt esse propositiones inusitatas, irregulares extraornidarias & peregrinarias, non quod velint eas nullam conuenientiam cum specie aliqua vsitatarum & regularium aliquarum propositionum, sed quia indiuiduum, quod subjecti locum habet in his propositionibus nimirum persona filij Dei extraordinarium est & inusitatum, quippe in quo completæ duæ naturæ quarum altera increata, altera creata conjunctæ sint ὑπερφατικῶς, & per vnionem admirandam, qualem in tota rerum natura reperire non est. 2. Nonnulli contingentes vocant quia scil. quamuis humana natura non sit accedens verbi, verbo tamen accidentaliter siue contingenter vnitur. Christus enim non erat homo ante incarnationem, quòd igitur factus est homo, contingens est, non necessarium. 3. Alij necessarias dici malunt, & ad primum modum propositionum per se pertinere, in quibus prædicatum est de essentia, seu definitione subjecti, quia scilicet in iis noua seu extraordinaria species prædicatur de admirabili indiuiduo, propter nouum esse personale, quod verbum diuinum ad peragendam hominum salutem suscipere voluit. Atque hoc est quod Thomas ait in hac enuntiatione, Deus est homo. Hominem prædicari de Deo, sicut species prædicatur de sua hypostasi, non quidem ratione formæ significatæ per nomen illud Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis seu persona huma-

næ naturæ. Itaque si quæras, an homo sit quid vniuocum respectu Christi & nostri? Resp. Affirmando, quia in Christo & in nobis humana natura est ejusdem rationis & essentiæ: sicut enim nos sumus veri homines compositi ex anima & corpore, ita etiam Christus, vnde in symbolo Athanasio dicitur esse perfectus Deus, & perfectus homo. Quod si objicias hominem non tantùm significare naturam, sed etiam suppositum. Christum autem & reliquos homines non conuenire in ratione suppositi, cùm Christus sit persona diuina & infinita, quod de nullo homine dici potest. Resp. vocem illam homo quando vicem subjecti subit in propositione significare suppositum, sed quando est prædicatum supponere pro humanitate; Atque adeò, cum in hac propositione, Deus est homo, vox homo vicem gerat prædicati, ideo non personam, sed naturam designare, quæ nobis & Christo communis est. 4. Quibusdam placet esse partim contingentes, partim necessarias. Ita Bonauent. hæ duæ propositiones, homo est Filius Dei, & Filius Dei est homo, licet reduci possint ad materiam contingentem, sapiunt tamen aliquid de materia naturali, quia quamuis illæ naturæ per se sint disparatæ, per gratiam tamen vnionis sunt conjunctæ, & quasi naturales factæ. 5. Nonnulli contendunt esse propositiones identicas. Identicas enim vocat, cùm idem de seipso aliter nominato prædicatur: atqui cùm dicitur Filius Mariæ est Filius Dei, vna eademque persona, tum per subjectam, tum per prædicatum significatur, quę in subjecto à natura humana Filius Mariæ; in prædicato verò à natura diuina Filius Dei dicitur. Alij denique affirmant esse propositiones disparati de disparato, quia Deus est homo, sunt procul dubio res maximè disparatæ, sed istorum sententia sano modo capienda est: nam propriè loquendo Deus & homo in Christo disparata dici non possunt. 1. Quia vnum disparatum de alio non dicitur, nisi figuratè & metaphoricè, vt cùm dicitur Herodes est vulpes: at in hac propositione Deus est homo, attributum nequaquam dicitur de subjecto per metaphoram. 2. Quia disparata sunt ad minimum duo: at Deus & homo non sunt duo, sed vnum personale, vnum nimirum θεανθρωπον. 3. Quia disparata vni simpliciter attributa inuoluunt contradictionem, vt si quis diceret, homo est animal & lapis: at Deus & homo sine contradictione vlla Deo attribuuntur. Verissimè enim dicimus Christus est Deus & homo. Itaque Deus & homo disparata dici non possunt, nisi respiciendo naturas, quatenus nimirum duæ naturæ vnitæ sunt in Christo, essentia atque proprietatibus suis inter se distinctæ, sed respiciendo personam, quæ vna est duabus naturis constituta, eatenus Deus & homo disparata dici non possunt, sed potius consentanea, quo fit vt non malè loquantur, qui has propositiones dicunt esse paronymicas, in quibus pars dicitur de toto suo, vt cùm dicimus homo est corporatus, homo est animatus; vt enim partes hominis sunt corpus & anima; ita diuinitas & humanitas analogica quadam ratione sunt partes admirandi illius, compositi, quod ab alterutra natura modò Deus, modo homo dicitur.

Sed in posteriore prædicationum genere magis propriè consistit commu-

communicatio idiomatum in iis nimirum in quibus proprietas vnius naturæ dicitur de persona ab altera natura nomen habente, vt cùm dico, Deus est mortuus, homo est omnipotens. Vbiquitarij communicationem hanc intelligunt ita esse realem, vt quæ naturæ diuinæ sunt propria, putà omnipotentia, omnipræsentia, & omniscientia, reuera communicentur, i.e. transfundantur in naturam humanam. Itaq; communicatio idiomatum intelligi debet non transitiuè, quasi vnius naturæ proprietas, in alterum transiret, sed intransitiuè tantùm, vt significetur vriusque naturæ Idiomata suppositi, qui Christus est, esse communia, ita vt ista communicatio non secundùm naturam, sed secundùm suppositum attendatur, quia sicut communicantur & vniuntur diuinitas & humanitas in persona verbi, ita etiam in eadem persona communicant & vniuntur proprietates diuinitatis atque humanitatis. Atque hoc sensu intelligendi sunt Theologi nostri cùm aliquando concedunt attributa diuina esse personaliter humanitati communicata, non quasi ipsi naturæ humanæ in se proximè & immediatè ac realiter communia facta fuerint, adeò vt humanitas euaserit reuera omnipotens, omnipræsens, omniscius, sed quòd communicata siue ipsi suppositio, seu persona verbi, quod est omniscium, omnipotens, omnipræsens, siue quatenus in eam dignitatem enecta est humanitas, vt sit humanitas illius personæ, quæ omnibus illis diuinis proprietatibus prædita est. Atque hinc est quòd huiusmodi propositiones, in quibus locum habet hæc communicatio proprietatum, ita concipiuntur, vt habeant pro subjecto terminum concretum, non abstractum: dicimus enim in concreto Deus est passus, homo est Deus, homo est omnipotens, non autem, Deitas est passa, humanitas est Deitas, humanitas est omnipotens, quia concretum designat personam, cui verè competunt illa omnia, sed abstractum denotat naturam in quam illa cadere non possunt. Quod ergo legimus apud Vigilium, Mart. lib. 2. contra Eutichem diuinitatem Christi fuisse clauis confixam & impassibiliter passam valdè durum est & κατα χρησικὸν, & benigna interpretatione opus habet, ita vt intelligatur. Diuinitatem dixisse pro Deo ipso qui impassibiliter passus dicitur, quia vt carne passus, ita diuinitate nihil potuit pati. Nam alioqui Athan. in cap. ad Eustachium in eos feruidè inuehit, qui dicunt diuinitatem impassibiliter passam fuisse, & Conc. Ephes. I. Ineptam & insanam vocat eorum opinionem, qui Deitatem contendunt fuisse passam.

Obiicitvr autem subsistentiam diuinam realiter communicatam esse humanæ naturæ. Cùm igitur subsistentia illa idem sit cum attributis diuinis, sitque omnipotens, independens, æterna quidni etiam dicantur omnipotentia, independentia æternitas communicari realiter humanitati Christi. Resp. Subsistentiam considerari posse, vel in simplici ratione subsistentiæ, vel in ratione actus æterni, independentis, omnipotentis, &c. Communicatam autem esse Christi humanitati in simplici ratione subsistentiæ, non autem in ratione omnipotentiæ aut æternitatis. Itaque nihil mirum si dicatur subsistens subsistentia verbi, nec

tamen dici potest omnipotens omnipotentia verbi. Porrò quanquam subsistentiam idem sit realiter cum essentia & attributis diuinis, ratione tamen ab iis distinguitur, imò nec ipsa propriè attributum diuinum est, nec essentialiter & intrinsecè attributa diuina in se includit, vt dictum est suo loco. Itaque nihil mirum si communicari possit, non communicatis diuinis attributis.

HANC communicationem alij verbalem dicunt, alij realem, nullo tamen dissensu: verbalem enim qui dicunt, non aliud sibi volunt quàm hanc idiomatum communicationem pertinere ad explicationem verborum & phrasεωn quæ in Sacris Scripturis occurrunt. Nam v.g. vt explices hanc phrasim Dominus gloriæ est crucifixus, accedendum est ad hanc doctrinam, quæ docet propria vnius naturæ de altera nomine tenus prędicari propter identitatem personæ, & naturarum in ea persona conjunctionem: alij realem vocant, quia diuinæ naturæ in Christo sunt verè & inseparabiliter, & realiter vnitæ humana scilicet & diuina, quæque ipsi realiter competunt, humana, quà homo est, diuina vero quà Deus est. *Atque ita incarnationis naturam, causa, modum, partes & effecta executi sumus.*

DE

DE DOTIBVS,

Siue

PERFECTIONIBVS CHRISTI.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Dotes Christi fuisse vnionis hypostaticæ effecta.

LIBRI SVMMA ET DISTRIBVTIO.

DE Christi perfectionibus, siue dotibus in ipsius humanitatem abundantissimè effusis, erit alter hîc nobis labor eas omnes quàm multæ sunt, totidem facimus vnionis effecta, siue consequentia. Quanquam enim vnio hypostatica sub simplici ratione vnionis non faciat naturam humanam sanctam, justam, & impeccabilem, talem tamen illam præstat, quatenus est vnio cum persona diuina : nam sanè si quos Deus gratiæ suæ communione dignatur, illi præstantibus χαρίσμασι donantur. Quibus quæso prærogatiuis sanctitatis atque iustitiæ effulgere par est eam naturam, cui Deus, non modò gratiam suam, sed & esse personale suum communicauit? Deinde quidquid homines, vel Angeli possident sanctitatis, totum illud habent per participationem diuinitatis, quæ est ipsa sanctitas essentialiter. Vnde Apostolus, vt significaret iustitiæ atque sanctitatis dona quæ in fideles effusa sunt, eos diuinæ naturæ participes factos esse dixit, 2.Petr.1.4. Itaque quo maior est diuinitatis participatio, eo maiorem sequi oportet sanctitatis communicationem. Cùm

igitur maior esse nequeat diuinitatis participatio, quàm quæ est per substantialem & hypostaticam vnionem, quemadmodum antea suo loco docuimus. Consequens est vt dicamus ex vnione illa pertingere præstantissimas in Christi humanitatem sanctitatis dotes. Quod hoc ipsum non modò Patres significarunt, qui frequenter docent Christi humanitatem vnionis illius beneficio fuisse sanctificatam, sed Scriptura etiam satis designat, cùm verbum ait, carnem factum fuisse & habitasse inter nos plenum gratiæ ac veritatis, Iohan. 1.14. Ita enim ex Incarnationis mysterio manifestè infertur plenitudo gratiæ atque veritatis in Christo. Sic etiam in Psal. 45.8. Christus dicitur vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Atqui sine dubio vnctio facta est per vnionem, quia per eam verbi substantialiter attigit humanitatem, & attingendo vnxit, id est, mactauit donis quibuscunque ac spiritualibus gratiis, quas Propheta vocat oleum lætitiæ. Vnde Nazian. Oratione 436. humanitatem asserit perunctam & sanctificatam fuisse, & Damasc. lib. 3. cap. 3. Diuinitatem ait vnctionem humanitatis.

Quod autem Scholastici quidam, ac inter eos Valentianus in 3. Thom. disp. 1. quæst. 7. puncto 1. Et Gamascus inquit cap. 1. gratias illas ac dotes volunt contingentia tantùm non esse necessaria effecta vnionis, neque ex vi vnionis absolutè processisse in eo, quantum à veritate aberrent non aliunde melius patere possit, quàm ex fundamento, cui hanc suam sententiam superstruunt. Ponunt enim Deum assumere potuisse naturam inanimatam, & irrationalem, quòd si assumpsisset, fuisset vera & personalis vnio, neque tamen inde gratia vlla habitualis promanasset, quippe cuius nullomodo capax sit natura irrationalis. Nos enim iam ante lib. superiore satis ostendimus falsum esse dogma illud Scholasticorum de possibilitate assumendi naturam sensu ac ratione carentem. Euerso igitur fundamento, illud etiam quod ei superstruitur, ruere necesse est: nec magis vrget illa Gamascei ratio vnionem hypostaticam esse realiter distinctam ab habituali gratia, tanquam rem à re, adeoque simpliciter absque illa stare posse; consequentia enim falsa est, cùm satis notum sit, propria à suis subjectis realiter esse distincta, sine quibus tamen subsistere, aut ab iis separari nequeunt.

Hæc porro nobis esto libri huius Synopsis. Gratiarum siue dotum in Christi humanitatem collatarum. 1. Considerandum est fundamentum: deinde species exponendæ. Fundamentum voco, quòd Deus ipsas ab omni æternitate eas Christo donandas prædestinauit. Agendum igitur erit ante omnia de Christi prædestinatione: deinde species quod attinet, eas in duo capita distinguere possumus. Alterum esse de donis ipsis, quæ in Christum Deus effudit; alterum de cultu & honore quem Christo Angeli & homines præstare debent. Rursum dona Christi alia potestatis sunt, siue officij, alia perfectionis siue ornamenti. Dona potestatis voco triplex illud munus Regium, Sacerdotale & Propheticum ad quod Christus à Patre destinatus & sanctificatus est. De quo peculiarem postea tractationem instituemus: hoc enim lib. non alia quàm

perfectio-

perfectionis dona examinatum imus; ea verò vel ad totam Christi humanitatem spectant, vel ad humanitatis partes. Totius humanitatis sunt, 1. Christi filiatio, qua filius est, 2. Gratia habitualis & actualis. 3. Potentia Christi. 4. Gloria. Humanitatis partes essentiales duæ sunt, anima & corpus. Itaque suis donis eminentissimis instructa. At corpus quidem eximia pulchritudine, perfectissima sanitate, debitoque robore præditum fuit. Animus verò præcipuè duabus facultatibus pollet, intellectu, sub quo memoriam comprehendo, & voluntate, ad quam appetitum refero. Ad intellectum pertinet, tum scientia, atque sapientia, tum etiam conscientia Christi. Ad voluntatem autem libertas præcipuè tum deinde eius efficacia & impletio & cum diuina voluntate conformitas. Interim cum eodem tractatu contraria contineri debeant, erit hic etiam locus de Christi defectibus in specie agendi. Nam sup. lib. generalem eorum tractationem præmisimus. In specie autem explicabuntur defectus tum corporis, quales sunt fames, sitis, lassitudo, somnus, &c. tum partim animi, quales sunt, ira, timor, tristitia, & si qui sunt alij. Vltimo loco ea exequemur, quæ ad Christi cultum & adorationem pertinent.

CAPVT II.

De Prædestinatione Christi.

FVNDAMENTVM gratiarum omnium in Christum collatarum est ipsius prædestinatio, de qua nobis esto Theorema. *Prædestinatio Christi est Dei decretum de Christo in terras mittendo, & humanitate ad verbi vnitatem assumenda, adeóque donis omnibus, tum gratiæ, tum gloriæ cumulanda.* Christi prædestinationem varia Scripturæ testimonia insinuant, Luc.22.22. filius hominis abit κατὰ τὸ ὡρισμένον id est, prout definitum est, siue constitutum in æterno Dei consilio, Act.2.23. Christus traditus est τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει, Act.17.31. Deus iudicaturus est mundum per virum quem ὥρισε, definiuit, siue prędestinauit, 1.Petr.1.20. Christus dicitur προεγνωσμένος prænotus, & prædestinatus ante iacta mundi fundamenta. Huc etiam spectat, quod Apoc.13.8. vocatur agnus occisus ab origine mundi, quòd cùm ad actualem occisionem referri non possit, vtpote quæ tot sęculis post conditum orbem peracta est necesse intelligendum venit de Dei decreto, atque prędestinatione. Sed omissis fermè illis locis solent Scholastici doctores & Pontificij ferè omnes eidem veritati confirmandæ in vno loco prępcipuè immorari, qui habetur Rom.1.4. Vbi dicitur Christus ὁρισθεὶς Dei Filius, quod vulgata vertit, prędestinatus Dei Filius, atque hanc etiam Interpretationem Græci vocabuli August. Alcuinus, Bernardus, & alij Latini Patres amplectuntur & defendere conantur. Bellar.lib.2. de verbo Dei, cap.4.

Nos pertendimus Græcam ὁρισθεὶς vocem eo loco non prædestinationem significare, sed declarationem, manifestationem & agnitionem, 1. Quia Apostolus dicit Christum ὁρισθέντα secundùm sanctificationem Spiritus & per resurrectionem à mortuis. Atqui Christus non rectè diceretur prędestinatus per eam sanctificationem & resurrectionem, quippe cùm prædestinatio nullomodo intelligi possit facta fuisse per ea, quæ prędestinationem secuta sunt eiusque effecta fuerunt. 2. Quia Apostolus hæc opponit Christum factum esse filium Dauidis secundùm carnem ὁρισθέντα Filium Dei secundùm Spiritum sanctificationis. Ergo sicut in priori parte loquitur de humanitate Christi. Ita in altera de eius Diuinitate: atqui absurdè diceretur eius diuinitas fuisse prædestinata: igitur ὁρισθὲις non prædestinatum, sed declaratum significat ibi, quasi dicat Apostolus, Christum quidem vera humanitate fuisse præditum, quippe qui ex Dauide originem duxerit, sed verum Deum tamen fuisse, vt satis patuit triplici argumento. 1. ἐν δυνάμει, id est, per illam potentiam, quam variis miraculis exhibuit: Deinde per Spiritus sanctificationem, id est, visibilem missionem in Apostolos & primitiuæ Ecclesiæ fideles. Denique per resurrectionem à mortuis. 3. Quiá non tantùm Syrus interpres vertit, sed & Græci omnes enarratores Cyrillus, Chrysost. Theodor. &c. qui magis in hac causa faciendi quàm Latini, quorum pleroſque notum est Græca non satis calluisse. Ita eò confessionis deuenire coactus est Pererius Comment. ad hunc locum, vt diceret interpretationem nostram expeditiorem esse: nullisque implicitam difficultatibus, & ad intelligendum, & explicandum aptiorem & procliuiorem credendi, & satis inhærentem sententiæ verborum Pauli, eiusque consilio & proposito conuenientem. Cùm è contra expositio Latinorum & Scholasticorum obscura sit atque perplexa & difficilis ad intelligendum, nec primo aspectu fidem conciliet.

CHRISTI Prædestinatio nequaquam referenda est ad diuinitatem in se præcisè spectatam, quasi per aliquam Patris prædestinationem obtinuerit verba, vt esset filius Dei naturalis. Nam, 1. prædestinatio ad diuinam prouidentiam spectat, eiusque pars est nobilissima. Itaque non alia prædestinari possunt, quàm quæ cœlesti prouidentiæ gubernationis subsunt, cùm igitur naturalis Dei filius non pendeat à diuina prouidentia, sed eius potius author sit cum Patre & Spiritu S. Sanè dici non potest sub diuinam prædestinationem cadere. 2. Prædestinatio est eorum quæ in tempore fiunt, adeóque creaturarum: atqui verbum, nec in tempore factum est, nec inter creaturas connumerari debet. Ergo non est prædest. 3. Prædestinationis terminus debet esse aliquid extra essentiam rei prædestinatæ: nemo enim prædestinari dicitur ad ea, quæ sunt ei essentialia, quæque ad naturæ ipsius constitutionem pertinent. Quis enim vnquam dixit, hominem prædestinari, vt sit animal, vel vt sit rationalis? Iam autem Christi essentiale est, vt sit naturalis Dei Filius, vt sit omnipotens immutabilis, &c. Ergo non potest dici ad ea prædestinatum esse: at verò si verbum spectes non absolutè in

sese,

ſeſe, ſed χάριτος, & quaſi veſtitum relatione illa quam habet ad humanitatem, eo reſpectu non diffiteor verbum dici prædeſtinatum à Deo, quia hac loquendi formula, non tam ſignificamus ipſius verbi prædeſtinationem, quàm humanitatis à verbo aſſumptæ. Prædeſtinatum enim eſſe verbum, quà homo eſt, vel vt fieret homo, idem eſt ac ſi diceret Deum ab æterno decreuiſſe humanam naturam, in vnitatem perſonæ conjungere. Neque verò diſtinctionem illam Origenis & Hieron. valdè moramur. Prædeſtinationem à deſtinatione diſcernentium, quaſi prędeſtinari ea quæ non ſunt, deſtinari verò quæ ſunt. Vnde colligunt rectè quidem dici verbum eſſe deſtinatum, vt eſſet Filius Dei, ſed non rectè dici eſſe prędeſtinatum, vt eſſet Filius Dei. Nam, 1. In vſu communi deſtinare & prædeſtinare eodem ſenſu accipiuntur, & deſtinari etiam dicuntur ea, quæ non ſunt. Quomodo Anna mater Samuelis, eum antequam eſſet, Dei obſequio ſacróque miniſterio deſtinauerat, 1. Sam. 1. 11. 2. Data diſtinctione, non tamen inde concludi poſſet Filium Dei non potuiſſe prædeſtinari, quippe qui prædeſtinari dicatur, non quatenus Deus eſt, quo reſpectu ſemper fuit, ſed quatenus aſſumpſit humanitatem, quam certum eſt non ſemper habuiſſe.

Est autem Chriſtus prædeſtinatus: 1. Ad incarnationem. 2. Ad gratias illa omnes, quibus cumulatus eſt. 3. Ad paſſiones, quas pertulit. 4. Ad gloriam inde conſecutam, quæ omnia certiſſima ratione confirmari poſſunt. Cùm enim nihil euenire poſſit omnino abſque eius decreto, qui omnia perficit ex conſilio voluntatis ſuæ, Eph. 1. 11. Chriſtus autem dicatur in Scriptura conceptus, natus, ſapientia donatus, mortuus, glorificatus, &c. Concludendum eſt neceſſariò eum à Patre cœleſti fuiſſe ad hæc omnia prædeſtinatum: deinde in particulari idem oſtendi poteſt de Incarnatione: nam 1. cùm Propheticè prædictum fuerit Virginem concepturam, longè antequam concepiſſet, Eſ. 7. Et cùm verbum in tempore rectè dicatur factus homo, Ioh. 1. 14. Nullus cauſam dicere poteſt, quare non dicatur rectè ab æterno prædeſtinatum eſſe, vt fieret homo iam autem idem eſt ſiue dicamus Chriſtum eſſe prædeſtinatum, quà homo eſt, ſiue humanitatem Chriſti eſſe prædeſtinatam ad vnionem illam hypoſtaticam. Quanquam enim pertendunt nonnulli, atque inter eos Thom. part. 3. quæſt. 24. art. ad 2. prædeſtinationem eſſe ſuppoſiti, ſiue perſonæ, non autem naturæ, non tamen hoc perſuadebunt iis, qui norunt prædeſtinationem, non ad perſonas modò, ſed etiam ad res ipſas referri. Ita enim Paulus, 1. Cor. 2. 7. Dicit ſapientiam Dei quæ in myſterio abſcondita eſt id eſt totam Euangelij doctrinam eſſe prædeſtinatam ante ſecula. Et Aug. lib. de prædeſtinatione ſanct. lib. 15. docet prædeſtinatam eſſe iſtam humanæ naturæ in Chriſto tantam & tam excelſam ſubuectionem, adeóque ipſe Thom. eadem quæſt. art. 2. Ad ſecundam fatetur humanam naturam eſſe ſuſceptiuam prædeſtinationis. 3. De gratiis: nam cùm longè antequam Chriſtus in hunc terrarum orbem veniſſet vaticinati ſunt Prophetæ eum vngendum oleo lætitiæ, Pſ. 45. 8. Et ſuper eum acquieturum Spiritum ſcientiæ,

&c. Esa.11.1. & 2. Necessarium est vt colligamus eas omnes gratias, prædestinatas ab æterno vt Christo donarentur in tempore. 3. De passionibus. Dicitur enim traditus fuisse in mortem prout definitus erat in decreto Dei, Luc.22.22. Act.2.25. 4. De gloria, cùm enim dicatur præfinitus esse Iudex à Deo viuorum & mortuorum, Act.10.42.& 17.31. Haud difficulter infertur eum ad gloriam ac beatitudinem cœlestem, cuius pars eximia est administratio vltimi iudicij, fuisse à Deo prædestinatum. Atque huc etiam refert Avg.tract.115. in Ioh. Et ex eo Alguinus cap.39.in Iohan. qui dicit Christus Ioh.17.5. Glorifica me Pater; Quanquam in hoc ab interpretibus plerisque rectè refertur ad diuinæ naturæ Christi gloriam, quam habuit ab æterno cum Patre, sed quam velut occultauerat per tempus suæ in mundo commorationis, & per resurrectionem demum atq; ascensionem in cœlum rursus manifestauit; Haud absurdè tamen de humanitatis Christi gloria intelligi potest, quæ ab æterno quidem prædestinata, sed demum in tempore post consummatum redemptionis opus Christo concessa est.

PRÆDESTINATIONIS Christi effectum vulgus hunc Scholasticorum proponit. Quòd sit prædestinationis nostræ tum causa meritoria, tum exemplar: atqui neutrum propriè loquendo dici potest. Non est enim exemplar, quia exemplar exemplato prius esse oportet. Prædestinatio autem Christi prædestinatione nostra non est prior. Neque putandum est Christum prius prędestinatum esse in decreto Dei, quàm Electos: quin potius contra docent Sacræ literę electionem hominum esse tanquam finem ad quem obtinendum Christus, vt redemptor destinatus fuerit, atque finis intentione prior est mediis ad finem ducentibus. Id sibi Christus voluit, cùm Iohan.3.16. Testatur Deum ita mundum dilexisse,&c. Vbi dilectio, quâ Deus dignatus est homines, vt antecedens aliquod ponitur. Ad Christi donationem igitur nostra prædestinatio prior est, non quidem temporis, sed nostro considerandi modo. 2. Neque Christi prædestinatio neque Christus ipse quà Mediator causa electionis nostræ meritoria, tum propter allatas iam rationes, tum etiam, quia Scriptura prædestinationem nostram vni Dei εὐδοκίᾳ, siue beneplacito transcribit, Eph.3.5. Quod autem ex mero Dei beneplacito pendet, nullam aliam causam agnoscit, atque adeò quod electi sumus, non inde est quòd Deus iam antea Christum elegerat; Et Mediatorem destinauerat, sed quòd Deus nos æterna sua beneuolentia complexus est, atque huc tandem delabi cogantur, Scholastici, qui vbi posuerint Christum Christique prædestinationem exemplar esse & causam meritoriam, siue moralem prædestinationis nostræ: ita postea rem explicant, vt dicant hoc non de prædestinationis actu, sed de prędestinationis termino intelligendum esse, ut loquitur Thomas 3.parte, quæst. 24.art.3.4. Quod ita Valentianus explicat Comment. in eandem quæstionem puncto 2. non intelligendam esse illam assertionem de ipso actu æterno diuino per se, in quo & Christi & hominum aliorum prędestinatio essentialiter consistit, quippe cùm hic actus sit vnus & idem simpliciſſimè

plissimè, qui proinde neque exemplar, neque causa est sui ipsius, atque adeò neque exemplar, neque causam habet sed intelligendum esse de prędestinatione Christi & aliorum hominum ex parte effectus, vt sit sensus effectus prędestinationis Christi nimirum gratiam ipsiusque merita fuisse exemplar & causam effectuum omnium prędestinationis aliorum hominum.

OBIICITVR. Nos dici electos in Christo, Eph.1.4. Sed responsio facilis est. Illis enim verbis non significatur causa electionis nostrę meritoria, quasi esset Christi electio vel Redemptio. Nam planè constat, inquit Iustinian. in eum locum, hunc dicendi modum in Christo, vel per Christum non semper referri ad meritum, sed electionis tantùm processus & exequutio designatur. Et certè quanquam Christi prędestinatio & mediatio non fuerit causa προκαταρκτικὴ, siue exteriùs mouens Dei voluntatem in electionis nostræ actu, non tamen inficias imus, quin in decreto prędestinationis nostræ attribui possit Christo fundamenti vis, ratio atque dignitas, quatenus ipse caput est electorum, & vt loquitur Aug.lib. de prædestinatione sanctorum c.15. clarissimum lumen prędestinationis & quatenus fons est atque principium bonorum illorum omnium atque gratiarum spiritualium, quę nobis in electione destinata sunt.

CAPVT III.

De Christi hominis filiatione, sit-ne naturalis, an Adoptiua.

HACTENVS fundamentum, nunc species donorum in Christum collatorum exequamur. 1. Est quòd Christus etiam quà homo filius est Dei: nam vbi primùm eius conceptionem Angelus B. Virgini annuntiauit, eum hoc nomine insigniuit, Luc.1.32. Et quando publicè atque solemniter in officium illud suum Mediatorium inauguratus est, filius Dei similiter ab ipso Deo appellatur, Matth.3.17. Iam autem Filij Dei multipliciter dicuntur, vt alibi notauimus. Est enim filius æterna generatione, creatione, authoritate, denique natura & adoptione. Christum autem & à Deo creatum & authoritate eminentissima donatum, & per gratiam vnionis cum 2. diuinitatis persona ineffabiliter sociatum nemo Christianus ignorat. Sed hîc vnum quæritur, an etiam adoptionis gratia in eum competat. Nestoriani certè Christum docuerunt secundum humanitatem filium fuisse Dei adoptiuum, non naturalem. Constituebant enim duos Christos siue duas personas in Christo quarum altera esset Filius Dei naturalis, altera Filius Dei adoptiuus. Nestorianismum reuocare conati sunt circa annum 790. Elipandus Archiepiscopus Toletanus & Fœlix Episcopus Vrgelitanus His-

pani ambo, tum inter Scholasticos Durandus etiam idem sensit, & scripsit in lib.3. sententiarum dist.4. quæst. Nos rem explicamus hoc Theoremate. *Christus homo Filius Dei est naturalis non autem adoptiuus*, quòd vt clariùs eluceſcat, quædam sunt nobis de adoptione præmittenda.

ADOPTARE idem est atque optione facta deligere aliquem & in familiam suam asciscere dicunt Græci πρόσθεσιν ποιεῖσθαι, ἢ θετὸν. Idem significat iis ὑιοποιεῖν: vnde adoptiui ὑιοθετικοὶ, ἢ ὑιοποιητικοὶ. Itaque adoptio definitur à Iurisconsultis actus legitimus per quem extraneus in alienam familiam & ius filijfamilias gratuitò susciputur. Adoptionis autem apud Rom. frequens vsus, isque lege duodecim tabularum institutus, sed & apud Græcos haud ignotus. Nam Theseus teste Plutar. ab Egeo ascitus est in familiam. Iudæis etiam cognitum docent magni viri, & adstruunt nonnulli ex Genes.48. Vbi Iacobus nepotes suos Ephraimum & Manassem adoptat, vt filiorum ad instar tribum vterque suam in populo Israelis habeat. Atque hoc esse volunt, quod Hebræis dicitur nomine suo aliquem vocare, quia scilicet in adoptione adoptatus nomen adoptantis recipit, Quanquam vt quod res est dicam non videtur illa Iacobi actio erga Ephraim & Manasse fuisse adoptio propriè dicta, quia ex Iureconsultorum doctrina adoptio extraneorum est: at illi non erant Iacobo extranei, sed sui quippe cùm ex eo per rectam lineam descendissent.

Ex vsu igitur ciuili & politico desumptum est adoptionis nomen, & ad res sacras atque spirituales accommodatum, vnde nata distinctio in humanam & diuinam. Humana est quâ homo hominem adoptat, quod solemniter fiebat apud Romanos authoritate Magistratus, apud quem erat legis actio, putá prætoris, aut Proconsulis: diuina verò est quæ à Deo fit, estque actus diuinæ gratiæ eos quos ab æterno prędestinauit, in tempore ad cœlestem suam familiam, tanquam filios per Christum asciscentis, vt ęternę vitæ hæreditatem post hanc vitam assequantur. Hæc duo adoptionum genera habent quo inter se conueniant, & quo differant. Conueniunt. 1. Quod sicut inter homines adoptantur personæ extraneæ, quęque antea ad familiam adoptantis minimè pertinebant: ita quos Deus adoptat, in filios, illi antea erant à Deo alieni & vt dicitur, Eph.2.12 Extranei quod ad pactorum promissiones &c. Vnde postea eodem capite 19. In eo adoptio collocatur, quòd non simus ampliùs peregrimi & inquilini, sed domestici Dei. 2. Quòd sicut adoptio inter homines actus est legitimus & voluntarius. Legitimus quidem, quia legibus instituitur, & ex legum prędscripto peragitur. Voluntarius autem, quia adoptans bonam suam voluntatem in gratiam adoptati exequitur. Ita peragitur adoptio diuina iuxta fœderalem illam promissionem Dei, ero illi pater & erit mihi in filium, 2.Sam.7.14. Estque actus voluntarius & gratiosus ex decreto electionis nostræ procedens: prędestinauit enim nos Deus in adoptionem filiorum, Eph.1.5. 3. Quod sicut qui adoptatur inter homines per adoptionem jus acquirit ad hęreditatem & bona adoptantis. Ita per diuinę adoptionis actum

in

in jus cœlestis hæreditatis, i.e. gratiæ gloriæque surpernaturalis admittimur. Nam si filij hæredes sumus Dei & cohæredes Christi, Rom.8.17.

Sed multa sunt etiam in quibus adoptio diuina ab humana differt. 1. Adoptionis causa inter homines est liberorum orbitas, id est, quòd liberos quis non habeat. Sicut dicitur lib.3. Codice de Adoptione. At verò Deus non ex indigentia filij nos adoptat, sed ex misericordi erga nos indulgentia: Habet enim filium suum naturalem, id est Christum in quo & propter quem nos in familiam suam recepit; Christus enim nos redemit, vt adoptionem acciperemus, Gal.4.6. 2. Quòd in adoptione humana filius adoptiuus in hæreditatem Patris admittitur successione, id est, post obitum Patris. Atqui Pater noster cœlestis immortalis est. Adoptio igitur quâ nos dignatur non ordinatur ad successionem propriè dictam quæ mortem requirit eius, cui succeditur. Sed ad participationem hæreditatis. Vnde dicimur in cœlis, futuri vnum cum Deo, &c. Iohan.17.22. & seq. 3. Quòd apud homines jus hæreditatis non aliunde pendet, quàm ex adoptione. Tunc enim demum qui adoptatur, jus habere incipit ad hæreditatem adoptiui Patris, quando adoptatur, sed nobis jus hæreditatis cœlestis datum est etiam ante adoptionem realem quandoquidem prædestinatione præparata nobis est tum gratia, tum gloria. Itaque extranei simus à Deo ratione præsentis injustitiæ, in qua jacemus ante adoptionis gratiam, domestici tamen sumus ratione decreti diuini & hoc respectu dicimur fuisse Dei, siue ad Deum pertinuisse, etiam antequam actu Christo donaremur, Iohan.17.6.

Ex prædictis colligitur, 1. hominem quandiu mansit in actu innocentiæ, in qua creatus à Deo fuerat non potuisse propriè dici Filium Dei adoptiuum, quia adoptio ex filiis iræ facit filios gratiæ. Homo autem in statu innocentiæ filius iræ neutiquam erat, neque est quòd objicias hominem in eo statu non habuisse jus ad vitam æternam, cùm jus illud obtineatur per adoptionem. Quanquam enim in iis qui à Deo defecerunt, jus illud tantùm adoptione comparetur, homo tamen ante peccatum ad jus illud admissus erat per creationis beneficium. 2. Angelos electos non debere similiter dici filios adoptiuos Dei: est enim adoptatus extraneus adoptanti. Atqui Angeli electi Deo semper sunt conjuncti. Excipiunt Scolast. nominatim Bonauent. in 3. lib. sententiar. dist.10. num.2. Angelos non esse extraneos quantum ad culpam, quæ insit, sed esse tamen quantum ad culpam, quæ inesse potuit, verùm non satisfaciunt. 1. Quia Angeli non tantùm non habent culpam inhærentem, sed nequidem habere possunt, in quo conformati sunt in Dei gratia. Ab eo enim tempore sunt planè αἰομάρτωλοι. 2. Quòd facit extraneam creaturam à Deo, non aliunde est, quàm peccatum ipsum, Es. 59.2. Non autem peccandi possibilitas, id est, mutabilitas à bono in malum sanè id cujus Deus author est non potest dici facere hominem extraneum à Deo. Atqui Deus author est, vt Creaturæ, ita etiam mutabilitatis, quæ est in creatura. Fecit enim creaturam mutabilem & eam creando dedit in manu Concilij sui, Eccl.10.

RATIÒ quod est nostri præsertim instituti colligitur indidem Christum nullo modo posse dici filium Dei adoptiuum. 1. Quia esse filium naturalem & adoptiuum non possunt competere in vnam eandemque personam, respectu vnius eiusdemque Patris. Atqui Christus est filius Dei naturalis. 2. Quia ratio adoptionis exigit, vt adoptatus sit extraneus adoptanti, vel per culpam præsentem vt mox diximus, vel saltem per aliquam culpæ possibilitatem, vt omnes fatentur: atqui Christus homo neutro modo fuit vnquam à Deo alienus. Nam neque peccauit, neque peccare potuit. 3. Quia qui adoptantur, fiunt cohæredes Christi, Roman.8.17. At Christus non potest dici, nisi absurdè cohæres suus. 4. Adoptio eiusdem ordinis est cum vocatione, iustificatione, & regeneratione. Qui enim generantur illi adoptati sunt, qui adoptantur, illi iustificati sunt, qui justificantur, illi vocati sunt : atqui vocatio, justificatio & regeneratio in peccatores tantùm competunt. Nam qui vocantur, vocantur à tenebris & statu naturæ corruptæ ad lumen regni Dei statumque gratiæ, 1.Petr.2.9. & justificatio consistit in remissione peccatorum, Rom.4.5. & seq. & regenerationis pars est crucifixio & mortificatio veteris hominis, Roman.6.6. & 8.13. Coloss.3.8. Gal.5.24. Ergo & adoptio in peccatores tantùm competit, adeoque Christo tribuenda non est, denique adoptio diuina fundatur in Christo tanquam in causa meritoria. Vnde dicimur adoptati fuisse in Christo, Ephes.1.5. Et Christus nos redemisse dicitur, vt adoptionem acciperemus. Et Christus non potest dici adoptatus fuisse. Quàm enim absurdum foret Christum dicere in Christo adoptatum. Iam si quæras, vtrum sicut negatur Christus esse filius adoptiuus Dei : Ita negandus sit Pater esse adoptiuus fidelium. Resp. Christum consideratum ratione œconomiæ illius Mediatoriæ, quam voluntariè pro nobis subiit, esse causam tantùm meritoriam, siue vt vocant dispositiuam adoptionis nostræ, sed quatenus est Deus vnus cum Patre Spirituque sancto, rectè dici Patrem nostrum adoptiuum, cùm adoptio sit opus externum diuinitatis, adeoque commune tribus personis. Vnde & Christus fideles vocat sæpe filios suos, Matth.9.2. Marc.10.24. Objic. eum solum dicendum adoptare, ad quem pertinet posse generare. At in diuinis sola persona prima generat. Ergo sola adoptat. Resp. soli Patri competere generationem ad intra, sed generationem ad extra quæ dicitur regeneratio esse communem omnibus personis diuinis.

CONCLVDIMVS ergo Christum quâ hominem esse Dei filium naturalem, 1. Quia hoc satis significauit Scriptura, cùm Deum esse proprium illius patrem docet, Iohan.11.18. Et Christum esse proprium filium Dei, Roman.8.3. Nam his locis vox proprij distinctionem sine dubio designat hujus Dei filij, ab aliis omnibus qui filiorum Dei nomine insigniuntur in Scriptura, quam distinctionem etiam Christus indicat, cùm ait Iohan.19. se ire ad Patrem suum & ad Patrem nostrum. Atqui Christus etiam quâ homo, distinguitur ab aliis omnibus Dei Filiis. Ergo in eum etiam, quà homo est, competit appellatio proprij

Dei

Filij. Iam verò cùm Scriptura dicit Filium proprium Dei non alium, quàm naturalem intelligit, cùm qui naturalis est maximè propriè filius appelletur. 2. Quia nomen filij & filiationis, non ad naturam, sed ad suppositum, siue personam refertur, vt in mysterio Trinitatis clarum est vbi verbum Dei, non autem Deitas verbi filius appellatur. Cùm igitur humanitas Christi non habeat hypostasim per se, sed subsistat in persona Verbi, sanè secundùm humanitatem & in hypothesi illa subsistentem dici debet filius naturalis, non quòd humanitas præcisè sit ipse Filius Dei naturalis, id est, per generationem æternam à Patre genita, sed quia subsistit in persona, quæ est Filius Dei naturalis. 3. hæc est Veterum omnium doctrina Patrum. Ambr. lib. 1. de Fide, cap. 9. per adoptionem nos filij dicimur. Ille per veritatem naturæ est. Hieron. in Ephes. 1. Ille quidem natura filius est, nos verò adoptione. August. tract. 82. in Ioh. nos filij gratia, non natura. Vnigenitus autem natura, non gratia. Denique Synodis foro Iulienſi, Ratisbonenſi & Francofurtenſi decisum est contra Hillipandum, Christum esse naturalem filium, non adoptiuum.

CAPVT IV.

De Christi gratia.

QVANQVAM Christo homini nec vocatio, nec justificatio, nec adoptio, nec regeneratio tribui potest, quatenus hæc omnia beneficia peccatum supponunt eorum, in quos conferuntur. Non est tamen dubium, quin magnas à Patre dotes receperit, quæ generali nomine gratiæ comprehendi possunt. Enimuero, vbi de gratia agitur tria venire possunt eo nomine. 1. Gratia gratis dans, id est, amor illic ac beneuolentia Dei, quâ Christum complexus est, & in æternum complexurus; Deus enim ita Christi humanitatem diligit, vt in ea omnem amoris sui quasi vim explicatam voluerit. Vnde dicitur filius dilectus & filius dilectionis, in quo Deo complacitum est, Es. 42. 1. Matth. 3. 17. 2. Actio illa diuina, quâ humanitas Christi assumpta est ad vnitatem personæ verbi, quæque primus est & præstantissimus effectus diuini fauoris in Christum, eam Theologi vocant vnionis gratiam, quæ cum incarnatione, siue vnione hypostatica reapse idem est propter hanc gratiam Iesus Christus dicitur Sanctus, Luc. 1. 35. sanctitate, quam vocant, substantialem quatenus nimirum cum diuinitate, quæ ipsa per se sanctitas est, substantialiter sociata est in æternum naturæ humanæ. Hic vnum obseruamus eam esse, veluti fundamentum, & antecedens, siue causam omnium gratiarum spiritualium, quæ fuerunt humanitati Christi communicatæ, & per quam Christus sanctus sanctitate, quam vocant accidentalem, quæ consistit in reali donorum creatorum communicatione. Quanquam enim ab ipso incarnationis & conceptionis instanti facta

fuerit, illa gratiarum collatio, ſicut ſatis oſtenditur illis Angeli verbis, quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei, Luc.1.35. adeoque gratia vnionis illa communicatione non fuerit prior ordine temporis, ſi tamen ad ordinem naturæ reſpectus habeatur, manifeſtum eſt priorem haberi debere. 1. Quia in ordine naturæ *eſſe rei* prius eſt *rei operatione*, atque vnionis gratia humanitati communicata eſt, vt *eſſet* atque ſubſiſteret, reliquæ verò gratiæ, vt perfectè operaretur. 2. Quia gratia quæcunque quâ homo donatur ex efficaci Dei potentia procedit. Itaque priùs oportuit Deum per intimam potentiam vniri humanæ Chriſti naturæ, quàm in illam ſpirituales illas gratias conferret, de quibus nobis nunc ſermo inſtituitur. Sic igitur hoc.

THEOREMA primum *humana Chriſti natura gratiam ſupernaturalem, vt verè, ita cumulatiſſimè habuit.* Theoremate duo docentur: Quorum alterum eſt de veritate, alterum de quantitate gratiæ in Chriſtum collatæ. Prius quod attinet Chriſtum habuiſſe veram gratiam oſtendit Scriptura frequentiſſimè. Nam Eſ.11.1. dicitur Spiritus ſapientiæ, ſcientiæ, &c. requieturus ſuper Chriſtum, Luc.2.40. Et eo fine vocatur toties, iuſtus, ſanctus, innocens, Eſa.53.11. Luc.1.35. Act.3.14. & 4.27. Hebr. 7.26. Huc pertinet quòd Chriſtus dicitur vnctus, Pſalm.45.8. Vbi Theod. veluti quædam vnctionem ſpiritus dona accepit, imò vnctus ſpiritu & virtute, Act.10.38. & vnctus oleo lætitiæ, id eſt, dotibus gratiiſque ſpiritualibus animum internè lætificantibus & miram conſcientiæ pacem & tranquillitatem conciliantibus. Certè gratiam Dei vnctionis nomine ſignificari ſatis patet, ex 1.Ioh.2.20.& 27. Idem colligere eſt quòd myrrha & ſantalis caſſiaque fluere dicitur de veſtimentis Chriſti, Pſal.45.9. Vbi ſicut nomine veſtimenti corpus intelligitur & anima Chriſti, quibus quaſi veſtita & velata eſt eius diuinitas: ita nomine illorum aromatum fragrantiſſimas præſtantiſſimaſque gratias & virtutes animi atque corporis Chriſti deſignari conſentiunt Interpretes. Accidit deinde ad Scripturam ratio. Nam cùm gratiæ ſupernaturalis originem non aliunde debeamus arceſſere, quàm ab influxu, ſiue illapſu Dei gratioſo qui author eſt cuiuſcunque bonæ donationis, Iac.1.17. Sanè concedi par eſt eum qui cum diuinitate conjunctiſſimus eſt, etiam efficaciſſimè & proximè influxum illum percipere, quo gratia communicatur. Atqui humanitas Chriſti eſt cum diuinitate conjunctiſſima. Quis ergo negare ſuſtineat fuiſſe illam gratiæ ſpiritualis communicatione decoratam.

POST veritatem gratiæ, conſideranda eſt ejus quantitas, quæ etiam theoremate expoſitam volumus. 1. Igitur gratiam humanitatis Chriſti dicimus ſimpliciter & abſolutè loquendo finitam fuiſſe, neque poſſe ipſi infinitatem propriè dictam attribui. 1. Quia cùm ipſa humanitas in ſe finita ſit non poteſt eſſe ſimpliciter infiniti capax. 2. Quia Chriſti gratia eſt aliquid creatum: Rei autem creatæ repugnat infinitum. 3. Quia gratia Chriſti non eſt ipſe Deus, ſed aliquid à Deo externa proceſſione dimanans. Ergo aut non eſt infinita ſimpliciter dicendo, aut fatendum actu eſſe duo infinita, quod abſurdum eſt.

OBII-

OBIICITVR 1. Quod est sine mensura infinitum est: Christus autem gratiam accepit sine mensura, Ioh.3.34. Ergo Resp. verba Ioh. intelligenda esse συγκριτικῶς, id est non simpliciter, sed per comparationem ad reliquorum hominum gratias quarum mensuram Christi dotes incomparabiliter excesserunt, habitu, vsu, effectu. Habitu, quia nulla vnquam creatura eo vnquam pertingit, vt tanti tamque perfecti habitus capax euadatur, quanti per vnionem ad verbum anima Christi capax est. Vsu, quia Christus habuit vsum completum omnium donorum longè præstantiori modo, quàm vlla creatura vnquam potest habere. Effectu, quia tanta fuerunt Christi merita, vt saluandis omnibus hominibus sufficiant, quod de nulla creatura dici potest.

OBIICITVR 2. Infinitus effectus non potest ex causa finita procedere: atqui Christi merita sunt infiniti valoris. Ergo infinitam esse oportet gratiam vnde processerunt. Resp. Infinitatem meriti Christi non inde proficisci, quòd eius humanitas gratiam infinitam habuerit, sed quòd illa quamuis finita conjuncta tamen fuerit cum gratia vnionis hypostaticæ, id est quòd sit gratia personæ, quæ verè infinita est.

OBIICITVR 3. Si finita esset simpliciter gratia posset aliquis hominum tantos in gratia progressus facere, vt tandem ad gradum gratiæ Christi pertingeret, imò & ad maiorem peruenire posset, quia nullum finitum est quod non possit, ab alio exæquari, imò & excidi atque superari. Resp. in iis quæ sunt eiusdem generis atque rationis ita docent Philosophi tam diuersam esse rationem puncti & lineæ, igitur lineæ & superficiei, vt punctum, quantumuis multiplicetur numquam posset adæquare lineam, sicuti nec linea superficiem. Ita etiam causam vniuersalem particularis quantumuis intendatur, nunquam exequabit. Ita ergo gratiæ, quibus creaturæ donantur, nunquam pertingere poterunt ad gratiam Christi, quia non sunt eiusdem cum ea rationis: sunt enim gratiæ particulares. At Christi gratia est quædam gratia vniuersalis.

BONO tamen sensu dicimus gratiam Christi habere infinitatem quandam. 1. Quidem comparatiuè id est si collatio instituatur gratiæ Christi cum gratia cuiuscunque creaturæ: nam certum est neminem esse non dicam hominum, sed ne Angelorum quidem, qui tanta donorum copia cohonestatus fuerit, quantam Christi humanitas possidet & possidebit in æternum, quod variè demonstratur ex Scriptura. 1. Christus caput est hominum & Angelorum, Col.2.10. In capite autem natura longè perfectiore modo sensus omnes depositi, quàm in reliquis membris. Ergo & incomparabili modo dona transcendit aliorum. 2. Christus vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus, Ps.45.8. Vbi nomine consortium intelliguntur omnes homines, vt tamen præcipuè significentur fideles, quos fratres suos vocat, Heb.2.11.12. Sed & Angeli designari possint, qui vnà cum Christo beata Dei contemplatione fruuntur, Matt.8.10. Iis igitur omnibus gratiarum perfectione superior est. 3. Christus non tantùm plenus est gratiæ, sed & plenitudine, Ioh.1.14. Quam ideo

plenitudinem infinitam haud immeritò dixerimus: nam qui aliis gratiam ſine defectu & diminutione ſæculis omnibus communicare poteſt, eum etiam quædam gratiarum poſſidere infinitatem putandum eſt. Vnde patet latum eſſe diſcrimen inter plenitudinem, quæ Chriſto tribuitur, & eam quæ nonnullis ineſſe dicitur, Act.6.18. Eph.3.19. Siquidem in nulla creatura illa eſt plenitudo, quæ exundat in alios: at de Chriſti plenitudine alij homines hauriunt: in aliis eſt plenitudo ſufficientiæ, quatenus, tantum gratiarum obtinent à Deo, quantum ipſis ad ſalutem Deus nouit eſſe neceſſarium. In Chriſto verò plenitudo eſt, non ſufficientiæ modò, ſed & copiæ, abundantiæ, ſuperfluentiæ. In aliis plenitudo, qualis riuuloruum, qui facilè deficiunt & exareſcunt, niſi fons aquas continuò defluxu ſufficiat. At in Chriſto plenitudo, qualis fontium iugiter ſcaturientium. Denique in cæteris ea plenitudo eſt, quæ certa tamen menſura contineatur, eaque modò minori, prout Deo adlibitum eſt. Rom.12.3. 1.Cor.12.11.Eph.4.7. Sed Chriſti plenitudo ita cumula eſt, vt menſuram excedat, Ioh.3.34.

Secvndo Chriſti gratia infinitatem aliquam habet ratione graduum gratiæ nempe poteſt ea dupliciter conſiderari, vel quatenus qualitas eſt, ſiue in latitudine entis, vel quatenus gratia eſt in latitudine gratiæ. Si ſpectetur ſecundùm latitudinem entis finita eſt procul dubio, quia habere ſine omni limite, aut termino gradus omnes, qui poſſunt eſſe in enti latitudine iſta proprium Dei eſt, vt nulli vnquam creaturæ communicari valeant: at verò ſi conſideretur in ratione grætiæ dici poteſt infinita, quatenus nempe poſſidet omnes gratiæ gradus, quoſcunque ſecundùm ordinariam Dei legem habere poteſt gratia: nam vt docent Philoſophi eſſe in rebus naturalibus & in vnaquaque corporis ſpecie certos terminos magnitudinis, quos vocant, maximum, quod ſcilicet vltra quos res naturaliter prouehi non poteſt: ita in rebus ſpiritualibus altiſſimus quidam & eminentiſſimus gradus eſt, ſupra quem Deus decreuit nihil creatum vnquam aſcenſurum. Ergo ſicut Deus eam coporeæ lucis præſtantiam & abundantiam, eoſque gradus in ſole diſpoſuit, extra quos ex lege ordinaria, & manendo inter naturæ terminos nihil corporeum conſcendere valet: ita in Chriſti humanitate eam gratiæ perfectionem, eam copiam eos gradus diſpoſuit, vt manendo intra latitudinem gratiæ, non poſſit abundantior ſecundùm ordinariam Dei potentiam communicari. Porrò illam abundantiam, plenitudinem, & quaſi infinitatem conſiderare poſſumus, tum ex parte ſubjecti, tum ex parte formæ, ſiue gratiæ ipſius, ſiue etiam ex parte effectus. Ex parte ſubjecti pleniſſima eſt gratia. Quia Chriſtus tantùm gratiæ habuit, quantum illi deſtinari par fuit, vt omnibus officij ſui partibus perfectiſſimè defungeretur; Ex parte formæ, quia vbi ſubjectum vltimam perfectionem attigit, quam ex inſtituto Dei poteſt habere forma, ſiue donum, quo nobilitatur, non poteſt aliquod incrementum vlteriùs illa forma ſuſcipere; atqui Chriſtus vltimam perfectionem gratiæ pertigit ex parte effectuum, quia quicunque effectus ex gratia manare poſſunt, illi ſine dubio

ne dubio ex Christi gratia procedunt id est non solùm ij qui ad adorandam Christi humanitatem sunt necessarij, sed etiam quibus opus est ad procurationem salutis nostræ.

Atqve indidem patet non potuisse Christi generationem augeri, quod tamen de donis sine gratiis infusis intelligere volumus. Nam si de acquisitis qualitatibus putà de scientia experimentali loquendum sit, eas non inficiamur aliquod in Christo incrementum accepisse, vt satis Scriptura docet, vbi ait Christum creuisse sapientia & gratia & statura apud Deum & homines, Luc.2.52. Quanquam ea verba multi putent non esse reipsa, sed de manifestatione rei esse intelligenda, vt significetur Christum in dies magis magisque sapientiam suam & reconditas interiùs gratiæ diuitias manifestas fecisse, tamen ad veram gratiæ sapientiæque acquisitæ profectum potiùs referenda esse, non tantùm docent Veteres Athan. Ambr. Basil. Cyrill. &c. Sed ipsa Scripturæ verba liquidò demonstrant. 1. Quia Christus profeciisse dicitur, non tantùm apud homines, sed & apud Deum. Atqui apud Deum non potest dici profeciisse, quòd Deo sapientiam suam illam & gratiam actibus externis manifestauerit, quippe qui cùm omnia norit & videat, eiusmodi externa demonstratione non habeat opus. Intelligendus est igitur Lucas de veritate profectus & incrementis naturæ loqui, prout nimirum apud Deum, vel coram Deo fieri dicuntur, quæ verè & reapse, non autem apparenter tantùm & secundùm speciem externam fiunt, Es.38.3. Luc. 1.16. 2. Quia non dicitur tantùm profeciisse gratia, sed etiam statura, siue ætate: atqui profectus staturæ & ætatis verus fuit, & non apparens. Itaque rectè Fulgentius, lib.1. ad Thrasim. Sicut carnis est ætate proficere, sic animæ est sapientia & gratia profeciisse. Et Ambr. lib.1. de Incarn. Dominicæ Sacram. c.7. Quomodo Christus proficiebat sapientia Dei, doceat te ordo verborum, præfectus est ætate & profectus est sapientia humana. Ideo ætatem ante promisit, vt secundùm hominem crederes dictum: Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Denique id tandem fateri coguntur Aduersarij Maldonatus in eum locum, Christus sola profecit experientia, quemadmodum indicat diuus Paulus, didicit ex iis, quæ passus est obedientiam & Damasc. in 3. Thom. quæst.7.c.2. Nihil est absurdi, vt virtutes acquisitæ in Christo aliquod augmentum accidentale habuerint lapsu temporis, dummodo non fingamus eas ab initio fuisse imperfectas, & solùm inchoatas sed eximias & excellentes, quæ tamen secundùm quod repetitis actibus maiorem perfectionem acceperint. Fauet Medina huic art.12.

Theorema. *Christi humanitas, tum habituali, tum etiam actuali gratia donata est cœlitus.* Postquam de veritate & quantitate gratiæ egimus; nunc ad eius species deueniendum est. Sunt autem tres præcipuè gratiæ diuisiones, quas totidem theorematis explicabimus. 1. Diuiditur gratia in habitualem & actualem, vtramque Christo conuenientem gratiæ habitualis nomine intelligitur qualitas supernaturalis quæ in ea

permanenter inhæret eam exornans atque perficiens. Eius gratiam in Christo fuisse. 1. Docet Scriptura, cùm ait supra Christum requieuisse Spiritum sapientiæ, Es.11.2. Nam requies ex vsu Scripturæ permanentiam, constantemque inhærentiam, siue perseuerantem habitationem designat, vt cùm dicitur Spiritus Eliæ requieuisse super Elizæum, 2.Reg.2.15. & manus Dei requietura super montem Sion, Es.25.10. Christus itaque non habuit Spiritum diuinitatisque gratiam tanquam actum quendam transeuntem, aut lucem modò accedentem, modò recedentem, sed tanquam qualitatem immanentem & habitum constantem atque immutabilem. 2. Ratio confirmat. Nam ex Philosophorum scitis maximè præstantes atque laudabiles actiones illæ sunt, quæ ex corroborata habitus firmitudine, tanquam ex proprio primóque principio procedunt. Cùm igitur humanæ Christi naturæ actiones præstantissimas & nobilissimas fuisse certum est sic par est vt eas ex firmo quodam habitu, siue gratia habituali progerminasse agnoscamus. Neque est quòd dicas Christo, ex eo ipso, quod erat æternum Dei verbum, adfuisse optimè operandi facultatem plenissimam, adeoque nullo habentu ad eas operationes edendas opus fuisse. Christus enim cùm ita verus Deus sit vt sit etiam verus homo duplices operationes edere debuit, diuinas, quà Deus, & humanas, quà homo. Quamuis itaque verbum facultatem habuerit omnia perfectè operandi operatione diuina, adeóque habituali gratia donari par fuit, per quam humanitas operatione perfecta constantique operaretur.

Gratia vero Dei actualis vocatur supernaturale Dei auxilium effectiuè cum creata voluntate concurrentis ad verè operandum eam gratiam in Christo agnoscendam. 1. Ex eo quòd dicit Nicodemus ad Christum, Ioh.3.2. Nemo potest facere &c. Quo significatur Deum Christo peculiariter adfuisse in patrandis illis operibus & miraculis, quæ plurima & longè excellentissima Christus edidit: nam Deum cum aliquo esse, non aliud est quàm Deum opitulari & peculiari gratiæ auxilio alicui assistere, Gen.39.2. 1.Sam.3.19. 2.Sam.5.10. 1.Chron.11.9. 2. Non est neganda Christi operibus ea præstantia, quam fidelium operibus Scriptura concedit atque fidelium operibus Deus gratia & auxilio speciali assistit, Es.26.12. 1.Cor.11.12.6. 3. Ad actiones omnes naturales opus est auxilio concursúque Dei naturali siue communi. Ergo ad opera supernaturalia, quæ vires naturę superant, opus est auxilio gratiaque Dei speciali. Cùm igitur Christus opera supernaturalia ediderit, non est negandum adfuisse ipsi gratiam cœlestem, tum vt anima Christi per arcanas inspirationes, quæ agenda essent, cognosceret, tum vt voluntas eius ad illas actiones præstandas efficaciter moueretur.

De

CAPVT V.

De Christi virtutibus & donis.

THEOREMA, virtutibus quibuscunque eximiis & sancti *spiritus donis locupletata fuit humanitas Christi.* Gratiam diuidunt etiam Theologi in virtutes & dona Spiritus. Virtutes rursum alias faciunt morales, alias Theologicas. Morales vocant, quæ homines inclinant ad bene operandum in ordine ad homines. Theologicas verò quæ homines disponunt, ad rectè operandum in ordine ad Deum: Ex illis homo dicitur bonus siue ἀγαθός: Ex istis θρησκὸς, religiosus. Dona verò Spiritus S. vocant perfectiones internas, quæ hoc menti præstant, vt faciliùs ad actiones supernaturales à Spiritu S. moueantur. Hæc dona distingui volunt à virtutibus infusis, quòd virtutes hominem disponunt actiuè, vt seipsum ad opera supernaturalia moueat, & quæ dictat Deus aut inspirat alacriùs exequatur. Dona verò hominem passiuè disponant, vt diuinis illustrationibus & inspirationibus promptiùs moueatur, easque faciliùs percipiat. Sed nostri vulgò non ita accuratè distinguunt, verùm gratia virtutis & doni nomina in hac causa promiscuè vsurpant, nempe eadem interna qualitas gratia est, quatenus ex speciali Dei fauore gratis confertur. Donum est, quia donatur à Deo & à Spiritu S. inspiratur. Virtus est, quia inclinatur ad bonum. Sed Nos istam gratiæ diuisionem supponimus vt faciliùs omnes, quæ enituerunt in Christo, gratias explicemus.

In Christo virtutes fuisse, vel illud satis demonstrat, quòd vbi, vel est perfectio gratiæ, consentaneum sit adesse omnem virtutem omnium comitum: At perfectionem gratiæ, imò & quandam infinitatem habuit humana Christi natura, vt jam declarauimus. Deinde quæ perfectiones relucent in membris, illæ capiti denegari non debent. Cùm igitur variis virtutum ornamentis fideles excellant, Christum ipsorum caput iisdem abundè donatum fuisse concluditur. Cæterum virtutes Christi sunt aliæ generales, quæ habent objectum amplissimum, aliæ particulares, quæ angustiori objecto contentæ sunt.

INTER generales emicuit in Christo admiranda *charitas*, quâ cùm Deum Patrem suum dilexerit, tum dilectos suos prosecutus est. 1. Ergo Deum amauit, Iohan. 14.31. Nec amauit modò, sed summa dilectione amauit. Summam autem dico objectiuè, appretiatiuè & intensiuè. Objectiuè, quia Deo summum bonum voluit, nempe gloriam eius, quam etiam omnibus suis actionibus vltimum finem præstitit, Iohan. 8.49. & 14.15. & 17.4. Appretiatiuè, siue respectu æstimationis, quia Deum pluris fecit, quàm res omnes alias, & omnibus antepositit affectu simul & effectu. Affectu quidem, quia nulla vnquam creatura, nulla externa persuasio, nullus internus motus, aut cogitatio illum vnquàm eò com-

Charitas Christi erga Patrem.

pulit, vt Deum vel leuissimè offenderet, sed semper fecit ea, quæ Deo sunt placita, Iohan.8.29. Effectu verò, quia quod intus de Deo sensit, exteriùs opere declarauit neque potuit vnquam hunc amorem hominum irrisio, aut persecutio, ac ne tormenta quidem, aut mors ignominiosissima, non dicam extorquere, sed ne tantillum quidem delibare. Intensiuè, quia gradum illum perfectissimè attigit lege imperatum, vt Deus ametur toto corde, tota anima, & totis viribus, Matth.22.37. Atque ita habuit charitatis perfectionem, siue, vt vocant, totalitatem, quæ partim ad subjectum dilectum, partim ad subjectum diligens refertur. Ex parte enim objecti totum Deum, & quicquid Dei est, dilexit ardentissimè, id est, non tantùm Dei bonitatem, sed etiam potentiam, sapientiam & iustitiam, etiam illam quam in ipso exercebat, cùm pro peccatis nostris hostia sisteretur. Deum coluit Christus & benedixit, non modò in potentiæ declaratione, in sapientiæ demonstratione, & iustitiæ exhibitione, sed & inter eos iræ Iudiciique feruores, quibus ita violenter Christum suum vrgebat, ita vt querelas has de voce eius extorqueret, Deus mi, Deus mi, Matth.27.46. nempe totus derelictus, maledictus, tamen Patrem suum non reliquit, aut ei maledixit, sed etiam adhæsit ipsi constantissimè, & vel in ipso quòd Deum suum vocauit, vim, ardoremque, & perseuerantiam amoris sui erga ipsum declarauit. Rursus ex parte subjecti consideranda est illa dilectionis totalitas. Totus enim Christus totis suis facultatibus quantæcunque fuerint toto corde, anima, mente, affectu, viribus ita Deum dilexit, vt nihil esset in tota humanitate, quod illo amore possideretur nullum desiderium, nulla cogitatio, nullus motus, qui ab eo fine nullatenus aberraret.

Sub Deo & post Deum Christus proximum etiam dilexit. Proximum verò cùm dicamus quanquam eo nomine contineantur etiam Angeli, quos Christus impensissimè diligit, tum quia eiusdem cum ipso gloriæ sunt consortes, tum quia eos per totum vitæ suæ in his terris curriculum ministros habuit fidelissimos, tamen intelligendi veniunt partim homines, quorum causa humanitatem à verbo Dei assumptam tota Scriptura testatur, assumpsit, inquit, non Angelos, sed semen Abrahæ, Hebr.2.16. Homines intellige omnino omnes nulla distinctione facta extraneorum, aut cognatorum, diuitum aut pauperum, amicorum aut hostium: nam vt eum amasse dicitur, qui cùm Christi præcepta audiuisset, discessit ab ipso tristis & inter discipulos nomen profiteri renuit, Marc.10.21. & pro iis etiam qui eum crucifigebant, orauit, Luc.23.34. Et denique pro impiis, adeoque inimicis dicitur esse mortuus, Rom.5.8. Præcipuum tamen huius dilectionis objectum, si respiciamus, inuenimus non esse aliud, quàm Ecclesiam, vt & totius Canticorum liber satis testificatur, & Apostolus docet, Eph.5.25. nimirum eam sibi propriam sponsam esse voluit, 2.Cor.11.2. Sponsi autem erga sponsam tenerrimus est affectus, 2.Sam.1.26. Et eam vocat corpus suum, cuius ipse Seruator est, Ephes.5.23. Atqui nemo est qui corpus suum non amet, Ephes.5.29. Sic & singula Ecclesiæ membra, id est, electos & fideles

Charitas Christi erga electos.

singulos

singulos Christus ita diligit, vt ipsorum vnusquisque dicere possit id quod de seipso Apostolus, Gal.2.20. quanquam in ea fidelium dilectione sunt aliqui gradus, vnde aliqui nominatim à Christo dilecti fuisse dicuntur. Sic enim Apostolus nominatim amicos vocat, Iohan.15.15. Et inter Apostolos Iohannem singulari affectu prosecutus est, vnde per quandam ἐξοχὴν vocatur discipulus, quem Christus diligebat, Iohan. 13.23. & 19.26. & 21.7. & 20. dicitur item dilexisse Martham & sororem eius Mariam & Lazarum, Iohan.11.5. Quæ omnia non eò sunt referenda, quasi pro eis magis quàm pro aliis fidelibus voluerit mortem oppetere, & redemptionis mysterium peragere. Nam eo respectu fideles omnes cuiuscunque sunt conditionis æqualiter diligit, quatenus eis bonum summum, id est, vitam æternam promeritus est. Dedit enim seipsum Redemptionis pretium pro omnibus, 1.Timoth.2.6. Sed intelligenda veniunt de particularibus quibusdam amoris extra Redemptionis causam testificationibus, siue de amore, quatenus quærit alicui, & optat bona minora, atque infra salutis excellentiam constituta. Sic enim Ioh. dicitur dilectus, quatenus cum eo Christus familiariùs agebat eumque specialibus nonnullis dilectionis, & beneuolentiæ testimoniis dignabatur, v. g. quòd eum in sinu suo recumbere voluerit, Iohan.13.23. Vnde docent Antiqui Patres didicisse eum pleniùs ea diuinitatis mysteria, quæ postea Euangelio exposuit: O fœlicem (inquit aliquis) discipulum, qui tam familiariter recubuit super pectus eius quem à longè videre, ad cuius pedes admitti summam alij fœlicitatem iudicant. Sic Lazarum peculiariter & sorores diligebat, siue quia quodam vinculo naturali affinitatis, aut cognationis ei conjuncti erant, siue quia hospitio accipere eum familiariter solebant, siue quia morali honestate quadam præ aliis fulgebant, siue alia quapiam causa.

CHARITATIS istius modum & quantitatem Dei verbum ita exponit, vt supra humanam quamcunque charitatem altissimè collocet. Hominum enim amor, quo mutuò inter se amant. 1. Serò incipit, quia antequàm cum aliis amicitiam ineamus, iam bona vitæ pars transacta est. 2. Citò desinit, quàm raræ enim sunt amicitiæ, quæ vsque ad mortem perdurent, incurrunt sanè multa, quæ amoris vinculum non laxant modò, sed abrumpunt, etsi quæ ad mortem vsque perseuerant, ipsa tamen morte finiuntur, cùm in mortuis cessat amor & odium, Eccl.9.6. 3. parum vehemens est: Pauci enim sunt, qui amicorum vtilitati vehementer & continuò studeant, pauciores, qui bona, honores, famam, salutem, vitam in discrimen adducere, nedum amittere velint, vt id fermè vnusquisque in praxim reuocet quod Prouerbio dicitur, *Proximus sum egomet mihi*, Neque aliquid est homini tam charum quod non tuendi sui causa exponat *pellem pro pelle*, & *quidquid est viro daturus est pro seipso*, Iob.2.4. At verò Christus. 1. nos ita diligit, vt incipit, & nos charitate sua præuenit, vt etiam antequam essemus, amoris in nos sui testimoniis dignatus fuerit, 1.Ioh.4.19. Et ab ipso statim natiuitatis suæ initio varia prodidit huius dilectionis argumenta: nam quod in mediis

tenebris nasci, quòd inuolui fasciis, quòd in præsepi reponi, quòd circumcidi, quòd in Ægyptum transferri voluit, non aliunde quàm ab eius dilectione fuit. 2. Nos constanter & perseueranter amauit: dilexit enim suos vsque ad finem, Ioh.13.1. Ita vt dilectionem illam etiam inter violentissimas passiones, imò & in media morte testatus fuerit : Nam & cùm impetum in eum faciunt Aduersarij, se quidem capi, & vinciri non renuit, sed suos liberos dimitti petit, Ioh.18.8. Et in prætorio, misericordiæ oculos ita in Petrum conuertit, vt eum ad veram resipiscentiam contulerit, Luc.23.51.52. Et in ipsa cruce dilectionem suam atque studium ostendit, cùm erga Matrem Virginem, tum erga Ioh. discipulum, Ioh.19.26. Neque verò morte finita est ipsius charitas, quippe cùm zelus morte fortior sit & sepulchro potentior Cant.8.6. Sed ex quo in cœlum acceptus est dilectionis perseuerentiam satis testificata est copiosa in fideles donorum distributio, Ps.68.19. Eph.4.8. Quin & fine seculorum illam dilectionem comprimis patefaciet, cùm electos in regnum cœleste introducet, Matth.25.21.23.24. 3. Nos vehementissimè, & in supremo dilectionis gradu amauit, & cùm hic sit modus charitatis lege præscriptus, vt proximum amet vnusquisque sicut seipsum. Christus videtur hunc modum transcendisse, & suos magis amasse, quàm seipsum, quippe qui cùm posset facilè sese passioni & morti subducere, Matt.26.53. tamen pro eis mortem oppetere voluerit, quæ est charitatum omnium maxima, Ioh.15.13. Quæ verò potest cogitari dilectio maior, quàm eius qui ad bonum salutemque nostram omnia sua ordinauit ac retulit, doctrinam, actiones, miracula, vitam, corpus, animam, seipsum, quidquid fuit, & quidquid habuit; ille nos verbis instituit, exemplis docuit, miraculis confirmauit; ille pro nobis vitam expendit, sanguinem effudit, seipsum obtulit; ille pro nobis animam in pretium dedit, corpus & sanguinem in cibum Spiritus χαείσματα in solatium, diuinitatem in subsidium, ac fieri fortè potest, vt aliquis pro iusto, aut pro eo, à quo beneficium accepit, sponte moriatur; sed Christi charitas in eo maxima est, quòd pro peccatoribus, adeóque inimicis mortuus est, Rom. 5.7.8. Neque pro iis modò occidi passus est, sed & animam mille cruciatibus torqueri, Matt.26.36.37.38. Imò & iræ diuinæ totum pondus sustinuit ipsamque adeò Dei desertionem & maledictionem ad tempus experiri non recusauit, Matt.27.46. Gal.3.13.

Obiicitvr eandem charitatem exhibuisse Martyres qui ne ipsi quidem pro Ecclesia recusarunt & reliquias passionum Christi expleuerunt in carne sua pro Ecclesia, Col.2.24. Resp. verò non esse quòd charitatem Martyrum, quamuis de cætero admirabilem cum Christi dilectione componamus. 1. Quia Christi dilectio in eo sese exhibuit, quòd pro redemptione Eccl. morte occubuit, vt ei passionis suæ merito salutem æternam obtineret : At martyres non pro redimenda, sed pro confirmanda & ædificanda Ecclesia mortui sunt, neque vt ipsi salutem promererentur, sed vt eam tantùm constantiæ exemplis promouerent. Accepere justi non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata

sunt

sunt patientiæ non dona justitiæ, inquit Leo. 2. Corpore quidem passi sunt Martyres, sed non internis animæ cruciatibus flagellati, quin mirandas potius in ipsa morte consolationes perceperunt, neque vnquam efficaciorem Dei præsentiam, quàm in mediis suppliciis experti sunt. At Christus in morte formidabile diuini Iudicij pondus pertulit, in miris animæ langoribus sauciatus est. Itaque cum de summo dilectionis gradu loquitur, illud in eo constituit, non quod aliquis vitam suam, sed quòd animam exponat pro amicis, Ioh.15.13. *Obijcitur* maiorem esse dilectionem, si quis exponat animam pro inimicis. Resp. & hoc Christum fecisse, Rom.5.8. Cur igitur dicit in eo esse summam dilectionem, quòd quis exponat animam pro amicis, quia amicorum nomine vtitur in passiua, non actiua significatione vt amici dicantur, non qui ipsi amant, sed qui amantur ab altero. Ergo pro quibus Christus mortuus est erant ipsius amici quoniam ab ipso amabantur, sed erant etiam inimici, quia actuali vel habituali quodam odio eum prosequebantur.

In generalibus virtutibus commemorandæ sunt Christi iustitia & sanctitas, quam vtramque appellationem Scriptura conjungens Christum κατ' ἐξοχὴν vocat sanctum & justum, Act.3.14. Et verò cùm Dei imaginem, quæ in Christo eminentissimè eluxit, Apost. Iustitia & sanctitate definiat, Eph.4.24. Deique cultus in hoc constituatur, ipsi seruiamus in sanctitate & Iustitia, Luc.1.74. & 75. Christus autem Deum perfectissimè coluerit, non potest sanè non esse, sicut iustissimus, ita sanctissimus. Et si verò iustitia & sanctitas in rationem vnam transeant cultus diuini, non est tamen dubium, quin aliqua distinctione inter se differant. Quibusdam placet sanctitatem ad prioris legis tabulam referri, Deumque respicere, iustitiam posteriori deputandam & ad proximam spectare haud satis exactè vt arbitror, cum iustitia non minùs in eo versetur, vt Deo debitum præstemus obsequium, quàm vt proximo reddamus, quæ sunt proximi, imò iustius est, vt obediatur Deo, quàm vt hominibus, Act.4.19. Rectiùs ergo videtur, si dicamus ferre iustitiam & sanctitatem, quatenus diuinam voluntatem diuersimodè respiciunt. Iustitia quidem quia per eam homo Dei voluntati debitam subjectionem præstat. Exhibitio enim honoris & officij Deo debiti iustitia vocatur, Act. 4.19. Sanctitatem verò quia per eam homo Dei voluntati conformatur, & veluti configuratur. Vnde hortatur Scriptura fideles, vt ne se figurent pristinis cupiditatibus, sed vt sint in omni conuersatione Sancti, sicut ille, qui ipsos vocauit, Sanctus est, 1.Pet.1.14.15. Quasi diceretur non esse quærendam conformationem cum seculo per cupiditatum pollutionem, sed conformitatem potiùs cum Deo per veram sanctitatem.

Christvs non modò dicitur Iustus adiectiuè, vt ita dicam, Esa.53. 11.Ier.3.25.Zach.9.9. 1.Pet.3.18. 1.Ioh.2.1. Sed etiam Iustus substantiuè, & antonomasticè, Act.7.52. & 22.14. Vt perfectissima ipsius iustitia designetur, cuius comparatione omnes nostræ iustitiæ instar nihili habet, suntque veluti pannus menstruatæ, Esa.64.6. Quo fit vt typo Mel-

chisedeci repræsentatus fuerit, quod nomen explicante Apostolo, Heb. 7.2. Significat regem iustitiæ, vt nouimus Christum non modò iustum esse, sed inter Iustos haud secus eminere quàm principem inter subditos & sicut in Rege dicitur esse nobilitatis fons, quæ inde in quoscunque velut subditos transfunditur: ita Christum veluti fontem esse, vnde iustitia in alios omnes fideles gratuita & liberali communicatione deriuetur, de quibus propterea dicitur esse ipsos iustitiam Dei in Christo, 2. Cor.5.21. Non loquimur autem hic de iustitia illa distributiua, quam Christus vt verus omnium Iudex in vltimo iudicio exercitturus est, vbi reddetur vnicuique secundùm opera ipsius, quia hæc iustitia ad officium Christi regium spectat, sed de iustitia generaliori significatur, quatenus denotat rectitudinem omnium Christi actuum. Seruauit enim Christus indeflexam æquitatem in omnibus operationibus suis internis & externis, vt tum erga Deum, tum erga omnes homines, adeoque erga seipsum rectissimè inculpatissimè ἀνομοτύπῶ sese gesserit; atque sanè ea justitia sic in Christo excelluit, vt non eam tantùm Prophetæ in anteceſſum prædicarint atque prædixerint, Apostoli extulerint, fideles admirandè laudarint, sed & infideles ipsi agnouerint, Pilatus, Pilati vxor & Centurio, Matt.27.19.& 24.Luc.23.47. Quod autem in impiis & transgressoribus habitus est, Es.53.12. 1. Id referendum est ad peruersissimum hostium Christi Iudicium, non ad rei veritatem prout nouimus eum à Pharisæis & scribis & aliis Euangelij aduersariis, tanquam impium & maleficum injustissimis calumniis fuisse apud plebem traductum, Ioh.8. 48.& 9.24.& 18.30. 2. Si verba Prophetæ placeat ad diuinum iudicium referre, dicimus Christum in transgressoribus habitum fuisse, non propter injustitiam, quæ ipsi reuera inhæreat, sed propter peccatorum nostrorum imputationem ad quam respiciens Scriptura dicit eum factum fuisse peccatum pro nobis, 2.Cor.5.21. Hæc autem imputatio, etsi pœnæ debitorem Christum constituit, eum tamen culpæ malitiæque nostræ non fecit affinem, nec de summa eius rectitudine, vel tantillum delibauit.

Christi sanctitas duplex intelligi potest. 1. Sanctum nouimus illud dici quod aliquo Dei munere hominibus specialiter commendari videtur. Atque hoc sensu Plutarchus de defectu oraculorum Sacerdotes Ethnicos & qui eis adstabant vocat ὁσίους id est sanctos. Et Ennius apud Cic. oratione pro Archia poëta Sanctos nominat. In Scriptura sanè quidquid Deo consecratum est Sanctum dicitur, quasi sanguine tinctum dicas, vt volunt Etymologi, quia quod olim vel purificabatur, vel Deo dicabatur, sanguine hostiæ tingi atque respergi solebat. Hinc omnia primogenita sancta vocantur. Exod.13.2. Hinc Nazaræi Sancti Num.6.8. Hinc tabernaculum, altare, vasa templi, vestes sacerdotum sanctæ. Quia igitur Christus non leuibus donis sed immensis quæ in eum pater contulit, gratiis nobis commendatus est etiam ipsius Dei voce, Matth.3.17. Et quia Deus ipsius humanitatem sibi singulariter consecrauit. Vnde & à Patre sanctificatus dicitur, Ioh.10.36. Haud

imme-

immerito est quod sancti nomine significatur. 2. Sanctitatis nomine significatur ab omni labe sine contagione libera puritas; atque quod hoc modo sanctum est, ἅγιον Græcè dicitur, quasi dicat ab omni terrenæ fæcis inquamento purum. Sicut & quod Sanctum priori sensu dici volunt speciatim ὅσιον, quanquam id discriminis non obseruat Scriptura, sed hæc duo nomina vsurpare solet promiscuè hoc etiam significatu attribuitur, passim Christo sanctitas, Ps.16.10.Luc.1.35.Act.2.27.Et3.14.& 4.27.& 30. & 13.35. Apoc.3.7. Apostolus nominatim, Hebr.7.26. Ad hanc sanctitatem explicandam multas appellationes congerit. Vocat enim Christum ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν sanctum, innocentem, ab omni malo remotum, impollutum, & segregatum à peccatoribus. 1. Est ἄκακον, siue innocens: est enim innocentia pars quædam sanctitatis, quæ non malè à Tullio definitur puritas animi omnem injuriæ illationem abhorrens, Abhoruit autem ita Christus vt ne conuitiis quidem petitus vicissim conuitiaretur, 1.Pet.2.23. Imò ne pateretur quidem hostes suos iuratissimos & in eum contumeliosissimè irruentes à discipulis suis aliquo damno mulctari, Matt.26.51.52. 2. ἀμίαντον vocat id est impollutum & καθαρώτατον: nam βίον καθαρὸν, siue ἀμίαντον pro eadem sumit Plutarchus denique ea puritate nitentem quæ Angelicam etiam superet quæ nulla prauorum familiaritate corrumpi aut vitiari possit, quomodo nouimus scilicet solis radios in fimeta & cloacas immissos nihil inde sordium contrahere. Sic mundissima Christi anima ex terrena hominum immunditia nihil labis accepit. 3. Atque hinc est quod addit Apostolus eum à peccatoribus segregatum fuisse, non quidem sede, siue loco: oportuisset enim eum de mundo excedere 1.Cor.5.9.10. Sed statu atque conditione segregatum inquam & ortu, & actu. Ortu, quia peccatum non habuit infantilis ætatis exortu (vt inquit Aug.) neque originariam illam labem, quâ omnes inficimur, vel contraxit, vel contrahere potuit. Actu verò, quia toto vitæ decursu, nihil vnquam aduersus Deum, aut proximum commisit, 2.Corin.5.21. 1.Pet.2.22. Quod autem cum publicanis & peccatoribus, aliquando conuersatus est; non inde fuit quòd iis morum communione iungeretur, vt blasphemè calumniabantur Pharisæi, Matt.11.19. Sed & quod ipsius muneris esset, vt ad peccatores accederet eos ad bonam frugem reuocaturus, Matt.19.11.& 12.13. Eam Christi sanctitatem citra omnem culpæ rationem longissimè positam, non Prophetæ tantùm & Apostoli agnouerunt, sed & Angeli prædicarunt, Luc.1.38. Et ipsi adeò Dæmones vel inuiti confessi sunt, Marci 1.24. Scriptura certè supra omnem omnium hominum & Angelorum Christi sanctitatem collocat, cùm vocat Christum Sanctum Sanctorum, Dan.9.24. Eodem nimirum sensu, quo dicitur Deus Deorum & Dominus Dominorum, qui iis omnibus incomparabiliter superior est, quicunque Dij aut Domini vocantur apud homines quò referri potest, quod Heb.7.26. Dicitur Christus cœlis excelsior factus, vt id non simpliciter ad Christi ascensionem referatur, quâ consedit ad dextram Majestatis in excelsis. Heb.1.3. Sed etiam de

sanctitate ipsius atque puritate intelligatur, qua creaturas omnes rationales etiam cœlestes illas & Angelicas, quæ in cœlis tanquam proprio domicilio commorantur, infinitis parasangis antecellit.

Sanctitati bonitatem adiungimus. Bonitas autem duplex, artis scilicet & moris. Artis eam voco ex qua quis non simpliciter bonus dicitur, sed bonus artifex, quatenus nimirum ea omnia præstat, quæ simpliciter requisita sunt in arte illa, siue ministerio illo exercendo ad quod vocatus est, quomodo dicere solemus bonum Grammaticum, aut bonum Medicum eum qui non deficit in illis, quæ ad artem Grammaticam, aut Medicam necessaria sunt. Hoc bonitatis genus sibi Christus attribuit, cùm Ioh.10.11.14. Vocat se pastorem bonum, qua appellatione significat se ea omnia erga fideles suos perfectè præstare, quæcunque pastorem decent, quatenus creditas sibi oues amore curaque pastorali prosequitur, eas cognoscit, eis salutaria pascua prouidet, eas pastorali pedo verbi ab errore reuocat in viam & morbo affectas confirmat & ægrotas sanat, &c. Ezech.34.4. Imò nullos refugit labores, adeoque nec mortem ipsam propter eas saluandas, Ioh.10.11. *Bonitas* autem moris ea est, quam definiunt conformitatem actuum externorum & Internorum cum lege diuina, de qua loquitur Apostolus, Rom.15.4. computatque inter fructus Spiritus, Gal.5.22. Ex qua etiam quis vir dicitur bonus, siue probus, quo titulo insignitur Barnabas, Act.11.24. Virum autem bonum definiunt Ethici, qui virtutum moralium comitatu exornatus est. Hæc bonitas Christo tribuitur, Ioh.7.12. Ab illis qui cùm eum audiuissent testabantur virum esse bonum,& Matth.19.16.qui adolescens ad eum accesserat æternæ vitæ comparandæ rationem quæsiturus, vocat eum magistrum bonum atque hunc titulum videtur Christus ibidem recusare, vt vnius Dei proprium, sed non ex aliqua propriæ impuritatis conscientia, quasi se boni appellatione indignum iudicaret, verùm habet ea recusationis species alias causas. 1. Enim quia de Christo adolescens iste non aliter iudicabat quàm de vero homine par fuit ut altiùs attolleretur. Itaque Christus his verbis ad eum vtitur, vt hac ratione iuuenis non in aliqua Christi bonitate morali inhæreat, sed ad diuinam æternamque agnoscendam animum erigat. 2. Quoniam iuuenis ille propriæ virtutis opinione tumebat, & legis omnia præcepta ita impleuisse gloriabatur, vt culmen bonitatis iustitiæque moralis se pertigisse arbitraretur, ideò Christus decutiendæ illius arrogantiæ ad diuinæ bonitatis contemplationem vocat, cuius sanè comparatione quidquid boni est in miseriis mortalibus; vanitatis potius, quàm bonitatis nuncupationem meretur.

Obedientiam addo quæ & ipsa virtus est generalis, quippe totam legem amplitudine sua continens: est enim præstitutio officiorum omnium lege diuina præscriptorum, siue habitus ille internus, quo inclinatur homo ad ea omnia præstanda, quæ diuinæ legis mandatis comprehenduntur. Quo fit vt Aug.lib. de Ciuiate Dei, lib.14.c.12. Obedientiam dicat in præcepto commendari, & matrem esse, quodammodo atque custo-

custodem omnium virtutum. Et Greg. lib.35. Moralium cap.12. Solam obedientiam esse quæ virtutes cæteras menti inserat, insertasque custodiat, nimirum quatenus ad obedientiam pertinent objecta omnium virtutum, prout mandato Dei continentur, quod vt explicent Scholastici faciunt duplicem, materialem & formalem. Obedientiam materialem, siue materialiter spectatam non aliud esse docent, quàm virtutes omnes, quatenus exequuntur actus lege mandatos, atque hoc sensu fatentur eam esse virtutem generalem. Obedientiam autem formalem, siue formaliter consideratam esse habitum, quo exequimur actus præceptos, quà præcepti sunt, quo respectu volunt esse virtutem specialem & ab aliis distinctam quippe cùm nulla sit virtus, quæ bonum faciat, quà præceptum, nisi sola obedientia.

PRÆCIPVÆ proprietates siue conditiones obedientiæ illius quam Deus testatus est, sibi esse sacrificiis & victimis gratiorem, 1.Sam.15.22. Illæ sunt, 1. Vt obsequium præstetur perseueranter atque constanter, vt neque deficiat in medio cursu, vel retrocedat ad instar discipulorum, de quibus Ioh.6.66. Solis enim perseuerantibus salus & gloria promittitur, Matth.24.13. 2.Tim.4.7.8. Itaque in hac obedientiæ via ita currendum, vt comprehendamus, 1.Cor.9.24.25. Incassum enim bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, inquit Gregor. 2. Vt obedientia præstetur alacriter & sine tergiuersatione pro capto silentique animo. Nam hilarem datorem amat Deus, 2.Cor.9.7. Eccles.35.8.9.10. Neque seruire debemus ad oculum, vt ij qui præsenti quidem Domino obtemperant; absente verò mandata contemnunt, & habent ludibrio, sed vt serui Christi facere voluntatem Dei ex animo, Eph.6.6. Hilaritas porrò in eo demonstratur, si corda facilè flectamus ad hortationes diuinas, quod qui faciunt dicuntur filij obedientiæ, 1.Petri 1.14. Si voluntatem Dei pluris facianus quàm omnia hominum imperia, adeoque nostram ipsorum voluntatem, Act.4.19. & 5.29. Si ad Dei voluntatem exequendam dispositi simus, tum in iis quæ nondum scimus ipsum velle, Exo.20.19. tum in iis quorum rationem non percipimus, Ioh.13.7.8. Nam certè qui voluntati Dei se applicant, quia nouit eius rationem, ille non tam voluntatem Dei, quàm voluntatis Dei rationem sequi dicendus est. Atqui obedientia in eo propriè consistit, vt simpliciter voluntatem nostram ad voluntatem Dei accommodemus. 3. Vt in omnibus Deo obediatur, Exod.19.8. & 24.3. Deuter.4.2. & 5.33. Id est non tantùm in iis quæ nobis commoda sunt, aut jucunda, sed etiam in iis, quæ commodis nostris videntur aduersari, quæque à nobis apprehenduntur vt mala, Ierem.42.6. Hebr.11.8. Imò in iis, quæ primâ fronte rectæ rationi opposita videntur, sicut Abrahamus obediebat Deo innocentis filij mactationem imperanti, Gen.22.9.10. Nam cùm præceptum aliquod eiusmodi singulare datum istud considerandum est sicut Deus. Quanquam Deus operetur aliquando contra solitum naturæ cursum, & in miraculis patrandis, contra naturam tamen non operatur, quia Deus non destruit ordinem quem ipse instituit. Ita cum aliquid, aliquando mandare, quod sit

quidem contra consuetum virtutis modum, sed nunquam tamen esse possit contra virtutem ac justitiam, cùm justitiæ regula, sit diuina voluntas.

His præmissis ad obedientiam Christi accedamus. Quidam ex veteribus, Basilius nominatim de Spiritu Sancto c.8. & Chrys. in Ioha. Hom. 59.68.75. Quos sequuntur Theophil. Euthym. Ansel. & docere videntur nihil Christum fecisse ex obedientia, verùm omnia ex charitate. Obedientia enim relationem necessariam habet, ad aliquod præceptum. At illi nolunt Christum habuisse vllum præceptum patris, sed omnia liberè ac sponte sine obligatione vlla & inspiratione diuina fecisse. Rationes eius sententiæ sunt. 1. Quia præcepta dantur ad coërcitionem & instructionem, aut directionem: atqui Christus neque coërcitione opus habuit, quippe quæ tantùm malos spectat, neque instructione cùm plenus fuerit omni scientia, neque directione, cùm voluntatem habuerit à rectitudine indeflexibilem. 2. Quia Christus legislator est. Ergo ipse nulla lege tenetur. 3. Quia erat actionum suarum Dominus. Ergo non pendebat ab alterius præcepto. Verùm hæc opinio procul abit à vero nisi benigna quadam Interpretatione molliatur, putà, si dicamus. eos Patres, non de quavis obligatione loqui, sed de obligatione quadam vili & abjecta, qualis mancipiorum qui Dominis suis, velint, nolint, obedire coguntur, vel etiam in eo verborum excessu Sanctos illos Doctores, non aliud voluisse, quàm Christi promptitudinem in præstanda Patris voluntate significare atque commendare, quasi dicerent, Christum cognito Patris decreto de procuratione salutis humanæ omnia ita libenter promptoque animo præstitisse, vt eam præstiturus fuerit, quanquam nullum Patris præceptum interuenisset. Itaque teneatur vera sententia, quæ est aliorum Patrum Ambr. lib.5. de fide, cap.6. Aug. tract. 82. in Ioh. Et Cyrilli in Ioh. lib.10.c.20. nempe Christum & verè habuisse præceptum à Patre, & veram proprieque obedientiam Patri præstitisse. Vtrumque enim Scriptura confirmat. 1. Enim Christus frequenter docet se habere præceptum Patris & illud exequutioni mandare, Ioh.10.18.& 12.49.& 14.31. & 15.10. Sic Heb.7. dicitur in lege Dei, quæ officia sua præscribit omnibus hominibus scriptum est de Christo vt faciat voluntatem Dei, & Deus ipse de Christo in carnem venturo ita loquitur, Deut.18.18. Ipse loquetur omnia, quæ ipsi præcepero. 2. De Christi obedientia multa occurrunt euidentissima testimonia, Rom.5.19. Phil.2.8. Hebr.5.8. 3. Ipsa ratio nos ad eam confessionem deducit. Nam præcepta Christo homini dari conueniens fuit. 1. Vt Dei voluntas de saluandis electis ita melius declaretur accedente ipsius præcepto. 2. Vt docerentur homines neminem esse quantauis authoritate præditum, qui non debeat se Deo subditum agnoscere, quando etiam humanitas Christi ad summam dignitatem euecta per vnionem verbi tamen accepit à Deo præceptum eique subjecta fuit. 3. Vt Adam legem primigeniam sibi positam violando, nos omnes inobedientia sua in miseriam detrusit: ita par fuit, vt Christus secundus Adam legem sibi datam

datam obseruando nos obedientia sua repararet, Deoque reconciliaret. Adde vltimo consentaneum fuisse, vt Christus nobis suo exemplo ostenderet quanti facienda sunt Dei præcepta. Itaque promptitudine & humilitate ea obseruare debeamus.

Ad rationes contrarias facilis est responsio. Ad primam, Christo vt homini imposita sunt præcepta, quanquam non eodem fine, quo nobis dantur: nobis enim ad coërcitionem, institutionem, directionem. Christo verò aliis de causis, quas modò explicuimus. Hæc præsertim vt ipsius subjectio hac ratione manifestius pateret; ad secundam; Christus non est legislator simpliciter quâ homo, sed quia Deus homo: deinde Christi legislatio eum quidem superiorem facit hominibus quibus leges feruntur, sed non impedit, quamuis maneat inferior Patri suo; deinde Christi legislatio eum quidem superiorem facit hominibus quibus leges feruntur, sed non impedit quò minùs maneat inferior Patre suo, & illius, vt ita dicam inferior itatis, seu dependentiæ legem accipiat à Patre. Adde quòd ne legislatores quidem omnes sunt exempti legibus: nam sicut dicitur lege digna vox Cod. de lege Romani Imperatores dignum censeunt maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri, quamuis enim princeps specialibus illis legibus minimè sit subjectus, quas ipse fert subditis de tributis, vectigalibus, delectu militum, conscriptionibus exercituum. Sunt tamen leges quædam communes, putà quæ à Deo omnibus hominibus præscriptæ sunt, aut quæ ad communem Reip. statum aliqua ratione pertinent, quæ principem spectant, sicut & subditos, ita ergo Christus leges præscribit nobis multas, quibus ipse non perstringitur, de pœnitentia, de fide in Mediatorem, de Deo per ipsum solum inuocando, sed sunt aliæ quibus obstrictus fuit, eæque tum communes, tum singulares. Communes quidem quæ & Christum hominem, & omnes homines respiciunt, qualia sunt præcepta lege morali præscripta, quæ fatemur à Christo quidem esse, sed non præcisè, quatenus est Mediator, aut legislator Ecclesiæ, verùm quatenus est Deus & & legislator omnium hominum. Singulares sunt illæ, quas ipse ex officio Mediatoris præstare debuit, cùm missus fuerit à Deo, vt prædicaret Euangelium, vt miracula patraret, vt mortem obiret pro nobis, quæ vbi præstitit, dixit se opus adimplesse, quod ipsi datum fuerat, vt illud faceret, Ioh. 17. 4. Ad tertiam Christus fuit Dominus actionum suarum libertatis respectu, quatenus eas peregit liberrimè, nullaque necessitatis violentia coactus, sed quà homo non fuit Dominus actionum suarum ratione dependentiæ. Cùm enim eius humanitas creatura fuerit, necesse fuit etiam vt proprietatem & affectionem, siue conditionem creaturæ cuicunque rationali annexam haberet, hanc scilicet vt superiorem agnosceret, & ab eo in essendo agendoque penderet. Hoc igitur fixum esto Christum, & habuisse mandatum Patris & ei obtemperasse: obediuit autem *constantissimè, promptissimè, plenissimè. Constantissimè*, nam ab initio vitæ vsque ad mortem in ea obedientia perseuerauit, non per aliquod tempus, sed sine intermissione ea fecit semper, quæ

placita sunt Patris, Ioh.8.29. Vnde Apostolus dicit eum fuisse obedientem vsque ad mortem crucis, Phil.2.9. Quibus verbis significatur, tam diuturnitas obedientiæ, quæ ad mortem vsque continuo veluti fluxu perdurauit, tum etiam excellentia & perfectio quòd nimirum non in minoribus tantùm rebus aut actionibus obsequium fidele Patri præstitit, verùm in maximis, difficillimis, tristissimis, adeò in subeunda ipsa crucis ignominiosissima morte, quo respectu, Heb.5.8. Christum didicisse obedientiam ex iis, quæ passus est, Quod non ita intelligendum est, quasi ante passionem, neque præstaret, neque nosset rationem veræ obedientia, sed id modo significatur, tum demum Christum experimento facto cognouisse, quàm sit arduum ac difficile præstare obedientiam, non minus in ferendis summis animæ corporisque cruciatibus, quàm in reliquis vitæ actionibus. 2. Christus obediuit *promptissimè*: neque enim tergiuersatus, aut moras nexuit, sed alacriter atque lubenter Dei mandata capesciuit, prout ipse introducitur loquens, Ps.40.8.9. Ecce adsum &c. Id est paratissimus sum ad officia quæcunque quantumuis grauia præstanda. Atque hæc etiam causa est inter alias quòd exequutionem voluntatis paternæ vocat escam suam, Ioh.4.34. Quia scilicet vt cibus corporis, quando præstò est, delectat appetitum. Ita Christus in obseruatione mandatorum Patris ineffabili gaudio pertentabatur. Dices igitur quidnam testificatur Christus, Matth.26.39. Se voluisse vt calix mortis à se transiret, nempe sciebat tamen à Patre paratum, vt eum ebiberet. Resp. voluisse Christum voluntate naturali, quod tamen voluntate deliberata, seu negatiua volebat voluntatem naturalem, siue simplicem voco eam, quæ obiectum considerat simpliciter & in se, & sine respectu ad aliud. Deliberatam verò, quæ idem obeditum considerat suis omnibus circumstantiis quasi vestitum. Christus autem calicem, id est mortem à se transire volebat voluntate naturali, id est mortem simpliciter & in se considerando, quatenus perniciem & destructionem infert creaturæ, prout nouimus res creatas, & in sui conseruationem affectu propensissimo rapi, & sui destructionem infensissimè odisse. Sed rursus cum calicem bibere volebat voluntate deliberata, quatenus mortem considerabat, vt à Deo decretam, quæque necessariò subeunda foret ad peragendam generis humani redemptionem. Denique Christus obediuit *plenissimè*: fecit enim voluntatem Dei, Ps.40.9, & eius mandata seruauit, Ioh.15.10. Neque tantùm seruauit, sed ita prorsus fecit, sicut ei Pater præceperat, Ioh.14.31. Et cùm obedientia Christi, atque inobedientia Adami directè opponantur, Rom.5.19. Satis inde colligitur sicut Adam inobedientia generali totam Dei legem violauit: Ita Christum obedientia perfectissima totam Dei legem adimpleuisse: neque enim debuit vnum Iota, vel vnus apex de lege præterire, quin omnia à Christo implerentur, Matt.5.17.18. Denique Christus se suamque voluntatem diuinæ voluntati perfectè accommodauit, in quo consistit plena obedientiæ ratio: Atque hoc vt significaret Christus testatus est se de cœlo descendisse, non vt suam, sed vt Patris

volunta-

voluntatem faceret, Ioh.6.38. Hoc enim non ita intelligendum est, quasi Christi humanitas contrariam haberet voluntatem voluntati Patris, sed phrasis est ex communi vsu loquendi desumpta, quâ vtimur cùm significare volumus nos totos ab eius nutu pendere, nec aliud magis in votis habere, quàm vt eius voluntatem exequutioni mandemus. Quamuis & hoc addi possit, Christum ita loquutum respicientem ad peruersum Iudæorum judicium, qui eum putabant ex lege omnia pro libito agere, nulla habita mandatorum ratione. Imò ego (inquit) non vt putetis voluntati votisque meis aduersus cœlestia mandata Patris obsecundo, sed ad voluntatem eius perficiendam me totum viresque meas compono. Nunc ad virtutes magis speciales accedamus. Eas Scriptura præcipuè quinque nominat, *Sinceritatem, humilitatem; zelum, mansuetudinem, & patientiam*; ac tres quidem priores videntur ad modum obedientiæ pertinere. *Sinceritas* enim qualitatem obedientiæ designat. *Zelus* qualitatem eius intensiuam denotat. *Humilitas* verò Christum cum subjectione obediisse demonstrat. Itaque *sinceritas* hypocrisi, *humilitas* superbiæ, *zelus* accediæ, siue tepori in exequendis Dei mandatis opponitur.

SINCERVM propriè illud Latinis dicitur, quod nulla est alieni mixtura corruptum, vt mel à sua cera defœcatum sincerum dicatur, quasi dicas sine cera. Gr. εἰλικρινὴς vocant, quasi τῇ εἴλῃ κρινόμενον, quasi scilicet τὰ μεμιμμένα, καὶ τὰ ἄμικτα τῇ εἴλῃ διακρίνονται, quæ mixta sunt ab ijs quæ pura impermixta sunt, sunt facilè ad splendorem solis dijudicantur. Vnde patet sinceritatem, siue εἰλικρινείαν dici eam virtutem, quâ omnis alienæ institutionis & affectionis permixtio ita remouetur, vt totus homo ad officium sibi à Deo injunctum, sine vlla dissimulatione & dolo interiùs & exteriùs sese explicet. Huc itaque respiciunt Apostolica ista præcepta, vt Deus glorificetur à nobis corpore, Spiritu, & animo, 1. Thess. 5.23. Vbi dum tria hæc nominat Apostolus corpus, Spiritum, & animam, non est putandum hominem ex tribus partibus essentialibus velle componere, quem nouimus omnibus rectè sentientium calculis, ex duabus tantùm partibus, anima & corpore esse conflatum, Sed Spiritus & animæ vocabulis vnam & eandem partem, τῷ ἡγεμονικῷ, inquam καὶ τῷ ἐπιθυμητικῷ, quæ distinctio insinuatur, Heb.4.12. Vt ita doceamur, quantus sit complexus quantaque sinceritatis latitudo, quæ nullam corporis, aut, animi facultatem, siue partem relinquit, quam non sibi deposcat. Ergo vt corporis nomine massa illa venit sensibilis materiata & crassa, in qua, tanquam in domicilio suo animus noster habitat. Ita per Spiritum intelligenda est facultas ἡγεμονικὴ ac dominatrix, siue pars animæ, quâ intelligimus, sapimus, ratiocinamur. Per animam verò facultas appetendi id est voluntas & affectus, qui cordis nomine in Scriptura frequentissimè designantur, quique vnà cum corpore menti atque intelligentiæ, siue rectæ rationi obtemperare debent. Hæc tria nominauit Apostolus vt ostenderet eam demum esse veram plenamque sinceritatem, cùm nec aliquid exequitur corpus, nec aliquid mens cogitat, nec aliquid cor

appetit, aut concupiscit, quod non cum Dei voluntate consentiat, adeoque cùm quod corpus præfert, & quod eloquitur lingua, id etiam voluntas, affectus, intellectus, interiùs sapit & sentit, cuiusmodi sinceritatem, cùm nemo hominum perfectè exequatur in seculo, propterea Apostolus ὁλοτέλειαν, siue integram suis omnibus partibus & gradibus sinceritatem in vltimo demum Christi aduentu nos possessuros insinuat.

At verò ea sinceritas in Iesum Christum dum in terris ageret summa cum perfectione reluxit, nam vt nullum fecit peccatum, ita etiam non inuentus est dolus in ore ipsius, Es.53.9. 1.Pet.2.22. Adeoque nec facto nec dicto (inquit Cyrill.) legis transgressor erat, sed ad culmen omnis puritatis peruenit. Sanè si tria illa ab Apostolo priùs memorata spectemus, reapse comperiemus 1. Christum mentem suam in cœlestibus contemplandis assiduè occupasse & sibi iugiter Deum resque diuinas proposuisse quas mente contemplaretur, ut ipse de se testatur, Ps.16.8. 2. In earum rerum contemplatione mirificè delectatum esse vt propensissimo gaudij affectu ad eas res referretur, Ps.16.9. Luc.10.21. 3. Corpore, lingua & omnibus corporis partibus ea omnia quæ sibi ex officio incumbebant, exequutum esse nam loquutus est justitiam, Es.53.1. Et pacem nationibus, Zach.9.10. Loquutus item de regno Dei, Luc.9.11. Locutus veritatem, Ioh.8.40. Quomodo autem locutus, non obiter, aut negligenter, sed seriò, sincerè & diligentissimè, nempe sicut audiuit à Patre, Ioh.8.28.38.& 40. Corpore quid putas non præstitisse eum qui ne morti quidem ignominia cumulata illud tradere non recusauit, 1.Pet. 2.24. Atque inde colligimus dulcissimum fuisse omnium in Christo partium & facultatum consensum, vt nec affectus interior linguam recusaret, nec mens obluctantem haberet affectum, adeoque ab omni hypocrisi longissimè distaret, quàm etiam nouimus à Christo subinde à Phariseis & scribis anathemate fuisse percussam, vt sciamus nihil ipsum maiori odio prosecutum fuisse, quàm hypocritarum factum ac dicacitatem, quibus aliud est exteriùs promere, aliud intus condere, vnde propheta dicit habere eos cor & cor, Ps.12.3. Quia cùm aliud habeant in ore, aliud in pectore, videntur gemino corde præditi, quorum alterum interiùs lateat & peruersum sit, alterum foris pateat, & rectitudinem verbis ostendens, quod ipsum significat Apostolus, Iac.4.8. Cùm eos vocat duplices animo, vt è contra qui sincerè se se gerunt, dicuntur, 1.Chro. 12.33. Agere non corde & corde id est duplici animo sed integrè & sine dolo, & inter effecta Sancti Spiritus illud proponitur, Ezech.11.9. Quod dat fidelibus cor vnum, id est veram sinceritatem ab omni fuco & simulatione remotam, & Dauid à Deo postulat, Ps.86.11. Vt vniatur, siue adunet cor suum id est ab eo omnem hypocrisim arceat, efficiatque vt solidè, at sincerè permanere possit in timore Dei.

Ad Christi sinceritatem pertinet ipsius veritas, quanquam obseruandum est moralem veritatem dupliciter dici, communiùs & specialiùs. Communiùs illud verum dicitur, quod habet rectitudinem sibi debitam, quo sensu virtutem tum demum veram dicimus, quæ habet iu-

stam

ſtam conformitatem cum ſua regula; i. e. cum lege diuina. Hoc modo veritas eſt aliquid commune omnibus Chriſti virtutibus, quatenus in omnibus ad legem Dei planè ſe conformauit. Specialiùs autem veritas dicitur illa virtus, quâ quis verum, vel ſermone enunciat, vel facto teſtificatur, quam vulgò veracitatem dicimus, eam Chriſtus per totam vitam perfectiſſimè coluit, vt ipſemet teſtatur Iohan.8.40.45. & 16.7. Vnde frequentiſſimè ingeminat illud in docendis diſcipulis, *Amen, Amen* dico vobis, i. e. in veritate teſtor, imò & ſe ad hunc finem veniſſe teſtatur in mundum, vt veritati teſtimonium perhibeat, Iohan.18.37. Qua de cauſa teſtis fidelis vocatur & verax, Apocal.19.11. Et teſtimonium ſuum eſſe αὐτόπιστον, ac fide digniſſimum docet Iohan.8.14. quod ſi quando fateri videtur non eſſe dignum fide teſtimonium ſuum, Iohan.5.31. Intelligendum eſt illud de Chriſto dici non ſimpliciter & abſolutè ſecundùm rei veritatem, ſed συγχωρητικῶς & ex ſuppoſitione per fiduciariam conceſſionem, quaſi diceret ad Phariſæos teſtimonio meo ſtare recuſatis, ſit verò ita ſanè neque me teſtantem audite, atque ſuppetunt etiam aliunde de me teſtimonia, quæ negare non poteſtis, nempe tum Iohan.Bapt. tum operum meorum admirandorum, tum etiam Patris cœleſtis, qui de me teſtimonium perhibuit, quæ omnia Chriſtus ibi latiùs exequitur, neque verò ipſe tantùm ſe docuit eſſe veracem, ſed & tantam tamque manifeſtam in omnibus veracitatem præſtitit, vt vel ipſi Phariſæi eam agnoſcere & laudare coacti ſint. Nam cùm ipſi laqueos ſtruerent, illi maximo fundamento innixi ſunt, quòd Chriſtus ita verax eſſet, vt nihil nouiſſet fingere, nihil dicere aliter quàm res haberet, Matth.22.16. Non eſt autem de nihilo quòd eam Chriſti virtutem tam frequenter memorat Scriptura & inculcat. Cùm enim eo fine à Patre miſſus fuerit, & ab Apoſtolis prædicatus, vt in eum credamus, Iohann.14.1. & 20.31. Act.10.43. Rom.10.9. fides autem in veritatem, tanquam in propriam objectum recumbat, vt Chriſtus docere voluit, cùm ad Phariſæos ait, ſi dico veritatem, quare non mihi creditis? Iohan.8.46. Oportuit ſanè ædificandæ ac ſtabiliendæ fideī noſtræ, nobis ante omnia teſtatiſſimam fieri Chriſti veritatem.

Sed enim hoc loco tollendus eſt ſcrupulus: Nam videri poſſet alicui Chriſtus, nec in dictis, nec in factis perpetuam præſtitiſſe veritatem ac ſinceritatem. In dictis, nam certum eſt Chriſtum voluiſſe doctrinam & miracula ſua propagari, ſicut Apoſtolos ſuos jubet palam facere, quæ audierant & viderant, & ſibi teſtes eſſe per totum mundum, Matth.10.27. Luc.24.48. Act.1.8. Et tamen jubet aliquando ſuos, ne dicant, quæ viderunt & audierunt, Matth.8.4. & 16.20. & 17.9. Marc.5.43. & 8.26. Imò etiam aliquando ſeueram interminationem addit, vt Matth.9.30. Ita cùm rogatus eſſet à cognatis ſuis, vt ad feſtum Ieroſolymis celebrandum accederet negauit ſe iturum, & tamen ſtatim poſtea, vbi diſceſſiſſent cognati, aſcendit, Ioh.7.8.9.10. In factis igitur ſimulationem exhibuiſſe videtur: nam cùm in itinere Emmauntico, ad diſcipulos duos acceſſiſſet, & inter colloquendum vico appropinquaſſent, fingebat Chri-

ſtus ſe longius ire, quod tamen minimè decreuerat, vt euentus oſtendit, Luc.24.28.29.

His dubiis, vt ſatisfiat, diſtinguenda eſt ſubſiſtentia rei ab eiuſdem circumſtantiis. Ac ſubſtantiam quidem ſiue rem ipſam quod attinet, certum eſt voluiſſe Chriſtum & myſteria & miracula patefieri, ſed quod ad circumſtantias ſpectat, voluit eam manifeſtationem, vel à quibuſcunque perſonis, vel quocunque tempore fieri. 1. Enim non ab omnibus perſonis. Certè non ab immundis ſpiritibus; qui cùm teſtimonium ei perhibere volunt dicentes, *nouimus te quis ſis*, nimirum *Sanctus ille Dei*, *tacere* iubentur & obmuteſcere, Marc.1.24.25. Nam ſi laus non eſt grata in ore peccatoris, quoniam à Domino non eſt immiſſa, Eccl. 15.9. Quantò minus ei gratum eſt à Satana laudari cùm non placeat Deo enarrari ab impiis ſtatuta ſua aut ſuum fœdus in ore ipſorum aſſumi, Pſ.50.16. Ergo Chriſtus tum vt ſe Satana maiorem oſtenderet, eumque doceret, quantumuis inuitum ſuæ dominationi ſubjacere, tum etiam vt declararet ſe nihil ſibi eſſe cum ſpiritibus immundis commercij, teſtimonium recuſauit Diaboli, eumque iuſſit conticeſcere: deinde non etiam promiſcuè ab omnibus hominibus, præſertim in illis Euangelij primordiis ſua voluit annuntiari myſteria, cuius rei variæ potuerunt eſſe rationes. 1. Quia cùm eſſet inuiſa mundo Chriſti doctrina propter cuius teſtificationem & profeſſionem variæ Chriſtianis indignitates & tormenta ſubeunda erant, quos Chriſtus iudicauit non eſſe adhuc ſatis fortes & conſtantes ad martyrii coronam, eos noluit etiam enarrandis Euangelij myſteriis occupari, tum vt eis parceret, nec in odium, aut inuidiam eos induceret, tum ne veritatem Euangelij exponeret maleuolorum contumeliis & opprobriis. 2. Si quoſcunque miraculoſo beneficio affecerat, iuſſiſſet eſſe illius gratiæ præcones, videri potuiſſet multa facere ad oſtentationem, & populi gratiam aucupari, ſuamque magis, quàm Dei gloriam quærere. 3. Quia cùm publicum verbi Dei miniſterium in Eccl. inſtituturus eſſet, & certis quibuſdam perſonis Euangelij prædicationem voluit his prohibitionibus in anteceſſum oſtendere non eſſe omnium prædicare verbum, ſed eorum tantummodo, qui peculiari legitimaque vocatione ad manus inſtructi fuerint.

Deinde circumſtantia temporis etiam conſiderari debet: nam cùm temporum momenta & legitimam occaſionum rationem atque viam Chriſtus perfectiſſimè cognoſceret, vnumquodque voluit διὰ πάντως & legitimo ordine, ita etiam διὰ καίρους, & opportunè fieri. Sic Matth.17.9. non imperat ſimpliciter Apoſtolis, qui eius transfigurationem viderant, ne cui dicerent viſionem, ſed ne dicerent, vſque quo filius hominis reſurrexiſſet. Noluit enim illud ante tempus in populis prædicari, ne poſt tantam gloriam apud rudes animos ſequens crux ſcandalum faceret, tum iudicauit, non debere eſſe rerum ſpiritualium teſtes, qui nondum eſſent Spiritu Sancto repleti, quas rationes videre eſt in Catena Thomæ. Sic noluit ſub ipſa quaſi Euangelij cunabula, vt declararent diſcipuli eum eſſe verum Meſſiam, Matth.16.20. Vel quia non poterant eſſe boni

huius.

huius veritatis doctores, qui nondum eam veritatem satis perceperant, vel quia voluit Christus,& doctrina,& miraculis ostendere se verè Messiam,antequam id nominis sibi arrogaret, vel etiam vt legitur in eadem catena,vel etiam quia Christum priùs crucifigi oportuit,quàm prædicari,vt Messiam,quatenus inutile est ipsum quidem prædicare, crucem autem ipsius tacere. Sic Ioh.7.8.9.10. non dicit Christus simpliciter, *non ascendo ad festum,sed nondum ascendo,* quia nimirum tempus eius ascensus nondum venerat.Nam cùm festum illud celebraretur per septiduum recusauit Christus initio ipsius cum cognatis ascendere, siue quòd perciperet agnatorum illorum fidem esse lubricam qui fortassis id quærebant, vt possent illum in potestatem Pontificum tradendo,gratiam ipsorum captare atque ita fortunas suas architectari, siue potius quòd videret velificari vanitati suæ cognatos illos per Christi miracula id captantes vt & ipsi συσχήσις in vulgus innotescerent. Non autem æquum erat vt stultæ illorum cupiditati, ascensum aut actiones suas Christus accommodaret, præsertim cùm ex Ioh.7.4.'pateat eos non alio fine voluisse, vt Christus ad festum accederet, quàm vt celebritatem nominis publicè sese ostentando compararet; siue denique,quia noluit Christus comitatu cognatorum stipatus comparere, ne calumniis eum Adversarij grauarent, quasi regnum & authoritatem quandam externam in populo affectaret.Quæsiuit ergo aliud ascendendi tempus,nempe τὴ ἑορτὴν μεσούσης medio festo, Iohan.7.14. quippe cùm esset hoc tempus maximè opportunum ad doctrinæ suæ prædicationem propter frequentissimam turbam vndique in templum confluentem, nam inter plures auditores plus etiam authoritatis doctrina eius consecutura erat.

Iam vt ad aliud caput accedamus quod est de Christi simulatione in factis. Illud imprimis obseruari par est. Huius simulationis haud infrequentia in Script. occurrere exempla, etiam eorum qui ex Dei mandato,adeoque sine peccati vlla labe ipsam vsurparunt. Occurrit imprimis exemplum Beatorum Angelorum, qui sine dubio extra omne peccandi periculum longissimè positi sunt, quippe qui faciant mandatum Dei auscultantes voci verbi eius & præstantes placitum eius, Psalm.103. 20.21. Illi enim cùm ad Lothum accessissent, ipsum eiusque familiam Sodomitico incendio erepturi, Lothus eos rogauit, vt in domum suam diuerterent, recusant illi tingúntque se in platea pernoctare velle, Gen. 19.2. Et tamen cùm Lothus instaret, subeunt eius tectum. Sic Ios.8.5. 6.7. juxta mandatum Dei Iosue & qui cum ipso erant bellicum dolum, instruunt fugamque simulant, vt habitatores Hai protrahant in insidias. Sic Iud.20.28.29.30. Israelitæ Dei promissione freti accedunt. 3. Ad Benjamitas in Guibha, & per insidias ac simulationem fugæ eos obtruncant, quòd si nulla supperterent exempla eiusmodi, tamen vel hoc vnum Christi abundè sufficeret ad eliciendam inde conclusionem non esse affinem culpæ,adeoque sinceritati contrariam simulationem omnem. Vt ergo frequenter in communi sermone simulationis & hypocriseως voces promiscuè vsurpemus, cùm tamen res ad serium examen

reducatur, facilè ostendimus simulationem esse distinguendam ab hypocrisi vt latius ab angustiori. Quatenus quidem omnis hypocrisis est simulatio, sed non vice versa, nempe cùm tria sint rerum genera; Bonarum per se, malarum per se, & ἀδιαφόρων siue indifferentium, quæ pro bono, ac malo ipsarum vsu ac fine, boni aut mali induunt rationem, simulationem esse in tertio isto genere constituendam, ita vt, vel bona sit, vel mala, prout ipsa bene, aut malè vtuntur homines, quod vt explicent Theologi simulationem triplicem esse docent, aliam *fraudis*, siue duplicitatis, aliam *industriæ* atque cautelæ, aliam verò *explorationis*, aut institutionis. *Fraudis* est quando virtus exteriùs profertur, & vitium atque impietas interiùs occultatur. Hæc est hypocritarum simulatio in quam toties in Euang. Christus intonat. Nam hypocritæ signis exterioribus pietatem bonique amorem ostentant, cùm sit ipsorum animus fraude oppletus ac malitia, Matth. 23.25. Hæc simulatio inter maxima peccata connumeratur. *Industriæ*, siue cautionis illa dicitur, quæ in bellicis stratagematis, siue ad defensionem, siue ad aggressionem exercetur, quæ cùm à Deo justitiæ authore approbetur, argumento locorum laudatorum ex Ios. 8. & Iudic. 20. In bello legitimo licitam esse, non est dubitandum, ita vt in eo, non tantùm consilia & proposita sua occultare liceat, ne in hostium notitiam veniant, verum etiam signis & factis quibusdam exterioribus intentionem eam præ te ferre, quam reuera non habes. Vnde Aug. quæst. 10. in Iosua, *cùm homo justum bellum susceperit, vtrum aperta pugna, aut ex insidiis vincat, nihil ad iustitiam intereſt*; quibus verbis ad illud Virgilianum alludere videtur,

Dolus an virtus quis in hoste requirat.

Cvius etiam rei rationem hanc Theologi reddunt, quòd latum sit discrimen inter ea, quæ significantur verbis, & quæ significantur factis, nam significare directè verbis, quod falsum est mentique tuæ contrarium est mendacium improbandum, quia verba ex directa sua & immediata institutione inuenta sunt & vsurpari debent ad significandam intentionem animi: at vero facta ex nullo instituto significant hanc aut illam sententiam, adeóque non habent rationem mendacij, & si velimus & quæramus, vt in significatione ab animo nostro penitus aliena aspectantibus accipiantur. Ad hanc simulationis speciem referunt multi simulationem Dauidis, quando, vt Gatthæorum Regis manibus se eximeret, amentem se & insanum finxit, 1. Sam. 21.14. Et Iehu, qui se Baalem colere velle simulauit, vt congregatos Sacerdotes omnes Baaliticos ad vnum obtruncaret, 2. Reg. 10.15.19. &c. Verùm in hac simulatione non est quod excusetur à peccato Iehu, qui de cætero fuit & ipse idolorum cultor, nec tantùm facto simulauit, sed & verbo publicè testatus est velle se Baali cultum deferre, adeoque mendacio turpi inuolui. Dauid ne ipse quidem videtur peccato immunis, quippe qui & de auxilio Dei diffidisse videtur, dum extraordinariis nec satis honestis mediis salutem sibi quæsiuit, & in seipsum fuisse iniurius, pessimam sibi apud hostem famam comparans, quasi periculi magnitudine territus, & in insaniam inciderit præ timore, & ignauiâ.

Sed

SED est & tertia simulationis species, quam *explorationis* diximus & instructionis, in qua nulla est per se vitij, aut peccati ratio, quæque adeò subinde ocurrit in hominum vita: nam cùm sint omnia dissimulationibus plena in hominum societate, vt plerique ciuilitatis laudem captantes ea sæpius oretenus offerant, quæ si statim te accepturum significes, nonnisi grauatissimè laturi sint. Propterea sæpe fingimus nos nolle, quod offertur, non quia nolimus, sed vt exploremus, an ex animo fuerit oblatum. Eò igitur pertinebat ea Angelorum simulatio, Gen.19. qui serium Lothi erga se affectum voluerint ficta ista excusatione testatum omnibus fieri. Eò spectauit etiam Christi fictio, Luc.24.28.29. Qua non aliud sibi voluit, quàm experimentum capere voluntatis duorum discipulorum & explorare, an ex vero affectu ipsi vellent secum manere. Itaque hæc fictio non aliquam inussit Christi sinceritati notam, sed rectum erga Christum animum patefecit, vt pote quam consecuta est instans & amica inuitatio, vt ibi cum eis pernoctaret: quamquam & Antiqui *institutionis* causa eam id finxisse Christum docent: nam cùm fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed figura veritatis Vultigitur August. Christum significasse, se non diu commoraturum in terris, sed longiùs iturum, & in cœlestem gloriam conscensurum. Greg. verò finxisse Dominum se longiùs ire, & motum suum composuisse, quasi longiùs profecturum, vt figuratè significaret se ad discipulorum suorum fide longè remotum esse, quippe cuius gloriam & resurrectionem nondum nouissent.

SEQVITVR humilitas Christi. Atque humilitatis quidem nomine virtutis significatione apud Veteres linguæ Latinæ authores haud quaquam reperies. Quibus humile illud tantùm dicitur, quod demissum, abiectum, & vile, siue ignobile. Quomodo Cicero oratione pro Archia hominem mediocrem dixit, qui nulla, aut aliqua humili arte præditus est, vel etiam quod in ima sede situm est, & depressiorem, atque inferiorem locum obtinet, vt cùm apud eundem in Tusc.quæst. dicuntur Sydera inter se altitudine & humilitate distare. Et alibi docere rationem Mathematicorum, quanta humilitate luna feratur terram propè contingens. Sic neque veteres Græci ταπεινωσιν & ταπεινοφροσυνην inter virtutes connumerasse leguntur. Aristoteles sanè qui virtutes & vitia sanè in moralibus suis fusè exequitur, de hac virtute ne obiter quidem meminit, nempe Antiqui illi hoc nomen ad rem, fortunam, genus, conditionem, & non aliò referunt, vt pridem notarunt Lexicographi, sed in Scriptura S. adeóque inter doctores Christianos qui ex Scrip. sapiunt, & linguam Canaanis loquuntur, humilitatis nomen, quam Heb. ענוה vocant, שפל obseruatum est triplici significatu accipi, vt aliquando locum, aliquando conditionem, aliquando virtutem denotet. 1. Locum: nam loca depressa & subsidentia, qualis est planities respectu montium adiacentium Scriptura vocat שפלה quasi dicat humilitatem, Deut.1.7. Ios.11.16. Quò refertur etiam quod Leuit.13. Vbi de lepra agitur, pars carnis, quæ depressior est & profundior. Eodem etiam vocabulo se-

mel & iterum designatur. 2. Ea vox conditionem id est. 1. Afflictionem quancunque, siue eam Deus immittat ad probandos & castigandos pios perdendos & confundendos impios, siue eam homines inferant, dum nos vincunt, vinciunt, cædunt, aut alia injuria afficiunt. Humiliandi certè verbum identidem concurrit, afflictionis significatu, tum etiam abjectam sortem, atque contemptam, & in oculis hominum vilem. Quo significatu non dubium est, quin de humilitate, siue ταπεινώσει sua loquatur Beata Virgo, Luc. 1. 48. cùm ait Deum respexisse humilitatem suam, vt per eam digna facta fuerit, quæ esset mater Domini. Nam etsi humilitatis virtute imminuisse Sanctam Virginem supra omnes alias eminentissimè agnoscimus. Non putamus tamen vllum in ipsa fuisse meritum propriè dictum, quo etiam dignitatem consequuta fuerit, tum nulla ratio persuadet voluisse ipsam esse virtutis suæ prædicatricem. Nam, inquit, aliquid haud inscitè nescio. An humilitatis sit scipsum humilem, non solùm agnoscere, sed etiam profiteri. Sola inter virtutes humilitas scipsam ignorat, & nescio quomodo fit, vt humillimus quisque simulat humilitatem suam animaduertit ac prodit, perdat. Cùm humilitatis virtus ταπεινοφροσύνη ἢ ταπείνωσις dicatur. Et cùm B. Virgo eo loco oppositionem quandam instituere videatur inter humilitatem suam, ac Dei magnitudinem. Cùm autem 1. dixerit magnificat anima mea Dominum: Deinde subdit, respexit humilitatem ancillæ suæ, sicut per magnitudinem Dei intelligenda est illa percellens dignitas, quâ rebus omnibus incomparabiliter, præeminet, ita per humilitatem Virginis intelligenda venit abjecta ejus vilisque conditio, vt nihil aliud significare velle videatur, quàm esse se longè constitutam infra dignitatem illam, quâ voluit Deus ipsam condecorare. Quomodo etiam explicant Theophylactus, Euthymius, Iuuencus, & ex recentioribus Cajetanus, Iansenius, Maldonatus, & alij 3. significat humilitas virtutem illam, quam Theologi atque inter eos Thomas volunt esse speciem quandam modestiæ: Nam modestia virtus est moderationem constituens in actionibus humanis & præsertim externis motibus corporis, quæ nimirum id præstat, vt quod fit, aut committitur, fiat, quatenus expedit, aut omittatur, quatenus non expedit, adeò vt exteriores motus aptè ac decenter exerceantur, & in colloquiis ac sermonibus obseruetur maturitas quædam, qualis tum personis, tum rebus ipsis conuenit. Humilitas verò virtus est quâ non vult homo in vllo genere sibi quicquam tribui, vltra id quod ipsi congruit, habita ratione propriæ dignitatis, cuius virtutis laudes hic exequi nequaquam instituimus, id modò notamus, vt humilitas vallium est aquarum receptaculum, ita humilitatem hominum esse gratiarum sedem, quantò magis erit ædificium, inquit August. tantò altiùs ponitur fundamentum. Cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis de fundamento priùs cogita humilitatis.

Ergò de humilitate Christi cùm loquuntur Scripturę, designatur ea voce, modò conditio, modò virtus. Conditio quidem, qui se sponte pro nobis subjicit, cùm ex altissimo illo gloriæ gradu in abjectissimam sortem

sortem ita se abjici voluit, vt non dubitet se vermem potius, quàm hominem appellare, Psal.22.17. quippe cui non sit forma, neque decor, neque species cur desideretur, sitque contemptissimus & abjectissimus virorum, Esa.53.3. cujus humilitatis non pars modò, sed & fundamentum fuit Incarnatio, quam propterea Apostolus humiliationem & inanimationem vocat, Phil.2.7. Virtus autem humilitatis in Christo etiam splendidissimè emicuit, quàm & in exemplum nobis proponit, Matth.11. 29. Discite à me, quoniam sum humilis corde. Et qui eam imitantur Beatitudinis nomine commendantur, Matth.5.3. Beati pauperes Spiritu. Vbi per pauperes Spiritu, non intelligit eos Christus qui voluntaria paupertate se damnant, si qui bonis se abdicantes perpetuò, atque actu continuò exercitatam paupertatem vouent. Nam reliquæ beatitudines, quas explicat eo loco Christus ad veros omnes Christianos pertineant, etiam prima hæc intelligenda est non alicujus Christianorum ordinis esse propria, sed ad pios omnes ex æquo spectare. Pauperes ergò spiritu dicuntur, qui vera sunt & pia humilitate præditi, & à Deo toti pendent, eiusque voluntati se subjiciunt, nec excelsos Spiritus gerunt, sed de se modestè ac submissè sentiunt, qui sunt pauperes ac contriti spiritu. Ad quos Deus respicit Iesaiæ 66.2. Chrysost. quid est pauperes Spiritu, humiles & contriti mente & author imperfectus, pauper Spiritu est humilis corde, id est, pauperem spiritum habens qui non magna de se sentit, sicut è contra diues spiritu magna de se sapiens & superbus. Denique vt fatetur Maldonatus, pauperes spiritu major pars authorum humiles interpretatur.

CHRISTVS, cùm de se dicit esse humilem corde veritatem ac sinceritatem humilitatis suæ significat: nam ea demum vera virtus est, quæ sui speciem ostentat exteriùs, sed quæ interius in corde profundis est defixa radicibus. Itaque Petrus, humilitatem fidelis commendans, 1. Pet.5.5. Iubet eos τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθαι, quod vulgata reddit humilitatem insinuare, Cyrus intrinsecus amiciri demissione animi, Erasm. humilitatem animo defixam habere, & Beza submissione animi intus esse ornatum. Ita variæ sunt interpretationes pro varia græcæ vocis significatione. Nam κομβὸς, siue κόμβωμα, Hesychio est εἷλημα amictus. Suidæ κόμβωμα est κόσμημα ornamentum. Veteribus glossis est nodus & κομβόω, nodo, necto & Hesychio ἐγκομβωθῆς δεθείς, ligatus mihi ita interpretatio non displicet, quæ vox ista in nodandi siue ligandi nomine sumitur, vt significetur humilitatem esse nodis quibusdam animo sic adstringendam, vt nunquam inde discedat; sed neque extra rem est, si vocis compositæ vim spectes, ita vt illud ἐν in ἐγκομβώσασθαι denotet, non in externa specie, sed in interiore actu, atque sensu consistere veram humilitatis rationem; atque ita distingui eam, ab externa illa humilitatis pompa, de qua Col.2.18. Nemo vos seducat ἐν τῇ ταπεινοφροσύνῃ in humilitate & religioso cultu Angelorum. Hic humilitas significat prætextum illum & speciem humilitatis, quo suum Angelorum cultum hærerici velabant docentes nimiam esse superbiam, si quis

ad ipsum Deum præsumat rectà accedere, adeoque ambiendam Angelorum intercessionem, qui nobis apud Deum aditum faciant & gratiam concilient.

CHRISTVS humilem se præbuit, tum erga Deum, tum erga homines. Erga Deum, quidem quatenus. 1. se cum silentio submisit iudiciis Dei & obmutuit, neque aperuit os, Es.53.7. 2. Non sibi, sed Patri suo omnem suam attribuit doctrinam, Ioh.7.16. Miracula, Ioh.5.36. Intelligentiam mysteriorum cœlestium, Matt.11.25.26. Æternæ gloriæ collationem, Matt.20.23. 3. Voluntatem, suscepit officia à Deo imposita, quamuis humiliora possent & viliora videri, Phil.2.6.7.8. Quanquam enim hæc susceptio ad obedientiam Christi pertineat, tamen in ea quoque mitum in modum reluxit ipsius humilitas erga homines pariter quoque humilitatem ostendit, non quod negauerit dona à Deo sibi collata: nam è contra declarat sibi datam potestatem, Matt.28.18. Se judicem mundi esse constitutum, Ioh.5.22. Se veracissimum esse, Ioh.18.14. Se vnicum doctorem esse Dominum nostrum, Matt.23.10. Ioh.13.13. Sed quatenus. 1. Non affectauit externa signa eminentiæ, imò etiam affectionem in Pharisæis expressè damnauit; Matt.23.5.6.7. 2. Non quæsiuit gloriam suam, quamuis illam ex miraculorum frequentitia & excellentia maximam petere posset, Ioh.8.50.54. Imò cùm eum extollere & in regem eligere vellent, vrbe abscessit & elapsus est, Ioh.6.15. 3. Sui contemptum patientissimè tulit, adeoque pro iis qui ipsum irridebant, & crucifigebant preces ad Patrem fudit, Luc.23.34. 4. Alios magnifecit, eorumque donis testimonium libenter perhibuit, Matt.8.10. & 15.28. 5. Superioribus sese sponte submisit, Ioh.19.11. Nec inferioribus denegauit etiam in vilibus inseruire officiis, Ioh.13.5. In quo omnes Christiani Christum imitari debent, vt effecit Paulus, 2.Cor.11. qui se minimum Apostolorum vocat. Et 1.Cor.5.9. 1. peccatorum & 1.Tim.1.15. Fidelibus præscribit, vt ex animi demissione alij alios existiment sibi præcellere, Phil.2.3.

OBIICITVR hujusmodi humilitatem videri posse mendacio junctam, adeoque virtutis nomine indignam. Quomodo igitur Paulus se minimum Apostolorum dixit, qui maximus fuit; quomodo se primum Peccatorum vocauit, cùm Profani, idololatræ & peccatores contra Spiritum S. longè grauiori reatu se obstringant, quomodo debemus nos aliis inferiores iudicare, qui reapse nouimus nos esse iis longè superiores. Annon hoc est in dona diuina Deumque adeò ipsum iniurium esse. Resp. in huiusmodi humilitate nullum esse mendacium, 1. vt inquit August. lib. 83. quæst. 7. In quouis alio aliquid occultum esse potest, quo superior nobis sit, etiam si bonum nostrum quo videmur illo superiores esse, non occultum sit. 2. Quia prolatio illa, quâ alios pluris facimus, quàm nos, non fit simpliciter, nec respectu omnium, sed secundùm quid, & ratione nonnullorum tantùm. Potest enim illa prolatio simpliciter institui. 1. Si componamus illa quæ nos habemus naturaliter cum iis, quæ alius habet ex peculiari Dei dono: nam dona gratiæ sunt aliquid majus donis naturæ.

2. Si

2. Si comparemus donum aliquid minus quod in nobis est adeò cum dono majori, quod alius ab eadem origine habet. 3. Si conferamus defectus aliquos nostros cum bonis & perfectionibus quibusdam quas alter habeat. Ita cùm Paulus Apostolorum se minimum vocat, non absolutè loquitur, sed certo respectu quem ipse statim explicat, nimirum quòd Ecclesiam persecutus fuerit, in quo sine dubio præferri ipsi debuerunt reliqui Apostoli qui nihil tale patrarunt. Quanquam Ambros. & Hieron. aliter explicant, fuisse nempe minimum tempore, non dignitate, humilitate, non operatione in seipso, non in Domino. Cùm autem primum peccatorum se dicit, non modò se significat vnum esse ex peccatorum numero, sed etiam primum, i.e. grauissimum peccatorem, sicut ait Aug. serm. 10. cap. 3. de verb. Apost. primum se dicit non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine, nemo acrior inter persecutores, ergo nemo prior inter peccatores. Quis etiam ad ordinem hoc referri possit, vt sit sensus Paulum primum in seipso proposuisse exemplum illustre hostium Christi ad ipsum mirabiliter conuersorum, quam sent ntiam insinuare videtur, quod statim sequitur Deum in primo ostendisse omnem clementiam.

Accedamvs nunc ad Christi *zelum*, de quo Psal. 69.10. *Domus tua zelus comedit me.* Hoc enim ad Christum spectare non modò tota psalmi ratio docet, multa continentis, quæ de Dauide, vt typo, de Christo vt veritate typi dicantur, sed etiam Euangelista docet, Ioh. 2.17. Quanquam à diuersa significatione sumitur in Scrip. nomen *zeli*, facilè tamen omnia possumus ad duo capita reuocare, vt dicamus scilicet alterum esse *zelum* qui Deo, alterum, qui hominibus tribuitur. *Zelus* autem Dei vocatur. 1. Amor ille, & vt ita loquar affectus intensissimus, quo gloriæ suæ illustrationem amat supra omnia Ezech. 39.25. Miserebor totius domus Israelis, &c. Vbi causam exponens restitutionem captiuorum, quos Babylonicæ seruituri erepturus erat. Eam duplicem facit, alteram respectu Israelis; alteram respectu sui: respectu enim Israelis causam constituit misericordiam suam; respectu verò sui Zelotypiam sui nominis, & studium explicandæ declarandæque suæ gloriæ in eorum gratiam quos sibi perpetuo fœdere sociarat. 2. Propensissimus ille affectus quo Ecclesiam suam complectitur, adeóque cùm videt ipsam ab officio suo discedentem seueris interminationibus vtitur, & vt reuocet ad bonam frugem auertit se aliquantisper ab illa & variis afflictionibus iræque suæ complectitur testimoniis exercet: habet enim nimirum instar conjugis, qui socium thalami non patitur & aduersus conjugem matrimonij fœdus violantem excandescit. Vnde dicitur etiam Deus *Zelotes*, Exod. 20.5. Ezech. 16,38. & 23.15. Cùm autem Eccl. post plagas sapit & super peccatis suis ingemiscit, & ad officium reuertitur tum dicitur Deus auertere & ponere *Zelum*, vt scilicet ipsam solitis afficiat gratiæ suæ beneficiis, Ezech. 16.42. 3. Ira Dei aduersus suos & Ecclesiæ suæ hostes *Zeli* nomine indigitatur, Es. 42.13. & 59.17. Nam quantò seruentius suos amat Deus, tantò vehementius quidquid est ipsis contra-

rium impedit & confundit. *Zelus* autem cùm ad homines refertur aliquando significat inuidiam, vt Act.5.17. & 13.45. 1.Cor.3.3.Iac.3.24. Aliquando æstum Zelotypiæ in conjugibus, Prou.6.34. Aliquando honestum illud studium, quo accendimur ad virtutes alicuius imitandas, 1. Cor.12.31.& 14.1. Aliquando intensum & flagrans bene operandi studium, quo sensu vocatur populus fidelium Zelotes bonorum operum, Tit.2.14. Aliquando feruorem amoris erga aliquem, quomodo definire possemus Zelum amorem intensum non patientem consortium in amato : ita amant inter se Christus & Ecclesia amore vehementissimo. Nam est, vt mors amor & durus, vt sepulchrum zelus. Cant. Cant.8.6. Vbi *zelus* morti & sepuchro comparatur. Vel quia vt sepulchrum & mors corporibus deuorandis nunquam satiantur; ita *zelus* hominum salute expletur, vel potius, sicut, & mors, & sepulchrum insuperabilia sunt. Ita nihil est, quod amorem illum euertere valeat. Huc spectat, quod ait Paulus, 2. Cor.11.2. ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς zelo affecto vos ardore Dei, vbi *zelus* est ardenter amare. Zelum autem suum Dei zelum vocat, tum quia à Deo est, adeóque sanctus & bonus, tum quia ad Dei gloriam & honorem tendit. Non enim pro se afficiebatur Apostolus zelo illo, vt ipse ibidem testatur, sed pro Christo vero & vnico Ecclesiæ sponso. Denique significat etiam *zelus* animi æstum, id est, justam sanctamque indignationem ex iis conceptam quæ indignè adversus illos patrantur quos diligimus. Ita Elias *zelo* afficiebatur pro Deo exercituum, quòd videret eius fœdus indignissimè violatum. Ita Phinées ex Dei zelo transfodit adulterantes Israelitam & Madianitidem, Num.25.8. Quod factum eius iustitiæ nomine laudatur, Psalm.106.31. Ita *zelum* Cor. indignè ferentium Paul. iniquè tractari ab hostibus Euangelij ipse commendat, 1.Corinth.7.7. Iam Christi *zelum* cum Scriptura nobis proponit eo nomine nullum designat in Christo alios imitandi studium. Christus quidem exemplum omnium virtutum ipse præbuit nobis, Iohan.13.15. Sed aliunde non accepit exemplum nihil habuit ille quod imitaretur, cui præceptum Patris sui satis fuit aliorum exemplum ad bene operandum non profuit. Imitatio discipulos facit. Christus nunquam hominum discipulus, semper hominum magister fuit, Regulæ est dirigere, non dirigi ad amussim alia examinantur, non amussis ad alia. Atque Christus regula est, & amussis, non igitur alterius opus habuit, vel directione, vel imitatione. Itaque *zelus* Christi positus est. 1. in eo quòd intentissimo affectu in bona quæcunque incubuit, vt faceret, quæ semper Patri essent placita, Iohan.8.29. 2. Quòd inuictissimo amore Ecclesiam fideleſque suos & prosequutus est & prosequetur in æternum pro quibus etiam ne mortem quidem plurimis opprobriis cumulatam subire renuit, Iohan.15.13. 3. Quòd affectum placendi Deo eiusque gloriæ promouendæ summum habuerit & intentissimum. Nam imprimis paratissimus, semper fuit ad omnia illa obsequia præstanda, quæ ipsi ex ratione Mediatorij muneris incumbebant, Psalm.40.8.9. Denique non alium posuit modum suis erga Deum officiis, quàm quæ Deus ipse statuit, non

vt ego

vt ego volo, sed vt tu vis, Matth.26.39. Præterea quam indignationem adversus peccata concepit, etiam conjunxit cum dolore & miseratione magna. Respectu peccatorum sanè indignationem passim testatus est aduersus Pharisæos & Scrib. & populum Iudæorum in peccata proruentem, vnde vocat eos, modò generationem prauam & adulteram, Matt. 12.39. Modò cæcos & cæcorum ductores, Matt.15.14. Modò hypocritas & insanos, Matt.23.15.17. Interea tamen dolore tenerrimo commotus est & miseratione super peccatis ipsorum, adeò vt ne à lachrymis quidem sibi temperarit, Luc.19.41.42. Denique sicut mitissimus fuit in iis quæ simpliciter ipsum spectabant, 1.Pet.2.23. Ita etiam feruentissimus in iis, quæ spectabant ad Deum: atque hic verus demum Dei *zelus* est qui fertur ad vindicandas, quæ Deo inferuntur, injurias. *Zeli* enim natura in eo præcipuè sita est vt Deo placere eiusque gloriam promouere intensissimè studeamus. Studium autem apparet in eorum remissione, aut impugnatione, quæ voluntati gloriæque diuinæ maximè opponuntur. Cùm igitur gloria Dei vltimus esse debeat omnium actionum finis, sicut Christus ad eam sua omnia collimauit, Ioh.8.49.

5. Ita vbi vidit eam gloriam hominum malitia vilescere iam & offuscari incomparabili *zelo* eam rectam conseruare studuit. Vnde ementes & vendentes qui Dei templum in speluncam latronum indigna negotiatione conuerterant flagello ejicit, Ioh.2.14. Et iterum, Matt.21.12. Atque hic *zelus* est, quem Theologi definiunt, *indignationem ex læsione rei amatæ conceptam, quæq; ab amato injuriam depellere* conatur; quem etiam *zelum* duplicem faciunt, alterum bonum, alterum malum. *Zelus* bonus rectus & laudabilis qui conjunctam habet notitiam & prudentiam. Vnde etiam vocatur zelus κατ' ἐπίγνωσιν siue secundùm scientiam. Zelus vero malus, inordinatus, præposterus, errans, & qui magis scelus est, quàm zelus est, qui neque prudentiam, neque rectam cognitionem adjunctam habet, vnde dicitur *zelus* οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, qualis eorum est, qui cùm veros fideles persequuntur, præstare Deo se putant cultum Deo acceptabilem, Ioh.16.2. Qualem Paulus reprehendit in Iudæis, Rom.10.2. Qualis denique Pauli fuit ante conuersionem erat enim Zelotes paternarum traditionum, Gal.1.14. & ex zelo prosequebatur Ecclesiam, Phil.3.6. Priorem zelum Ambr. in Ps.118. Vocat zelum ad vitam, posteriorem zelum ad mortem. Ergo si quærat aliquis quomodo distingui valeat zelus legitimus ac rectus, ab errante & vitioso. Resp. cognitionem, prudentiam & misericordiam discrimen vtriusque facere, quæ tria si absint zelus malus est, sin adsint zelus laudem meretur: Tum enim fit quod docet Apostolus, Gal.4.18. καλὸν ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε. Idem bonum est zelari, siue zelo duci in bonum semper zelum. Itaque rectus. 1. Debet esse cum vera rectaque cognitione, eaque duplici. Nam 1. rectè cognoscenda est res, quæ à nobis amatur & ab aliis injuria afficitur, v.g. qui zelo ducitur propter læsam Dei maiestatem aut gloriam nosse debet in quo consistat Dei voluntas & gloria alioqui non tam zelus, quàm brutus impetus est: Deinde rectè cognoscenda est læsio atque contumelia,

quæ rei amatæ infertur; fit enim sæpius, vt putet aliquis Deum offendi rebus aut actionibus quibus reuera non offenditur. 2. Debet esse zelus prudentia & misericordia temperatus, nec stolido impetu, magis quàm ratione feramur aduersus eos, qui rem nobis amatam ludunt, neue in demonstrando nostro erga rem amatam affectu, modum excedamus, aut limites (laudo, inquit Chrysost. hom. 4. in Matth. quòd fratrum doletis ignauiam, & admiror zelum, sed vellem nos zelum temperare misericordia: zelus enim veniam negans potiùs furor est, quàm zelus, & admonitio misericordia carens, tortura quædam est) ex quibus iam patet zelum Christi fuisse rectissimum & ab omni culpæ vitiique specie alienum. Nam Christus perfectissimè nouit, in quonam sita sit Dei voluntas & gloria, quippe qui Patrem suum, & quæcunque pertinent ad Patrem plenissima cognitione sit assecutus, Ioh. 17. 25. Et quid Deum aut Ecclesiam lædat, quid non lædat rectissimè intelligit, quippe qui sciuerit omnia, nec opus habuerit ab aliquo doceri, Ioh. 16. 30. & 21. 17. Et intra prudentiæ sanctissimæ limites sese continendo certissima etiam demonstrauit in zeli sui magnitudine miserationis erga peccatores testimonia.

RELIQVVM est vt de *mansuetudine* & *patientia* Christi agamus. Humilitatis & mansuetudinis quanta sit cognatio, tum Hebræi docent, qui vno eodemque vocabulo עונה virtutem vtramque notant, tum Christus ostendit vtramque copulans, Matth. 11. 29. Vbi se ταπεινὸν καὶ πρᾶον, humilitem & mitem siue mansuetum vocat & Apostolus, Ephes. 4. 2. Iungens non ταπεινοφροσύνη πραΰτητα καὶ μακροθυμίαν. Itaque vbi, Matt. 5. 3. Beatitudinem Christus adscripsit pauperibus Spiritu, i. e. humilitatibus subdit, ℣. 5. Beatos esse mites, quoniam terram hæreditate possidebunt. Vbi præmij excellentia, virtutis præstantia, nomine, siquidem terræ non denotatur tantùm eorum, quæ necessaria sunt ad vitam hanc corpoream degendam sufficiens copia, quam Deus suis non denegat, verùm etiam præcipuè terra illa viuentium in qua Dominum visuri sumus eiusque bonis perpetim fruituri, Psal. 27. 13. & vbi terrena nostra corpora recepturi sumus, non iam corruptioni obnoxia, sed cœlestis gloriæ radiis fulgentia. Vnde, Ieo terra promissa mitibus caro sanctorum est, quæ fœlici resurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria vestietur. Et Haymo, mites possidebunt terram, id est recipient corpora sua incorrupta, & sicut Domino corpore & animo seruierunt, ita etiam corpore & anima beatificabuntur.

QVEM Græci πρᾶον vocant, quasi dicat ῥᾷον, siue facilem, aut πανταχοῦ φέρεσθαι, id est cuncta ferentem æquo animo, eum latini mitem dicunt, & lenem atque mansuetum: Quanquam enim mansuetus ex ratione originationis de feris propriè dici videatur, quæ cicurantiæ quasi manu assuetum dicas, quia quod ex natura sua ferum est manuum permulcione & amicabili tractatione miteſcere soleret; transfertur tamen inde ad denotandam eam virtutem, quam definiunt Philosophi moderatam temperiem animæ, vel constitutionem animæ aduersus impetum iræ immotæ, quò spectant illa Patrum Hieron. in Matth. 5. *Mitis est, quem non*

rancor

rancor aut ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. August. de Serm. Domini in monte, *mites sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Quanquam autem clementia & mansuetudo virtutes sunt conjunctissimæ, quæque ad eundem effectum ambæ concurrunt, nimirum ad reperiendum iræ impetum, certum est tamen inter eas nihil discriminis esse constituendum, quatenus clementia versatur circa moderationem exterioris punitionis, nec ex præscripto rigidæ severitatis pœnas exigit à peccante, sed eas ita diminuit vt certæ quidem rationis limites non transgrediatur, (cùm propter circumstantias quasdam & peculiares eam diminutionem decernat & exequatur.) Sed tamen abeat à lege communi, quam justitia legalis simpliciter considerat. At verò mansuetudo non tam ad exteriores pœnas diminuendas respicit, quàm circa interiora versatur, vt nempe internam iræ passionem cohibeat & æquanimiter omnia sustineat: cui etiam hoc alterum discrimen addi potest, quod clementia propriè, definiente Seneca, *sit lenitas superioris erga inferiorem.* Mansuetudo verò non respiciat gradus illos inferiorum & superiorum, sed sit lenitas cujuslibet, erga quemlibet.

QVAMVIS igitur non sit dubium, quin maxima fuerit in Christo clementia, quam etiam continuò exercet erga suos. Clemens enim est, inquit Hugo Victorinus, qui est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subveniendum. Haud abs re tamen est quòd Scriptura virtutem Christi in terris agentis mansuetudinem potius dicat, quàm clementiam, Matth. 11.29. & 21.5. Sic enim illud docere nos voluit Iesum Christum in hac vita degentem ita se sponte abjecisse, vt non tam superioris aut Magistratus officiis functus fuerit, cuius est propriè clementiam exercere, quam inter homines tanquam æquales egerit, cùm æqualium propriè sit mansuetos esse inter se. Illam autem mansuetudinem Christus exercuit, tum erga suos, quos subinde labentes & incredulitate, vel infirmitate laborantes mitissimè tolerauit, ac subinde benignissimè reuocauit in viam, sicut in Euangelio passim videre est, tum etiam erga hostes quoslibet infensissimos, quos cùm posset momento euertere, atque in nihilum reducere, pertulit tamen incomparabili cum lenitate: imò cùm ex quodam zeli fervore in magistrum suum peterent à Christo discipuli, vt in hostes suos ignem de cœlo demitteret qui eos confestim deuoraret, redarguit ipsos seuerè Christus, tanquam mansuetudinis eius parum memores, Luc. 9.54.55. Et cùm servulo Sacerdotis Petrus ira percitus auriculam abscidisset, à Christo reprehensus est, & auris restituta, Luc. 22.5. & 51.

SED CHRISTI mansuetudini videri posset contrarium, quod subinde non tantùm hostibus suis, cæcitatem, malitiam, hypocrisin exprobrat, Matth. 5.23. Sed etiam discipulos suos incredulitatis nomine reprehendit, Matth. 8.16. & 14.31. & 16.8. Imò stultos eos vocat, & tardos corde, Luc. 24.25. adeoque Petrum Satanam etiam dicit, Matth. 16.23. Cuius exemplum secuti discipuli sæpius etiam alios grauissimè repre-

hendunt, vt Stephanus Iudęos, Act.7.51. Petrus Simonem, Act.8.20.21.22. 23. Itaque Ananiam, Act.5.3. & Galatas, Gal.3.1. Quomodo enim hæc Christi & Christianorum lenitati conuenire possunt. Resp. Virtutes istas, quæ circa cohibitionem iræ versantur, quales sunt clementia, mansuetudo, placabilitas, & patientia, nunquam quidem quoad habitum, vel à Christo abfuisse, vel à Christianis pectoribus abesse debere, sedeas tamen, si actum & exercitium externum respicias alio atque alio modo habere, prout scilicet recta ratio suadet, & justa causa postulare videtur. Itaque Apostoli testantur se ad populum Christianum venire aliquando cum virga, aliquando cum Spiritu lenitatis, 1.Cor.4.21. eumque docent delectum habendum esse, vt alios miserando, alios metum incutiendo seruemus, Iud.22.23. Vnde etiam quando fidelium animus in iustas reprehensiones exardescit, pij reprehensi debent illud non iracundiæ acceptum ferre, sed benignitati deputare, & vnguenti præstantissimi loco habere, Psalm.145.5. Certè non est mansuetudo, aut lenitas, sed stolliditas potiùs, quæ causas & rationes rerum non percipiens aut perpendens omnia indiscriminatim in omnibus omni loco & tempore tolerat, nec est dicenda mansuetudo, vel patientia Christiana, sed lenta & ignaua stupiditas, quæ sese cum zelo peccatis & peccata patrantibus non opponit. Mollities est, quà quietem tanti facimus, vt negligamus officij curam & præcepta patientiæ, inquit August. Epist.5. ad Marcell. non contrariantur bono reipub. pro quo conseruando contra inimicos pugnatur. Illæ equidem præstant virtutes, vt multa de iure tuo remittas, sed saluo remanente in re alterius, siue Deus ille sit, siue proximus, neque debent virtutes quæ à Deo sunt aliquid detractum ire de jure, vel de gloria Dei in injuriis propriis patientem esse laudabile est, sed injurias Dei patienter sustinere nimis est impium, inquit Chrysost. Homil.5. in Matth. Ita Paulus in illis quæ ad ipsum spectabant, miram facilitatem, & mansuetudinem testatus est erga Gal.4.12. Sed vbi ad jus Dei Euangeliique causam respexit, miram exhibuit Christiani zeli sinceritatem, Gal.3.1.3. 4. Denique virtutes illæ hominem non impediunt, sed potiùs dirigunt in quærenda fratrum justa legitimaque correctione. Vnde Apostolus Spiritum lenitatis etiam in eo exerceri vult, vt reconcilietur frater qui præoccupatus fuerit in aliqua offensa, Gal.6.1. Itaque quòd Christus & post Christum Apostoli acribus nonnunquam reprehensionibus vsi sunt, in eo mansuetudinem, non mansuetudinem abjecerunt, sed eius exercitium pro illo tempore intermiserunt, non fuit illud convitium, sed magis beneficium, non æstus iracundiæ, sed zeli indignatio, quàm fecit non nocendi cupiditas, sed amor justitiæ, non priuata temeritas, sed authoritas publica.

VLTIMO loco de *patientia* Christi dicendum nobis, non ea quam vt Deus exercet, erga peccatores, sed quam vt homo exhibuit in his terris agens ac patientiæ quidem virtutem scriptura sæpe commendat, & ex scriptura Patres, quantum enim illud est quod docetur, Iac.1.4. Patientiam habere opus perfectum, quod non eo sensu explicandum est, quasi

operum

operum aliquam noſtrorum abſolutam perfectionem in hac vita fingere nobis debeamus, ſed opus patientiæ dicitur perfectum. 1. Quia patientia facit, vt ſub cruce nequaquam deficiamus, ſed ſtadium nobis prepoſitum firmiter decurramus. Atque in veri confeſſione ad extremum vſque vitæ halitum perduremus. Perfectum autem illud non immeritò dicitur, quod ad finem ſine defectione nos perducit. 2. Quia vt notauit Carthuſianus per integram & conſtantem patientiam in adverſis præcipuè declaratur extirpatio priuati amoris & aliarum virtutum firmiter radicata ſinceritas. 3. Quia vt idem notat patientia circa paſſionem triſtitiæ reprimendam verſatur. In tribulationibus enim & perſecutionibus. Paſſio quæ prima occurrit eſt triſtitia, ex triſtitia verò naſcitur ira; ex ira deinde oritur odium; qui ergo per patientiam refrænat triſtitiam, eadem ratione amputat alias paſſiones. Atque hoc reſpectu patientia habet opus ſuum perfectum. Porrò quanquam patientia in Scripturis ſignificet perſeuerantiam, Roman. 2. 7. Hebr. 12. 1. Aliquando ſpem aut expectationem. Patientia tamen propriè dicta à perſeuerantia & à ſpe diſtinguitur. Eſt enim definiente Lactantio lib. 9. inſtitutionum malarum, quæ aut inferuntur aut accidunt, cum æquanimitatis prælatio, à quo non diſtat illud Cicer. patientiam eſſe virtutem contumeliarum & omnis adverſitatis impetus æquanimiter portantem, vtpote obmurmurationi & impatientiæ oppoſitum Scriptura ſilentij nomine deſignat. Sicut autem clamor fidelium ſignificat fidem eorum & ardens auxilij diuini deſiderium, vnde toties in Pſalmis, clamaui ad Dominum, clamor meus ad Deum aſcendit: ita eorundem ſilentium, Pſalm. 39. 3. 10. Eſa. 30. 7. Patientiam denotat qua quicquid aduerſi eſt æquo animo ferunt. Auguſt. lib. de Pat. Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus.

CHRISTI patientiam tota Scriptura prædicat, quia & tota Chriſti vita fuit continuum patientiæ exercitium, Eſa. 53. 7. Act. 8. 32. Matth. 26. 62. 63. & 1. Petri 2. 23. Cujus triplex objectum nempe Deus, homines & officium quod ipſi erat demandatum à Patre. 1. Reſpexit Deum à cujus diuina prouidentia ita Chriſtus dependebat, vt nulla penitus obmurmuratione, aduerſus eum vel ore, vel corde muſſitarit. 2. Homines & hominum perſecutiones & generatim cuncta illa omnia media, quæ ipſi directè obſeruabantur, quæ omnia ſic pertulit, vt nulla vnquam vindictæ cupiditate adverſus perſecutores ſuos accenſus fuerit. 3. Officium ſuum, cuius eam rationem habuit, vt quemadmodum illud magna fiducia & alacritate aggreſſus eſt, & mira planè conſtantia in eo præſtando perrexit: Ita diuina prorſus tolerantia illud adverſus omnes moleſtias ſuſtinuerit, ac defenderit, neque vnquam, aut animo per mollitiem quidem fractus fuerit, aut tantillum à recta via defiexerit, aut de ſeſe ſubducendo cogitauerit, imò, inquit, propterea veni in hanc horam, Pater glorifica nomen tuum, Iohan. 12. 27. 28. adeoque omnes tandem difficultates & oppoſitiones recto iudicio penſitatas gloriosè ſuperauerit.

SVPEREST iam vt videamus, an inter virtutes Christi connumerandæ sint etiam *pœnitentia*, *fides* & *spes*, id est, An Christus in terris agens eis fuerit virtutibus reuera præditus. Pœnitentiam quod attinet, Beccan. Theologiæ schol. parte 3. tract. de myst. Incar. cap. 8. quæst. 9. fatetur Christum habuisse talem virtutem, siquidem nomine pœnitentiæ intelligatur, non specialis virtus, cujus actus sit, adæquatus dolere de peccato à se commisso, cùm Christus peccare non potuerit. Sed virtus aliqua, cuius actus sit detestari peccatum à quocunque commissum, & velle pro eo satisfacere, ac diuinam offensam compensare. Sed accipi pœnitentiæ vocabulum hoc postmodum sensu, Vbi tandem obseruauit Becanus, certè nullus est vel in Scipturis sacris, vel in veteribus scriptoribus locus, nullum ex communi loquendi formula testimonium, vnde probari possit aliquando apud aliquos eum dictum fuisse pœnitentem, qui super alienis peccatis doleret, quin è contra hunc de noua pœnitentiæ significatione Tragelaphum manifestè confutat vocabulum, tum Hebraicum, תשובה, tum Græcum μετανοίας, quibus pœnitentia designatur. Priùs enim illud conuersionem significat, quia sicut à peccatis homo sese à Deo auertit. Sic & per pœnitentiam ad eum reuertitur, quo fit vt pœnitentia & conuersio jungatur, Actor. 3. 19. & 26. 20. Quamuis autem dicat Christum qui super aliorum offensis doluit, à Deo priùs fuisse auersum, & eo doloris actu ad Deum reuertisse. Posteriùs autem significat post factum sapere, priorem que sententiam mutare, & priores actus, aut cogitationes reformare, & refringere, quæ rectum est nullatenus in Christum competere. Itaque reformare & refringere etiam debet Becani sententiam communis aliorum sententiæ pœnitentiam docentium in Christum nullomodo competere. Valent. disp. 4. qu. 7. p. 3. Christus pœnitentiam virtutem non habuit, quia hæc in iis tantùm esse potest, qui peccatum possunt committere. Anima verò Christi quia beata fuit, & quia hypostaticè Verbo vnita peccare nullomodo potuit. Itaque neque pœnituit eum vnquam vllius facti, dicti, aut cogitati. Quemadmodum sæpe fit inter homines qui etiam citra rationem peccati, ea sæpiùs suscipiunt, aut faciunt, quæ postea facta nollent, quia inde consequitur ipsis ingratum aut incommodum. Vnde nata sententia diu deliberandum esse, quod semel faciendum est, posteriores cogitationes esse meliores. Serò sapere Phryges, &c. nempe quia in suscipiendis rebus non adhibetur debita prudentia, neque ad circumstantias omnes satis attenditur, neque considerantur, quæ inde consequi possunt euenta. Frequenter ideò nos susceptorum aut actorum pœnitet. Atqui nihil horum in Christum cadere potuit, qui sapientissimè, imò sapientia ipsa non potuit non prudentiam maximam in omnibus adhibere, & perpendere, quid ex quocunque consecuturum foret. Vnde dicitur etiam omnia benefeciſſe, idem conuenientissimè, id est, cum prudentia atque cautione, Marc. 7. 37.

FIDEM & spem quod attinet, vtramque Calvinus Christo sæpius attribuit, vt videre est Institut. lib. 2. cap. 16. sect. 12. Et Comment. in 27. Matth.

Matth. quo nomine insurgunt in Calvinum Adversarij, Haius, Bouerius,& nominatim Fuardentius lib.5. Στρωματέως, vbi hunc vocat errorem impium Script. & Theologis contrarium & multis refutare conatur, sed quæ ad vnicam hanc rationem referuntur fides & spes sunt de rebus diuinis, quæ nondum videntur aut possidentur, adeoque non possunt consistere cum gloria. Atqui Christi anima fuit ab initio beata & glorioſa & semper Deum videns Deoque fruens. Ergo non possunt ei attribui fides & spes. Resp. non esse simpliciter denegandam Christo fidem & spem, siue fiduciam, si Scripturas, si Patres, adeoque si ipsos Aduersarios audiamus. Nam 1. Scripturæ cùm toties vocant Christum fidelem, Hebr.2.17. & 3.2. Apoc.1.5. & 3.14. Satis eo ipso innuit fuisse aliquam in Christo fidem & spem. Et Petrus Act.2.26. refert ad Christum verba illa Psal.16.9. Caro mea requiescet in spe, & Matth.27.43. Iudæi de Christo dicunt, Confidit in Deo, liberet nunc ipsum. 2. Patres haud absimiliter loquuntur apud Euseb. lib.10.demonst.Euang.cap.vlt. Christus ita loquitur, Non jam primùm incipio sperare in te. Et Theodor. in Psal.16. Christum introducit ita loquentem, Ego à diuina natura continuò corroboratus ad salutarem crucem accedo, & resurrectionis spe gaudeo. 3. Lomb.Schol.Pater lib.3. distinct.26. cap.de spe, quanquam fidem & spem, quatenus sunt virtutes Theologicæ Christo communicasse neget, fatetur tamen Christum in quo fuerunt bona Patris credidisse & speraſſe resurrectionem tertio die futuram. Ita Thomas IIa. IIæ. quæst.7. art.4. In corpore Christus habuit spem respectu aliquorum quæ nondum erat adeptus. Et Valent. vbi supra, Christus habuit actum spei, respectu gloriæ corporis, quæ est objectum spei secundarium.

Nos rem ita clariùs explicamus. 1. Fides multis modis sumitur. Aliquando enim designat professionem pietatis : aliquando denotat assensum in rem cognitam, id est, doctrinam à Deo reuelatam : aliquando significat certam illam fiduciam, quæ recumbit in Dei bonitatem nobis omnia necessaria prouidentem : aliquando verò, idque ex vsu Scripturæ frequentissimè voce fidei denotatur medium & instrumentum illud iustitiam Christi percipiens quo justificamur apud Deum. Atque hoc quidem vltimo sensu fidem Christo neque Caluinus, neque quisquam naturam attribuere cogitarunt vnquam, nec imputatione justitiæ apud Deum opus habet, ita neque fide illa, quam justificantem dicimus, quæ circa Mediatorem & justitiam Mediatoris percipiendam occupatur, neque est quòd dicatur, cùm fides justificans sit omnium præstantissima. Si ea Christo denegetur, videri Christum infra fidelium sortem abjici : Nam si mortales quidem mortalibus conferantur, fateor justificantem fidem omnium præstantissimam & esse tum historica, tum temporali longè potiorem. At si homines Christo comparemus, jam alia ratio collationis ineunda erit. Nam cùm in Christo omnia sunt præstantiora, quàm in hominibus, nobilius subjectum, dignior cognoscendi modus, excellentior cognitio, non est dubium esse Christi fidem nostra lon-

gè lateque præstantiorem. At verò si ad priora fidei significata respiciamus, facilè comperiemus ea omnia Christo competere. 1. Christus sinceriſſimam pietatem, & externè professus est, & reuera præstitit. 2. Doctrinæ virtutis cœlestis, quam alios edocuit ipse, verum assensum præbuit, quippe quam perfectiſſimè nosse à Deo promanasse. 3. vt sciuit se à Patre semper audiri, Iohan.11.41. ita & ab illo necessaria quæcunque certiſſima fiducia petiuit & expectauit.

Secundò docent Theologi duo, tum in fide, tum in spe spectari debere. In fide siquidem consideratur & ipsa cognitionis substantia, quam vocant Theologi luminis habitum, & cognitionis modum, siue vt loquuntur ænigmatis obscuritas. Sic in spe consideratur, tum id quod perfectionis est & complementi, tum id quod est imperfectionis & defectus. Ad perfectionem spectat, quòd spes certitudinem, quæ facit vt sperans firmiter innitatur summę Dei largitati. Ad imperfectionem verò pertinet, quòd spes est expectatio quidam & veluti protensio ad ea quæ nondum reapse habentur. Ergo quanquam in Christo non fuerit fides, quantum ad ænigmatis obscuritatem, fuit tamen quantum ad cognitionis substantiam, & quanquam spes eius nulla fuit imperfectione mixta, habuit tamen Christus, quæ ad fidei & spei perfectionem pertinent. Hic addere possumus, quod notat Bonauent. in 3. dist. 26. nu. 6. nempe spem, vel strictiùs accipi, vel latiùs. Strictiùs quidem, quatenus significat expectationem præmij substantialis. Latiùs verò quatenus designat expectationem alicujus præmij accidentalis. Præmium essentiale, siue substantiale vocant beatitudinem æternam consistentem in clara Dei visione eiusdemq; fruitione perpetua. Præmium verò seu gaudium accidentale vocant beatitudinis adjuncta, sine quibus anima beata verè esse potest, qualis v. g. gloria corporis, anima enim cœlesti beatitudine fruitur, etiamsi corpus, cui adjuncta fuerit, nondum sit glorificatum. Christus ergo spem habuit, si non priori sensu, saltem posteriori, si non strictè, saltem latè sumptam, vt testatur Becan. vbi supra quæst. 8. Christus, inquit, habuit actum desiderij & spei circa gloriam corporis. Ratio est, quia potest aliquis desiderare & sperare bonum, quod nondum habet. At Christus ante resurrectionem non habuit gloriam sui corporis. Ergo tunc potuit illam desiderare & sperare: atque ex iis jam satis patere potest. Resp. ad argumentum illud Fuardentij initio allatum: fides enim non consistit cum gloria, quatenus habet ænigmatis obscuritatem, sed tamen potest subsistere, quatenus designatur ea voce cognitionis substantia. Sic spes, quatenus expectat, præmium substantiale, non potest esse simul cum gloria, sed quatenus spectat præmium accidentale, potest: nouimus enim fidelium animas in cœlo verè beatas esse & gloria æterna frui, etiamsi corporum suorum resurrectionem expectant.

POSTQVAM de Christi virtutibus diximus: sequitur vt ad dona ipsius expendenda progrediamur. Hac in re magis Scholast. sententiam & methodum spectantes, quàm rem ipsam enucleatè pensitantes. Scholasticis

lasticis enim solemne est, virtutes morales ac Theologicas à Spiritus S. donis aliqua distinctione secernere. Quod cùm subtilitatis magis, quàm soliditatis laudem mereatur, mirum videri non debet quòd doctores nostri vulgò in istis minutiis non immorantur. 1. Donum in Scriptura vocatur quidquid nobis boni à Deo confertur, Iac.1.17. Et dari nobis dicuntur, tum virtutes, vt pœnitentia, Actor.11.18. fides, Eph.2.8. charitas, Eph.6.23. spes, 1.Pet.1.3. timor, Ierem.32.40. Et aliæ multæ virtutes, quas in vnum fasciculum componit Apostolus, & vocat fructus, i.e. dona Spiritus, Gal.6.22. tum actus à virtutibus prodeuntes: datum enim nobis est à Deo τὸ credere, Philipp.1.29. Item velle bonum & perficere, Philip.2.13. tum gratiæ illæ, quæ in nonnullis relucent ad ædificationem & instructionem aliorum, de quibus 1.Cor.12.6. Itaque cùm doni nomen ad septem quædam animi ornamenta Scholastici restringunt, in eo non tam Scripturæ ducem quàm animi sui figmenta sequuntur.

Atque inde fit vt in assignanda distinctione donorum à virtutibus in diuersas partes abeant, dum alij hoc, alij aliud indiscriminatim comminiscuntur, vt videre est apud Thomam, Bonauent. Scotum, & alios. Quibusdam placet per virtutes nos Christo conformari in agendo, per dona verò in patiendo, sed distinctio nihil est: Nam & per virtutes, putà mansuetudinem & patientiam Christo configuramur ad omnia humiliter ferenda, & per dona, quæ vocant, putà per Spiritum consilij & pietatis dirigimur ad rectè operandum. Adde quòd, si dona nos configurarent tantùm in patiendo nequaquam possent illa remanere in cœlesti gloria, vbi nihil omnino patiendum est, quod tamen contra esse consentiunt Scholastici. Alij malunt per virtutes non rectè operari: at per dona expeditè. Verùm qui hoc dicunt, toti Philosophiæ se opponunt, vbi nihil notius illo anxietate. Per virtutes hominem, & rectè & facilè operari; vnde tritum illud acquisiti virtutum habitus signum esse facilem & expeditam operationem. Nonnulli considerant concedi à Deo virtutes & dona propter exterminandum peccatum: atqui peccatum duo præsertim mala inuehit: Nam inquiunt, & rectitudinem justitiæ tollit, & naturæ vigorem debilitat. Volunt ergo destinari virtutes ad restituendam justitiam, quasi sanitatem quandam spiritualem post morbum quo laboramus; dona verò ad debilitatem aufferendam, reddendum naturæ suum vigorem, vt cùm sublato morbo tollitur etiam symptoma, itaque sapientiam stultitiæ mederi, intellectu hebetudinem tolli, consilio præcipitationem aufferri, fortitudine pusillanimitatem expelli, scientia ignorationem eliminari, pietate negligentiam, timore securitatem, sed in hoc dupliciter errant. 1. Quòd docent per peccatum naturæ vigorem non sublatum omnino, sed tantummodo debilitatum, cùm Scriptura testetur hominem non debilem sed mortuum in peccatis. 2. Quòd sentiunt naturæ vigorem esse aliquid diuersum à rectitudine justitiæ, cùm tamen Salomo vim & perfectionem primam naturæ describens satis docet non alibi quàm in rectitudine justitiæ sitam fuisse, cùm ait hominem initio rectum à Deo creatum, Eccles.7.29. Thom. & qui ipsum sequuntur.

aliam doctrinam commenti sunt. Docent enim hominem virtutibus perfici, vt aptus sit moueri ac duci à recta ratione; donis verò vt facilius moueatur ab inspiratione & instinctu diuino siue virtutibus hominem actiuè disponi, vt seipsum conformiter rationi moueat ad opera præscripta; donis verò disponi passiuè & diuinis illustrationibus alacrius & expeditius moueatur. Verùm hæc Thomæ sententia, inquit Almainus tract.30. moralium, cap.13. Est multùm difficilis ad intelligendum & non leui argumento refellitur, nam cùm distinctio habituum indicetur ex distinctione actuum inde procedentium sanè consequitur nullum esse reale discrimen inter virtutes & dona, cùm nulla doctrina substitui possit inter eorum actus: nam verbi gratia, fortitudo & prudentia siue consilium ab Aduersariis, tum inter virtutes cardinales commemorantur, tum inter dona. Iam verò quis discrimen aliquod obseruare possit inter actum fortitudinis prout est virtus, & actum eiusdem prout est donum Spiritus. Præterea non est verum per quascunque virtutes homines aptos reddi, vt ducantur a recta ratione: Nam id quidem de virtutibus moralibus dici potest, sed Theologicis dici non debet. Certè homo per fidem non mouetur à recta ratione, cùm fides & spes sint altioris ordinis, quàm ratio, quibus ratio non præsidet, sed famulatum præstat. Ergo per eas potiùs aptus redditur homo, vt moueatur à Spiritu Sancto. Vnde ex Thomistica dist. sequeretur fidem & spem non tam inter virtutes, quàm inter dona computari debere. Hæc cùm ita habeant videtur Scotus & qui Scotum sequuntur Gabr. Almainus, aliique rectiùs sensisse qui distinctionem non rei, sed rationis ponunt inter virtutes & dona, nimirum res eadem diuerso respectu & virtus & donum dici potest. Virtus quidem quatenus est habitus & principium suorum actuum, Donum verò quatenus est res accepta diuinitus, Deique munere concessa, adeò vt doni nominatioem vel relationem habeat ad originem, vnde procedit; virtutis verò ad effectus quos producit, ita vt per donum ortus, per virtutem actus designetur. Atque hoc discrimine ita constituto cessant variæ quæstiones de prioritate ordinis. Atque inter dona & virtutes: nam quæ sunt eadem, non possunt dici rectè, vel priora, vel præstantiora. Item cùm nemo dubitet virtutes, tum morales, tum præsertim Theologicas esse ad salutem necessarias, quia nemo sine sanctimonia videbit Deum, neque sine fide placebit Deo, nullus superesse potest locus illi quæst. An dona sint ad salutem necessaria indidem quoque facilè soluitur. Quæstio an dona in Patria remanere debeant. Remanebunt enim quomodo virtutes, nimirum quoad ea, quæ perfectionem designant, sed non quod ad id attinet, quod imperfectionem aliquam notat.

Dona porrò spiritus septem tantùm denominantur ab omnibus Scholasticis nimirum donum sapientiæ, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris, illum numerum eruunt, ex Es.11.2.3. Sed errore versionis, tum Græcæ, tum vulgatæ Latinæ: nam certè in textu originario sex tantùm enumerantur, verùm quoniam vocabulum יראה. Quod hoc

loco

loco bis repetitur: Interpretes 1. vertunt per vocem θεοσεβείας & pietatis. Deinde per vocabulum φόβου & timoris, inde factum vt septenario suo locum dederint, Scholastici quem tamen si Esaias proposuisset, haud quaquam tamen concludi deberet, esse tantùm septem dona Spiritus, cùm alibi alia enumerentur, putà spiritus judicij & ardoris, Es.4.4. Spiritus gratiæ & supplicationum, Zach.12.10. & in N. Testamento frequenter spiritus sanctificationis, adoptionis, veritatis, promissionis, &c.

Sed jam de Christi donis dicamus quæ hoc Theoremate explicantur. Theor. *Christus donis sapientiæ, intelligentiæ, consilij, fortitudinis, scientiæ ac timoris, fuit à Deo patre sufficientissimè exornatus.* Dona illo Es. loco proponuntur sex numero. Requiescet, inquit, super eum Spiritus sapientiæ, &c. Vbi quid & à quo, & quomodo Christus habiturus esset, breuiter exponitur, sed species, origo, & qualitas donorum explicantur. Ac species quidem non omnes, sed præcipuæ quædam enumerantur, quæ nimirum ad impositi Christi muneris administrationē erant præsertim necessariæ. Illæ autem triplici συζυγία sociantur & componuntur, sapientia & intelligentia. Cùm autem veræ sapientiæ sit non tantùm ea quæ vera sunt & recta cognoscere, sed reapse præstare, atq; actionibus exprimere, inde est quòd sapientiæ nomine intelligenda venit, tum plena in Christo diuinæ voluntatis, diuinorumque consiliorum & impositi sibi muneris cognitio tum eorundem absoluta suis muneris & partibus exequutio. Intelligentiam verò vocat Propheta Iudicij dexteritatem & promptitudinem in rebus omnibus decernendis, siue dijudicationem illam perfectam, quâ promptè atque expeditè discernitur inter causas & effectus, & justo rectoque discursu vnum ex alio colligitur. Atque ita docetur Christum non minùs admiranda rerum diuinarum humanarumque notitia fuisse præditum, quàm acerrimo judicio valuisse in discernendo, conjectando, colligendo, vt nuspiam cespitaret, nunquam hallucinaretur, aut erraret, sed omnia omnino, quæ vel oculis percipiebat, vel auribus audiebat, vel sensu aliquo apprehendebat, vel etiam ipsius menti occurrebant, ad rectam Iudicij trutinam penstitaret, atque huc spectat, quòd Euang. docet turbas super Christo Christique doctrina perculsas admiratione exclamasse, *vnde huic sapientia ista*, Matth.13.54. Et fateri coactas ipsum omnia benefeciſſe, Marc.7.37.

Secvnda συζυγία continet item duo dona, nimirum consilium & fortitudinem. Consilium est solers illa prudentia, quæ sese possunt homines in rebus dubiis & perplexis expedire. Cui adjungitur fortitudo, id est verum animi robur in obeundis periculis & ferendis vocationis laboribus, nec non & præstantia in deducendis ad fœlicem exitum consiliis. Itaque sicut sapientia & intelligentia circa τὰ ὄντα maximè præcipuè versantur. Ita fortitudo & consilium circa τὰ πρακτά. Hæc autem duo ratione optima conjunguntur: nam sicut consilium absque fortitudine inefficax est, ita fortitudo sine consilio non virtus est. Temerarius verò & brutus impetus. Vnde illud poëtæ, Hora.lib.3.carm.ode 4.

Vis consilij expers mole ruit sua.

VTROQVE igitur dono Christus emicuit perfectissimè. Nam 1. sicut innumeris difficultatibus & impedimentis quasi totidem vepribus & spinis acutissimis via vocationis ipsius obsita fuit, vbi periculosissimas insidias mundus & Satanas subinde instruebant & instaurabant, ita maxima prudentia consilioque opus fuit, vt rumores omnes emolliret, & hisce labyrinthis inuolutissimis explicaret : ex illis difficultatibus emergens, vnde nonnisi diuini consilij ope patebat exitus. 2. Sicut omne hostium genus Christo imminebat constante tota Euangelij historia : Ita magno animi robore vsus erat, tum in perferendis eorum opprobriis atque contumeliis, tum in retundendis conatibus, tum in prosternendis viribus, quæ omnia cùm Christus admirabili fortitudine præstiterit, propterea dicitur vicisse mundum, Iohan.16.33. & opera diaboli destruxisse, 1.Iohan.3.8. eiusque imperium aboleuisse, Hebr.2.14.

TERTIA συζυγία quintum & sextum donum, nempe scientiam & timorem proponit scientiam intelligo cognitionem plenam & certam eorum, quæ inter homines in vnaquaque vocatione fieri debent, putà quonam officio constringatur Magistratus erga subditos, filius erga Patrem Pater erga filios, &c. Quod quisque debeat proximo suo, siue in casu necessitatis, siue extra eum. Nam qui doctor est Ecclesiæ vniuersalis & summus singulorumque fidelium, Matth.23.8. Eum oportet non tantùm pro sapientia sua omnia nosse, sed etiam ea planè cognoscere, quæ ad vnius cuiusque vocationem spectant, vt illa suos doceat, & in praxim ab iis seriò curet reuocari. Enimuero cùm scientia, sine charitate Deique cultu inflet magis, quàm ædificet, 1.Cor.8.1. Propterea scientiæ timor adjungitur, id est reuerentia erga Deum, sincerúsque supremi numinis cultus, qualem à Christo per totam vitam fuisse fideliter ac perfectè præstitum certò certiùs est, vt ipse Christus testatur, cùm ait se Patrem suum τιμᾶν honorare, reuereri, colere, Ioh.8.49. Atque hic anxiè quærunt, Scholastici, quomodo in Christo fuisse dicatur timor, cùm proprium timoris objectum sit malum culpæ, vel pœnæ propter culpam. Culpæ autem nullum in Christo vestigium fuerit; vnde neque timor in ipso esse potuisse videtur. Sed facilis est responsio. Neque enim hic timorem illum intelligit scriptura, qui passio est & designat horrorem fugamque mali possibilis, aut imminentis, sed timorem, qui virtus est, quem reuerentialem vocant, quippe cùm Dei cultu paria facit, ideóque non circa malum, tanquam objectum, sed circa Deum versatur vt eius voluntati atque mandatis se subjiciat, vnde etiam hic à Propheta non simpliciter timor, sed timor Iehouæ vocatur. De timore autem Christi, quatenus passio est, suo loco dicetur, sed in electorum suorum gratiam, prout dicitur, Ps.68.19. Accepisse dona hominibus, id est propter homines, vel vt ea daret, vel vt distribueret hominibus explicante ita Paulo, Eph.4.8. Ideò ea dona spectare debemus, non tantùm quatenus in Christo reluxerunt, verum etiam quatenus in fidelibus splendent pro mensura fidei ac donationis Christi, ex cuius plenitudine gratiam haurimus pro gratia. Secundò Originem donorum Christi Propheta expli-

cat

cat, vbi Spiritum Iehouæ ſuper eum requieſcere teſtatur, ac diuerſi quidem generis eſſe videntur enumerata dona, cùm alia magis ad res cœleſtes & ſupernaturales ſpectent, ſapientia nimirum & timor Domini; Alia pertinent magis ad res terrenas & naturales nimirum intelligentia, ſiue iudicij perſpicacia, & conſilij ſagacitas & fortitudinis excellentia, neque tamen, vel illa, vel hæc ad diſpoſitionem naturalem aliquam aut ad ipſam Chriſti humanitatem, tanquam ad cauſam referuntur, ſed Spiritui Iehouæ tranſcribuntur in ſolidum, vt quò nobilior eſt ortus, eò præſtantiora illa dona in Chriſto fuiſſe cognoſcamus. 1. Igitur ex vſu ſcripturæ quæcunque in aliquo genere reliquis præeminent Deo ſolent adſcribi. Hac enim de cauſa vrbs totius orbis maxima Niniua vocatur ciuitas Dei, & montes altiſſimi, montes Dei. 2. Quia heroicæ virtutes, quales fuiſſe in Chriſto nemo ignorat, quaſque dicunt Philoſophi eſſe ſplendorem quendam & eminentiam virtutum moralium non hominis viribus, ſed diuino muneri, ipſorum etiam Ethnicorum conſenſu, deputantur. Ita Lacones alicuius virtutem demirati dicere ſolebant eum eſſe virum diuinum. Ita Hom. inſignem Hectoris fortitudinem explicans, dicit eum non videri, οὐ βροτοῦ ἀνδρὸς παῖδ' ἔμμεναι, ἠὲ θεοῖο. Hominis mortalis filium ſed Dei ita Ariſtoteles Ethic.7. Virtutem heroicam, non tantùm vocat ἀρετὴν ὑπερβολὴν, id eſt, virtutis excellentiam, ſed etiam aliquid ὑπὲρ τὴν ἀρετὴν, imò & θεῖον ἀρετὴν. 3. Quia Dei Spiritum in operibus nonnullis aut motibus ſupra communem ſortem poſitis efficacia peculiari agere Scriptura ſacra teſtatur, quomodo *Betſaleel* non tantùm inſtructus fuiſſe dicitur, peritia, & intelligentia notitiáque & omni arte. ſed & ſpiritu Domini impletus, Exod.31.3. Et Gedeonis fortitudo ita declaratur, vt Spiritu Domini indutus fuiſſe dicatur, Iudi.6.24. 4. Cùm Chriſtus donis omnibus quæ ad officij Mediatorij adminiſtrationem conducebant à Deo fuiſſet vnctus, Pſ.45.8. Quæ autem dona hic memorantur ab Eſaia in eam rem maximè neceſſaria fuerint, haud abs re eſt, quòd ea omnia ad Deum, tanquam vnicam cauſam referuntur. Quia autem Pater cœleſtis hæc omnia fuerit in Chriſto ſuo operatus, ſancti tamen Spiritus nominatim Eſaias meminit, propter eum ordinem perſonarum in actibus externis, quem ſcriptura nos docet: ſolet enim quæ potentiæ ſunt & creationis Patri, quæ redemptionis filio, quæ beneficij, aut ſanctificationis Spiritui ſancto tribuere, ſicut in alia cauſa, iam ſupra notauimus.

QVALITATEM donorum exponit Propheta, cùm Spiritum Domini ait ſupra Chriſtum requieuiſſe. Quietis enim nomine ſignificat, 1. Donorum veram & rationalem communionem. 2. Diuturnitatem, ſed perpetuitatem donorum, quippe quæ Chriſtus poſſedit, non tanquam actum & ut motum quendam tranſeuntem, aut labilem per fluxum, ſed tanquam permanentem & fixum, quo liberrimè vſus eſt, quantumcunque & quotieſcunque libuit. Atque hoc eſt quod illuſtri teſtimonio confirmatum iuit, Pater cœleſtis viſibili illo deſcenſu Spiritus in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum: etenim ſicut Iohanni Baptiſtæ

declaratum fuerat videbis Spiritum descendentem, &c. Ioh.1.33. Ita reapse impletum est in die Baptismi, Matt.3.16. Non quasi ante Baptismum donis illis Christus caruerit, sed quia tunc & Iohanni, & adstanti populo clarius manifestata fuerunt, quæ antea nondum ita liquidò potuerant. Porrò super Christum spiritus sanctus requiescere dici potest dupliciter, nimirum tum originis, tum effectuum ratione. Quanquam ad hoc posterius repexisse videatur Propheta. Originis quidem si respiciatur ad diuinam Christi naturam, quatenus nimirum spiritum S. à Patre & filio, tanquam ab vno originis principio emanare Scriptura testatur. Effectuum verò si spectetur humanitas ipsius quæ donis illis, de quibus hactenus, copiosissimè instructa fuerit, siue instituta. Vnde iam patet, quí etiam super fideles requiescere dicatur spiritus Domini, Numer.11.26. 1. Pet.4.14. Esse tamen longum latumque discrimen inter Christum & reliquos, homines & Angelos. 1. Quia Christus, quo Deus *cum Patre* & *à Patre* mittens spiritum dona largitur omnia, adeóque in suam ipsius humanitatem effundit, quod de nullo alio dici potest. 2. Quia quatenus homo tanta spiritualium donorum copia cumulatus est, quanta nullus vnquam Angelorum, aut hominum, sicut antea docuimus.

CAPVT VI.

De Gratiis Christi gratis datis.

GRATIAM Theologi diuidunt in gratis dantem, & gratis datam primam vocant amorem & beneuolentiam Dei, vnde procedit quidquid donorum est in Christo, Iac.1.17. Secundam verò, omnia beneficia in creaturas collata. Alij eodem sensu priorem vocant gratiam conferentem, siue communicantem. Posteriorem collatam, siue communicatam. Ad priorem quidem quod attinet non dubium est, quin Christus gratiam dantem habuerit, quandoquidem ab ipso conceptionis momento Deo gratissima fuit & acceptissima. Propterea enim Christus toties in script. dilectus Dei dicitur, in quo Patri complacitum, Es. 42.1. Matth.3.17. & 17.3. Summa est Christum dilectum esse à Deo, tum causaliter, tum formaliter, quia Patri suo semper charissimus fuit, tum ratione diuinitatis, tum ratione humanitatis, tum etiam ratione officij illius Mediatorij, ad cuius administrationem destinatus & vocatus est à Patre. Causaliter verò quia quòd Deus nos gratos habet & donis spiritualibus & salutaribus exornat. Illud enim est quòd nos in Christo suo ἐχαρίσατο, Eph.1.6. Ita vt ex ipsius plenitudine hauriamus gratiam pro gratia, Ioh.1.16. Neque verò perpetuæ isti atque constantissimæ. Patris erga Christum hominem beneuolentia obstat quòd legatur aliquando à Patre fuisse derelictus, Matt.27.46. Imò & diuinam maledictionem ad tempus in eum incubuisse, Gal.3.13. Nam hæc Christi

defectio

defertio non ceſſationem dilectionis, ſed operationis deſignat, neque facta eſt per negationem diuinæ beneuolentiæ, ſed per temporariam ſolitæ protectionis ſuſpenſionem, ſic & in maledictione Chriſtum conſiderari oportet, non qualis reſpectu ſui fuit, ſed qualis reſpectu noſtri. Reſpectu enim ſui, vt innocens & juſtus, ita Deo ſemper charus & benedictus. Reſpectu verò noſtri, vt noſtrorum peccatorum imputatione reus fuit ita in Dei maledictionem incurrebat eam in ſe transferendo à nobis in æternum amoliretur.

GRATIAS gratis datas quod attinet, quanquam eo nomine generatim intelligi poſſit, quidquid donorum in creaturam effundit ſpiritus. Placet tamen hic vulgatum apud Scholaſticos loquendi morem ſequi, ut per eas intelligantur ea dona, quæ conferuntur à Deo in aliquem magis ad aliorum ædificationem, quàm ad perfectionem propriam, quo ſenſu definiunt gratiam gratis datam, *donum ſupernaturale datum alicui ad vtilitatem aliorum.* Eſto igitur hic nobis

THEOREMA, *humana Chriſti natura non vna, aut altera gratia, gratis data, ſed omnibus omnino cumulatiſſimè inſtructa fuit.* Gratias gratis datas enumerat Apoſtolus, 1. Cor. 12. 7. 8. 9. &c. Vbi authorem, finem & ſpeciem illorum donorum exponit. Authorem docet eſſe ſpiritum diſtribuentem illa priuatim ſingulis prout vult, non ex aliquo merito accipientium, ſed ex mera ſua beneuolentia, quatenus in nonnullis hac ratione ſeſe vult efficaciter manifeſtare: vnde vocatur etiam ab Apoſtolo declaratio ſpiritus. Sed & quanquam aliò ſpectare poteſt illa φανέρωσις, nimirum vt deſignetur diſcrimen inter dona illa particularia & alias dotes ſpirituales quibus fideles donantur, quæque pertinent ad propriam ipſorum ſalutem, qualia ſunt fides, ſpes, charitas. Latent enim iſtæ in corde neque ſemper innoteſcunt aliis hominibus. Dona verò illa ſpecialia, cùm ad aliorum ſalutem dirigantur, latere non poſſunt, ſed mox, vt habentur certis indiciis ſeſe patefaciunt. Finem eorum donorum docet Apoſtolus eſſe aliorum vtilitatem. Vnciuiq; datur inquit, manifeſtatio ſpiritus πρὸς τὸ σύμφερον, nimirum ad Eccleſiæ ædificationem, & in fidelium conſeruationem & conuerſionem. Cùm enim primis illis naſcentis Euang. ſeculis, miniſterio Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum, tum Iudæi ad Chriſtum adducendi eſſent, tum Gentiles ab idololatria reuocandi, & Eccleſiam aggregandi, vt faciliùs illud effectum daretur, Deo placuit ad Euang. prædicationem has peculiares gratias quibuſdam copiosè largiri, quibus conſpectis percellerentur hominum animi, & ad Chriſtianæ religionis perfectionem potenter adigerentur.

QVAS enumerat donorum illorum Apoſtolus ſpecies, poſſunt illæ ad tria capita reuocari, cognitionem, loquutionem, operationem: nam vt poſſent primi prædicatores ita juuare Gentiles, aut Iudæos, vt ad veram beatitudinem peruenirent, hæc tria opus fuerunt. 1. Exacta ſacrarum rerum cognitio neceſſaria erat, quam in duobus conſtituit Apoſtolus ſermone ſapientiæ & ſermone ſcientiæ. Sapientiam intelligo notitiam ſublimem & exactam rerum diuinarum ſiue dogmatum religio-

nis Christianæ scientiam verò applicationem illius notitiæ in exhortando, redarguendo, consolando. Itaque sapientia magis ad officium doctorum: scientia verò magis ad munus pastorum pertinet; illa Theologiam contemplatiuam; hæc practicam respicit. Illius est præcipuus vsus in Schola; huius in Ecclesia. Aliis magis placet sapientiam dici cognitionem rerum diuinarum, scientiam verò cognitionem rerum naturalium & humanarum, non simpliciter & absolutè, sed quatenus inde sumuntur exempla, vel adjumenta diuinis rebus explicandis aut illustrandis inservientia. August. sapientiam intelligere videtur cognitionem, quâ scit homo, quid credere debeat propter adipiscendam salutem & vitam æternam; scientiam verò notitiam, quâ scit quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur, sed non videtur ita posse sapientiam accipi, cùm hic agatur de donis relatè ad ædificationem aliorum: cognitio vero quâ scimus quod credere debeamus propter adipiscendam vitam æternam directè & per se refertur ad nostram ipsorum salutem.

Secvndò opus fuit expedita quadam facultate, qua possent aliis explicare quæ ipsi iam ante mente perceperant. Huc pertinent gratia linguarum, & interpretatio. Linguarum donum est facultas loquendi variis linguis, quantumuis eas vsu aut exercitatione non fuerit edoctus, ea patet in Pentecostes die donatos fuisse Apostolos, cùm repleti fuerunt Spiritu sancto, qui in forma linguarum igearum in eos superuenit, vt omnibus linguis eloqui possent τὰ μεγάλια τ̃ θεοῦ, Actor. 2. 3. 4. 8. Cùm enim in totum terrarum orbem propter prædicandum Euangelium mittendi essent opus sanè fuit eam ipsis facultatem concedi vt fructum suum apud nationes verbi ministerium consequeretur. Hoc donum etiam à nonnullis, præter Apostolos aliis fuisse concessum ex 1. Cor. 14. Liquet, hoc tamen vt videtur discrimine, quod Apostoli singulas nationes, ad quas accedebant, propria ipsarum lingua solerent alloqui, vt intelligerentur ab omnibus, adeóque interprete nequaquam haberent. Aliis autem secus euenire, qui nonnunquam in mediis Ecclesiæ cœtibus afflatu Spiritus sancti loquebantur lingua incognita, ita vt citra interpretationem à stantibus intelligi minimè valerent, adeóque nulla ædificatione loquerentur, vt Paulus docet, cùm ait, 1. Cor. 14. 14. Si cùm orem lingua, &c. Quasi dicat cùm in medio fidelium coactorum surgit aliquis, qui preces fundit, aut mysteria proponit ignota lingua, apparet quædam eum ex dono spiritus peculiari id agere, sed tamen ipsius mens fructu caret, non quidem in seipsa, quasi ipse qui loquitur, verba sua non intelligeret, sed respectu audientium qui sanè ex lingua nequaquam intellecta, nihil possunt vtilitatis percipere. Ergo vt incommodum illud caueretur, necessarium erat alterum, illud donum, quod vocat Apostolus interpretationem linguarum, quod 1. Cor. 14. Prophetiam nominat, quia aliquam habebat cum propriè dicta Propheria proportionem. Vt enim Propheta propriè dictus prædicit futura, quæ nesciuntur. Ita qui ciusmodi interpretatione valebant, ignota, pleriſque

sensu

sensu proferebant in lucem, adeoque ex peculiari dono, sicut linguis incognitis loquebantur. Ita nonnulli ex eiusdem spiritus operatione singulari, linguis illis interpretandis pares erant, vnde sequebatur non lenis adstantium fidelium ædificatio & consolatio, docente Apostolo, 1. Corinth. 14. 3. Cæterùm quia duo illa in vnum eundemque hominem aliquando conferebatur. Propterea Paulus ait, 1. Cor. 14. cum qui erat lingua, precari debere, &c. id est, adeò precibus contendere, vt cùm dono linguarum, etiam donum interpretationis consequi possit, ad majorem scilicet Ecclesiæ ædificationem.

VLTIMO etiam opus erat vt quàm prædicabant, doctrinam eam operationibus quibusdam extraordinariis confirmare possint, sicut docetur Marc. 16. 20. Dominum in Apostolis suis in verbi prædicatione fuisse cooperatum & sermonem illorum confirmasse. Eas autem operationes possumus ad duo capita reuocare, quæ nominat Apostolus nimirum fidem, & Prophetiam. Ad fidem pertinet donum sanationum, & operatio virtutum. Ad Prophetiam discretio Spirituum. Primùm ergo fidem cùm nominat Apostolus non significat eam, quæ est dogmatum, sed eam quæ est signorum docentibus Chrysostom. Theod. Hieron. & Theoph. id est, non saluificam illam & iustificantem fidem, quâ coram Deo remissionem peccatorum obtinemus: hæc enim non donum est peculiare nonnullis, sed omnibus verè Christianis commune, neque tam ad ædificationem, quàm ad propriam vniuscujusq; salutem confertur, sed fidem miraculorum, quæ fiducia est vehemens, siue firma certitudo de aliquo effectu miraculoso in Dei virtute producendo. Eò pertinet donum saluationum, quo pollebant, qui ægrotos à morbis solo verbo curabant, aut precibus, Marc. 16. 18. Iac. 5. 14. Act. 28. 8. Igitur operationes virtutum, quo nomine venit, tum facultas expellendi Dæmones, Marc. 16. 18. Tum vis etiam & ius præfractos impiosque variis pœnis reprimendi, quod necessarium sint quandiu Ecclesiæ Magistratus non habebat qui prauos & rebelles gladio coercere possent. Exempla sunt, Actor. 5. in Anania & Sapphira, & Act. 13. in Elymago. Addit deinde Apostolus, prophetiam qua voce non intelligenda est simpliciter explicatio mysteriorum, quippe quam Apost. per interpretationem linguarum designat, sed tum futura certè prædicendi facultas, tum extraordinaria reuelatio quorumuis arcanorum, quorum cognitio Ecclesiæ vtilis esse possit; sub Prophetia continetur discretio Spirituum, qua voce intelligunt discernendi veros Dei ministros ab impostoribus vt ab eis cauere possint juxta illud Christi, Matth. 7. 15. Cauete, &c. Sed cùm donum hoc, non donum sit peculiare, verùm fidelibus omnibus ex officio incumbat, quos hortatur Apostolus omnia probare vt quod bonum est retineant, 1. Thess. 5. 21. Potius videtur id referendum ad vim illam diuinam qua poterant nonnulli, cùm id exigeret vtilitas Eccl. motus & cogitationes inferiores hominum quantumvis dissimulantium perspicere, quod fecit Petrus in Anania, Act. 5. 3. & Simone Mago, 8. 21.

EAS omnes gratias in Christo fuisse duo maximè demonstrant, 1. ratio-

vnionis hypostaticæ. Illa enim suo jure dotes has & ornamenta requirebat omnis gratia in Christo vigere debuit, non aliter, quàm in capite vigent omnes sensus, inquit August. epist. 57. ad Dardanum. 2. Ratio officij: Christus enim summus est, & præcipuus veræ fidei doctor, Matt. 23.8.10. & pastorum princeps, 1. Petr. 5.4. Debuit igitur illis ornamentis esse præstantissimus, & ad docendos omnes necessaria sunt, & ad Ecclesiæ vtilitatem, atque ædificationem spectant; quales esse gratias illas, quas innumerat Apostolus, quòd si singulas seorsim considerare libeat, nemo dubitaturus est eas in Christum vel maximè competere. 1. Gratiæ quæ cognitionem spectant, sapientia putà & scientia in Christo fuerunt absolutissimo modo, vt supra ex Es. 11.2. demonstratum est, sed res ipsa Christo prædicante abunde qui probauit, siquidem & summam diuinorum mysteriorum notitiam exhibuit, vnde dicuntur super eius doctrina turbæ fuisse admiratione perculsæ, Matth. 7.28. Et mysteria illa subinde exhortando, corrigendo, consolando efficacissimè applicat. Quemadmodum Euang. historia passim testatur. 2. Non defuerunt eæ gratiæ, quæ ad loquutionem pertinent. Linguarum, inquam, cognitio earumque interpretatio. Nam quis putet capiti defuisse facultatem, quę membris sub capite concessa est, aut Apostolos magistro suo in aliqua perfectione fuisse majores. Sanè variorum idiomatum cognitio magno per se est ornamento hominibus quibuscunq;, quantò magis doctoribus & doctorum principi dices istiusmodi gratia Christum nunquam vsum fuisse, quippe qui missus sit ad Israelem tantùm, Matth. 15. 24. adeoque non alia lingua opus fuerit, quàm quâ Israelitæ vterentur. Resp. quamuis non fuerit vsus Christus, quia non est illi data vtendi occasio, diuinam tamen virtutem, ad gratiæ istius vsum, ita ipsi semper præstò fuisse, vt semper vti potuerit, quotiescunque vellet. Quemadmodum & singulis Apostolis omnium linguarum cognitio concessa fuit, cùm tamen singuli linguis tantùm earum nationum vsi sint, ad quas peruenerunt. Adde quod probabile est Christum etiam aliquando pro ratione personarum, quas alloquebatur, aliam quàm Iudæorum linguam vsurpasse, putà cùm ad Samaritanos peruenit, Iohan. 4.5. Et cùm per Tyriorum & Sidoniorum regionem transiit, Marci 7.24. Et cùm puer adhuc vnà cùm Iosepho & beata Virgine per longum satis tempus in Ægypto commoratus, Matth. 2.14.15. 3. Instructissimus etiam fuit gratiis illis, quæ ad operationem spectant certè fidem signorum habuit, id est, indubitatam certitudinem de edendis miraculis quæcunque & vbicunque vellet, quippe qui nosset se à Patre semper audiri, Iohan. 11.42. Deinde quàm plurimos curauit à morbis virtute planè diuina & Dæmones de corporibus ἀνθρωμένων expulit potentissimè & impios repressit, vt voluit, & insigni documento comprobauit, cùm milites & Satellites ad ipsum capiendum missos vnico vocabulo abjecit in terram ac prostrauit, Iohan. 18.6. Præterea discretio spirituum in eo eminuit excellentissimè, cùm hominum cogitationes internas ita pernosset, vt nunquam ab illo falleretur, Iohan. 2.24.25. Nec magis de Prophetia dubitandum est:

Nam &

Nam & Christus in V.& N. fœdere, sæpissimè Prophetæ nomine insignitur, & Euang. varia Christi prædicatione continet de Hierosolymorum excidio, hæreticorum perfidia, Euangelij prædicatione, Gentium conuersione, Apostolorum martyrio, Petri abnegatione, Iudæ proditione,&c. Deinde cùm Prophetiæ nomine designetur arcanorum quorumuis reuelatio, quis inficias eat Christum hoc dono vel maximè fuisse præditum, quia arcana omnia Patris nouit & consiliarius ipsius, & in hunc modum venit, vt quæ ab æterno latuerant in sinu Patris omnibus hominibus enarraret, Iohan.1.18. Objicitur Prophetæ donum habere imperfectionem & obscuritatem adjunctam, vnde & Propheticus sermo lucernæ comparatur lucenti in caliginoso loco, 2.Petr.1.5. & dicitur cessatura in futuro seculo Prophetia, 1.Cor.13.8. Resp. de Christi Prophetia latiùs agendum suo loco, hic tamen obseruo obscuritatem & caliginem non esse de essentia Prophetiæ, neque ad modum ipsius proprium pertinere, sed esse aliquid accidentarium & extrinsecum : Essentiam verò ipsius in eo consistere, vt certò atq; infallibiliter prædicantur futura Christi. Ergo prophetia illa omnia habuit, quæ ad perfectionem essentialem Prophetiæ pertinent, sed non est opus, vt habuisse dicamus Prophetiam, cum ea ineuidentia, obscuritate,& imperfectione, quæ vel in omnibus, vel in plerisque aliis Prophetis fuit. Quod autem dicit Apostolus, cessaturam in futuro seculo Prophetiam, non est trahendum ad aliquam imperfectionem, quam in essentia sua complectatur donum Prophetiæ, quo sensu dicitur cessatura fides, & transitura in aspectum, sed magis ad futuræ vitæ conditionem referendum est, in qua nullus erit Prophetico ministerio locus, quia tum beatorum animæ, neque doctrina Prophetarum, neque prædicatione rerum futurarum opus habebunt, cùm Dei Spiritu adeoque omni cognitione replendæ sint,& bonum omnes totamque gloriam præsentem possessuræ.

CAPVT VII.

De potentia & gloria Christi.

A Christi gratia transitus iam nobis est, ad ipsius potentiam. Potentiam cùm dico, non intelligo diuinam illam & infinitam, quâ pollet, quatenus Deus, & quæ satis explicata est in tractatu de Deo, sed eam quæ in ipsius humanitatem competit, de qua nobis esto Theorema. Primum, *humanitas Christi propter communem cum aliis hominibus potentiam supernaturali etiam & admirabili donatus est.* Potentiam etiam in humanitate Christi considerare duplicem possumus, *naturalem* nempe & *supernaturalem.* 1. Ergo Christus naturalem potentiam habuit, quia cùm verè homo fuerit, nobis per omnia similis excepto peccato, indubium est iis omnibus fuisse præditum, quæ ad constitutionem aut de-

bitam humanitatis conditionem pertinent: atque homo naturalem habet, tum animi, tum corporis potentiam, per quam ea exercere potest & efficere, quæ ipsius natura postulat, imò, cùm Christi humanitas longè præstantissima sit, & eò vsque in naturalibus donis progressa fuerit, quò vsque homo inter terminos naturæ manendo pertingere valet. Non est absimile vero naturalem hanc potentiam Christi ad perfectissimam in natura gradum peruenisse. 2. Habuit supernaturalem potentiam, quâ reliquis hominibus & Angelis incomparabiliter eminuit, quanquam definire possumus facultatem eximiam ad producendos admirabiles effectus & supra naturæ humanæ vires positos. De hac autem potentia obseruandum est; 1. Eo vocabulo significari, tum habitum, siue δυναμιν & facultatem ad agendum, tum ἐξουσίαν, siue ius illud facultatis exercendæ, tum denique actum & exercitium illius δυνάμεως in præstandis quoties libebat operibus excellentissimis. Christi δυναμιν totum Euangelium prædicat, & leprosus agnoscit, Matth.8.2. & Christus ipse sibi attribuit, Matth.26.61. Ius & ἐξουσίαν se habere Christus testatur, Matth.28.18.Ioh.10.18. Actum & exercitium ostendit in omnibus miraculis, in quorum patratione, propterea dicit δυναμιν, seu virtutem à se exiisse, Mar.5.20. 2. Quantacunque fuerit, ea Christi potentia, non esse tamen confundendam cum omnipotentia diuina, quippe qua impossibile est fuisse præditam Christi humanitatem, nempe ita facta est vnio hypostatica, vt manserint, tamen inconfusè, tum naturæ, tum naturarum proprietates. Itaque sicut natura diuina finitas & creatas humanitatis proprietates nequaquam reali aliqua communicatione suas fecit; ita nec humanitas ad realem diuinorum attributorum participationem exaltata est. Itaque Christi potentia sub Deo quidem maxima fuit, sed diuinæ par & æqualis non fuit. Et verò cùm Deus dicatur omnipotens variis de causis, tum hæc nominatim, quòd potest omnem creaturam producere. Atqui Christi humanitas non est potens ad productionem cujuscunque creaturæ. Alioqui posset ipsa seipsam producere, quod dictu est absurdissimum. Quod si aliquando Christi humanitati omnipotentiam antiqui videntur attribuere, vt cùm ait Athanas. in Euangelio de Deipara assumpto homini fuisse attributam omnem efficaciam potentiam que, hoc ita intelligendum est, vt ne veritati præjudicietur, nempe tribuit humanitati, quæ sunt propria diuinæ naturæ; quatenus humanitas in persona verbi subsistit, atque adeò quatenus humanitatem sibi habet hypostaticè vnitam, & omnipotentiam & omniperfectionem Verbi. Deinde omnipotentiam humanitati tribuunt, non simpliciter & absolutè dictam, quippe quæ vnius Dei propria est & creaturæ cuicunque incommunicabilis, sed respectiuè, atque συγκριτικῶς dictam, quatenus videtur nihil esse in rebus creatis, quod humanæ Christi naturæ potentiam exæquet, imò quod ei non subijciatur quippe humanitati omnem authoritatem in cœlo & in terra, Matth.28.18. 3. Eam potentiam non esse Christo naturalem, sed donatiuam, quippe, quæ procedat ex Patris dono, qui Christum in has terras mittens omnibus iis copiosissimè instruxit,

instruxit, quæcunque ad præstationem muneris Mediatorij spectare poterant. Atque inde est quod Christus potentiam eam sibi datam profiteatur, Matth.28.18. & opera sua Patri transcribere soleat, quippe quæ faciat in nomine, id est authoritate, virtute Patris sui, Ioh.10.25. Quod signatum voluimus Theoremate, quando potentiam illam, non admirabilem modò, sed supernaturalem eam vocauimus, nempe si ad ipsius effecta respiciatur, verè admirabilis est, quippe quæ illa producat, quasi cùm vires naturæ superent, non possunt videntes & audientes non in admirationem rapere, Matt.8.27. Sin autem effectum & principium eius consideremus verè supernaturalis, id est non ex internis principiis fluens, sed à causa supra naturam originem trahens. A Deo, inquam, qui naturam ita constituit & conseruat, vt tamen supra & præter ordinarium naturæ cursum ac modum quotiescunque libitum est, operari valeat.

4. Hanc potentiam, quanquam realiter eadem est cum gratia miraculorum, quà Christum præcelluisse sup. cap. diximus; ab ea tamen ratione distingui posse, quia gratia miraculorum gratis data quam Christus possedit per modum habitus, rem tamen ipsam significat, scilicet quòd potuerit Christus operante Deo miraculosos effectus producere, sed potentia vna reipsa siue miraculorum patratione tractationem etiam atque modum rei designat, quòd nimirum humanitas Christi in miraculis patrandis organi instar habuerit, & instrumentaliter ad ea producenda concurrerit.

THEOREMA secundum, *Christi humanitas in edendis miraculis & potentiam suam exeruit, per modum instrumẽti, non tam physicè, quàm moraliter agentis.* Hoc Theore. duo explicantur, nempè, 1. in quibus, 2. quomodo humanitatis Christi potentia supernaturalis sese exeru. erit Primùm ergo non exeruerit sese in operibus naturalibus, aut verè humanis efficiendis, cùm naturales facultates ad hac abunde suppeterent. Itaque quod Christus loquebatur, progrediebatur, in genua oraturus procumbebat, manus & oculos in cœlum attollebat, & alios ejusmodi actus disponebat id omne per virtutem humanitatis propriam & per naturales animæ suæ potentias operabatur. Contra quod Apollinaristæ olim docuerunt, qui cùm diuinitatem in locum animæ Christi substituerent omnia sine distinctione vlla volebant in Christo & à Christo fieri per potentiam merè diuinam: At verò cum Christus, vt ante diximus, nobis fuerit per omnia similis: oportuit eum animam veram habere ad informandum, & potentiis animæ naturalibus non minus quàm nos instructum esse. Ergo supernaturalis potentiæ objectum fuit aliquid supernaturale, i. e. transcendens vires & ordinem naturæ. Talia sunt opera, tum interna & spiritualia, quæ in electorum animis fiunt, vt illuminatio mentis, conuersio, productio gratiæ, remissio peccatorum: Tum externa & coporalia, vt cæcorum, surdorum mutorum sanatio, mortuorum excitatio, Dæmoniorum expulsio & alia ejusmodi miracula quæ Christus in Euangelio per suæ in terris commorationis tempus operatus esse legitur. Ita Paulum in via Damascena illuminauit, & à persecutione proposita reuocauit,

Act.9.6. Ita latronem in cruce conuertit, Luc.23. Ita peccata remisit, Matth.9.6.&c. In quibus operibus extraordinariis & admirandis aliqua sine dubio fuit operatio humanitatis Christi, quemadmodum patet,

1. Quia Christus ipse, Matth.9.6. testatur filium hominis habere præsentem remittendi peccata, & ibidem 8. turbæ Deum glorificant, quòd ejusmodi potestatem dederit hominibus. 2. Quia Christus Mediator est, id est, rex Sacerdos, Rex & Propheta ratione tum diuinæ, tum humanæ naturæ. Cùm igitur quatenus Propheta nos interiùs illuminet, & quatenus Rex nobis peccata remittat, nos conuertat, & miracula, quæ vult, operetur, sequitur dicamus illam eum operari, non tantùm quatenus Deum, sed quatenus hominem. 3. Quia ab eo quod Christo datum est in tempore excludi non debet ipsius humanitas, quippe cùm diuinitati per se consideratę in tempore nihil dari possit. Igitur cùm Christo data sit, potestas omnis in cœlo & in terra, non est ab ea potestate humanitas illius excludenda. Objicies si hæc omnia Christi humanitati tribui debeant nullum fore argumentum illud quo probamus Christum esse verum Deum, cùm miracula patrauit, & peccata remisit, igitur non posse consistere illa quæ toties in Script. dicuntur Deum vnum esse qui nos saluat, Es.43.25. Ose.13.9. & peccata remittit ac justificationem dat, Roman.8.32. Marc.2.7. Spiritum suum in corda nostra mittit, Gal.4.6. Resp. miraculorum patrationem & peccatorum remissionem & salutem adeò ipsam in Script. sacris meris hominibus attribui aliquando: neque enim de illius argumenti, vi, aut laudatorum locorum veritatem, vel tantillum delibari, vt inter Orthodoxos in confesso est. Ergo neque ex eo quòd humanitati Christi hujusmodi operationes tribuuntur. Tale quidquam colligi potest, nempe quia Deus vnica est causa efficiens & principalis operis hujusmodi, haud abs re est, quòd illi vni ea opera transcribuntur & quòd concluditur ejus diuinitas, quæ efficienter & authoritatiuè illa operatur, sicut Christum operatum esse veri Christiani non dubitant, sed hoc nihil obstat, quomodo Deus, quoties vult, ad ea opera efficienda organicas causas assumat, id est, quæ instrumentaliter & ministerialiter operentur, & quas Deus non dedignatur συνεργοὺς nomine nuncupari, 1.Cor.3.9. vno verbo Dei solius est ea opera efficienter producere, sed possunt creaturæ, adeoque inter creaturas præstantissima humanitas Christi ad eadem instrumentaliter concurrere.

Atque hoc alterum illud est quod expressimus Theoremate, modum scilicet quo in edendis miraculis egit humanitas Christi instrumentaliter, inquam, non principaliter ὑφηγητικῶς, non autem αὐτοκρατορικῶς, ἀποδόσεως, non θεουργικῶς. Enimuerò causarum siue principalium, siue organicarum duplex est operandi modus. Sunt enim quæ Physicam, sunt quæ moralem operationem exerceant. Ea dicuntur physicè operari, quæ vero, reali influxu suum effectum attingunt, vt cùm sol calefacit, ignis comburit, aqua humectat. Moraliter verò dicuntur operari, quæ quamuis influxu suo non attingunt effectum, tamen talia sunt, vt eis effectus imputetur. Hoc genere censentur causæ meritoriæ, quarum

tum ſcilicet meritum ac dignitas alium mouent ad aliquid efficiendum. Sic & qui imperant, conſulunt, hortantur, perſuadent, rationibus aut precibus, inſtigant minis, aut promiſſionibus, qui denique quoquomodo ſe gerunt, vt eis phyſicæ cauſæ effectus imputetur, dicuntur operari moraliter. Si quæras igitur ad quod genus referenda ſit Chriſti humanitas in miraculis inſtrumentaliter agens, id eſt phyſicè, an moraliter operata fuerit. Reſp. in actionibus operatam eſſe Chriſti humanitatem ad miracula concurrentibus nonnunquam aliquid Phyſicum. Ita enim leproſum curaturus extenſa manu eum tetigit, Matth.8.3. Ita ſocrum Petri febri laborantem manu apprehendit, Matth.8.15. Ita puellæ iam mortuæ manum tenuit, & eam excitauit, Matth.9.25. Ita ſpuit humi, & tum miſcuit ſputo, & illeuit luto oculos cæci, eique viſum reddidit, Iohan.9.6. Verùm actiones illæ nihil realiter conferebant ad ipſam miraculi ſubſtantiam. Fuerunt enim adjuncta miraculi, ſed non effectiua miraculi. Nam Chriſtus ſæpius extendit manum in aliquos, nec tamen miraculum operatus eſt, vt cùm infantulis manum impoſuit, Matt.19.14.15. Et illinere lutum oculis ex ipſius rei natura, viſum lædere poterat, ſed reddere non poterat. Vnde obſeruant etiam interpretes aſſumptum fuiſſe à Chriſto lutum, vt manifeſtiùs pateret, non humana vlla naturalique virtute, ſed ineffabili mereque diuina potentia factum fuiſſe curationem illam. Itaque ſupereſt, vt dicamus, ad ipſam miraculorum ſubſtantiam, non fuiſſe alium humanitatis agendi modum, quàm moralem, quemadmodum & in edendis miraculis moralem cauſalitatem exercuerunt Prophetæ, Apoſtoli, aliique quorum miniſterio in mirandis operibus Deus vti voluit. Neq; tamen ideò Prophetas & Apoſtolos Chriſto exæquare putandi ſumus, qui multum inter vtroſq; diſcriminis intereſſe non dubitamus. 1. Chriſtus ita moraliter egit tanquam inſtrumentum per humanitatem ſuam, vt etiam phyſicè operatus fuerit, tāquam agens principale per ſuam diuinitatem: at reliquorum nullus, nulla ratione dici potuit cauſa principalis. 2. Inſtrumenta longè diuerſa fuerunt: Chriſti enim humanitas inſtrumentum eſt cauſæ principalis per vnionem hypoſtaticam intimè conjunctum, reliqua Dei inſtrumenta fuerunt, ſed à Deo ſeparata perſonaliter, neque per aliam quàm gratiæ conjunctionem ipſi vnita. 3. In ratione moralis cauſalitatis lata fuit doctrina: nam reliqui precibus à Deo miracula obtinuerunt, Act.4.29.30. & quæ patrarunt in Chriſti nomine, id eſt, authoritate & virtute ipſius operati ſunt, Act.3.6. & tanquam ab eo legati, Act.9.17. Etſi quando imperio vſi ſunt, non fuit illud abſolutum & ſimplex, ſed in nomine Chriſti factum, vt ſe nihil ex propria authoritate agere ſignificarent, Act.16.18. At verò Chriſtus quanquam aliquando preces fudit, ad patrem in faciendis miraculis, Ioh. 11.41.42. Tamen etiam quantam in creaturas authoritatem habeat ſatis oſtendit, cùm mero ſimplicique imperio vſus eſt, effectum ſtatim obtinuit, Matth.8.26.27. & 9.6. & 14.25.28.29. & 17.18. Marc.5.8. Luc.8.24. & 9.42. Quod tamen imperium cum myſterio humanitatis Chriſti probè conueniebat, quippe quòd effectum reſpiceret cum dependentia ad

causam principalem, & verè αὐτοκρατωρικῶ nempe diuinitatem. 4. Miraculorum genera in reliquis fuit per modum actus transeuntis. In Christi humanitate per modum habitus permanentis in aliis, vt lux in aere modò accedens, modò recedens. In Christo vt lux in sole constanter residens. Itaque reliqui non pro voluntate miracula efficere potuerunt, sed pro Dei dispensatione per eos operantis, vnde fatentur Apostoli se non potuisse aliquando Dæmonia ejicere, Matth.17.16.19. Sed Christus ad libitum miracula patrare potuit, quemadmodum leprosus agnoscit, Matth.8.2. Quippe qui fontem haberet vnde procedunt miracula. Quod autem, Marc. 6. 5. dicitur non potuisse in patria facere vllum miraculum propter incredulitatem hominum, non est referendum ad aliquem defectum in Christo, sed aliò trahendum: non poterat enim, 1. Quia nolebat: atque quod voluntas abhorret, illud dicitur non posse fieri, vt Gen.37.4. 2. Quia illud dicitur non posse fieri, quod non est rationi consentaneum, vt Marci.2.v.19. Atque Christum in medio tam incredulæ gentis miracula patrare non decebat; neque enim sunt margaritæ porcis objiciendæ, Matth.7.6. Et ut naturales potentiæ non possunt effectus proprios producere, nisi in subjecto dispositio. Ita potentia Christi, circa miraculorum patrationem non potuit effectum producere, vbi erat repugnantia ex parte objecti, id est, in iis qui non erant dispositi per fidem, vnde etiam in Scriptura frequenter fit mentio eorum fidei, in quorum gratiam miracula dispensata sunt, Matt. 8.10.& 15.28. 5. Denique aliis miracula patrare concessum est ex mera gratia, non impetratum ex aliquo merito. Vnde etiam Apostoli illud soli dono Dei transcribunt, Act.4.29.30. Et Christus cùm mandatum dat Apostolis infirmos curandi, leprosos purificandi, &c. testatur id ipsos δωρεὰν λαβόντας, gratis accepisse, Matth.10.8. At Christus id obtinuit ex merito: Sicut enim vitam æternam nobis promeritus est, quæ propterea dicitur donum Dei in Christo Iesu, Rom.6.23. Ita accepta incarnatione, quæ vt ante diximus sub nullius creaturæ meritum cadere potest, omnia media meruit, quæ ad illius assecutionem ordinata sunt, vel ad Euangelicę veritatis confirmationem necessaria fuerunt, quo numero non est dubium, quin censenda sint opera illa miraculosa & extraordinaria, vt satis insinuat Iohannes, qui cùm de Christi doctrina & miraculis loqueretur testificatus est ea fuisse scripta & consignata doctrina & miraculis, tum vt credamus, id est, confirmemur in veritate doctrinę cœlestis, tum vt vitam æternam habeamus per Christum, Ioh.20.30.35.

Hæc vt clariùs intelligamus notandum est causalitatem moralem in miraculorum patratione quadruplicem esse, nempe, vel per modum *signi*, vel per modum *simplicis impetrationis*, vel per modum *imperij*, vel denique per modum *meriti*; Duæ priores Christo fuerunt cum Prophetis & Apostolis communes: posteriores duas Christi humanitas deposcit, tanquam sibi proprias per modum *signi*, siue in genere *signi* moralis miraculorum instrumenta fuerunt, tum illæ res, quas vsurparunt, sancti viri miraculum aliquod edituri, tum actiones illæ physi-

cæ &

cæ & reales, quibus vsi sunt. Res quidem, vt sputum & lûtum, Ioh.9. 6. Sudaria, & semicinctia, Act.19.11. Virga Mosis, Exod.7.8. toga Eliæ, 2.Reg.2.8. Lignum Elizæi, 2.Reg.6.6. &c. Actiones verò vt, quòd Christus ægrotos tetigit, vocem protulit, lutum illeuit oculis. Quod Moses extendit virgam in flumina & baculo percussit puluerem terræ; quod Elias toga conuoluta percussit Iordanem. Quod Elizæus lignum iniecit in aquas: atque horum omnium sanè nihil erat, quod vim aliquam naturalem & intrinsecam haberet ad illos effectus ad quos destinabatur & cuiuis consideranti satis patere potest. Ergo dum assumebantur illa aut vsurpabantur ad eum finem signorum loco tantummodò fuisse putanda sunt, per quæ Deus futurum miraculum declarabat. Vnde & in vsurpatione rerum eiusmodi sæpe fit etiam mentio signi, 2.Reg.19. 29. & 20.8.9. Es.38.7. &c. Neque tamen inficior dici posse miracula relationem aliquam dependentiæ habuisse ad res illas & actiones physicas, sed dependentiam illam fundatam fuisse dico, non in virtute rei, aut actionis vsurpatæ, siue in eius proportione & aptitudine naturali, verùm in sola Dei voluntate vsurpantis, quatenus nolebat absque iis rebus & actionibus producere.

Per modum simplicis *impetrationis* ediderunt miracula Prophetæ & Apostoli, Apostolicique viri, quatenus non modò ardentissimis ad Deum precibus in eum finem vsi sunt, verùm etiam de consecutero precum effectu, vt plurimùm nullat. dubitarunt, quia spiritus qui per ipsos efficiebat miracula, pro ratione etiam temporum ac locorum illum orandi affectum eis indebat effectusque futuri certitudinem animis imprimebat, itaque ex quo Apostoli Spiritus S. donis copiosè sunt cumulati in die Pentecostes, Act.2. non legimus vnquam eos in miraculorum patratione ita defecisse, vt frustrati fuerint, suo fine; nec potuerint quæ capiebant effecta dare.

At vero solus Christus est qui per modum, meriti & simplicis imperij miracula produxit: propter enim ipsius merita concessum ipsi vt opera supernaturalia fierent, diuina virtute, quoties & quando ipse vellet fieri, vel in Dei gloriam, vel in confirmationem suæ doctrinæ, vel in alium finem accommodatum ad Redemptionem generis humani. Atque huc etiam referendum videtur, quod Christus vocatur brachium Domini, Es.53.1. Non quia per eius humanitatem, tanquam per instrumentum Physicum Deus miracula fecerit, sed quia virtutem ipsius meritoriam & satisfactoriam inseruire voluerit, & miraculis faciendis, & peccatis remittendis, & hominibus redimendis. Ergo partim ex illius perfectissimi meriti fiducia, partim ex Dominio & iure, quod quà Deus, & quà homo habet in omnes creaturas factum est, vt in operibus extraordinariis Christus frequenter ex mero *imperio* mandauerit, quod & quomodo fieri vellet, & statim ad eius nutum optatus euentus consequutus fuerit.

Physicam autem causalitatem & propriè dictam humanitatis Christi ad ipsam miraculi subsistentiam minimè concurrisse satis patet.

1. Quia de ratione propria instrumenti physici est, vt in se & per se interna quadam & naturali vi polleat ad effectum producendum idonea, atque adeò, cum effectu illo justam proportionem aliquam habeat. Atqui humanitas Christi per se & præcisè sumpta non habet hujusmodi proportionem cum supernaturalibus operationibus, neque ad ea producenda vi propria & naturali pollet, cùm finita sit & virtus infinita requiratur ad transcendendum naturæ ordinem. 2. Quia instrumenta physica non agunt, nisi per contactum cum re, in quam agunt. Atqui Christus edidit sæpe miracula ex locis valde remotis, nec fuit eius præsentia corporalis ad miraculi productionem necessaria, vt patet ex Matt. 8. in puero Centurionis, & ex Matth. 15. in filia Cananeæ, & ex Ioh. 4. in filio aulici, quos absens curauit, & sanitati restituit. Sic etiam antiquos fideles initio seculi vocauit efficaciter & remissione peccatorum donauit, vnde dicitur agnus occisus ab origine mundi, & ex quo humanitas ipsius in cœlos subvecta est, non minùs se potentem præbuit in Ecclesia sua justificanda & sanctificanda.

Obiicitvr 1. Quod in Scriptura legitur Lucæ 6. 19. & 8. 46. in miraculis quibusdam patrandis virtutem à Christo exiisse. Illis enim significari videtur emanasse de Christi humanitate Physicam aliquam virtutem qua miracula producerentur. Resp. virtute illam de Christo exiisse, non quòd de ipsa Christi substantia decisa fuerit, sed quòd ad externam operationem se extenderit, & in alio effectum habuerit, i. e. non mutatione loci aut subjecti sed sui exertione, & manifestatione per opus sanationis. Cæterùm virtutem illam non humanæ naturæ fuisse, sed diuinæ personæ, ita vt denotetur hac phrasi effectum illud sanationis prodiisse à Christi diuinitate, quatenus ipsius carni conjuncta erat. Itaque illud ad Christi diuinitatem referunt Antiqui Hilarius. Spiritus Sancti vis de Christo exiuit, instar fimbriæ de vestimento se expandentis. Virtus illa corpore non clauditur. Nam Christi virtutem fides vbique consequitur, quia diuina illa virtus est vbique Cyrillus in Caten. Thomæ. Hic nobis manifestatur, quòd ipse verus Deus est. Transcendit enim naturam nostram, & forsan Angelicam posse quemque virtutem emittere quas ex propria natura. Conuenit autem hoc soli supremæ naturæ.

Obiicitvr secundò, Concilij Ephesini Canon vndecimus, vbi definitur carnem Christi propter vnionem ad verbum fuisse viuificatricem. Ergo habuit vim aliquam physicam sibi communicatam per quam posset vitam spiritualem efficere. Resp. Canone illo refutari Nestorianos, qui duas in Christo personas constituebant, & personam diuinitatis distinguebant, à persona carnis. Nihil aliud igitur sibi vult Concilium nisi carnem Christi non immeritò viuificatricem dici posse, non propter intrinsecam aliquam & Physicam viuificandi virtutem, sed eo quòd caro sit verbi essentia viuificantis, quomodo etiam caro diuina dici potest, non quia sit ipsa diuinitas, sed quia Verbi diuini caro est.

Potentiæ Christi jungimus ejus *gloriam*, prout hæc duo etiam copu-

copulantur, Psalm.8.6.7. Cujus verba ad Christum accommodanda esse docet Apostolus,Hebr.2.7.Nec verò hic de diuina Christi gloria loquimur,quæ ipsius est,quatenus vnus est cum Patre Deus: Quanquam alibi diximus esse complexionem omnium diuinitatis attributorum, sed de humana finitaque gloria, quæ in ipsius humanitatem competit, de qua esto.

Theorema primum. *Humanitas Christi subuecta est in gloriam diuinæ quidem inferiorem, sed creata quacunque superiorem.* Gloria alia est *extrinseca*,alia *intrinseca*. *Extrinseca* est honorifica alicujus celebratio,siue vt describit,Cicero frequens de aliquo fama cum laude. Qua de gloria si loquamur satis patet ex Euangelio illam non defuisse Christo etiam dum in terris ageret. Quanquam enim variis subinde Aduersariorum calumniis iniquissimè petitus fuerit, nihilominus, & sanctitate, & prædicatione, & miraculis suis ita inclaruit, vt fama ipsius laudibus maximis cumulata per totam Iudæam & regiones finitimas spargeretur,Matt. 9.21. & 14.1.Marc.1.28. Luc.4.14.32. Vnde tot in eum congesta præconia à quolibet hominum genere,piorum,impiorum,Iudæorum, Gentilium, virorum, fœminarum, vt apud Euangelistas frequenter videre est. *Intrinseca* verò gloria Christi continet bonorum omnium in humanitatem ipsius collocatorum quendam veluti fasciculum,& definiri potest status omnium bonorum cumulatione perfectus, quomodo beatitudinem describit Boetius : nam & hoc sensu gloria & beatitudo paria faciunt. De hac gloria loquitur Theorema,quo hæc breuiter docentur.

1. Gloriam hanc pertinere ad statum exaltationis Christi. Propterea dicimus eius humanitatem fuisse in cœlum subvectam, quia vt laboribus & contumeliis,atque pœnis quas pro salute nostra voluntaria dispensatione subiit,destinata fuit ipsius commoratio in terris. Ita gloriæ triumphoque cœlestem illam Patriam destinauit,qui miserat ipsum in hunc terrarum orbem. 2. Gloriam minorem esse diuinitatis gloria, neque cum ipsa confundi debere. Itaque seriò distingunt Theologi essentialem Christi gloriam ab œconomica, siue Mediatoria. Essentialis enim est quæ in ipsum competit ab æterno, quatenus Deus est benedictus in secula,quanquam Dei Filius reuera nunquam abdicauit,etsi eam in mundo agens ita occultauit,vt hominibus nequaquam esset conspicua. Atque inde est quod petit à Patre,Iohan.17.5.vt illum glorificet illa gloria, quam apud ipsum habuit antequam mundus fieret, non quasi ab ea gloria reapse turbatus fuisset, sed quia eam passibilis carnis velamento texisset, vt glorificatio non intelligatur de admissione in nouam gloriam, sed de manifestatione prioris,æternæque gloriæ. Oeconomica verò est quæ Christo quà Mediator post impetratam electorum Redemptionem à Patre data est, quæque ita in Christi persona competit, vt respectum tamen & σχέσιν habeat, ad ipsius personæ humanitatem, cùm certum sit personæ Filij, quà Deus est nihil in tempore dari posse, neque nouis quibusdam donis posse illam denuò locupletari. Ad hanc gloriam pertinet, quòd dicitur Christum oportuisse, &c. Luc.24.26. Illum as-

sumpsisse formam serui, & deinde obtinuisse nomen super omne nomen, &c. Phil.2.8.9. Propheta prædicasse sui passiones & secuturam inde gloriam, 1.Petr.1.11. 3. Gloriam hanc esse quacunque creaturarum majorem, inquam & eminentiorem ratione, tum *principij*, tum *graduum*, tum etiam *modi*. Ratione *principij*. Quam enim gloriam Angelorum & fidelis vnusquisque in cœlis possidet, ea tota est ab externo principio, qui per Spiritum suum gloriæ radios in animam beatorum diffundit, & diffundet porrò in ipsorum corpora, vbi seculorum aduenerit consummatio: Nam gratiam & gloriam dabit Deus, &c. Psalm.84.12. At verò gloria humanitatis Christi ab interno est nimirum à supposito, siue à persona filij, qui idem est Deus & homo in vnitate personæ, quo fit etiam vt vocetur gloria Dei, quatenus scilicet eius est personæ, quæ verè Deus est. Ita enim Stephanus cùm vidit Christum sedentem ad dextram Patris, dicitur vidisse gloriam Dei, Act.7.55. ratione *graduum*, nam quod antea de Christi gratia dicebamus, de ipsius gloria non minùs dici debet esse in ea quandam infinitatis speciem. 1. Comparatiuè dictæ, quatenus collationem instituentes inter Christi & reliquorum gloriam reperimus in Christo longè magnificentiorem esse. Neque enim ad illud majestatis & honoris culmen ad quod euecta est humanitas ipsius quisquam, vel hominum, vel Angelorum vnquam extollendus est. Itaque docet Apostolus, Phil.2.9. datum ipsi nomen supra omne nomen, &c. i. authoritatem potentiam, dominium, gloriam, quæ creatum quodlibet præsentia quantumuis eminens ac dignitate. Longè lateque transcendit in lib.Apoc. dicitur agnus in throno sedere 24. Seniores thronum ejus circumstare, vt signetur majestate non minùs eminere supra creaturas excellentissimas, quàm regem supra proceres & aulicos. 2. Ratione *graduum*, quatenus in ratione gloriæ creatæ non potest vlterius pertingi, quàm quo gloria humanæ Christi naturæ prouecta est. Vnde dicitur Deus non eum simpliciter glorificasse, sed ὑπερύψωσεν, id est, summè extulisse, siue vt vertit Ambrosius super extulisse, id est, gloriam ei dedisse supra omnem cumulum quo potest vnquam vlla creaturarum extolli, & Ephes.1.20.21. eum collocasse ὑπὲρ πάσης ἀρχῆς, longè supra omne imperium & authoritatem. Idque non solùm in hoc seculo, sed & in futuro, vt intelligamus duraturam semper hanc eminentiam, neque ab ea dejiciendam in æternum Christi humanitatem ratione *modi*, quia perfectionem gloriæ, quam, vel homines, vel Angeli possident in cœlis, eam sibi possident, & non in alios transfundunt. Quod enim de diuersis ordinibus Angelica & Hierarchica docetur à Scholasticis inferiores à superioribus; putà tertium à secundo, & secundum à primo illuminari, purgari, perfici. Illuminari per objecti manifestationem, purgari per ignorantiæ remotionem; perfici per subjecti eleuationem & meliorationem, ea omnia non de Scripturæ fontibus hausta, sed de hominum lacunis deprompta sunt. At verò Christus ita gloriam accepit à Patre, vt de plenitudine ipsius reliqui hauriant, & ex illa illuminentur & perficiantur, quapropter fideles dicuntur obtinere salutem,

quæ

quæ est in Christo cum gloria æterna, 2. Timoth. 2. 10. Christus enim sanctificans est, nos sanctificati, Hebr. 2. 11. Quia scilicet nos justitiæ sanctitatis & gloriæ ipsius communicationem percipimus, prout ipse dicebat si sublatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, Ioh. 12. 32. Vado parare vobis locum, &c. Iohan. 14. 3. Dedi eis gloriam, quam dedisti mihi, Ioh. 17. 22. Atque huc etiam facit quod ait Apostolus, Eph. 2. 6. non consedisse in cœlestibus cum Iesu Christo.

THEOREMA secundum, *Christus eximios aliquando gloriæ radios demonstrauit in terris agens, plenam tamen gloriam nonnisi per ascensionem in cœlum obtinuit.* Intrinsecam Christi gloriam primum theorem. explicuit in genere: posteriore ipso exponitur per partes aut gradus suos, gloriam quippe illam spectare possumus, vel vt actum transeuntem, vel vt habitum permanentem. Actus transeuntis est quod aliquando nonnullos ad breuem temporis moram gloriæ radios emisit. Habitus permanentis, quod in æternum glorioſus sedet ad dextram Patris. Gloriam transeuntem exhibuit, Christus nominatim per transfigurationem illam de qua Matth. 17. 1. 2. 3. &c. Marc. 9. 2. 3. 4. Et cuius, breuiter considerandæ sunt *causæ, natura, circumstantiæ*; Ac causas quidem varias enumerare possumus, quare voluerit Christus transfigurari. 1. Quia vt potentiam diuinitatis suæ per varia miracula testatam; ita etiam futuram humanitatis gloriam per certum aliquod & irrefutabile argumentum declaratam oportuit. 2. Quia cùm docuisset se Dei filium esse & regem Messiam & venturum in gloriam Patris sui, par fuit, vt euidenti experimento motam faceret ipsis eam gloriam atque maiestatem. 3. Quia ita significatum voluit se ignominias omne genus, & ipsam denique crucem non inuitum subiisse, sed sponte suscepisse, sed tantam tamque admirandam gloriam in potestate sua habere. 4. Quia cùm discipulis suis passionem suam declarasset, eosque ad crucis tolerantiam variis exhortationibus animasset, ostendere voluit, quónam per viam illam confragosam & asperam tendatur, nimirum ad iucundissimam ineffabilis gloriæ fruitionem. 5. Quia ne scandalum paterentur discipuli, ex Christi passionis consideratione, néve ad mentionem mortis eius deficerent, voluit eos ita maiestatis exhibitione consolari & exhilarare, nempe, vt de corde discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ passionis humilitas, quibus reuelata esset absconditæ diuinitatis excellentia, vt ait Leo sermone de transfiguratione Domini.

NATVRAM quod attinet docent Euangelistæ. 1. Christum μεταμορφωθῆναι transmutatum, siue transfiguratum fuisse, vbi nomine μορφῆς non est intelligenda ipsa substantia humanitatis Christi. Sicut cùm dicitur, Phil. 2. 7. δούλου μορφὴν λαβὼν. Id est formam serui assumpsisse, id est veram humanitatis subsistentiam & naturam: gloria siquidem naturam non tollit, sed perficit, verùm forma externa & accidentalis: Transfiguratus enim est, non mutatione naturæ sed accessione qualitatum, neque depositione effigiei & lineamentorum, sed noui luminis & radiorum communicatione Dominus in secessu montis vestimenta luce

mutauerat, ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſeruauerat, inquit, Tertull. lib. de reſurrectione. Atque ita metamorphoſeos nomen pro nouarum qualitatum acceſſione ſumit ſcriptura S. Rom. 12. 2. & 2. Cor. 3. 18. Atque ita intelligenda ſunt, quæ apud antiquos Patres haud infrequenter leguntur de elementorum ſiue ſignorum in ſacro Baptiſmo & ſacra Cœna, μεταμορφώσει, μεταβολῇ, μεταποιήσει, μεταστοιχειώσει, vt referantur, non ad mutationem ſubſtantialem ſignorum, ſed ad mutationem tantùm relatiuam vſus, ſiue finis. 2. Chriſti faciem ſplenduiſſe, vt ſolem. An etiam totum ipſius corpus hoc ſplendore perfuſum fuerit, quærunt interpretes: ſed enim cùm de facie tantùm loquantur Euangeliſtæ non eſt quòd exiſtimemus vlteriùs prouectum hunc ſplendorem neque verò neceſſarium fuit: cùm enim ſplendor his exhibitus fuerit ad exteriorem, quandam gloriæ Chriſti manifeſtationem propter confirmandos Apoſtolos, ſanè ad huius finis aſſequutionem ſatis, erat ſplendere faciem cùm cæteras corporis partes veſtimenta celarent. Cæterum volunt Theologi ſplendorem iſtum non tam ab anima Chriſti, quàm ab ipſius diuinitate proceſſiſſe & inde manifeſtum eſſe docent, quòd dicuntur veſtimenta ipſius inſtar niuis ſplenduiſſe. Quod enim ex anima ſimpliciter redundat in corpus ad veſtes vſque in corpus minimè pertingere ſolet. Itaque latum eſt inter hanc Chriſti gloriam, & illam, quà poſt aſcenſionem donata eſt ipſius humanitas. 1. Quia gloria hæc ſolùm paruit in eius facie: altera totum corpus complexa eſt. 2. Quia gloria hæc in Chriſti carnem deriuata eſt per modum paſſionis tranſeuntis: illa verò corpori Chriſti ineſt per modum qualitatis permanentis. 3. Illa fuit à diuinitate Chriſti, adeóque inter miracula meritò computatur. Hæc eſt ab anima Chriſti ejuſque beatitudine, ac proinde iſto quidem reſpectu miraculoſa propriè loquendo dici non debet. 4. Hæc imperfecta fuit, cùm ex quatuor dotibus corporeis claritate, agilitate, ſubtilitate, impaſſibilitate ſolam claritatem & ſplendorem Chriſti corpus obtinuerit. Altera perfectiſſima eſt. Eſt & omnibus dotibus inſignis, quæcunque in glorioſum corpus competere poſſunt.

CIRCVMSTANTIAS enumerant Euangeliſtæ varias. 1. Quòd tres ſecum Chriſtus diſcipulos aſſumpſit, nempe, inquit, Tertull. lib. de præſcrip. Arbitros futuræ viſionis & vocis. Nam in duorum, aut trium ſtabit omne verbum, Deut. 19. 15. Noluit enim tantùm myſterium ſine teſtibus adminiſtrari, & ex teſtibus eos eligit qui eſſent, & ſecretorum iſtorum maximè capaces, & in ipſum fide atque charitate ardentiſſimi. 2. Quod aſcendit in montem. In montibus enim diſpenſatæ à Deo res maximi momenti, in Monte oblatus Iſaacus in ſacrificio, Gen. 22. Et primum ſacrificium Iſraelitarum poſt exitum Ægypti in monte fuit, Exod. 3. In monte lex data, Exod. 20. Eleazar conſecratus, Num. 20. & templum ædificatum; vt paſſim videre eſt in Veteri Teſtamento. Sic etiam ſub Nouo fœdere Chriſtus in monte docet turbas, Matth. 5. & preces ad Deum fundit, Matth. 14. Et explicat aduentus ſui ſigna, Matth. 24. Et animo torquetur anxiè, Matth. 26. Et ex monte aſcendit in cœlum,

poſtquam

postquam Apostolis suis benedixisset, Luc.24.Act.1. Itaque vel locus ostendere potuit, quanta tunc res ageretur. 3. Quòd dum oraret, transfiguratus est, præcedit oratio, sequitur gloria: hæc enim est salutis Methodus, vt operibus succedat cœleste præmium, quod quis seminauit illud & metet. Qui inuocat nomen Domini sine dubio seruabitur. Admissionarij instar se habet oratio introduxit nos ad Regis gloriæ conspectum. 4. Apparent cum eo Elias & Moses, cuius dispensationis variæ rationes reddi possunt. Mosis corpus Dei manibus sepultum fuerat, Eliæ in cœlos euectum: ergo vt pateret Christo datam potestatem omnem in cœlo & in terra. Et Mosis corpus de sepulchro eruit, & corpus Eliæ descendere voluit Moses & Elias inter omnes Prophetas donis eximiis cumulati fuerant. Mosis faciem de Sina descendentis mirifico splendore donauit. Deus corpus ipsius manibus sepeliuit Eliam curru igneo transtulit in cœlum. Eos igitur in maiestate apparere voluit, vt ex collatione inter ipsorum & Christi gloriam liquidò clareret, nihil esse in cœlo, vel in terra, quod ipsius maiestati æquiparari valeat, Moses legem à Deo receperat. Elias magno zeli feruore legem instaurare conatus fuerat. Ergo quid iustius, quam ei jungeretur qui legem impleturus venerat. Deniq, cùm Christus ab hostibus suis, tanquam Mosis & Prophetarum aduersarius maledictissimè traductus fuisset, & Mosem ipsum, & Eliam inter Prophetas eximium, tanquam testes integerrimos Aduocatos voluit, qui potentia & colloquio suo iniquissimas impiorum contumelias abunde refutarent. 5. Colloquentes cum Christo Moses & Elias dicebant exitum, quo futurum erat, vt defungeretur in Ierusalem, Luc.9.31. Id est, passionem ipsius non vt Christum edocerent, qui perfectè nouerat, se illo fine è sinu Patris in terras missum fuisse, sed vt nos magis instruerent: nam quòd arcana cœlestis Patris non explicant, id est, quæ vel animarum in cœlis receptarum, vel Angelorum statum ordinem gloriæ spectant gradum, & alia eiusmodi, sed quòd de Christi passione loquuntur, in eo satis manifestè faciunt sapiendum nobis ad sobrietatem, Rom.12.3. Neque sapiendum supra id quod scriptum, 1.Cor.4.6. Neque pedem inferendum in ea, quæ non videmus, Col.2.18. Imò quæ sunt penitus ineffabilia, 2.Cor.12.4. Sed relinquenda Deo arcana Dei, nos reuelatis contentos esse debere, Deut.29.29. Præcipuè verò quærendam esse scientiam Iesu Christi crucifixi, quippe quæ sit summa totius religionis Christianæ, Gal.6.14. Deinde quòd de Christi passione loquuntur eo ipso tempore, quo Christus gloriam suam manifestat, in eo docent in æternam gloriam nonnisi per passionem & mortem Christo perueniendum esse, vt, & ipse docet, Matth.20.19. Luc.24.26.46. Tum etiam non ita defigendos in Christi morte fidei oculos, quin eos ad eius gloriam attollamus id certum habentes Christum esse mortuum propter peccata nostra, sed resurrexisse propter iustificationem nostram, Rom.4.25. Neque illud etiam obliuioni tradendum hoc Mosis & Eliæ colloquio doceri sanctos in æternam vitam receptos fuisse, etsi de iis, quæ singulariter in hoc mundo fiunt, scientiam

nullam habeant, Eccl.9.7.8.Iob.14.22. Vnde promittit Iosiæ Deus se cum ad Patres aggregaturum, vt enim videat malum, quod contra Iudæos erat inducendum, 2.Reg.22.20. Nihilo tamen minus mysterium redemptionis, non tam ex æquo reapse consummatum est, sed & ante illius plenam exhibitionem notum habuisse, quippe quod ad Ecclesiam spectat, non modò nostram militantem, sed & gloriosam illam, quæ triumphat in cœlis, quæque in lib. Apoc. toties introducitur laudem & gloriam agni illius immaculati decantans, qui occisus est ab origine mundi. 6. Apostoli qui Christo comites aderant, somno grauati sunt, tum euigilantes viderunt, gloriam eius & viros qui cum ipso stabant. Somnum hunc puto, non tam à Stomachi vaporibus conciliatum, quàm Dei voluntate immissum fuisse: nam ita sæpe factum in magnis mysteriis, Gen.2.21.& 15.12. Matth.26.40. Viderunt ergo Christi gloriam, postquam euigilarunt, sed initium, modum & rationem illius gloriæ, quippe somno præpediti non viderunt, nempe mysteriorum salutis rem ipsam & subsistentiam Deus voluit nobis esse cognitam, sed modum & rationem curiosè nimis inquirere non debemus. Qui curiosè nimis maiestatem scrutatur, opprimetur hac gloria Christi glorioſum corpus vident Apostoli, quomodo quaque ratione glorioſum euaserit, ignorant. Oppressit eorum oculos Deus, vt curiositatem nostram comprimat. Cæterum cùm sit somnus imago mortis, & hæc Christi transfiguratio, repræsentatio æternæ gloriæ id etiam voluit Deus hac dispensatione significatum, sicut Apostoli gloriam Christi tum demum viderunt, cùm euigilarunt. Ita nos enim ante Dei faciem satiandos ejusque gloria planè fruituros, quàm vbi à somno mortis euigilauimus satiabimur enim eius similitudine, cùm expergiscemur, Ps.23.25. 7. Hanc gloriam videns Petrus ait, *bonum est hic nos esse, faciamus tria tabernacula.* Quanquam enim semper bonum est esse, vbi Christus est. Et Apostoli cum per totam vitam etiam in maximis calamitatibus sequuti sunt, perfectior tamen est lætitia, quam fideles ex contemplatione gloriæ Christi consequuntur, quippe vnde lachrymæ timores, tristitiæ, & malorum omne genus exulat. Quod si ad momentaneum tanto gloriæ illius specimen gaudio Petrus correptus est, quantò putamus nos perfruituros, cùm in æternam & nunquam perituram gloriam subuecti fuerimus. Rectè autem Petrus non à Mose, non ab Elia, sed à Christo facultatem petit extruendorum trium tabernaculorum. Si vis, inquit, struamus hic tria tabernacula, Matth.17.4. Quippe quem agnoscunt bonorum omnium authorem à quo sit, per quem sit, quidquid ad quietem, & gaudium, gloriamque nobis necessarium. Quod autem tria tantùm optauit, tabernacula, Mosi, Eliæ, Christo, nullum sibi ideò factum, quod autem Christo nollent auelli, sed ipsius tabernaculo concludi prout in eius præsentiâ & communicatione totum sibi bonum constare certò sciebant. Nam & ita dissolui quidem cupit Apostolus, sed vt sit cum Christo, Phil.1.23. Neque tamen dissimulat scriptura in isto voto Petri fuisse nonnihil, quod minus rectè haberet, vnde dicitur, nescisse ipsum quid diceret, eo quod terrefactus esset, id est, visorum magni-

magnitudine quasi extra se raptus: neque enim considerabat. 1. Christi gloriam, non in terris consummari debere, sed demum in cœlis perfici. 2. Christo priùs patiendum esse, quàm in permanentem gloriæ statum extolleretur. 3. Neque se, neque condiscipulos suos gloria illa frui debere, nisi morte obita. 4. Errabat etiam dum alia Mosi, & Eliæ, quàm sibi, & reliquis Apostolis tabernacula esse volebat, q. non eam cum Christo communionem Moses & Elias, & sancti omnes V. Testamenti habituri essent, quàm Apostoli, & qui sub Euangelio viuunt: Atqui pro sanctis & electis omnibus vnum est idemque tabernaculum, nempe tabernaculum Dei cum hominibus, vt habitet cum eis, Apocal. 21. 3. 5. Discesserunt Moses & Elias & accedente nube facta est vox de cœlo dicens, hic est filius meus, &c. Nubes fuit certè extraordinaria in extraordinario facto, prout inter justitiam, & signa gloriæ suæ Deus nubem vsurpauit, in legis donatione nubes apparuit: Nubes propitiatorium operuit, nubes populum comitata est in deserto & vbi Dei gloria describitur, nubes & obscuritas circa ipsum esse dicitur, Psalm. 18. 10. 11. 12. & 97. 2. & 104. 3. Ergo vt hoc etiam Christi gloria designetur nubes hîc eum obumbrat, & cùm in cœlum ascendit nube subuehitur, & cùm ad judicium vniuersale comparebit, nube circumdabitur. Quanquam & eo fine nubes facta esse videtur, vt nossent Apostoli mysteria diuina esse nube quadam obuoluta, ne planam perfectamque eorum cognitionem in hoc seculo se quispiam assequi posse arbitretur. Quòd autem post Mosis & Eliæ discessum vox illa audita est, *Hic est Filius meus.* Ideo factum est vt norimus ejus tituli dignitatem, non ad Eliam spectare, sed ad Christum. Is enim vnus est, qui Dei Filius est naturalis, quem summa semper dilectione Pater prosequutus est, qui vnus à Deo doctor nobis concessus est vnus in iis, quæ ad salutem pertinent audiendus, nec aliunde quàm ab ipso haurienda salutaris doctrinæ mysteria.

Addimvs in Theoremate Christum ante ascensionem plenam perfectamque gloriam non obtinuisse. Scholastici definiunt animam Christi ab initio conceptionis plena beatitudine donatam esse, quippe quæ Deum clarè atque intuitiuè viderit, etsi ipsius corpus passibile fuerit, adeoque fuisse simul & viatorem respectu passionum animæ & corporis, & comprehensorem ratione animæ. Ita Thom. part. 3. quæst. 13. art. 10. Christus ante passionem videbat Deum, & sic habebat beatitudinem, quantum ad id quod est proprium animæ, sed quantum ad alia deerat illi beatitudo, quia & anima ejus erat passibilis, & corpus passibile & mortale, ideò simul erat comprehensor in quantum habebat beatitudinem propriam animæ, & simul viator in quantum tendebat in beatitudinem, secundùm id quod ei de beatitudine deerat. Verùm in hac re non satis consentire videntur inter se, quia de definitione viatoris & comprehensoris non conueniunt Thomæ viator est, qui tendit ad beatitudinem, comprehensor, qui iam beatitudinem obtinet, sed Cardinalis Camerarensis in primo prologo in lib. sent. dicit viatorem esse eum, qui nec est beatus, nec damnatus. Vnde concludit Christum nunquam fuisse viatorem, quia semper fuit beatus secundùm naturam humanam.

2. Quia nondum certum habent, an Christi anima Deum clarè viderit ab initio conceptionis. Sunt enim, inquit Canus lib. de loco Theologico, cap. 14. in vtramque partem adeò probabilia argumenta vt neutra ferme stabilita videatur, & Christi animam fuisse ab initio perfectam Theologi vix ostendunt. 3. Posito quòd Christi anima Deum planè viderit ab initio conceptionis, non tamen consentiunt omnes inde sequi fuisse ab initio beatum & comprehensorem in his terris. Nam inquit idem Cameracensis vbi supra Paulus in raptu illo, de quo 2. Cor. 12. 23. 4. Fuit viator, quia licèt tum viderit arcana Dei, tamen per illam visionem non fuit beatus. Stat enim, (id est possibile est) aliquem esse viatorem, & tamen ipsum habere notitiam intuitiuam Dei. Nobis certum est animam Christi ab initio conceptionis Deum vidisse in vnione Verbi, sed non ea visione, in qua consistit plena beatitudo, siue gloria.

1. Quia Scriptura S. manifestè docet Christo gloriam suam, nonnisi post passionem obtigisse: Propterea enim dicitur bibisse de torrente in via, & deinde caput extulisse, Ps. 110. 7. Vbi cùm viæ nomine designetur tota Christi vita, sequitur sanè per totum mortalis vitæ tempus, non aliud fuisse Christum, quàm viatorem. Sic Luc. 24. 26. oportuit Christum pati & sic introire in gloriam suam. Et 1. Petr. 1. 11. dicuntur Prophetæ prænuntiasse Christi passiones, & inde consequuturam ejus gloriam: Atqui si Christus beatus fuisset à conceptione, dicendum fuerat, è contrario priùs euenturam Christo gloriam: deinde consecuturas passiones. Neque est quòd dicatur hanc gloriam esse intelligendam de glorificatione corporis. Nam cùm passiones locis citatis opponuntur gloriæ, quemadmodum Christus significatur, & corpore, & anima passus esse. Ita etiam & anima & corpore post illas passiones glorificatus dicitur. 2. Qui Scriptura sacra, vt ex ea Theologi gloriam Christi in eo constituunt, quòd resurrexit, ascendit in cœlos, & sedit ad dextram Dei Patris in cœlis. Itaque quòd Luc. 24. 26. dictum est oportuisse Christum pati, & introire in gloriam suam: Postea verò ℣. 46. explicatur oportuisse Christum pati & ex mortuis resurgere tertio die, vt scias gloriam ejus à resurrectione initium duxisse, & quòd dictum est, Eph. 4. 8. eum in altum ascendisse exprimitur aliis verbis, 1. Cor. 3. 16. eum assumptum fuisse in gloriam & quod habetur, Hebr. 1. 3. Christum facta purgatione peccatorum per seipsum sedisse ad dextram majestatis Dei in excelsis. Id Phil. 2. 9. 10. ita interpretatur Apostolus, Christum obedientem fuisse vsque ad mortem crucis, sed inde summè exaltatum obtinuisse nomen supra omne nomen, &c. Quis autem dubitat sessionis ad patris dextram nomine aliquid designari, quod non ad corpus tantùm, sed & animam Christi pertinet. Sanè sessio hæc designat eam Christi gloriam, quæ ita est Christi propria & singularis, vt cuiuis alij creaturæ conuenire non possit, inquit Catech. Trident. parte prima, cap. 7. parag. 3. Quis autem dixerit eam gloriam ad corpus eius, non ad animam referri debere. Concludè iam ergo Christum gloriam humanitatis suæ adeoque animæ quæ pars est humanitatis præcipua, enim obtinuisse nisi post passiones, adeoq;

nec

nec plenam illam beatitudinem ab initio conceptionis eius animæ obtigisse. 3. Quia fatentur omnes corpus Christi non beatum ab ipsa conceptione. Ergo nec anima beata fuit: nam hoc in axiomatis Theologiæ habetur, animam beatam cum corpore misero non magis conjungi posse, quàm corpus glorioſum, cum anima beatitudinis experte. Quanquam animæ fidelium in cœlis beatæ sint, corporibus ipsarum in sepulchro jacentibus, tamen fieri non potest, vt animæ corpora sua recipiant, & eis denuò jungantur, quin beatitudinis suæ ea faciant participia, vt fiet in resurrectione mortuorum, neque est quod recurras ad miraculum, & vt cum Cano dicas, miraculum fuisse, quòd idem homo esset, & viator & comprehensor, miraculum, quòd à gloria animæ nihil deriuaretur in corpus: neque enim sunt miracula sine necessitate fingenda, neque extra Scripturam quærenda. Atque hujusmodi miraculi nulla planè in Scripturis mentio. 4. Quia beatitudo, definiente Boëtio, est status bonorum omnium aggregatione perfectus. Atque adeò, liberatio ab omni planè miseria: Atque anima Christi ante resurrectionem ipsius ab omni miseria libera nequaquam fuit, imò timuit, expauit, tristis aliquando fuit vsque ad mortem docente Euangelista. Excipitur tristitiam illam & passiones anima fuisse in inferiore, non in superiore animæ parte, sed exceptio nihil est. 1. Enim cùm anima sit indiuisibilis, frustra dicitur esse dolor in vna, non in alia parte. 2. Quia tristitia non partis modò inferioris, siue sentientis appetitus, sed etiam facultatis superioris, id est, mentis & voluntatis passio est. Est enim tristitia, inquit Althentagius, apprehensio disconuenientis in appetitu *intellectiuo* vel volitiuo, nobis nolentibus euenientis. 3. Quia Aduersarij Christi naturam doloribus atque tristitia cumulatam docent, tum propter peccata generis humani, tum propter causam Iudæorum, tum propter scandalum discipulorum, vt videre est apud Thomam parte 3. quæst. 46. art. 6. Atqui hæ sanatione causæ, non ad appetitum sensitiuum, aut inferiores animæ partes, sed & ad superiores, mentem & voluntatem spectant. Ergo vel inde satis significatur tristitiam Christi, etiam ad superiores animæ Christi facultates pertigisse. 5. Quia gloria & beatitudo definitur in Scripturis non modo per visionem, 1. Iohan. 3. 2. Sed etiam per gaudium, sicut dicitur seruo fideli, intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. 21. 23. Et de regno Dei, quod sit pax, justitia, & gaudium, Rom. 14. 7. Atqui Christus ejusmodi gaudio non est potitus, ante passionem ignorantia sua, cùm tristitia & gaudium sint ἀσύστατα, & vt vulgò loquuntur, incompossibilia. 6. Quia scitum est apud Aduersarios meritum in eos tantùm competere, qui sunt viatores, nullomodo autem comprehensores: Merentur enim qui in via sunt, non qui in termino, qui ad præmium aspirant, non qui præmium obtinuerunt beatificum: Atqui Christus per totum vitæ tempus actionibus & passionibus suis verè meruit. Ergo viator, non comprehensor fuit.

CAPVT VIII.

De dotibus corporis Christi.

DOTES Christi tractauimus quæ ad totam ipsius hamanitatem spectant: nunc considerandæ veniunt, quæ corpus respiciunt vel animam de corporis Chisti dotibus multa certè dici non possunt, quia scriptura pauca docet. Itaque hic nos breuiores esse par est.

THEOR. primum *Christi corpus formæ, staturæ, roboris & sanitatis præstantia fuit eximium.*

INTER corporis dotes eminere formæ pulchritudinem nemini est dubium, adeóq; nullum esse aliud externum donum, quod fauorem hominum & gratiam potentiùs conciliet, κοινὸς, inquit Philosophus, πάσης ἐπιστολῆς συστατικότερον ἐστιν. Nulla est epistola, quæ ita commendet hominem, atque formæ præstantia. Et apud Stobæum serm. 63. Vetus author docet esse formam bonorum humanorum maximè conspicuum, Deo gratissimum, hominibus jucundissimum, habenti minimè molestum & agnitu facillimum. Itaque in Scriptura non tantùm de formæ præstantia, fœminæ laudantur, vt Sara, Gen. 12. 11. 14. Rebecca, Gen. 24. 16. Estera, 2. 7. Sed & viri eo nomine sæpiusculè commendantur, vt Moses, Exod. 2. 2 Act. 7. ℣. 20. Et Dauid 1. Sam. 16. 27. Quin & principes viros formæ dignitatem maximè dicere in confesso est apud omnes, πρῶτον μὲν εἶδον ἄξιον τυραννίδος. Primùm quidem forma dignum est imperio, qui succinunt Lucretius, & Quintus Curtius formam & speciei dignitatem in principibus constituendis multum semper valuisse testantur. Itaque inter Christi dotes pulchritudinem haud immeritò computauerimus. Quanquam enim ea de re, dubitatum est à multis antiquis Patribus, inter quos Græci magno numero nulla Christum formæ pulchritudine præditum fuisse contendunt, argumento, Prophetico ductu, non est in eo decor, neque species, Esai. 53. 2. Tamen neque defuerunt inter Veteres, qui eam formæ præstantiam in Christo agnouerint, quo numero censendi Nazian. oratione de Pasch. Chrysost. hom. 2. in Matth. Hieron. Epist. 14. Aug. in Ps. 44. A quibus facere videntur, & Scriptura & ratio scriptura quidem, nam de Christo loquens per Dauidem Spiritus sanctus, Ps. 45. 2. Ait ipsum fuisse speciosum præ filiis hominum, vbi verbum duplicatum occurrit, id est, quod geminat primam & secundam radicalem, יפיפית ad eximiam pulchritudinem denotandam. Quandoquidem huiusmodi verba ex Hebræorum obseruatione superlatiuorum vice funguntur, & intensionem, corroborationem & excellentiam significant. Iam autem pulchritudinem illam de exteriori intelligendam; præter quàm quòd plerique interpretes consentiunt, etiam vis vocabuli confirmat, quòd vsu frequentissimo in V. Testamento scriptis tritum, ferè semper de corporea

porea pulchritudine vsurpatur, etsi non imus inficias connotari ea voce internam pulchritudinem animæque nobilitatem, quæ in Christo longè maiorem, quàm externa forma commendationem indubiè meruit; accedit deinde ratio primum enim quanquam fuit Christus nostri causa defectibus illis obnoxius, qui sequuntur ex necessitate naturæ, quales sunt fames, sitis, somnus, non est putandus illis vitiis infectus fuisse, quæ defectus temperamenti, vel virtutis formatiuæ sequuntur. Atqui talis est deformitas corporis. Cùm igitur corpus Christi optimo fuerit temperamento præditum, imò & virtute Spiritus Sancti formatum, nulla interueniente hominis operatione, Quæ autem Deus per se facit longè sunt iis perfectiora, quàm quæ per causas secundas fiunt. Concludendum videtur Christum fuisse pulcherrimum: deinde par fuit, vt anima Christi præstantissima præstantissimum sortiretur domicilium, nempe ait Max. Tirius vt sol oriens præmittit fulgorem qui cacumina montium illustret vberioris lucis spe: ita splendescenti animæ præfulgere par est in superficie corporis decorem qui spem afferat doni alicuius multò melioris, & cùm natura ipsa magnis mentibus domicilia corporum digna metetur, vt ait Panegeristes & Ambr. docentes lib. de Virg. c. 2. Corporis species simulacrum est mentis figuráque probitatis. Denique cùm iuxta Poëtam.

Gratior sit pulchro veniens è corpore virtus.

FACILEM colligitur Christum animi summa dignitate præditum corporis formam habuisse, quæ illi dignitati responderet, bonus fuit moribus, sed & bonus forma: nam & speciosos scriptura bonos vocat, inquit, Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Et Græci καλοὺς vocant καὶ ἀγαθοὺς. Ἀγαθοὺς quidem παρὰ τὸ ἀγὰν θέειν, quòd ad eos cuncti currere debeant; Καλοὺς verò παρὰ τὸ κήλειν, quod omnes demulceant, & ad se alliciant, Quo fit, vt arbitretur Hieron. Epist. 140. Fuisse in Christi vultu & oculis syderum aliquid, quo permoti Apostoli statim eum sequuti fuerint. Pulchritudinem porrò Christi cùm dicimus non eam intelligimus, quæ mollitiei plerumque comes est & imbecillitatis, sed eam quæ sita est in integritate, iustoque commensu, siue proportione partium corporis adjectamque habet vultus cum gratiositate grauitatem. Quod autem, Es. 53. 2. Negatur decor & species in Christo fuisse, id non de toto vitæ cursu Christi intelligendum est, sed ad passionis tempus nominatim referendum, quando ipsius corpus facientibus inimicis deformatum est: deinde non est intelligendum de decore pulchritudinis & formæ, sed de decore pompæ atque magnificentiæ, ita vt decor & species non deformitati opponatur, sed paupertati, contemptui, humilitati, vt sequentibus exponitur à Propheta, vbi ait Christum fuisse contemptissimum & abjectissimum virorum; non fuit igitur ei species atque decor, id est, sine pompa & magnifico vllo apparatu venit in mundum, & commoratus est in terris, neque quam poterat majestatem exhibere voluit, sed egenus & humilis apparuit & assumpta serui forma se exinaniuit, Phil. 2. 7. Cæterum quantumuis eximia fuerit hæc dos corporis Christi, dum in

terris ageret, non tamen dubium, quin post resurrectionem & ascensionem in cœlum hæc perfectio multùm aucta fuerit, vbi etiam est & porrò erit animarum fidelium illa corporis Christi dignitas objectum secundarium beatitudinis ? Nam sicut ibi spirituali Dei contemplatione satiandi sumus, Psal. 17. 15. Ita etiam Christum ejusque humanitatem oculis hisce corporis vsurpabimus, Iob. 19. 25. Atque adeò, fient corpora natura corpori ejus glorioso conformia, Phil. 3. 21. Pulchritudine non exigua pars est in justa staturæ proportione, itaque Christum, vt forma pulcherrima, ita statura optima præditum fuisse par est, de quo tamen nihil expressum legitur in Scriptura, nisi quòd Luc. 2. 52. dicitur Christus sapientia & statura creuisse, quæ duo, haud abs re fortassis ibi conjuncta sunt, vt colligamus Christum sicut sapientia, ita statura creuit vt ad summum sapientiæ fastigium peruenit. Sic etiam creuisse statura dum tandem ad justam & maximè laudabilem staturæ rationem peruenerit. Iustam staturam dico: nam vt Christo eam corporis molem tribuamus quam Scriptura notat, in antiquis Gigantibus, nemo à nobis facilè obtinebit, qui nouimus vastam illam molem monstro deputandam vel certè in excessum ac nimietatem vrgere, quàm à Christo Christique humanitate abjudicandam esse putamus. Loquitur & de statura Christi Paulus, Ephes. 4. 13. donec, inquit, &c. Ex quibus verbis quidam colligunt nos olim eadem ætate ac statura resurrecturos, qua præditus erat Christus, cùm moreretur, quia scilicet vtitur Apostolus voce ἡλικίας, quam notum est, tum ad staturam, tum ad ætatem significandam vsurpari : Sed alia omnia sine dubio respicit Apostolus. Id enim sibi vult verbi ministerio fideles à primis fidei ac pietatis velut rudimentis ad justum robur magis ac magis in dies adduci, donec eam perfectionem cognitionis attigerint, quò qui peruenerunt, non jam inter infantes numerandi sunt, sed ad virilem & robustam ætatem pertigisse putantur. Atque ita sicut ipse Christus ab infantiæ suæ annis ita progressus est, vt ætate creuerit & ad justam staturam peruenerit ipsius corpus. Ita pij ac fideles interna Spiritus S. corroboratione in fide & agnitione Christi proficiant in dies, dum illum cognitionis & pietatis gradum assecuti fuerint, vt profundè jactis in fide radicibus, nec hæreticorum laqueis irretiri, nec Satanæ fraudibus à Christo vnico salutis fundamento dimoueri valeant.

De Sanitate ac robore corporis Christi, nihil, quod sciam, in Scriptura habetur: Nam quod Mala. 4. 2. dicitur habere Christus sanitatem in alis suis non ad corporeum sanitatis donum referri debet, sed ad effectus illos spirituales pertinet, quos Christus in animis fidelium Spiritus sui virtute operatur, quatenus eos peccato, quasi morbo languentes ad veram justitiam & sanctitatem, quasi animæ sanitatem reuocat. Quod igitur Psalm. 45. 4. robustissimus vocatur, non tam ad corporeas vires spectat, quàm ad diuinam illam potentiam, quæ Christo tanquam Mediatori data est, quæque per verbi ministerium exercetur, ad subuertendas munitiones, ratiocinia, & quidquid adversus Dei veritatem extollitur, 2. Corinth. 10. 4. 5. 6. Quod ideò dicitur sceptrum potentiæ siue roboris

boris Christi, Ps.110.2. Non dubito tamen Christum eam sanitatem & hoc virium robur possediſſe, quæ ad justam corporis constitutionem pertinent, optimè formatus, optima partium omnium conformatione præditus; non esse potuit non sanus & robustus. Quid enim est sanitas, quàm corporis humani naturales actiones exercendi potẽtia, ex partium omnium naturali constitutione proueniens? At quis dubitat Spiritum Sanctum, id operatum esse, vt partium corporis Christi naturalis constitutio esset optima? Itaque nulli morbo fuit obnoxius eorum, qui ab interna aliqua intemperie trahunt originem, quemadmodum nec ab aliqua externa intemperantia, à qua fuit alieniſſimus potuit infirmitatem, vel ægritudinem contrahere. Fuit ergo sanitate excellenti præditus, cui respondebat pro ratione corporis vegetum viuidumque robur, pro ratione corporis, inquam: Non est enim quòd putemus Christi corpus robore Gigantium valuisse, quos nouimus ea de causa terrori esse omnibus בפנלים אמים. Quod ad eorum potentiam hominum vulgus præ consternatione concideret: Contra verò nouimus Christi præsentiam omnibus consolationi & leuamento fuisse vnde illa discipulorum Emmaunticorum vota obnixè flagitantium, vt Christus cum eis pernoctaret, & Euang. subinde testatur accessisse ad Christum turbam frequentissimam, quæ se ipsius præsentia solaretur & ab eo aliquid beneficij perciperet, semel quidem legitur Petrus ad Christi præsentiam contremuisse, adeoque humiliter petiisse, vt Christus ab eo abscederet, Luc.5.8. Enimuerò tremorem illum non aliud progenuit, quàm agnita in recenti miraculo Christi diuinitas: Nam quemadmodum notant Interpretes verebatur Petrus, ne pro meritis submergeretur, qui tantus peccator, cùm esset, tantùm auderet adesse rectorem. Sic Iohan.18.6. Ad Christi vocem concidunt, qui eum comprehensuri & ad Iudicem adducturi venerant non de præsentia corporali obstupefacti, sed de persona diuinitatis conterriti. Voluit enim hac ratione ostendere Christus potuisse se, si libuisset, hostium quorumq; manus euadere. In hoc erat diuinę potestatis indicium, quæ impiorum conatus non armis contrariis, neque vllius creaturæ potentis auxilio, sed sola verbi virtute prosternere, inquit Leo serm. de passione Domini, Ierem.15. Cujus & hæc sunt serm.10. de pass. Ego sum, inquit Christus, quod verbum manum illam ex ferociſſimis congregatum, quasi fulmineo quodam ictu ita strauit atque percussit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent, vbi fuit sæuitiæ conspiratio, vbi ardor irarum, vbi instructus armorum Dominus dicit. Ego sum & ad vocem ejus impiorum turba prosternitur. Quid jam poterit majestas ejus indicatura, cujus hoc potuit humilitas indicanda.

SEQVVNTVR jam aliæ dotes quas volunt Adversarij corporis Christi. Sic fuisse proprias, vt in aliorum hominum corpora non competant, cùm aliis etiam communes sint quas modò explicuimus, multos siquidem passim videre est elegantia formæ, bonitate staturæ robore, sanitate præstantes eo numero reponunt *illocabilitatem, impassibilitatem,*

splendorem, *subtilitatem*, *leuitatem*, *inuisibilitatem*, *illocalitatem* quidem corporis Christi, eiusque multipotentiam nos antea fusè refutauimus, tractatu de omnipotentia siue immensitate Dei. *Splendorem* autem quo Christi facies in transfiguratione resplenduit, in sup. cap. satis diximus de cæteris ita habendum. Distingui oportere dicimus duplicem statum, nempe in terris agentis, & in cœlis glorificati & glorioso quidem corpori ex quo ad dextram Patris subuectus est, non dubitamus suas esse easque eminentissimas dotes, quales scilicet in beata corpora competere Scriptura testatur. Eas autem docent Theologi breuiter designari, Matth. 13.43. vbi dicuntur justi in regno Patris sui lucidi fore instar solis. Et Dan. 12.3. Vbi docetur futurum, vt qui alios in justitia instituerint, splendeant, & instar stellarum luceant in sempiterna secula. Quod non de interno animarum splendore duntaxat, sed & de admirabili luce corporum intelligendum venit: Atqui quatuor sunt præcipuè lucis proprietates, nempe claritas, quia lux illustrat; impassibilitas, quia nihil eam inficere potest, aut corrumpere; subtilitas, quia facile penetrat corpus quodcunque diaphanum; & leuitas, siue agilitas, quia motu fertur velocissimo & imperceptibili. Non est igitur dubium, quin excellentissimo modo qualitates illæ corpori Christi glorioso conueniant: Impassibile est; neque enim ei mors aut passio vlla dominari potest, Rom. 6.9. Clarissimum est; & à terrestri fœce, atque opacitate liberum; subtile est, agile est, quia quoscumque libuit motus perniciissimè potest exequi, sed ita tamen vt essentiam corporis seruet, neque in Spiritus naturam transisse existimetur. Quomodo autem eidem corpori quòd splendore micantissimum fatentur inuisibilitatem Aduersarij tribuant, non satis perspicio, cùm esse splendidum, & tamen inuisibile habeant penitus αὐσυλλεσα. Est enim lux & color per se visibile objectam, imò per quod patent oculis nostris res corporales & materiales. Iam verò si de corpore Christi loquamur, quale fuit ante mortem, dum in his terris versaretur, negamus ei conuenisse, quam volunt Aduersarij impassibilitatem, leuitatem, aut inuisibilitatem. Argumentum nobis est illud inuictum quod Heb. 4.15. Dicitur Christus in omnibus nobis fuisse similis excepto peccato. Ergo quæ qualitates in corpora nostra hìc agentia vlla ratione conueniunt, non sunt illæ corpori Christi tribuendæ. Iam autem quis nescit nullum hominis corpus esse, quod non graue sit & passibile, quanquam enim qualitatum tempore producunt, actu tamen primo semper insunt subjectis primis.

Obiicivntvr contrà ex Scriptura nonnulla, putà pro lenitate corporis, quòd dicitur Christus super aquas ambulasse, Matth. 14.24.25. Marc. 6.48.49. Ioh. 6.19. Pro inuisibilitate, quod de Christo dicitur, Luc. 24.31. ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, id est euanuit ab eorum oculis & vulgatus Interpres dicit, pro subtilitate quod ostiis clausis, &c. Iohan. 20.19. Et in ascensione sua cœlos penetrasse, Heb. 4.14. Pro impassibilitate denique quod Sacramentum discipulis suis ante mortem instituens in signis panis & vini corpus suum impassibili modo delitescere voluit. Verùm de hoc

postremo

postremo non est, quòd multa dicamus; cùm enim rem controuersam, alia magis controuersa confirment, quæ verbo dicuntur, verbo refutari possunt.

RESP. igitur ad primum de leuitate ambulationem super aquas non esse argumentum sufficiens, quòd corpus aliquod leuitatis, aut agilitatis dote fuisse præditum sit: securis enim ferrea aquis innatat, 2. Reg. 6.6. & Petrus super aquas ambulat, Matth. 14.29. Neque tamen vel ferrum illud, vel Petrus leuitatem habuit, tanquam proprietatem aliquam insitam & inhærentem. Imò docet Hieronym. Epist. 61. Petrum ambulasse supra aquas graui & solido corpore. 2. Corporis leuitas, vel in actu primo, vel in actu secundo considerari potest. Actum primum si respicis graue semper fuit Christi corpus, quippe non minùs ex terra, quàm ex aliis elementis conflatum, adeoq; vergebat naturaliter, cum ea propensio corpori, qua graue est, sit essentialis: at vero actus secundus, quod grauitationem dicunt Philosophi, potest in corpore graui aliquandiu suspendi: nam & aquam nouimus in loco suo, putà in mari, aut fluminibus non grauitare, id est, ordinarium effectum à grauitate procedentem non producere, adeóque nec pisces, nec vrinatores tantam molem ferre possent, quanta corporibus ipsorum incumbit, quod mirum. Ergo si actus ille secundus grauitatis in Christi corpore aliquando suspensus fuit: itaque quòd Christus super aquas ambulauit, non fecit inhærens aliqua leuitas, sed patefaciendo in eo miraculo fecit diuinitas, nec verò inficias eunt ipsi Aduersarij Carthus. in Ioh 6.19. Ambulat Iesus super mare per dotem agilitatis, secundùm Hugonem; quod communiter non tenetur, sed quod diuina virture sic incessit, grauitate sui corporis non agente in aquam eam diuidendo, Maldon. in Matth. 14.24. corpus Christi non est leue factum, sed effectum, vt graue corpus in liquidis & mollibus aquis non mergeretur.

AD secundum pro inuisibilitate, Resp. 1. Luc. 24.31. agi de corpore Christi à mortuis excitato, adeoque glorificato, nos autem loquimur de corpore quale fuit ante mortem. 2. Nullam corporis inuisibilitatem ex dictis Lucæ concludi posse: neque enim dicit absolutè Christum factum fuisse ἄφαντον, inconspicuum, sed ἄφαντον ἀπὸ αὐτῶν, inconspicuum eis, scilicet Apostolis. Quod autem ab aliquo non videtur, non propterea dicendum est inuisibile. 3. ἄφαντος, vel ἄφαντον γίνεσθαι, familiari Græcorum locutione dicitur id quodcunque modo à conspectu abducitur, etsi per se nullam inuisibilitatem habet, vnde eius phraseos exempla apud Chamier. tom. 2. lib. 6. cap. 3. Sic & Latinis euanescere sæpiùs dicuntur, quæ ita discedunt, vt non ampliùs oculis pateant. Itaque Amonia pro eodem sumit euanescere, & è medio prospectu abscedere lib. 35. Christus ergo ἄφαντος ἐγένετο, non per insitam inuisibilitatis dotem, sed per visibilis corporis abductionem. 4. Potuit Christus aliis modis ἄφαντος γίνεσθαι, visibili manente corpore, imò & præsente, nempe vt docet Salm. tom. 4. tract. 12. Vel ad tempus excæcando discipulos, quomodo Angelus ciues Sodomæ, Gen. 19. Vel circumdando sibi nubem, quæ ipsum

obtegeret, quomodo ascendentem in cœlos nubes suscepit ab oculis spectantium. Nos rem factam nouimus, modum quo facta est curiosè non vestigamus.

Ad tertium pro subtilitate, quod præcipuè vrgent Aduersarij, vt inde conficiant, posse duo corpora simul esse in eodem loco, adeóque nihil esse absurdi si constituatur vnum corpus in pluribus locis. Resp. 1. Locis allegatis ex Ioh.20. Et Hebr.4. Sermonem esse de corpore Christi glorioso, cùm nos hic de humili dicamus, Ioh.20.19. Dici Christum ad discipulos venisse portis clausis, sed per portas clausas intus penetrasse non dici. Itaque his verbis Euangelista tempus magis aduentus, quàm modum designari, nimirum significat, Ioh.Christum venisse de nocte, cùm iam obseratæ essent ianuæ, vt ingruentibus noctis tenebris fieri amat. 3. Si per penetrationem dimensionum Christus ingressus esset, atque hoc Scriptura designaret, vt prætendunt Aduersarij, iam sanè modum & rationem illius ingressus teneremus. Atqui cum modum solidè cognitum non fuisse fatentur Patres, Cyrill.lib.12. in Ioh.cap.53. Nullus quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauerit, cùm intelligat non de homine nudo, sed de potente filio Dei & ab Euangelista conscribit; & postea. Quod si etiam Christi operationem percipere nequeas, cur potius ingenij humani imbecillitatem non accusas? Cur non seruas silentio datam tibi à Creatore mensuram? Et Hilarius, lib.3. de Trinit. Ne de ingressu Domini mentiamur, ne dicamus factum non esse, quia intelligentiam facti non apprehendimus. Nec enim cessante sensu nostro facti ipsius deslæ effectus. Dicimus ergo nullam vim esse illius argumenti Christus intrauit ianuis clausis. Ergo corpus suum solidum per aliud corpus solidum introduxit, quasi verò non supperetterent Deo alij ingressus modi præter dimensionum penetrationem. Quòd si miraculosè apertæ fuerunt, portæ, Quid si rarefactæ? Quid si annihilatæ? Quid si alia domus parte transitus factus. Certè Hilarius vbi supra, quemuis alium modum malit, quàm penetrationem dimensionum, Venit, inquit, Iesus, clausis ianuis. An constructa parietum penetrauit? An solidam lignorum materiam impenetrabilem transcurrit, quasi dicat minimè verò: nam ea interrogatio negandi vim habet, & sanè cùm lignorum naturam solidam impenetrabilem esse ait, satis arguit in ea fieri non potuisse penetrationem dimensionum. Sic Hieron. in Epist. ad Pemmachium, cùm dixisset Christum transiisse per portam clausam, ne quis ex illis verbis ansam arriperet concludendi aliquam dimensionum penetrationem subjecit statim creaturam cessisse Creatori: atque creaturam cedere non est creaturæ dimensione penetrari, cùm eam penetrationem sine vlla corporis cessione fieri voluit Aduersarij. Denique Durandus in 4.quæst.6.num.13. In castra nostra transit, cùm fores essent clausæ, inquit, venit Iesus, sed non dicitur quod intrauit per ianuas clausas. Igitur Christus virtute diuina potuit, intrare ad discipulos per fenestras vel aliquem alium locum. Igitur potuerunt ianuæ per quas intrauit, subitò aperiri & subitò claudi, ita vt apertio & clausio lateret discipulos

cipulos, & quia res non dicitur fieri, quòd non innoteſcit, ideo dicuntur fuiſſe clauſæ, quia apertio earum nulli apparuit.

HEBR. 4.14. Cùm dicitur Chriſtus διελήλυθέναι τοὺς οὐρανούς. Ea verba nullam, vel in corpore Chriſti ſubtilitatem, vel in cœlis dimenſionum penetrationem ſignificauit. Certè διέρχεσθαι in ſcriptura frequentiſſimè vſurpatum reperitur, vbi tamen nulla vel corporis ſubtilitas, vel penetratio dimenſionum reperitur, Marc. 4.35. Luc. 2.15. Ioh. 4.4. Act. 8.4. Et 9.32. Neque vrgendum eſt quod dicitur penetraſſe cœlos. Cœli autem dicuntur ſolidiſſimi & tanquam ære fuſi, Iob. 37.18. Vnde concludat aliquis, Ergo cœli dimenſiones fuiſſe penetratas: nam præterquam quod potuit creatura ſuo cedere Creatori, etiam ſciendum eſt illud apud Iobum cœlis dici ſolidos, quia ſunt incorruptibiles & indiſſolubiles; ære vero fuſi, quia ſplendidi & pellucidi, quale nimirum eſt æs, quando funditur & liquefit. Diuiſio cœlorum non arguit corruptibiltatem, nec cœli dicuntur ſolidiſſimi taliter, quaſi poſſint diuidi, ſed quia naturaliter ſunt incorruptibiles.

CAPVT IX.

De animæ Chriſti dotibus.

DE DOTIBVS corporis diximus, ad dotes animi accedimus. Animus eſt duplici facultatem perditus, intelligendi & volendi. Ad intelligendi potentiam pertinet Chriſti ſcientia, de qua eſto nobis Theorema primum, *Chriſtus vt diuinam & infinitam ſcientiam habet, quà Deus; ſic & humana adeóque finita præditus fuit, quà homo.* Appollinariſtarum hæreſis ex antiqua hiſtoria nota eſt affirmantium Chriſti diuinitatem loco animæ fuiſſe, adeóque nullam ipſi ſcientiam præter diuinam illam, & eſſentialem attribui poſſe. Eam repoſuerunt Scholaſtici quidam, atque inter eos neſcio quis, Ioh. Neapolitanus & Ioh. de Rīpa, à quorum inſania non multum recedit Hugo de ſancto Victore contendens Chriſti animam eſſe ſapientem & intelligentem per ſcientiam increatam Dei ſubſtantialiter ei communicatam. Ita hæc Africa monſtri aliquid ferè ſemper, aut excludit, aut alit: nam hæc opinionum portenta Theoremate iugulamus quo docemus in Chriſto duplicem debere agnoſci ſcientiam, diuinam alteram, alteram humanam. De humana ſupra fusè dictum eſt & tractatu de attributis diuinis. Nunc humanam explicamus, id eſt, eam cuius ſubjectum fuit humanus Chriſti animus. 1. Ergo eiuſmodi ſcientiam verè in Chriſtum competere ſcriptura teſtatur, Eſ. 11.2. Dicitur ſuper Chriſtum requieturus ſapientiæ atque timoris ſpiritus vbi conjunctio ſcientia cum timore ſatis denotat, loqui Prophetam de ſcientia humanitatis, cui ſoli timorem, ſiue reuerentiam conuenire certum eſt, cùm diuinitas nonniſi abſurdiſſimè prædita dici poſſit timore, Ioh.

8.55. Noui Patrem & mandata eius obſeruo, inquit Chriſtus, quare verò cum cognitione copulatio mandatorum diuinorum obſeruatio, niſi vt pateat ejus natura cognitionem deſignari ad quam pertinet mandatorum diuinorum obſeruatio. Ea vero eſt humanitas proculdubio. Accedit ratio; Nam cùm ſit Chriſtus factus nobis ſimilis per omnia excepto peccato, Hebr.4.17. etiam ſimilem factum fuiſſe oportuit in ſcientia, adeóque humanam ſcientiam habuiſſe verè, ſicut & nos, quanquam cùm ſcientiam Chriſti dicimus eſſe ſimilem ſcientiæ noſtræ, de re illud intelligendum eſt, non de modo aut gradu rei, id eſt, vt verè ſcientes anima nos ſumus, ita & fuiſſe Chriſtum, ſed quoad modum attinet, fuiſſe ipſius ſcientiam incomparabiliter meliorem noſtrâ, & eminentiorem. Deinde perſonæ diuinæ in Chriſto veritas, non tollit naturæ humanæ veritatem. Ergo neque diuina ipſius ſcientia abolet, aut perimit humanam. Propterea Chriſtus naturam humanam integram aſſumpſit. Ergo & animam facultate intelligendi præditam, quæ facultas perfici debuit & in actum reduci. Fit autem hoc per ſcientiæ donationem, quam qui Chriſto adimunt, ejus animam imperfectiorem faciunt, quàm reliquorum hominum, quod ſine ingenti abſurditate nequidem cogitari poteſt. Addendum eſt tertio loco ita ſemper ſenſiſſe ſemper docuiſſe orthodoxam Eccleſiam. Videatur Conc. Calc. Art.5. Conc.6.Art.8. Damaſc.lib. 3.cap.6. & alij. Patres enim omnes in eo conueniunt, vt doceant, excepta ſola ſubſiſtentia, omnia in Chriſto fuiſſe duplicia, duas naturas, duas voluntates, duas operationes, duas ſcientias.

Obiicitvr primò, Perſonam verbi per ſeipſam ſupplere actum ſubſiſtendi naturæ humanæ, cùm natura humana, nonniſi ſubſiſtat per Verbum. Quidni igitur dicatur actum intelligendi, ita vt natura humana dicatur intelligere tantùm per verbi ſcientiam. Reſp. latum eſſe diſcrimen inter actum ſubſiſtendi & actum intelligendi: nam actus ſubſiſtendi non eſt aliquod per ſe vitale reſpectu ſubſiſtentis, adeóque nihil impedit, quominùs ſuppleri poſſit, per aliud, ſed actus intelligendi eſt actus vitalis, reſpectu intelligentis creati, id eſt, actio vitaliter procedens ab anima intelligente. Iam autem impoſſibile eſt vt aliquis intelligat per aliud, adeóque vt actus intelligendi animæ Chriſti ſuppleatur per aliud.

Obiicitvr 2. Inutile eſt in Chriſto ponere ſcientiam humanam, per quam aliquid cognoſcat in tempore, cùm omnia ab æterno per diuinam ſcientiam cognoſcat pleniſſimè. Reſp. Chriſtum per ſcientiam diuinam omnia quidem cognoſcere, ſed operatione increata. Porrò ea operatio non eſt aliud ab eſſentia diuina, adeóque hujus operationis humanitas non eſt capax, itaque ponenda eſt alia ſcientia, nempe humana, per quam res cognoſcat operatione creata.

Obiicitvr 3. Inutilis eſt ſcientia, quæ nullomodo refulgere poteſt aut ſeſe producere. Atqui in humana Chriſti ſcientia res ita ſe habet. Quomodo enim refulgere potuit juxta ſcientiam diuinitatis poſita, cùm certum ſit minorem lucem à maiore præſente obrui atque aboleri. Reſp.

ti. Resp. axioma illud Physicum veritatem suam habere in luminibus, quæ sunt ejusdem generis ac ordinis, qualia sunt lumina creata: ita enim videmus ad meridianam solis lucem obscurari candelæ lumen, sed in luminibus, quæ toto genere diuersa sunt, nihil impedit, quin præsenti maiore lumine minùs splendorem suum seruet & exerat. Sanè prouidentia diuina, tum alibi, tum in societate politica micantissimè refulget, neque tamen id obstat, quò minus splendorem suum fundat in variis actionibus hominum sagacitas & prudentia Ciuilis: sic diuina Christi scientia, quæ incomparabiliter altioris est ordinis: nam non obstitit, quò minùs refulgeret ita Christi scientia humana, vt eam homines admirarentur, Marc.1.22. Quin potiùs maximum illi conciliarit fulgorem, eamque miris modis illustrarit, quippe quæ rationem haberet, cùm scientia humana illuminati rationem haberet.

Hvmanam Christi scientiam Theologi vocare solent generaliter scientiam vnionis, eamque definiunt esse totam illam sapientiam atque cognitionem rerum diuinarum & humanarum quæ Christo θεανθρώπῳ communicata est secundùm ipsius humanitatem, quanquam nonnulli sunt, qui in Christo nullam scientiam agnoscunt, quæ scientia vnionis dici debeat, quia nempe ex parte vnionis ipsius, non putant poni posse aliquam in Christo scientiam, cùm vnio sit ad esse personale. Scientia verò non communicat personæ, nisi ratione alicujus naturæ. Ita Thomas parte 3.quæst.3. artic.1. ad tertiam. Verùm scientiam vnionis cùm dicimus, non ita nuncupamus ratione termini, sed ratione tantùm effecti, siue consequentis, id est, non quasi vnio ad illam scientiam terminetur (Nouimus enim terminari solùm ad esse personæ, id est, vt constituatur Christi persona ex vtraque natura) sed quòd ex vnione illa consequatur, vt intelligamus eam Christo communicatam in vnione illa, quâ humanitas diuinitati intimè conjuncta est. Enimuerò, quia diuina scientia, quæ est ipsa Dei essentia, sit omnino in se ἀκτινώτατος, fundit tamen ex se splendorem veluti aliquem creaturæ communicabilem. Itaque suum illud ἀπαύγασμα siue resplendescentiam humanæ Christi naturæ ita perfectè communicauit, vt quàm latè patere potest scientia creata, tam latè pateat humanitatis Christi scientia. Id docet Apostolus verbis exquisitissimis, Col.2.3. Vt consolationem percipiant illorum corda per agnitionem mysterij Dei Patris & Christi in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Noui multos esse, qui verba illa *(in quo)* referant, non ad nomen *(Christi)* sed ad vocem *(mysterij)* vt sensus sit in mysterio Christianæ doctrinæ esse absconditos omnes thesauros, tum sapientiæ ad rectè credendum, tum scientiæ ad piè viuendum, prout certum est omnem salutaris cognitionis ad fidem & vitam pertinentis plenitudinem in Euangelio Christi contineri, vnde profitetur Apostolus se vnum Christum illumque crucifixum scire velle, 1.Cor.2.2. Sed quanquam in eiusmodi explicatione nihil est non veri, quod non scopo Apostoli satis conuenit. Nos tamen eò potius propendemus, vt verba illa *(in quo)* ad nomen Christi referantur. 1. Quia Christi nomen est

propinquius quam vox *mysterij*, atque relatiuum, quod ad duo præcedentia referri potest, si nihil obstet, censetur esse potiùs ad propinquius referendum, quàm ad remotius. 2. Quia superiùs de Christo dixerat Apostolus 1.19. Habitare in eo omnem plenitudinem scilicet gratiarum & donorum. Atque hic de donis præstantissimis eorumque Thesauro agitur. Ergo verisimilius est illud ad Christum referendum. 3. Quia thesaurus sapientiæ & scientiæ includit etiam perfectam illam cognitionem, quæ futuræ vitæ reseruatur: Atque res futuræ vitæ eæ sunt, quæ humano effari non licet, nequidem Apostolus 2.Cor.12.4. Adeoque earum cognitio plena non traditur in Euangelio. Colligamus igitur ex illo Apostoli testimonio, Christo tantùm scientiæ donatum esse, quantum in humanam naturam cadere potest. Hinc locus quæstioni. Vtrum scientia humanitatis Christi possit, aut debeat omni scientiæ titulo insigniri. Resp. Ita docere vbiquitarios hoc præcipuè Pauli testimonio fretos, sed frustrà, cùm Paulus non omniscientiam simpliciter humanitati Christi tribuat, sed solùm eam scientiæ mensuram, cuius creatura capax est. Cæterùm potest quæstio his posterioribus explicari. 1. Humanitatis Christi scientia ratione principij diuina est quatenus fluit ex vnione illa hypostatica, ex qua effusa sunt in animam Christi dona omnia supernaturalia: præterea diuina est quoque, aut certè proximè accedens ad diuinitatem ratione perfectionis & gradus, quippe quæ longè ita eminentissimo gradu sit constituta, simpliciter tamen & absolutè loquendo humana dici debet, cùm non transcendat rei creatæ capacitatem. 2. Scientia illa & finita, & infinita dici potest diuerso respectu. Nam si eam in se consideres, aut si comparationem ejus instituas cum scientia essentiali diuinitatis, procul dubio finita est, & certis limitibus inclusa: At vero si eam conferas cùm scientia reliquorum hominum, imò & Angelorum, haud negamus respectiuè, aut secundum quod infinitam dici posse, adeoque omniscientiæ nomine venire. Certè Christus ista scientia creata omnibus hominibus & Angelis longè antecellit: Cùm enim sit ipsius anima intimè verbo conjuncta, non est dubium, quin ex ea conjunctione perfectissimum scientiæ lumen hauriat, & participet. 3. Humanitas Christi non potest dici simpliciter, omniscians, idque duabus præcipuè de causis; Altera est, quia non potest per scientiam suam creatam essentiæ diuinæ infinitatem comprehendere, cùm finitum infinitæ comprehensionis non sit capax, & est sanè diuina natura longè magis cognoscibilis, quam aut cognoscitur, aut cognosci potest à creatura quacunque: Altera, quia non potest omnes effectus possibiles siue qui per diuinam potentiam absolutè produci possunt, cognoscere: non enim hoc fieri potest nisi ab eo qui totam virtutem & essentiam diuinam perfecta cognitione peruadere, & quasi intimè penetrare valet.

Addvnt hic aliquid aliud Scholastici de cujus veritate meritò dubites. Quanquam enim fatentur humanitatem Christi non nosse absolutè omnia, quæ Deus nouit, tamen cùm de scientia agitur, quæ refertur ad creaturas, volunt humanam Christi scientiam ad ea omnia pertingere quæ

quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ ventura sequuntur, adeò vt nulla sit substantia, nullum accidens, nullus euentus, motus, actus, verbum, cogitatio, quæ non sit Christo secundùm ejus humanitatem notissima. Est, inquiunt, Dominus omnium ergo cognitam habet essentiam, potentiam, & actum cujuscunque creaturæ; quomodo enim ei essent ignota, quæ in ejus potestate sita sunt, ac Dominio. Est iudex omnium; Ergo actiones, verba, cogitata omnium nouit: Nam de ignotis quomodo judicare posset. Itaque respectu creaturarum tanta est, inquiunt, humanæ Christi scientiæ latitudo, quanta est ipsius diuinitatis. Neque tamen aliquod discrimen interesse diffitentur. Par est, inquiunt, scientia humana diuinæ quoad numerum scibilium, sed impar est. 1. Ratione modi sciendi: Diuinitas autem scit à seipsa, humanitas ab alio scilicet autem diuinitate: Deinde ratione cognitionis, quia Dei essentia est idem reapse cum diuina natura, sed scientia humana realiter differt, ab humanitate. 3. Claritate cognitionis: Diuinitas enim longè clarius cognoscit, quàm humanitas, quandoquidem lumen increatum intellectus diuini, creatum quodcunque lumen longè transcendit; ita illic nos tutius putamus nihil temere definire, qualis sit illa Christi scientia, & quousque pertingat, Deus nouit, & Scriptura tacuit, adeóque nostrum non est curiosiùs inuestigare: Atqui 1. rationes Scholasticorum enim vrgent. Nam quod de dominio & judicio Christi proponunt, non videtur necessariò concludere, quia satis est, si dicamus ipsi, quatenus Deo, esse omnia cognitissima cùm sit Deus & homo. 2. Cùm Scriptura Deum à creaturis, cùm his, tum aliis rationibus distinguat, quod ipse nouit surgere, sedere & cogitare, & quod solus nouit corda omnium, 1. Reg. 8. Et quòd ejus oculi contemplentur vniuersam terram, 2. Chr. 16. Imò cùm diuinitatem Christi, non modò veteres inde probant, quòd cordium cogitata & motus internos cognouerit, sed & Schol. Filij Bell. de Christo cap. 9. Valent. tom. 10. in Thom, disp. 2. Non satis videre possum, qua ratione humanitati Christi motuum & cogitationum omnium cognitio tribuatur.

Hic vero locus est tractandæ quæstionis. An Christus quà homo plurima ignorauit. Vbi Doctores nostri plerique affirmatiuam, Pontificij negatiuam tuentur. Nos rem ita explicamus nostros, cùm de ignorantia Christi loquuntur, non agere de Christo jam glorificato, & sedente ad Patris dextram in excelsis, quia vt ante dictum est, nihil certi haberi potest ex Scriptura, vnde intelligamus, quò vsque gloriosæ humanitatis sapientia progrediatur, sed de scientia tantùm humana Christi agere in terris adhuc agentis. 1. Non esse hanc controuersiam in capitalibus numerandam, quod etiam notauit Thomas Mort. Apol. Cath. p. 1. c. 54. cùm personas, inquit, aduersantes examino, video partem vtramque pio zelo duci, cùm opiniones ipsas non posse in quemquam in alterutra pernitiosè errare. Et verò sanè Antiqui Ecclesiæ doctores quæstionem istam non eodem modo expediuerunt, cùm Athan. & alij humanitatem Christi aliquid veri ignorasse planè docent: Alij verò non audeant aliquam ipsi ignorantiam tribuere, quorum numero censendus est Ambr. cùm

lib.5.cap.7. De fide ita loquitur, sunt plerique non ita timidi oris, vt ego; malo enim alta timere, quàm sapere. Et postea hæc alij dicant (nimirum Christum aliquid ignorare.) Ego multò magis arbitror, quòd filius dixerit, nostra ignoratione se nescire (nempe diem Iudicij) non quòd aliquid ipse nesciret. 2. Vtrumque dicatur Christus quà homo aliquid ignorasse, hoc tamen non intelligendum de ignorantia, quæ labem, vitium, aut peccatum aliquod significet, vt falsum sit quod Campianus ratione octaua contendit. Si quis dicat Christum aliqua ignorantia laborasse idem esse, ac si diceretur, eum originis vitio sordidatum esse. 3. Ignorantiam quæ Christo tribuitur non esse dicendam insipientiam, cujus tamen vocis inuidia Bell. non grauat lib.4. de Christo cap.4. Absurdum est, inquit, animam sapientiæ aliquando insipientem fuisse. Nouimus enim eum vocabuli vsum, vt nullibi apud authores Latinos sumatur, nisi in vitio. Sapientia, inquit Tullius in Tusc. sanitas est animi. Insipientia autem quasi insanitas quædam, quæ est insania eademque dementia. Itaque apud eundem explicante Nyzolio insipiens est stultus, excors, vecors. Absit autem vt in animum Christianum incidat aliquid ejusmodi de Seruatore nostro cogitare. 4. Triplex distingui potest ignorantia in homine nempe prauæ dispositionis, negatiua & priuatiua, sicut etiam docet Greg. de Valent. tom.4. disp.1. quæst.15. puncto 1. Prauæ dispositionis est quæ habet admixtum aliquem intellectus errorem, adeoque culpabilis est. Negatiua, siue puræ negationis est nescientia rei, quæ etsi absolutè potest sciri ignorata tamen nullam imperfectionem infert. Priuatiua cùm quis ea ignorat, quæ scire tenetur ex ratione conditionis aut vocationis suæ, adeoque meritò deputatur imperfectioni & vitio. Est autem, inquit Valent. apud omnes certum, & extra controuersiam. 1. Christum non laborasse vnquam vlla ignorantia prauæ dispositionis, cùm sciuerit, certò & infallibiliter ea quæ ad se pertinebant & per quæ cadere poterat omnem in se errorem, cumque fuerit lux vera & ab omni mendacio remotissima. 2. Habuisse Christum vt hominem aliquam ignorantiam negatiuam, seu potius necessariam puræ negationis, vel hoc ipso quòd non comprehendit, diuinam essentiam, adeoque non omnia sciuit, quæ sunt in Deo eminenter; sed addit tertio loco controuersiam esse de ignorantia priuatiua, quam vult Christo à nostris Caluino, Zuinglio, Luthero attribui, verùm cum ipse ignorantiam priuatiuam explicet eam, qua nesciuntur ea, quæ ex ratione muneris sciri debent. Pernegamus autem nostris ignorantiam ejusmodi Christo impingi. Sciuit enim ille optimè, vt & peregit perfectissimè, quæ ad rationem impositi à Patre muneris pertinebant. Itaque de ignoratione tantùm negatiua quæstio est: Quanquam enim in eo conuenimus, quòd aliqua fuit in Christi humanitate nescientia, tamen cùm ad particularia deuenitur, & de cognitione rerum creatarum agitur, dissidium est aliquod. Nos enim volumus Christum aliquid ignarasse, putà diem Iudicij: Aduersarij etiam quà hominem ignorasse inficiantur. 5. Perperam nostros qui aliquam Christo ignoran-

tiam

tia tribuunt, cum antiqnis illis hæreticis componi, quos ἀγνόητας vocarunt, cum latum sit, inter vtrosque discrimen. Quanquam enim Leontius & Niceph. Callistius Agnoetarum hæresim in hoc esse sitam vellent, quòd Christum, quatenus hominem dixerint, aliquid ignorare, non est tamen quòd ei sententiæ, quis acquiescere debeat, nisi velit, antiquos Patres plerosque omnes hæreticos fuisse, qui humanitati Christi aliquam ignorantiam euidenter tribuerunt, vt ipse Leontius fateri cogitur lib. de sect. art. vltimo, Patres, inquit, magnam partem imò ferè omnes comperiuntur dicere Christum ἀγνοεῖν. Si enim factus est ἐμφανὴς, & nos ignoramus, manifestum est ipsum etiam ignorare dicamus. Ergo potiùs Agnoetas in hæreticis computatos, quod ignorantiam verbo siue Christo, quà Deus est, tribuerent. Ita Isidorus etiam docet, Orig. l. 8. c. 5. Agnoetæ ab ignorantia dicti, quia peruersitati, à qua exorti sunt, hic adjiciunt, quòd Christi diuinitas ignoret futura. Ita Raban. lib. 2 de Iust. Cleric. cap. vlt. Et Alphons. à Castro lib. 5. aduersus hæres. titulo Deus, hæres. octaua, Agnoetæ dicti, quòd ignorantiam Deo impingant, & Maldon. in Matth. 24. 36. Agnoetæ, vt ex Damasc. colligitur, simpliciter & sine vlla distinctione diuinæ humanæque naturæ ignorantiam Christo tribuebant.

Exposito statu quæstionis, Probandum est Christum quatenus hominem in terris existentem aliquid ignorasse quod respiceret creaturas, in eum finem proferunt nonnulli locum ex Matth. 21. 19. & Marc. 11. 13. 14. Vbi dicitur Christus, cùm esuriret, accessisse ad ficum, sed cùm in ea nihil fructus inuenisset ipsi maledixisset ita vt statim exaruerit, & verò Caluinus in hunc locum ait nihil absurdi esse si dicamus incognitam fuisse speciem arboris. Nec diffitetur Hunnius hoc referendum ad statum exinanitionis Christi, in quo non semper vniuersa corde suo aspexit, & in quo ignorantia fuit vna ex infirmitatibus quas assumpsit; sed non videtur mihi ex isto loco satis res confici posse. 1. Quia non est verisimile Christum non habuisse cognitam speciem arboris, quæ est in Iudæa notissima, & Christo proxima erat quippe qui ὅπου ἦν ἰδοῦ secus viam posita esset. 2. Quia non potuit, ignorare nullos esse in ea arbore fructus, cùm vt ait Marc. nondum esset, ficuum tempus. Dico igitur Christum ad arborem accessisse, non propter aliquam ignorantiam, sed propter edendum miraculum, & propter significandum mysterium. Nam, 1. Dicitur Christus esuriisse, sed cùm adhuc matutinum tempus esset, videtur non tam naturalis esuries illa fuisse, quàm voluntariè assumpta, vt inde occasionem arriperet accedendi ad ficum. 2. Quòd solo verbo ficui maledicens, eam arefecit, miraculum fuit, vnde liqueret Apostolis potuisse Christum, si voluisset, fructuum producendorum vim arbori statim indere, qui eam statim arefecisset, & vnde pateret etiam eum, qui tantùm potuit in arefacienda stirpitus arbore, non minùs posse in opprimendis subitò hostibus suis, siquidem ita ferret ipsius voluntas, nec mallet per passiones & opprobria ad mortem adeò ipsam nostræ Redemptionis mysterium peragere. 3. Grande mysterium

designauit hæc actio: Nam vt Esaias 5. Vinea quæ nonnisi labruscas protulit Ierosolymitani populi figura erat : ita voluit Christus hac arbore, tum hypocritarum omnium, tum Iudæorum nominatim & Gentium exitum significari. Illi certè præter folia, id est externam iustitiæ laruam nihil habebant. Bonæ autem operationis fructum nullum edebant. Itaque voluit significatum Christus maledictione & arefactione ficus incumbere miseræ illi nationi maledictionem diuinam, & eam stirpitus esse postmodum scindendam. 2. Inter Iudæos & ficum hoc intererat discrimen, quòd ficus arefacta est; cùm nondum fructuum ferendorum esset tempus : At nec de Iudæis, nec de hypocritis ita sentiendum: Sunt enim arboribus certa quædam edendorum fructuum tempora, sed in bonis operibus totam vitam, non aliquod ipsius tempus occupare debent homines, & quocunque demum tempore rationem operum exposcat Dominus, si infrugiferos merita maledictione mulctat; sed inquies, quî factum, vt maledicta fuerit arbor, quæ fructum non afferret eo tempore quo nondum ex naturæ ordine producere poterat. Resp. cum Chrysost. ne quæras quomodo iustè siccata sit ficus, si tempus non erat : Hoc enim quærere, vltimæ est dementiæ, quia scilicet in talibus non inuenitur culpa & pœna, sed miraculum inspice, & admirare miraculi factorem : item cùm glossa non facit iniuriam Creator possidenti, sed creatura ipsius arbitrio ad vtilitatem aliorum mutatur. Et est sanè cur in hoc opere quæramus potiùs Dominicæ benignitatis argumentum, quàm vllius Christi iniuriæ aut iniustitiæ accusationem. Rectè Hilar. Can. 21. in Matth. Vbi voluit afferre Dominus procuratæ per se salutis experimentale virtutis suæ in humanis corporibus exercuit, sed vbi voluit seueritatis formam in contumaces futuri speciem damni arboris iudicauit, id est miracula benignitatis exercuit, in corporibus hominum, miracula potiùs seueritatis in corporibus arborum, sed iam de diuerticulo in viam.

Sed locus eximius est, Marc. 13. 32. De die illa & hora nemo nouit, neque Angeli, qui sunt in cœlo, neque Filius, nisi Pater, sed solus Pater, vt est, Matth. 24. 36. Vbi manifestè à cognitione diei vltimi excluduntur homines & Angeli, imò & ipse Filius Dei aliquo respectu. Aliquo, inquam, respectu; neq; enim potest Christus dici simpliciter ignorasse diem Iudicij, sicut multis rationibus euincunt Athan. Nazian. Cyrill. & alij. 1. Quia Christus tempus fecit, Hebr. 1. 2. Ergo neque finem, neque principium ignorat. 2. Quia omnia extremum Iudicium præcedentia discipulis suis enarrauit, Matth. 24. Ergo judicium immediatè sequuturum non ignorauit. 3. Quia filius est in Patre & Pater in filio, Iohan. 14. 10. 11. Ergo non potest Pater aliquid scire, quod ignoret filius. 4. Quia Pater per filium omnia operatur, Ioh. 1. 3. Hebr. 1. 2. Vnum autem ex iis, quæ Pater operatur est horæ illius determinatio. Ergo hora illa determinata est per filium, adeoque filius etiam non ignorat. 5. Quia omnia quæ sunt Patris, sunt filij, Ioh. 16. 15. Atqui notitia illius horæ est Patris. Ergo & Filij. 6. Non magis est hanc horam scire, quàm Patrem perfectissimè

nosse

nosse. Filius autem nouit Patrem, sicut & Pater nouit filium, adeoque perfectissimè, Ioh. 10. 15. 7. Quia non potest filius ignorare diem, quem ipsi dicendæ sententiæ præfiniuit; 8. Quia spiritus Dei profunda Dei nouit, 1. Cor. 2. 10. Adeoque extremi judicij horam. Quomodo igitur eam ignorabit filius, qui spiritus omnis scientiæ largitor, Ioh. 16. 14. Hinc colligitur verba illa, filius non nouit, intelligenda esse secundùm quid & aliquo respectu, quod agnoscunt etiam Aduersarij, sed in respectu illo explicando à nobis dissentiunt. Et Valent. quidem tom. 4. disp. 2. quæst. 10. par. 2. 7. Huius loci expositiones ex patribus profert, sed Bellarm. lib. 4. de Christo, cap. 5. Omnia reducit ad explicationes quatuor. Nos vt veram stabiliamus, falsas breuiter confutabimus.

QVIBVSDAM placuit filium non excludi, sed includi potiùs cum Patre, neque filius nouit, nisi pater: Hoc autem idem esse ac si diceret, filius non nouit, nisi Pater nouerit, quia vt essentiam, ita etiam cognitionem & omnino filius habet à Patre. Contra 1. Marc. non aliud docet, quàm Matth. 24. 36. Atqui Matth. docet Patrem solum nosse, ita vt alij omnes excluduntur. Ergo & excludetur filius. 2. Particula εἰ μὴ quâ vtitur Marcus excludit ex vsu Scripturæ præcedentia membra & includit solùm illud cui opponitur, vt videtur Matth. 12. 4. Galat. 2. 16. Apoc. 9. 4. & 21. 27. Ergo frustra trahitur particula εἰ μὴ in alium sensum.

QVIDAM volunt Christum diem judicij nosse Theoreticè, non practicè secundùm scientiam, non secundùm experientiam, quippe cùm dies ille nondum aduenerit. Contra 1. hoc modo ne pater quidem nouisse dicendus esset, neque enim respectu Patris magis, quàm filij iudicium illud aduenit. 2. Apostoli scientiam tantùm theoreticam huius diei quærebant. De experientia verò non interrogabant. Ergo Christus quod est absurdum, non respondisset ad rem.

SVNT qui nomine filij non Christum, sed Ecclesiam velint intelligi, vt Ecclesia, non Christus dicatur ignorare. Contra 1. Filij nomen hoc sensu in tota Scriptura nunquam sumitur, semel tantùm Ecclesia dicitur Christus, 1. Cor. 12. 12. Verùm eo loco ratio & consequentia textus eò nos manuducit, vt Christi nomen de Ecclesia explicemus; hîc verò nihil huiusmodi occurrit. 2. Scriptura per gradationem ostendit quinam ab hac cognitione excludantur, nempe, 1. Homines, deinde Angeli hominibus excellentiores. 3. Filius Angelis præstantior. Ergo Filij nomen de Ecclesia non potest intelligi, quam nouimus non esse præstantiorem cœtibus Angelis.

ADVERSARII his expositionibus ferè missis ad aliam confugiunt, quam Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, August. tribuunt, nempe quòd filius dicatur ignorare diem illum, non quòd ignoret sibi, sed quòd ignoret nobis, id est, quòd noluerit nobis reuelare, & quòd nos inutiliter nescientes facit eius rei quam scire inutile est. Sed quorumcunque demum sit hæc expositio non satisfacit. 1. Quia vno eodemque verborum apprehensu dicuntur. Neque homines, neque Angeli, neque filius

ſcire. Ergo quo ſenſu id negatur de Angelis, negatur etiam de filio Iam autem certum eſt Angelos, neque ſibi, neque nobis cognoſcere 2. Quia nihil ferè eſt, quod hoc ſenſu non poſſit Chriſtus dici ignorare. Sanè non reuelat Chriſtus Turcis, Ethnicis, Profanis ſua Euangelij myſteria, quis tamen propterea dici ferat Chriſtum ignorare myſteria fidei, ſic multa celabat Apoſtolos dum cum eis in mundo ageret, Ioh.16. 12. An propterea dicetur Chriſtus ea eo tempore ignoraſſe. Sic nemini reuelat momentum, quo moriturus eſt, neque tamen propterea mortis hominum dicendus eſt neſcius. 3. Quia hoc ſenſu Pater, etiam dicendus eſſet diem judicij ignorare, cùm eum nulli reuelet: excipiunt, Patrem alicui reuelaſſe etiam ab æterno, nempe filio ſuo. Ergo meritò dici poſſe eum ſcire, ſed hoc nihil eſt, quia eadem ratione deberet ea ſcientia filio attribui, quia eam ab æterno alicui reuelauit, nempe Spiritui ſancto quia Patre & filio, vt reliqua omnia, ita etiam omniſcientiam habet.

CONFVTATIS reliquis expoſitionibus ſupereſt, vt noſtram concludamus. Dici nempe filium ignorare diem judicij, quia quamuis eum ſciret, vt Deus, ignorabat tamen vt homo, vt inde colligatur in humanam ejus naturam conueniſſe quandam ignorantiæ ſpeciem. Explicatio hæc rei quæ hoc loco agitur, à Chriſto accommodatiſſima eſt: Propoſitum enim ipſi fuit diſcipulorum curioſitatem compeſcere, ne vltra quàm oportet, penetrare auderent, neque de illius iudicii tempore ſcrupuloſas quæſtiones necterent: id Chriſtus duplici ratione præſtat: Altera eſt, quia quæ Angeli neſciunt ea, par non eſt ab hominibus ſollicitè indagari, qui ſunt Angelis inferiores: altera verò quoniam membra eam ſcientiam affectare non debent, quæ ne capiti quidem conceſſa eſt ſecundùm humanitatem ipſius: atque in hanc etiam ſententiam frequenter eunt Patres Nazian. apud Theod. dialog. 2. Omnibus patet Chriſtum quidem illum diem noſſe, quatenus Deum: Ignoraſſe verò, quatenus hominem. Ephraim apud Phobium. Chriſtus nouit omnia: eſt enim natura Deus, ſed ignorare dicitur nouiſſimum diem propter noſtram maſſam: Ambr. in Luc.17. Temporum finem, non per naturam hominis, ſed per Dei naturam nouit, Athan. oratione 4. Contra Arrianum, quam ob cauſam dixerit ne filium quidem ſcire, neminem fidelium ignorare exiſtimo, ſcilicet quòd propter carnem, tanquam homo loquutus ſit: Neque enim defectus eſt verbi, ſed naturæ humanæ proprium eſt ignorare. Denique Cyrill. Theſaur. l.9. c. vltimi filium ignorare ait de ſeipſo, vt homine loquens, nec ſibi derogans, vt Deo; ſcit enim, vt Deus, quod vt homo ignorat.

OBIICITVR 1. Si Chriſtus ignoraſſe dicitur reſpectu humanitatis, non reſpectu diuinitatis, ſtatui videntur duo Chriſti, quorum vnus ſciuerit, alter verò ignorauerit. Reſp. negari hoc Chriſtus vnus idemq; & citra vllam perſonæ diuiſionem dicitur fuiſſe ſecundùm carnem filius Dauidis; ſecundùm Spiritum Filius Dei, Rom.1.3.4. Et cum Apoſt. Rom.7.22.27. Teſtatur delectari ſe lege Dei ſecundùm interiorem hominem

minem, sed in externo homine esse aliam legem, non propterea se in duos homines dispescit. Hæc igitur nostra explicandi ratio, non duos Christos aut duas personas statuit, alteram scientem, alteram ignaram, sed in vno Christo duo principia diuinitarem & humanitatem, quæ vt conjuncta sunt in vnitatem personæ, ita & proprietates suas retinent, inconfusas, adeò vt multa de toto Christo, siue de tota persona dicantur, quæ tamen ad totum Christi non pertinent, sed alterutram duntaxat naturarum Christi.

OBIICITVR secundò ex Regula Philosophiæ, cùm duo sunt principia in aliqua persona, quorum aliquo quidpiam agitur, altero non agitur. Falsò negatur non agere personam, quod talrem per alterum principium agit, v.g. cùm in homine duæ sint naturæ, animalis altera, & altera rationalis. Si quis diceret, se aliquid ignorare secundùm naturam animalem, quod tamen optimè sciat secundùm rationalem, ille sanè magnas nugas ageret: Atqui nemo dubitat esse in Christo proprium aliquid per quod vltimum illum diem nouerit, non potest igitur dici illum diem ignorare secundùm alterum principium. Resp. axioma illud Physicum verum esse in propositionibus propriè simpliciterque enuntiatis, sed in aliis locum nequaquam habere, putà in oppositis, comparatis, hypothecis, aut figuratis. Non in oppositis, cùm enim vel expressè, vel tacitè opponuntur naturæ, aut naturales operationes axioma non tenet, vt si dicas, homo moritur, homo non moritur. Fit enim tunc oppositio naturarum, animæ scilicet & corporis, adeoque vtraque propositio vera est, non in comparatis, vt cùm dicit Apostolus, quanquam perfecti sumus & alibi contra, nondum perfectus sum: vtrumque enim verum est, quandoquidem Apostolus perfectus erat comparatione ad alios, qui inferiori gradu subsidebant, & non respectu perfectionis in cœlis repositæ, non in figuratis, putà Synecdochis, aut metonymicis, vt circumcisio est fœdus, circumcisio non est fœdus: Posterius verum est in sensu simplici & proprio; Prius in sensu figurato, nempe per metonymiam Sacramentalem, quâ solemus attribuere signo nomen rei significatæ; Non denique in hypothecis, vt testimonium Christi est dignum fide, Ioh.8.14. Et non est dignum fide, Ioh.5.31. Prius enim verum est simpliciter: Posterius hypotheticè tantùm, & κατ' ἀνθρώπον, nimirum in eorum opinione, quibuscum Christum tunc agebat. In causa igitur quam præ manibus habemus, dico esse veram vtramque propositionem Christus non ignorat diem judicij, & Christus ignorat diem judicij, quia fit oppositio inter duas naturas distinctissimas, & quorum vna neutiquam includitur in conceptu alterius: Deinde, quia propositio illa filius hominis ignorat diem judicij synecdochica est. Neque verò aliquid ad rem facit exemplum in objectione allatum: propositio enim nulla rectè institui potest, inter ea, quæ non distinctione reali, sed formali tantùm differunt, quæque ita se habent vt vnum subordinetur alteri, vel includatur in altero; at in hoc homine esse animal. & omne rationale distinguuntur tantummodo formaliter, & rationale includitur in animali.

non potest igitur ea oppositio fieri, quòd dicatur homo secundùm esse naturale ignorare, quod sciat secundùm rationale.

EXTAT in eandem rem locus alter eximius, Luc. 2. 52. Iesus proficiebat sapientia, ætate, (siue statura) & gratia apud homines. Certè qui proficit in sapientia, non potest dici nullius rei habere ignorantiam. Resp. Bellar. & Valent. profectum illum intelligi secundùm quid, non simpliciter. Christum enim dici profeciisse, non quòd reapse profecerit, sed quòd opinione hominum, cùm in dies magis aperiret, & notam faceret scientiam suam. Addit Bell. lib. 4. de Christo cap. 4. ex Damasc. Christum dici profeciisse sapientia, quia faciebat alios proficere, sed posteriorem hanc explicationem vt ineptam confutat Toletus in hunc locum. Hæc, inquit, explicatio non est ad locum accommodata satis, nec in ipsa Damasc. acquiescit, sed aliam adjungit, & in contextu hoc, vt ex antecedentibus liquet, sermo est de Christo in se, non verò de corpore ejus mystico: Deinde illud verbum adjectum (*ætate*) id ipsum probat, quod certè dictum est de Christo ratione corporis proprij: adde illud Christo tunc temporis nondum prædicante non videri ipsius corpus mysticum factum profectum. De priori autem Bellar. solutione, quanquam aliquid iam supra dictum est, Haud tamen abs re erit, si eam pressiùs examinemus. Ac, 1. Quidem nostram loci interpretationem multis veterum authoritatibus confirmare possumus: Nam Maldon. in hunc locum expositionis nostræ vindices profert, Athan. Epiph. Ambros. Cyrill. Fulgent. Bedam, & Euthym. Ita etiam Toletus Athan. serm. 4. contra Arium, & Cyrill. lib. 10. thes. cap. 7. Hunc, inquit, profectum in Christo ratione suæ humanitatis interpretantur, sic nimirum quòd à principio Incarnationis non fuerit à diuinitate illi communicata tota sapientia, sed paulatim, ac temporis progressu illustrata fuerit, vt sapientiam acciperet, magisque ac magis sapiens euaderet. Amb. lib. de Incar. profectum in natura humana ponit, ita vt non omnia nouerit Christus, sed progressu temporis. Consentit Euthym. imò videtur August. lib. 3. contra Maxim. cap. 23. idem sensisse hæc Toletus. 2. Profectus sapientiæ jungitur cum profectu *ætatis*, siue *staturæ*, vt qualis est ætatis profectus, talis intelligatur fuisse sapientiæ profectus. Iam autem Christum ætate verè profeciisse, & non tantùm opinione vulgi certissimum est. Excipit Maldon. in Luc. 1. 40. Solere aliquando in Scriptura verba in eodem posita contextu, non eodem modo accipi, vt Iohan. 20. Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, & Matth. 8. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sic igitur dici hoc loco sapientia, gratia, & ætate profeciisse Christum: nam ætate quidem verè, sapientia verò & gratia sola hominum opinione profecit. Resp. Iesuitam Maldon. à Iesuita Toleto nominatim confutari, & omnes ipsius rationes conuelli. Verba hæc sunt Euangelistæ æqualem feciisse videtur profectum sapientiæ, ætatis & gratiæ. Qui autem ætatis est, non in ostensione tantùm, sed in reipsa positus. Quòd reliqui duo similem dicunt habere rationem, scio in scriptura eadem verba in eodem versu habere diuersam significationem, vt

Matth.

Matth.8. *Sine mortuos (nempe anima) sepelire mortuos (nempe corpore)* & Iohan.20. *Ascendo ad patrem meum (nempe naturalem, & vestrum (nempe adoptionis)*, sed tamen in his est distinctio quædam: Hi enim sepeliunt, illi sepeliuntur. Hic meus, ille vester dicitur, vnde significatio variari potest; At hoc in loco vnicum est verbum tria illa *complectens. Debet, ergo significationem* vnicam proportione quadam habere.

TERTIO Christus dicitur profeciſſe non tantùm apud homines, ſed etiam apud Deum. At quis dixerit viſum Deo proficere Chriſtum, qui tamen non proficiebat, aut Chriſtum profeciſſe opinione Dei, non reuera. Excipit Bell. verba illa apud Deum & homines debere conjungi cum profectu in gratia: Nec enim, inquit, ſolemus aliquem dicere profeciſſe ſapientia, & ætate apud Deum & homines, cùm ſapientia, & ætas, ſint res abſolutæ, quæ ab alio non dependent: at rectiſſimè dicimus aliquem proficere in gratia apud alios, quibus in dies fit gratior. Itaque dicitur Chriſtus profeciſſe gratia apud Deum & homines, quia quotidie creſcebat externis ſignis beneuolentiæ Dei & hominum. Reſp. primò Bell. niſi fallor. 1. Eſt qui, quæ coniuncta ſunt, diuidens verba illa reſtringit ad gratiam, cùm cæteri referant, ad verbum proficiendi, & verbum proficiendi ex æquo pertinere docent ad ſapientiam, ætatem, & gratiam. Ita ſanè Ambr. Cyrill. Greg. & alij; & inter Adverſarios Cajetanus, Maldon. Tolet. Et verò vnde habet Bell. ſuam illam regulam non rectè dici aliquem proficere ætate, vel ſapientia apud Deum & homines, quaſi verò Deus & homines videnr, Id non rectè dicatur fieri apud Deum & homines, aut minùs rectè dicamus ſapientia proficere apud Deum, Phil.4. 16. Quàm petitiones noſtræ innoteſcere apud Deum. Adde quòd incrementum apud Deum & apud homines, phraſis eſt Scrip. non ignota: ita enim, 1.Sam.2.26. Dicitur puer Samuel apud Deum & apud homines ambulaſſe, creuiſſe, & bonus fuiſſe. Quis etiam apud Deum ſapientiam refugiat dicere, qui legerit ſtultitiam apud Deum, 1.Cor.3.19. 2. Quod Bell. opponit ſapientiam & ætatem eſſe res abſolutas, nec ab alio pendere, verum quidem eſt, ſed tamen hoc non impedit quò minus conſiderari poſſint reſpectiuè, prout nimirum agunt extra ſe in ſubiecto alieno. Ergo ſapientia Chriſti in ſubjecto illo ſuo fuit aliquid abſolutum, ſed fuit tamen extra Chriſtum efficax & agens & ſe apud Deum & homines talem reuera probauit.

QVARTO habet Tolet. etiam alias rationes. 1. Quia ſi profectus ſapientiæ intelligatur reſpectu oſtentationis & eius quod apparebat exteriùs, poſſet dici Chriſtus non tantùm humana, ſed etiam diuina ſapientia profeciſſe, cùm verbi ſapientia paulatim ſe proderet per humanitatem illam. 2. Quia non eſt accurrendum, niſi cùm neceſſitas vrget, ad impropriam verborum ſignificationem: atqui impropria eſt ſignificatio verbi proficere, cùm ſumitur pro videri proficere vel paulatim oſtendere, ſed multa objiciuntur in contrarium quæ videre eſt apud Bell. & alios; Nos in pauca contrahimus.

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ

Obiectio prima ex locis ſcilicet, vbi non tantùm dicitur Chriſtus vnctus, Eſa.61.1.Act.4.27. Sed etiam vnctus oleo lætitiæ, Pſ.45.8. Requieuiſſe, &c. Eſa.11.2. Igitur fuiſſe plenus gratiæ & veritatis, Ioh.1.14. & accepiſſe, Ioh.3.34. Imò etiam nouiſſe cogitationes, &c. Matth.12.25. Ioh. 2.24.25. Cui autem hæc omnia tribuuntur, quomodo dici poteſt aliquid ignorare. Reſp. 1. Eorum locorum quædam de diuina ſcientia loqui, vt Matth.12. Ioh.2. Eam autem ad omnia omnino pertingere, nemo noſtrûm negat: Quanquam ſi ea loca ad humanam Chriſti ſcientiam referre placeat, non tamen propterea rem obtinuerint Adverſarij, quia ex reuelatione particulari aliquando cogitationes hominum nouit, non tantùm ex aduerſario omni omnino ſcientia præditus dici debet. 2. Argumento Adverſariorum ſi concluditur aliquid, colligitur animam Chriſti, non tantùm ea omnia noſſe, quæ ad creaturas pertinent, ſed etiam quæ ad Deum Deique eſſentiam ſpectant, quod tamen Adverſarij nolunt, vt ſupra vidimus. 3. Theſauri ſcientiæ plenitudo, Spiritus ſine menſura, non omnimodam in Chriſto ſcientiam omni tempore ſemper & abſolutè fuiſſe confirmant, ſed fuiſſe eam omnem ſcientiam, quæ ad rationem officij Mediatorij pertinere potuit: quanquam oportuit ſanè eminentiorem fuiſſe, quàm ſit, reliquorum, vel hominum, vel Angelorum. 4. Sed neque negamus Chriſtum beatam & infuſam ſcientiam ab initio pleniſſimè poſſediſſe, ſed de acquiſita tantùm Chriſti agimus, quam in Chriſto augmenta ſua recepiſſe non negat Scriptura locis citatis. Denique diuerſa eſt ratio gratiæ & ſcientiæ in Chriſto: Nam etſi Chriſtus gratia ita plenus fuit, vt infinitam habuiſſe meritò dicatur. Non tamen ſequitur tribuendam eſſe ipſi ſcientiam infinitam, quia ſcilicet perſonæ dignitas cauſat infinitam gratiam. Sed ea dignitas aut nihil aut parum conducit ad rationem ſcientiæ, quippe quæ illuſtretur ex lumine illuſtrante veritatem ſcientiæ, adeoque cùm ſcientiæ lumen in anima Chriſti ſit, creatum, & menſuram habeat, haud abs re eſt, quòd ſcientiam infinitam in anima Chriſti negamus. Atque hoc etiam obſeruauit Medina in tertiam partem Thom. quæſt.7. art.12.

Obiectio ſecunda patres omnes ignorantiam à Chriſto abjudicant: docent enim non eſſe admittendum in Chriſto profectum ſcientiæ, niſi quod ad externam demonſtrationem: vt videre eſt apud Athanaſium, ſerm.4. contra Arrium, Nazian. in 5. Baſil. & alios. Ita docet Aug. lib.2. de pec. meritis & remiſſ. cap.29. Non credere ſe vllam ignorantiam in infante illo in quo verbum caro factum eſt. Reſp. 1. Loqui Patres de ignorantia infecta peccato quam ante prauæ diſpoſitionis & priuatiuam diximus non de ignoratione meræ negationis. 2. Eos loqui de ignoratione, quæ affricetur perſonæ verbi, non de ea quæ ſimpliciter reſederit in humanitate Chriſti. Quanquam enim Chriſtus ἀνθρωπικῶς aliquid ignorauerit, tamen ὑποστατικῶς omniſcientia fuit, abundantiſſimè repletus contra quod ſenſerunt ἀγνοῆται, qui ex eo quod non omnia ſciuit humanitas Chriſti probare voluerunt Chriſti perſonam adeoque diuinitatem aliquid ignoraſſe. 3. De profectu ſcientiæ Chriſti dupliciter lo-

ter loqui possumus. 1. Vt tribuatur ille profectus naturæ humanæ. Deinde vt tribuatur diuinæ. Humanæ naturæ cùm tribuitur, intelligendus est profectus ille in rei veritate consistere, & non tantùm in demonstratione externa, vt supra ex Athan. & aliis Patribus ostensum est. At verò si de natura diuina sermo sit, certum est non profeciſſe reapse Christum in sapientia neque paulatim & per gradus eam obtinuisse, sed infinito & perfectissimo modo penes se semper habuisse: Neq; tamen eo minùs verum est sapientiam illam simul & semel, sed paulatim & in dies magis ac magis sese hominibus patefeciſſe: atque hoc sensu dixerunt patres Christum in sapientia profectum, non secundùm rem, sed secundùm externam demonstrationem intelligendum.

SCRIPTVRÆ authoritati subjiciunt etiam varias rationes, prima, Christus animam suam assumens, fecit eam animam Dei. Fecit igitur sapientissimam: Quis enim dixerit, animam sapientiæ fuisse aliquando insipientem. Resp. Quæ anima fuit ab initio scientiæ particeps, tum beatæ, tum infusæ, eam sanè insipientem, nemo, nisi ipsi insipiens dixerit, sed non sequitur, si anima Christi nunquam fuit insipiens. Ergo nulla ne vnquam puræ negationis quidem ignorantia laborasse. Certè nec Iohannes Baptista, nec Virgo Maria, neque Angeli omnem scientiam habuerunt, aut habent. Quis tamen inde concluserit omnes esse insipientes, præsertim cùm insipientiæ nomen, sicut ante diximus in vsu communi malè sonet, & vitij rationem secum inuoluat.

SECVNDA, sapientia Christo fuit naturalis, quippe quæ ab intrinseco principio, & per modum naturæ fluens. Ergo statim à conceptione ab ejus anima abundantissimè manauit. Resp. nullum esse consequens, cùm sint multa naturalia, quæ tamen non statim & ab ortu suo confecta sunt, vt cuiuis patere potest. Deinde sapientia Christo naturalis fuit, non ratione humanæ naturæ, sed ratione personæ, adeóque intrinseca quoad hypostasim attinet, sed non tamen ideò dicenda est fluxisse ab ipsis humanitatis principiis. Præterea si quæ fuit humanitatis Christi sapientia, quæ dici possit, ab ea per modum naturæ fluxisse, ea est beata & infusa scientia, non autem experimentalis, de qua agimus. Denique cùm aliquid dupliciter dici possit Christo naturale, nempe, vel quia est ex natura communi, quatenus Christus homo est, vel quia est ex natura singulari quâ θεάνθρωπος est. Dicimus Christo fuisse naturale ex natura singulari, quòd perfectissimam scientiam habuit cui nihil adderetur, sed ex natura communi fuisse, quòd sapientia acquisita creuerit.

TERTIA, filius est hæres omnium bonorum paternorum: Christus ab incarnationis momento fuit Filius Dei, tunc igitur repletus fuit omnibus donis. Resp. Christum vt Filium Dei habuisse semper jus ad omnia bona paterna, adeóq; ad perfectissimam sapientiam, sed possessionem omnium omnino bonorum actualem non semper habuisse; id quod ex voluntaria illa œconomia, quâ nobis similis fieri voluit excepto peccato. Itaque sicut videmus humilitate carnis, diuinitatem Christi fuisse velut

occultatam, neque dignitatem suam ita demonstrasse, quomodo eam post exaltationem patefecit, sic spiritus sapientiæ in Christo esse quasi cohibitus, ne se totum & in tota perfectione in animam simul & semel effunderet.

QVARTA, Christus in incarnatione factus fuit caput hominum & Angelorum. Debuit ergo tunc repleri omni sapientia, ne fortè diceretur caput esse minùs sapiens quàm membra. Resp. eadem ratione euinci posse corpus Christi planè glorificatum esse ab ipsa Incarnatione, quia nempe Angeli plenè beati sunt, non conuenit autem vt membra sint beatiora capite. Porrò cùm Christus sit caput Angelorum, quà θεάνθρωπος est, satis est si sub ratione θεανθρώπου sit sapientior Angelis, & si aliquo alio respectu dicatur aliquatenus eis inferior: Nam & eum aliquatenus inferiorem factum fuisse Angelis patet, Heb.2.9.

QVINTA, primus Adam creatus est sapientissimus. Ergo & secundus Adam in ipsa sui creatione debet sapientissimus fieri. Resp. Si quid valet argumentatio, confirmaueris eadem ratione Christum & natum esse statura perfecta, & corpus habuisse injuriis nequaquam obnoxium quia nempe talis creatus est Adam: Atqui latum est discrimẽ inter vtrumque Adamum: Prior enim creatus est absque vlla infirmitate: Posterior creatus est quidem peccati expers, sed non expers tamen infirmitatum, & pœnalium, vt vocant, quæ peccatum consequuntur. Sed Resp. Hic pro nobis Caietanus: Adam creatus est, vt principium naturæ humanæ in naturalibus, & quia perfecta secundùm ordinem naturæ sunt priora imperfectis, ideo nihil mirum, si Adam creatus sit secundùm corpus perfectus in quantitate, & secundùm animam perfectus in scientia: At verò Christus non est productus, vt principium in esse naturæ, sed vt doctor mysteriorum Dei, & in hujus rei signum productus est secundùm corpus quantitatis imperfectæ, & secundùm animam in pura potentia, quoad scientiam naturaliter acquisibilem.

SEXTA, Christus non assumpsit defectus, qui non conducebant ad finem incarnationis nec vtiles erant Redemptioni: Atque ignorantia ad ejus finem non conducebat. Resp. ad finem incarnationis aliquid conducere potest dupliciter, nempe vel mediatè & communi ratione, vel immediatè, & ratione singulari. Quanquam igitur ignorantia negatiua Christi non diceretur, vtilis fuisse ad incarnationis finem singulariter & immediatè, quomodo scilicet vtilis fuit ipsius mors & Resurrectio, Rom.4.25. Satis tamen nobis esse debet, quòd vtilis fuit mediatè sine communi ratione: Nam incarnationis finis fuit, nostra redemptio & ad opus Redemptionis peragendum opus fuit, tum vt Christus declararet sese verè participem esse humanæ naturæ, tum etiam vt humiliaretur. Iam autem vt humiliationis pars est ignorantia, ita etiam est annexa humanæ naturæ conditio τῆς γὰρ σαρκὸς ἴδιόν ἐστι τὸ ἀγνοεῖν, Athan. oratione quarta contra Arrium. Præterea si concedatur non fuisse vtilem ignorantiam ad finem incarnationis: At saltem vtilis fuit ad Redemptionis effectum, id est, tum ad institutionem nostram vt norimus nos non habere

bere Pontificem, &c. Hebr.4.15. tum ad Redemptionis applicationem, quæ fit per fidem; Conducit enim ad hoc singulariter, vt norimus Redemptorem nostrum passionibus & infirmitatibus consecratum, factum fuisse nobis æternæ salutis authorem, Heb.5.8.

THEOREMA tertium, *Christi anima triplici scientia prædita fuit, beata, infusa, & acquisita.* Quemadmodum scientiam in Christo duplicem pro ratione duplicis naturæ Theologia agnoscit, diuinam, inquam, & humanam, ita & in anima ejus humana diuersas scientiæ species, siue diuersos sciendi modos inesse profitetur, nempe competit in Christum scientia illa omnis, cujus homines, vel capaces sunt, vel etiam participes, quæq; in se veræ perfectionis rationem habet. Quis enim à Redemptore nostro perfectionem aliquam spiritualem abjudicet, quæ in alios homines longè latéque competat. Iam autem cùm multiplex omnino sit scientia, & in varias species distribuatur, potest tamen facilè ad tria genera reuocari, prout triplex est comparandæ scientiæ modus atque ratio; Nam vel per organa sensuum, & varias rerum obseruationes atque experimenta quæritur, cujusmodi scientiam acquisitam, aut experimentalem vulgò nuncapant, aut per singularem diuinæ gratiæ influxum in animos hominum infunditur & cœlitus illabitur, quam propterea scientiam infusam, vel reuelatam vocant, aut denique ex intima diuinæ essentiæ præsentia lumine aliquo supernaturali hauritur, quæ scientia beata dicitur, vel visionis, quoniam ea fruuntur beati, quatenus faciem Dei contemplantur in cœlis. Triplicis ergo istius scientiæ perfectissimam Christi naturam participem fuisse docent Theologi, nec fundamentis ex scriptura desumptis destituuntur. 1. Enim Iohan.1.14. dicitur Christus plenus fuisse gratiæ & veritatis. Quanquam autem haud inficior, quòd plerique notarunt interpretes his verbis designari Christum nos ab omni legis maledictione plenè liberasse, & ceremoniarum omnium corpus ac rem in sese perfectissimè exhibuisse, ita vt gratia opponatur maledictioni, veritas autem vmbris & figuris veteribus, & gratia designet reconciliationis beneficium: veritas autem promissionum & figuratum complementum, sicut clariùs postea v.17. significatur, cùm dicitur lex allata fuisse per Mosem, veritas autem & gratia facta fuisse per Christum: Hoc tamen non impedit, quò minus gratiæ, aut veritatis designet aliquid, quod in ipsa Christi humanitate verè per modum habitus inhæserit, ita vt gratiæ vocabulo veniat chorus omnium virtutum, quibus ejus anima micantissimè refulsit. Veritatis autem nomine scientia illa multiplex denotetur, quâ ipsius intellectus abundantissimè locupletatus est, prout nouimus scientiarum pabulum, esse veritatem. 2. Potest idem colligi ex Col.2.3. Vbi dicuntur in Christo absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Obserua enim emphasim verborum Apostoli, 1. non tantùm sapientiam & scientiam, sed thesauros sapientiæ ac scientiæ. Est autem thesaurus, tum locus & conditorium, vbi congestæ opes asseruandæ reponuntur, tum ipsarum opum congestarum cumulus & abundantia, significat nempe Scriptura fuisse Christi animam, tanquam repositorium

quoddam & ἀπόῤῥητον nobilissimam, in quam Deus scientiam & sapientiam, tanquam diuinitas opes cumulatè concesserit. 2. Non tantùm thesauros, dicit, sed omnes thesauros, vt noueris Christum non aliqua scientiæ specie donatum, sed omnibus creatæ scientiæ generibus locupletatum fuisse, adeoque beatam, infusam & acquisitam scientiam in ipso eminentissimè splenduisse.

Obiicies primò non esse necessarium tot genera scientiarum ponere. Nam si scientia beata eminenter in sese ipsas continet, quòd earum communicatione Christo fuit opus, & si per infusam potuit ea omnia cognoscere, quæ norunt alij per acquisitam inutiliter poni. Præterea docet Apostolus 1.Cor.13.10. cùm venerit, quod perfectum est euacuatum iri quod est ex parte. Est autem scientia beata perfecta: scientia vero infusa & acquisita imperfectior & ex parte. Quidni igitur dicamus eam vtramque in Christi anima esse ponendam, in qua sit perfecta scientia beata. Resp. Scientiarum diuersitatem haud inutiliter poni cùm diuersa sint obiecta vnicuique illarum destinata. Atqui hic res ita habet: Scientia enim beata in Deo cognoscendo versatur. Scientiæ infusæ primarium obiectum sunt res, quarum scientia naturaliter haberi non potest, qualia sunt mysteria fidei. Scientia denique acquisita vindicat, tanquam sibi speciale obiectum res naturaliter scibiles, aut quæ per sensuum experimenta cognosci possunt. 2. Dici quidem potest scientiam beatam alias omnes eminenter continere; verùm hoc non ità intelligendum est, quasi eadem obiecta directè cadant in scientiam beatam, quæ ab aliis scientiis peculiariter considerantur. Quis enim dixerit beatos in rebus physicis Geomet.opt.& aliis occupari: sed quoniam per scientiam beatam Deus videtur & cognoscitur perfectissimè pro captu creaturæ. Deus autem res omnes creatas eminētissimo ac nobilissimo modo in perfectione naturæ suæ complectitur, ideo potest scientia, quæ circa Deum contemplandum versatur, dici reliquas scientias eminenti modo continere. 3. Si fateamur per scientiam beatam eadem obiecta percipi, quæ per infusam & acquisitam, sufficeret tamen ad constitutionem triplicis scientiæ in anima Christi diuersa ratio, diuersusque modus cognoscendi. Nam siquidem in vna eademque anima potest esse respectu ejusdem rei, & fides, & scientia propter diuersa media, quorum vnum fidem gignit, alterum scientiam, quidni etiam possent esse diuersæ scientiæ, vbi modus cognoscendi est diuersus, nempe scientia Beatorum habetur, per facialem, vt vocant Dei contemplationem: infusa per internum reuelationis lumen. Acquisita per naturæ lumen ac discursum intellectus. 4. Cùm hæc scientiarum multitudo maximè conferat ad ornatum animæ. Animam autem Christi par fuit esse perfectissimam & omnibus veris ornamentis decoratam, etiam si non essent absolutè necessariæ ejusmodi scientiæ in Christo, satis tamen esse deberet, quòd illius animæ decorandæ, atque omnibus modis perficiendæ sint, vtiles scilicet. Quinto, verba Apostoli, 1.Corint.13.10. non eò trahenda sunt, vt negetur cum scientia beata existere posse scientiam infusa ita simpliciter dictam: docent enim Theologi suas esse Angelis species infusas intelligi-

biles, per quas creaturas in se cognoscant, qui etiam perpetuò Patris æterni faciem dicuntur videre, Matth. 18.10. Id igitur tantùm significat Apostolus cessaturam in cœlo imperfectionem quæcumque, adeoque ibi nullum locum habituros errores, & ignorantiam priuatiuam, quam semper homines in hoc seculo circumferimus. Iam autem certum est hujusmodi errores scientiæ Christi nunquam admixtos fuisse adeoque nihil obstare, quò minùs & scientia beata, & aliis scientiæ speciebus anima ipsius exornari potuerit.

QVARTVM theorema, *Beata Christi scientia cognitionem sibi vindicat, non tam creaturarum, quam Dei, quem perfectissimè nouit & videt in vnione verbi.* Videri possimus hic prima fronte non satis nobis ipsis consentire, qui cùm supra docuerimus fuisse Christi animam ab ipso conceptionis instanti, imò neque quandiu in hoc mundo conuersatus est, planè beatam, aut gloriosam, hic tamen ipsi scientiam beatam attribuamus. Verùm facilè tolletur scrupulus, si norimus scientiam Christi vocari beatam, non quod in ipsum in plena beatitudine statim constituerit, sed quod ejusmodi sit, qualem possident, qui sunt in cœlestem gloriam translati. Sicut enim ipsi non jam per speculum, aut in ænigmate, sed coràm, & vt loquuntur, *facialiter* Deum contemplantur. Ita etiam Deum Christus semper vidit, & visurus est in vnione hypostatica, qua statim à conceptione humanitas Verbo conjuncta est. Nam de cætero nobis certum est plenam beatitudinẽ animæ, non in solius intelligentiæ perfectione, sed in omnium animæ facultatum glorificatione sitam esse. Neque enim visio Dei simpliciter beatos facit, sed ejusmodi visio, quæ omnem imperfectionem eliminat, omnem miseriam excludit, ac plenissimum, ac nunquam deperiturum gaudium producit, Scriptura quippe beatitudinem cœlestem ita describit, vt non simpliciter dicat Deum tunc videndum, qualis est 1. Iohan. 3.2. Sed & omnem lachrymam abstergendam ab oculis, Apocal. 7.17. & cruciatum, clamorem, & laborem quemlibet abigendum, Apoc. 21.4. In dextra Dei continuis delectationibus fruemur, Psal. 16.11. Cùm igitur anima Christi & tristitiam laborauerit, & cruciatus maximos perpessa fuerit, adeò vt expauisse dicatur in Euangelio, & de cætero facultates suas exercuerit, in augendo, & nutriendo corpore, in chilosi, hæmatosi variis coctionum speciebus peragendis, quæ omnia imperfectionem aliquam denotant, quæ in futuro seculo locum habitura non sunt. Satis clarè patet non pertigisse ad culmen beatitatis Christi animam in his terris, & vt Deum plenè contemplata fuerit. Denique cùm beatam Christi scientiam non aliunde deducant Theologi, quàm ex ratione vnionis hypostaticæ, quemadmodum vnio non statim gloriam induxit in corpus Christi. Ita neque in animam intulisse putanda est, quanquam videndæ diuinitatis copiam abundantissimè fecerit.

DE beata Christi scientia, quam alij scientiam vnionis aut visionis vocant, duo præcipuè theoremate explicantur, nempe, quòd ipsius objectum & quis modus. Vnde facilè potest extrui beatæ Christi scientiæ definitio, quòd sit nimirum *cognitio illa plena & euidens Christi animæ*

Deum perfectissimè videt in vnione Verbi. Objectum autem quod attinet, illud in eo constituimus, quòd Christus Deum cognoscat & videat, non autem in eo quòd cognoscat creaturas in Deo, quemadmodum vulgus Scholasticorum sentit: nam cùm scientia haud infrequenter de cœlesti beatitudine mentionem faciat, eam tamen in vera perfectaque Dei diuinæque faciei contemplatione sitam esse significat. De creaturis autem in Deo contemplandis ne verbo quidem meminit. Ita Psalm.16. 11. satietas gaudiorum est in conspectu tuo, id est explicante Iansenio, cùm ad æternam vitam te donante peruenero, tum demum contemplatione tui vultus me omni lætitia satiabis sine fastidio, vt præter te nihil aliud desiderare valeam vnquam. Vbi integra æternæ vitæ definitio proponitur à Propheta, quòd, nempe sit æterna Dei contemplatio cum plenitudine gaudij. Sic Psal.17.15. In justitia videbo vultum tuum,&c. Similitudine tua,vbi rursus summa beatitudo constituitur in eo, quòd Deum contemplaturi & gloria ipsius majestatis satiandi, eique planè conformandi simus. Sic Iehan.17.3. & 1.Ioh.3.2. In quem locum fatetur Thomas in Dei visione consistere totum illud quod beatos efficit. Sic Apoc.22.4.5. videbunt faciem ejus,&c. Vbi post visionem Dei, & illuminationem à Deo mentio fit æterni regni, vt doceatur regnum cœlorum,seu beatitatem æternam in illa visione totam consistere. Iam autem si beatæ scientiæ magna pars in cognoscendis in Deo creaturis consisteret, quis dubitat Scripturam, vbi de beatorum cognitione ex professo loquitur,illud haud disertè edocturam,aut saltem obiter insinuaturam fuisse. Præterea ad beatitudinem illam cœlestem,quod est summum creaturæ bonum, concurrit scientia beata, tanquam pars essentialis & necessaria: Atqui creaturarum cognitionem esse partem summi nostri boni, nemo, nisi fallor, dicturus est,cùm Scriptura in hoc bonum collocet cum Deo (tum per cognitionem tum per amorem vniamur, Psal.73.28. Deinde quæ de objecto beatæ Christi scientiæ docentur ab Aduersariis, nimirum videri Christi animam, quæcunque ad creaturas spectant,præterita,præsentia,futura, imò & ex possibilibus ea, quæ sunt in naturali potentia, creaturæ fragili nimis fundamento inædificantur, nempe quòd in Dei essentia tanquam in fulgentissimo Dei speculo creaturæ clarè reluceant. Certè est πρόσωπον ψεῦδος eorum, qui propterea Sanctos in cœlis agentes affirmant in necessitatibus quibusq; à nobis tutò posse, tanquam Intercessores interpellari & inuocari, quòd in Trinitatis speculo videant omnia, quæ hic à nobis, vel dicuntur, vel aguntur. Atque primò nonnisi meram esse in hac doctrina incertitudinem, vel illud satis demonstrare potest, quod variantibus inter se opinionibus in ista causa confligunt Aduersarij Iohan.de Buda in 4.lib.sent. cont.16. art.4. concl.5. Non est,inquit,necessarium ex ratione beatitudinis beatum videre in verbo orationes nostras, neque regulariter, neque verbaliter. Et Bellarm.lib.5.de Sanctis cap.20. Alij dicunt hanc sententiam quam probabilitatis nomine audet commendare, sed multi sunt, nequidem vt probabilis arridere potest. Nam & Occam. in 4.distinct.13.

dubitat

hanc vocat imaginationem quorundam: & Gabriel in 3. dist. 4. A. 1. Non dubitat vocare falsam imaginationem, intellectus creatus, inquit, non videt in Deo, sicut in libro, & sicut in speculo secundùm quorundam imaginationem. Idem etiam sentiunt Major & Caietanus. Deinde qui ponunt in ipso verbo, siue diuina scientia cognosci formaliter creaturas à beatis, abeunt & ipsi in diuersissima, ac Thom. quidem quæst. 8. artic. 4. de veritate; & Durandus in 4. dist. 49. quæst. 3. docent quibusdam placuisse quemlibet beatorum in Deo intueri, non tantùm omnes creaturas, quæ vel fuerunt, vel futuræ sunt, sed etiam omnes creaturas possibiles, vnà cum earum rationibus, tum essentialibus, tum existentiis actualibus, quod sanè non aliud est, quam scientiam verè & merè infinitam creaturis tribuere. Alij effusam illam scientiæ vastitatem satis coercitam putarunt, si beatos illa omnia cognoscere dicerent, exceptis tantùm existentiis actualibus creaturarum, quas beatis incognitas esse fatentur inter se ita sentientes chorum ducit Durandus, vbi supra, sed nunquam obtinebunt, vt non à Thoma Thomæque sequacibus eo nomine damnentur, quòd beato cuilibet largiorem scientiam tribuant, quàm deleatur vel ipsi Christi animæ, cujus scientiam his limitibus cohibent, vt fateantur quidem omnia nosse quæ fuerunt, sunt, & futura sunt, imò & possibilia quædam, putà quæ sunt in potentia naturali creaturæ, sed negant tamen habere cognita omnia possibilia, quæ sunt, vel in potentia Creatoris, vel in potentia obedientiali creaturæ, vt videre est apud Thom. parte 3. quæst. 10. art. 2. & Valent. in 3. dist. 2. quæst. 10. p. 2. Itaque isti vt legere est apud Becan. parte 1. Theologiæ Schol. cap. 9. quæst. 13. Restrictiorem multò faciunt beatorum scientiam: aiunt enim creaturas beatas in verbo cognoscere, non omnes, sed quasdam creaturas. 2. Progressu temporis ipsos multa videre in verbo, quæ non viderunt à principio suæ beatitudinis. 3. Cognoscere tantùm ea, quæ pertinent ad ipsorum statum. Vnde colligunt alios beatorum plura videre aliis, quia plura possunt pertinere ad statum vnius beati, quàm pertineant ad statum alterius.

Iam vero si quæras, Vnde constet ipsis ejusmodi scientiæ veritas, hæret aqua protinus. Nam neque ex Scriptura verbulum saltem proferre queunt, vnde illam cum aliqua probabilitatis specie confirment, & cùm ad Patres ventum est, vni Gregorio Romano modò, aut etiam Augustino testimonium deferunt, qui tamen ipsi rem enuntiant, vt omnes illi, quos dixi, sententiæ suæ adstipulatores eos esse Patres ostendant. Certè in ore est Gregor. illud lib. 4. dialog. cap. 33. Quid est quod ibi nesciunt beati, vbi scient, omnia sciunt. Et lib. 12. moral. cap. 14. animæ sanctæ, quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullomodo credendum est, qui à foris sit, aliquid quod ignorent. Enimvero si Gregor. audiant Adversarij, eunt vnanimes in eam scientiam, quæ omnes creaturas etiam possibiles earumque essentias & existentias à Sanctis vult cognosci. Nam id sanè verba illius authoris insinuant, & multùm absunt ab eo, quod hodie docetur vulgò apud Adversarios, non omnes, sed quasdam à

Sanctis creaturas cognoſci. Quare non eſt quod nobis Gregor. opponant, qui non minùs ipſorum ſententiam conuellit, quàm noſtram ſollicitat. Auguſt. deinde proferunt qui lib. 4. de Geneſ. ad literam C. 23.24. Et de ciuitate Dei lib.11.cap.7. Duplicem facit beatorum cognitionem, aliam matutinam, qua res, cognoſcunt in verbo, aliam veſpertinam, qua res cognoſcunt in propriis earum naturis, verùm primum qui inter Aduerſarios negant creaturas in verbo cognoſci. Reſpondent Angeli verba non ſenſu formali eſſe accipienda, quaſi vellet videri creaturas in ipſa diuina eſſentia, tanquam in ſpeculo, ſed in ſenſu cauſali, quia nimirum putant viſionem beatificam eſſe cauſam, cur animabus beatis particulares reuelationes inſpirentur, quibus res creatas cognoſcere valeant. 2. Ante Aug. nemo vnquam ejuſmodi cognitionis diuiſionem agnouit aut docuit, vt fatetur Viues in lib.11. De Ciuitate cap.7. Angelo primus ſcientias illas matutinas & veſpertinas induxit. 3. Quæ in his libris de Gen. ad liter. diſputantur, non ſunt talia pleraque, vt ab Aug. tanquam certa poſita fuerint, vt ipſe confitetur lib.2. retract. cap. 24. In hoc opere, inquis, plura quæſita, quàm inuenta ſunt, & eorum, quæ inuenta ſunt, pauciora firmata. Cætera verò ita poſita velut adhuc requirenda ſunt. Itaque cùm ſententiæ illius de cognitione creaturarum in Deo incertitudinem diligenter conſideraſſent Pontificij plerique agnouerunt tandem non niſi meras eſſe in ea doctrina tenebras. Certè Lind.lib.3.pan.cap.54. Modum hujus cognitionis cum iis confert, quæ nos nunquam planè cognoſcere poſſumus, vt Lorich. in fort. fidei verbo Sanctorum otioſum, inquit, eſt, quomodo ſancti inuocationis noſtræ preces audiant, & cognoſcant, & in Margine, non eſt neceſſe ſcire. An & quomodo ſancti audiant noſtram inuocationem, & Pereſius de trad. parte 3. conſid. 7. Non oportet curiosè ſcrutari, quod Deus noluit reuelare. Alij etiam vlteriùs progreſſi ſunt, inter quos Hugo de Sancto Victore referente Cumero lib. contr. tract. de ſanctis, vt nimirum dicant ſufficere quòd Deus, propter quem Sancti orantur; iſta cognoſcat, etiam ſi non cognoſcant Sancti: Nam, inquit, Deus humilitatem & pietatem Eccl. in iſtis reſpiciens propter ſanctos etiam exaudiuit.

Præterea hæc doctrina de cognitione creaturarum in Deo, tanquam in ſpeculo. 1. Quoad loquendi rationem longè abit à ſcriptura, quæ ſpeculum, non ad futuram vitam refert, ſed huic ſeculo deputat, dum ait nos hîc, tanquam in ſpeculo videre, in cœlis autem viſuros coram, &c. 1.Cor.13.12. 2. Quod ad rem ipſam ſcripturis S. è diametro aduerſatur: Doctrina enim de ſpeculo Trinitatis ſupponit ſanctos eſſe rerum noſtrarum gnaros: At ſcripturæ docent eos nihil rerum noſtrarum cognoſcere, vt ſuo loco clariſſimis teſtimoniis confirmabitur. 3. Variis rationibus confringi poteſt hoc ſpeculum: Nam 1. ſpeculi ratio conſiſtit in eo, vt ſpecies recipiat, & reflectat ad oculum noſtrum: At qui abſurdum eſt ſi dicas eſſentiam Dei in ſeſe recipere ſpecies creaturarum eaſque reflectere ad intellectum beatorum eſſentiam illam contemplantium. 2. Quod cognoſcitur in ſpeculo, cognoſcitur per propriam,

& vni-

& vniuocam sui imaginem in eo relucentem: Atqui essentia diuina non est imago creaturarum vniuocè, sed tantùm secundum analogiam, quatenus scilicet habet perfectionem, eminentiorem, quæ illis creaturis respondeat. 3. Quæro qualis cognitio illa creaturarum in Deo, clarane & distincta, an potius confusa & obscura. Obscuram dicere non possumus, tum quia obscuritas cognitionis, quàm vocat Apostolus in ænigmate propria & huius vitæ, neque ad futuram pertinet, 1.Cor.13.12. tum quia quod cognitione confusa apprehenditur, latet magis quàm patet, adeóque non minus rectè dici potest ignorari, quàm cognosci, sed neque distincta & clara est illa cognitio: Nam distincta cognitio ea demum est, qua quidquid cognito est essentiale patet cognoscenti potentiæ, qua res cognoscitur planè, qualis est in se & secundum esse suum proprium ac formale. Iam autem nulla creatura habet in Deo esse formale, sed tantum esse eminens vel fatentibus ipsis Aduersariis, qui vt videre est apud Becan. vbi supra docent, creaturas dupliciter posse spectari, nempe vel secundum esse proprium, quod est in seipsis, idque est creatum finitum, distinctum ab alio aliquo esse, adeóque abesse diuino, vel secundùm esse eminens, ideale & intelligibile, quod habent in Deo, tanquam in causa exemplari; Estque increatum, & infinitum adeóque reipsa cum essentia diuina. Esse enim eminens creaturarum non esse aliud, quàm essentia diuina quatenus in se eminenter continet omnes perfectiones creaturarum. Ergo non possunt creaturę secundùm esse suum proprium distinctè in Deo cognosci. 4. Cognitio creaturarum in Deo, tanquam in causa, vel in exemplari non inducit visionem creaturarum singularium: Nam sol v.g. est causa variorum effectuum, qui producuntur in mundo, quis tamen propterea dixerit, eum qui videt solem, eadem ratione videre singulariter effectus à sole productos, vel producendos. Atque ideò magis obseruandum est quod docent Aduersarij latum esse discrimen inter causam creatam & increatam, Becan. vbi supra Conc.2. obs.5. Qui cognoscit causam creatam inquit, cognoscit in ea effectum, quia causa creata dicit realem ordinem ad suum effectum, sed qui cognoscit causam increatam, non ideò cognoscit in ea effectum, quia causa increata, non dicit realem ordinem ad suum effectum. Præterea cùm Deus, prout est causa & exemplar creaturarum ex æquo repræsentet omnes creaturas etiam possibiles, nulla afferri possit ratio, cur potiùs quædam creaturæ dicantur à Deo cognosci quàm omnes in Deo possibiles.

5. Quale demum est illud speculum in quo volunt creaturas cognoscere, certè, vel voluntarium, vel naturale dici oportet. Si naturale, exhibet igitur rerum omnium imagines in illud intuentibus: Atqui hoc dici non potest, nam cùm dies extremi judicij, non minùs quàm res alia reuelaret in hoc speculo ignoratur tamen ab Angelis, Marc.13.32. Qui perpetuò vident faciem Patris. Sic Matt.18.10. Sin autem voluntarium esse debet procul dubio non alia exhiberi, quàm quæ Deus in eo repræsentata voluerit: Atqui nemo dicere potest quænam illa sit. Quis enim nouit mentem Domini, aut quis fuit ejus consiliarius, Rom.11.34. Ergo

vnde nam patebit velle Deum, vt preces, aut cogitationes alicujus in eo speculo videantur à Petro, vel à Iohanne, hic sanè opus erit alio speculo, in quo illam Dei voluntatem videre possimus. Quodnam autem potest illud esse si verbum Dei non est, & in verbo Dei vbinam de illa Dei voluntate, vel obscurissimum vestigium. 6. Quæro & quomodo ea quæ ad se pertinent, beati vident in verbo, simul ne & vno actu, an per gradus & successiuè; si successiuè & seruato ordine prioris & posterioris inter tam multos sanctorum cultores pro necessitatibus suis orantes fieri poterit, vt qui in extremis agit, bis perierit, antequam ad necessitatem ejus cognoscendam sanctus in aliis cognoscendis occupatus valeat accedere. Sin autem vno actu. Ergo falsum est quod docent Aduersarij, vt supra ex Bec. audiuimus sanctos progressu temporis multa videre in verbo, quæ non viderunt ab initio beatitudinis: Deinde non potuerunt sancti omnia illa distinctè cognoscere, quia vt est communi dicto, Qui pluribus intentus minor est ad singula sensus. Præterea cùm omnia quæ ad se pertinent Sancti videant, in Deo videbunt igitur in antecessum futuras suas cogitationes & preces, quas ad Deum pro hominibus in posterum effusuri sunt, adeóque planè cognoscent, quæ tamen nondum cogitarunt, & scient perfectissimè quæ nondum in mentem ejus venerunt, idem scient, antequam sciant, & cognoscent, antequam cognouerint.

Iam modum hujus cognitionis quod attinet, dicimus, 1. Animam Christi Deum cognoscere in vnione verbi: Nam cùm beata scientia hauriatur ex intima Dei præsentia siue ex *faciali* Dei contemplatione. Christi autem anima diuinitatem habeat intimè præsentem, sitque verbo æterno arctissimè conjuncta, fieri non potest quin verbum contempletur & videat, sicut dicit ipse Christus Ps. 16. 8. Posui Dominum in conspectu meo semper. 2. Diximus cognoscere perfectissimè. Nam quò intimior est Dei præsentia, eò etiam perfectior, quæ de illo habetur cognitio. Perfectiorem luminis participationem maior notitia consequitur; Atqui Christi anima perfectissimo lumine fruitur, & conjuncta est verbo intimè. Non est igitur dubium, quin perfectissimam Dei cognitionem habeat. Quanquam perfectissimè cognosci Deum ab anima Christi dicimus intelligendum esse illud ex parte subjecti, vt significetur non posse intellectum creatum vlterius in cognitione Dei assurgere, adeóque perfectiorem esse istam Christi cognitionem quàm sit alterius cujuscunque creaturæ: non autem intelligendum ex parte objecti: Neque enim Christi anima Deum in tantum cognouit, in quantum de se cognosci potest, alioqui planè comprehenderet essentiam diuinam quod affirmari non potest, cùm ejusmodi cognitio non alteri, quàm Deo ipsi communicat. Creaturæ autem quæ finita est, & infiniti non est capax competere nulla ratione valeat.

Theorema V. *Christus per scientiam infusam, quâ vsus est, cùm & quando voluit, certissimè ac plenissimè etiam ab ipso matris vtero, alia multa, tum nominatim supernaturalia nouit*: In Christo præter scientiam beatam agnosci par est aliud genus scientiæ, vt theor. tertio diximus, &

certè

certè cùm Christi anima non Creatorem modò, sed etiam creaturas cognouerit, scientia verò beata Deum, tanquam proprium & adæquatum objectum sibi deposcat, quatenus est alia scientia, quæ ad creaturas, tanquam ad objectum proprium terminetur, ejusmodi, est scientia, tum infusa, tum acquisita. De infusa hoc theoremate duo explicantur, conditio nimirum & objectum illius. Conditionem & rationem, siue qualitatem hujus scientiæ quatuor circumscribunt, nomen, exercitium, modum, & tempus quo in Christum collata est. Quod ad nomen scientia hæc infusa dicitur, siue scientia reuelationis, quia nonnisi reuelatione & inspiratione diuina haberi potest. Itaque nomen quo indigitatur, duo nobis insinuat. Prius est hanc scientiam nonnullis naturæ humanæ Christi viribus & industria partam, neque variarum obseruationum beneficio quæsitam fuisse, sed diuinitus inditam, ac veluti digito Dei in Christi anima insculptam, vt satis indicat Scriptura, Es.11.2. Vt dicit super Christum requieuisse Spiritum sapientiæ ac justitiæ & scientiæ: Spiritui enim, non carni, id est, diuinitatis reuelationi, non humanitatis operationi scientia hæc attribuitur. Alterum est Deum authorem immediatum hujus scientiæ: Quamuis enim Deus omnis bonæ donationis sit author, Iac.1.17. eam tamen dispensationem erga homines hic agentes, vt plurimum obseruat, vt in conferendis suis, donis & in danda mysteriorum cœlestium cognitione, tum sensuum operâ vtitur, vnde fides dicitur esse ex auditu, Rom.10.17. Tum exteriùs instrumenta quædam ascisçat, putà verbum, Sacramenta, preces, pastores, Euangelium, Eph.4.12.13. At verò Christi naturam quod attinet, indidit ei hanc scientiam Pater cœlestis immediatè ac per se, citra vllum vllius creaturæ ministerium, vt non modò inde patet, quod statim à conceptione fuit hac scientia donatus Christus, vt postea dicetur, sed etiam ex ipso Christi testimonio, Ioh.8.26.40. Vbi dicitur Christus audiuisse se à Patre, quæ loquutus est in mundo, id est, veritatem, quam annuntiauit, atque ita se ab Angelis, aut hominibus, aut vllius rei creatæ opera cognitionem mysteriorum accepisse testatur, sed immediatè à Patre suo accepisse. Porro audire vt rectè notat Carthusian. magis propriè Christo competit secundùm humanitatem, quàm secundùm diuinitatem. Itaque vt homo audiuit à Patre, id est ex interna Patris inspiratione aure cordis percepit, aduertit, ac didicit, quidquid scit: *Exercitium* quod attinet, dicimus Christum sapientia sua vsum, cùm & quomodo voluit, quippe cùm ea sit inter habitus connumeranda, Atque hoc discrimen inter alia notari potest scientiæ infusæ à beata: Etenim beata consistit in actu perpetuo, à quo anima Christi nunquam feriatur, sed ex quo Deum videre cœpit, continuò videt, & visurus est in æternum, sicut ipse ait, Ps.16.8. Itaque simpliciter actualis est illa scientia, etsi quando habitualem vocant Theologi intelligendum est illud secundùm quid & aliquo respectu, nempe, 1. Propter nunquam interrumpendam ejus perseuerantiam, prout notum est habitus esse in subjecto immutabiliter. 2. Præter supernaturale lumen gloriæ, quod aliquid supernaturale esse dicitur,

quo ſque animæ Chriſti neceſſarium eſt, ad hoc, vt videret Deum: At vero ſcientia infuſa non eſt in Chriſto per modum actus continui, ſed per modum potiùs habitus, cujus proprium eſt, vt homo pro libitu ipſo vtatur, id eſt, quoties, & quando voluerit. Certè anima ſimilis fuit Chriſtianis. Animæ autem noſtræ connaturalis eſt iſte modus, vt ſcientiam recipiat per modum habitus. Conueniebat itaque Chriſto, vt ornaretur ejus anima habituali ſcientia. Habitualem autem intelligo, quæ conſtanter perſeuerat, nec ſemper in actu eſt. Porrò in eum finem duo neceſſaria fuerunt. 1. Vt inderentur in Chriſti animam ſpecies quædam intelligibiles, quæ cùm naturaliter haberi non poſſint infuſione ſupernaturali communicatæ. 2. Vt accenderetur in anima Chriſti ſupernaturale lumen, vt pote ſimpliciter neceſſarium ad eliciendam illam cognitionem: Vt enim ad diuiſionem illam corpoream concurrunt, tum ſpecies ex parte objecti, tum lumen internum ex parte oculi. Ita etiam ad cognitionem quæ per hanc ſcientiam communicata eſt, tum ſpecies intelligibiles, quæ ad objectum ſpectant requirebantur, tum lumen gratiæ, quod verò loquuntur ornet ſe ex parte intellectus neceſſarium fuit.

Modvm hujus ſcientiæ determinamus, cùm dicimus & Chriſtum pleniſſimè nouiſſimè quæ per hanc ſcientiam nouit. Pleniſſimè autem, id eſt, perfectiſſimè tum certiſſimè. 1. Certiſſimè quia ſcientiam hanc & per infuſionem, ſiue ex interna Dei inſpiratione & reuelatione: Atqui de ratione diuinæ reuelationis eſt vt ſit certiſſima. Quid eſt enim reuelatio, quàm teſtimonium, & quaſi vox Dei animum interiùs edocentis. Porrò Dei teſtimonium veriſsimum eſt & infallibile, cùm Deus nec mentiatur, nec mentiri poſsit, Num.23.19. Tit.1.2. Heb.6.15. 1.Ioh.2.27. Deus eſt prima veritas. ergo neque falli poteſt, nec fallere: Non falli, quia ſapientiſſimus; non fallere, quia optimus. Concludamus igitur quæ Chriſtus per reuelationem nouit non poſſe non certiſſimè nouiſſimè. 2. Perfectiſſimè, ita vt nulla creatura poſsit attingere illam cognoſcendi perfectionem, quæ in Chriſto eſt, quique propterea dicitur vnctus diuinarum gratiarum oleo, &c. Pſ.45.8. Neque tantùm perfectiſſimam vocamus hanc ſcientiam per comparationem ad alias, ſiue hominum ſiue Angelorum, ſed etiam per comparationem ad res ipſas cognitas: Res enim creatæ, quæ per hanc ſcientiam cognoſcuntur, ac myſteria præſertim fidei tantùm à Chriſto cognita ſunt, quantum de ſe cognoſci poſſunt, ita vt in iis nihil omnino ſit, quod latuerit animam Chriſti. Sanè cùm eorum myſteriorum ſupremus & infallibilis doctor à Deo Patre Chriſtus inſtitutus fuerit, Matth.23.10. Neceſſarium fuit vt perfectiſſimam eorum cognitionem haberet: Si enim aliquod eorum omnino ignoraſſet, non potuiſſet illa infallibili modo & citra omnem errandi particulam alios edocere. Quanquam autem non eſt valde neceſſarium quærere, fuerit ne hæc in Chriſto ſcientia collatiua, vt loquuntur, & rationalis, id eſt, quæ neceſſariò per diſcurſum & ratiocinandi modum illum produceret, quo ſcimus vti homines in ſcientiis ſuis: Videtur tamen ex ſcriptura ſatis patere vſum fuiſſe Chriſtum ſæpius ratiociniis atque diſcurſu

cursu inter instituendos suos Apostolos: Ita enim Matth.12.25. & seq. Certis rationibus posse confici se non ejicere Dæmonia per Beelzebu principem Dæmoniorum, & Matth.17.26. Ostendit argumentando se ad soluendum tributum minimè teneri; & Matth.22.31.32. Ratiocinando colligit mortuos resurrecturos.

TEMPVS autem quod attinet, Christum dicimus ab ipsa conceptione fuisse hac scientia donatum: Nam & hoc manifestè docet Apostolus, Heb.10.5. Ingrediens mundum, &c. Vbi per ingressum & aduentum in mundum, haud dubium est intelligi incarnationem Domini, adeóque conceptionem & natiuitatem ejus prout in Scriptura quod nascitur, dicitur venire in mundum, Ioh.1.9. Neque minùs certum est ad infusam scientiam pertinere mysterij illius in Scripturis reuelati cognitionem, quod scilicet æterna salus obtineatur, non per legalia sacrificia, sed per vnicam Christi oblationem liquidò testificatur Apostolus Christum statim à conceptione ac natiuitate sua cognitam habuisse hanc veritatem capitalem ac primariam placari velle Deum non per sacrificia Mosaica, quæ tibi tantùm erant rerum futurarum, sed per cruentam filij sui oblationem in cruce. Itaque filium hanc Dei voluntatem acceptasse eique libentissimè acquieuisse adeóque se in spontaneum sacrificium obtulisse, & sanè cùm Christus annum agens duodecimum, id est in ipsa pene infantia in templo sedens in medio doctorum audiret ipsos, & interrogaret omnes in admirationem raptos super intelligentia & responsis, quæ dabat, Luc.2.46. Vnde vel satis elucescit cùm ab ipsis incunabulis hac scientia fuisse à cœlesti Patre instructum sufficientissimè. Vnde etiam illud confici posse videtur, non fuisse Christi animam respectu scientiæ istius infusæ alligatam necessariò phantasmatibus, quasi non possit intelligere, nisi dependenter ab iis & sese ad ea conuertendo, id est, quasi non valeret rem cognoscere, nisi efformando sibi & efficiendo spectrum illius aliquod & εἴδωλον corporeum, huiusmodi intelligendi modus in eos neque possit competere, qui materno adhuc vtero concluſi sunt, vel recenter in vitæ lucem producti. Atque hactenus conditio siue qualitas scientiæ infusæ Christi.

OBIECTVM hujus scientiæ diximus, tum naturalia, tum nominatim supernaturalia: naturalia cùm dicimus intelligimus, tum Deum tum res creatas magno numero. Supernaturalia cùm nominamus, significamus præsertim religionis ac piæ veritatis mysteria. 1. Ergo Deus inter objecta hujus scientiæ connumeratur. Quamuis enim beata scientia cognitionem Dei sibi singulariter vindicet, vt antea diximus, illud tamen obstare non potest, quin ad hanc scientiam spectare dicatur hoc objectum, nimirum in vtraque scientia res eadem consideratur, sed diuersus est considerandi modus: Deus enim per scientiam beatam à Christo videtur coràm, ad faciem, & citra velamentum vllum, sed in infusa per reuelationem cognoscitur, adeóque videtur obscuriùs, & quia reuelatio non tantùm essentiam Dei, sed & personarum pluralitatem notam facit, non est dubium, quin Christus hoc modo Deum cognoscat esse vnum essentia, ac

personis trinum. Præterea Deus per scientiam beatam videtur in seſe, quatenus preſens immediata contemplatione, & per cognitionem, quam vocant intuitiuam, sed per infusam videtur in alio per cognitionem abstractiuam, quatenus nimirum se exhibet in creaturis, Rom. 1. 20. Certè quæcunque creaturæ, adeóque anima ipsa Christi necessariam habent, & essentialem à Deo dependentiam, vtà causa prima, à qua sunt effectiua, & conseruantur. Non possunt igitur creaturæ verè plenéque cognosci, quin cognoscatur ista dependentia, quia nõn est plena rerum cognitio, nisi vbi cognoscuntur ea omnia, quæ sunt rebus essentialia, neque potest creatura cognosci, tanquam à Deo dependens, quin eadem ratione cognoscatur Deus, tanquam dependentiam illam transferens. Itaque Christi anima, quæ tum alias creaturas, tum certè semetipsam planè cognitam habet, nouit, & se, & alia à Deo dependere essentialiter. Haud absimilis est ratio, quâ concludunt Apostoli beneficio scientiæ infusæ notum esse in Christo Sacrosanctæ Trinitatis mysterium, nempe nouit Christus fidem nostram, Ioh. 6. 64. Nouit assensum fidei, nouit eum assensum certissimum esse atque infallibilem. Ergo cùm fidei assensus in Trinitatem, tanquam objectum præcipuum & primarium feratur, necesse est, vt norit eadem ratione Christus infallibiliter verum esse, quòd Deus sit, Trinus personis. 2. Christi anima per scientiam infusam habuit, exactissimam creaturarum cognitionẽ: Nam quæ per propria experimenta non nouerat ex infusione supernaturaliter, & certissimè sciebat; Nemo verò nisi fallor, negaturus est, quæ scientia fuit in Mose, Salomone, Daniele, Angelis etiam ipsis in Christo longè eminentiorem fuisse, quippe qui vnctus fuerit, & cumulatus omnibus gratiis super consortes suos, Ps. 45. 8. Cœlorum igitur motus, & vices elementorum, naturam animalium, plantarum, mineralium, meteorũm, & quidquid denique fixas habet in natura causas Christi anima plenè cognouit, atque adeò in eatum qualitatum ratione penetrauit altissimè, quas propterea occultas esse dicunt Philosophi, quod nemo hominum, qui ad plenam & veram earum cognitionem in hac vita pertingere valeat. Addunt præterea Scholastici ejus scientiæ beneficio cognitas esse animæ Christi cogitationes & motus omnes cordium hominum, & singularia quælibet, imò & futura contingentia, quæ nullam habent certam & statam in natura causam à primo ad vltimum esse manifestissima.

Nos quid hac de re sentiamus supra declarauimus ad hujus cap. theorem. secundum Christus per eam scientiam quæcunque sunt cœlestis doctrinæ mysteria, naturalem creaturæ captum transcendentia nouit consummatissimè, vt patet 1. ipsa experientia, cùm Christus in terris agens nunquam abstiterit ab edocendis discipulis suis, sed totum Dei consilium apertissimè annuntiauit Ioh. 15. 15. Deinde ratio officij, quod ipsi à Patre cœlesti fuerat demandatum, hoc ipsum manifestè commonstrat. Certè doctorem ea plenè cognoscere par est, quæ ex officio discipulos docere tenetur. Est autem Christus ad Prophetæ summíque doctoris in Eccles. munus à Patre vocatus, Deuter. 18. 18. 19. Ioh. 6. 14. & electus, vt

judi-

iudicium proferret Gentibus, Esa.42.1. & creditum est in vulgo Messiam in adventu suo omnia annuntiaturum, Ioh.4.25. Vnde etiam doctrina pietatis vocatur doctrina Christi, Act.13.12. Tit.2.10. Ioh.2.9. Eam igitur plenè callere debuit. 3. Adde quòd non potuit, ea Christus ignorare quæ ad ipsum spectant, & quorum ipse summa est atque totum pietatis mysterium ad Christum reducitur, vnde negat Paulus se aliud scire velle præter Christum, eumque crucifixum, 1.Cor.2.2. Concludamus ergo Christum qui fidelium caput ea omnia plenè cognouisse, quæ ad justam eorum gubernationem & illuminationem erant necessaria.

THEOREMA sextum, *Christus per scientiam acquisitam res naturales ita cognouit modo hominibus connaturali, vt tamen & perfectius reliquis hominibus, & citra opem, operamq; alicujus doctoris cognouerit.* Scientiam acquisitam, sine experimentalem eam vocant, quæ naturæ viribus propriaque industria per varias obseruationes potest ab hominibus obseruari. Ejusmodi scientiam Christo attribuendam supra docuimus Theor. 3. Et certè, cùm scientiæ acquisitæ ratio in animam humanam, vel maximè competat Christo, qui perfectus homo fuit, non debuit illa denegari, quidquid etiam scriptura eam verbis haud obscuris adscribitur: testatur enim, Heb.5.8. Christum ex iis, quæ passus est obedientiam didicisse, atque ille quidem per splendentem in animo reuelationem diuinam satis nouerat, qualem & quantam Patri suo deberet obedientiam; vnde & in mundum veniens obedientiam illam libentissimè comparat. Ecce, inquit, ô Deus, vt faciam voluntatem tuam, Heb.10.7. & tamen ne dubitemus infusam scientiam cum acquisita optimè conuenire, didicisse dicitur ex iis quæ passus est, obedientiam, id est, exquisitissimo passionum suarum sensu reapse expertum esse, quid esset, quantique laboris & quantorum cruciatuum res ea, quam pro redimendis hominibus Deus exigebat obedientia. Certè cùm didicisse audimus ex iis, quæ passus est, manifestè scientiam experimentalem insinuari intelligimus. Theorema porrò tum objectum, tum modum explicat istius rei: Atque objectum quidem dicimus esse res naturales, quo nomine non tantùm externa illa, singularia & sensibilia objecta veniunt, quæ in Christi sensus incidere poterant, sed etiam quæ ex illorum contemplatione per legitimum discursum colligi possunt: Colligebat enim Christus ex effectibus, causas, ex cœlorum motu, syderum conspectu obseruatis solis lunæque vicibus eorum circa inferiora vires concludebat ex consideratione singularium vniuersas regulas conficiebat. Res autem supernaturales, vt fidei mysteria, & meræ intelligibiles, atque supra omnem sensum positas, putà naturam Angelicam ad scientiam infusam magis pertinere putamus, quàm ad acquisitam.

MODVM scientiæ tripliciter determinemus: Nam, 1. Christus cognouit modo hominibus connaturali. Est autem connaturalis iste modus naturæ humanæ, ut pervim intellectus agentis concurrente simul phantasia, quam suas imagines, siue idola, de quibus ante loquebamur, animus imagines puriores, aut simpliciores eliciat, & intellectu imprimat,

quam patientem vocant, siue passibilem, qui eas recipiens, & in eas intendens rerum cognitionem assequitur, ac scientiam intra se concipit. Ita igitur factum oportuit, sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi illa, ad quæ intellectus possibilis est in potentia, ita per scientiam acquisitam sciuit illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis, quæ sunt verba Thomæ, par. 3. quæst. 12. art. 1. 2. Quæ Christus per hanc scientiam nouit perfectiùs, quàm reliqui homines. Nam cùm ingenij præstantia, & firmitate judicij, omnes antecelleret, haud dubiè omnia certiùs apprehendebat, neque per omnes eos amphractus circumduci oportebat, quibus nobis sæpe vtendum est, ad percipiendam rerum naturalium notitiam; præterea omnes modos nouerat perfectissimè vtendi speciebus acquisitis, quomodo nimirum conjungi deberent species illæ assensui primorum principiorum, & quomodo applicari ad eliciendas inde conclusiones, adeóque omnia faciliùs, quàm nos colligebat, vt cùm nos in ratiocinando, & conclusionibus educendis frequenter cęspitemus: Christus è contra nunquam hallucinabatur, nunquam hærebat, neque in alio vspiam decipi poterat. 3. Quæ Christus nouerat per experimentalem scientiam, nouerat citra opem, operamque cujuscunque doctoris: Scientia nimirum dupliciter acquiritur, vel proprio Marte, vel arte aliena, quomodo vt plurimum homines artium & scientiarum cognitionem sibi comparant, nempe ope præceptorum & doctorum. Christum ergo dicimus nullo vsum doctore, qui cùm res, vel naturales, vel supernaturales doceret, certè, Ioh. 7. 15. dicitur literas non didicisse; atque adeò cùm earum perfectissimam cognitionem habuerit aliunde, quàm ex disciplina & Institutione hominum, eam percepisse oportuit nempe res diuinas nouit ex reuelatione Patris sui, à quo etiam audiuisse se testatur, Ioh. 8. 26. 40. Res autem naturales & humanas cognouit, partim à se inueniendo, id est, proprio ingenio, partim earum scientiam accipiendo à rebus sensibilibus per varias obseruationes & experimenta. Et verò cùm quod est in vno quoque rerum genere primum mouens, non moueatur secundùm Philosophorum scita: Nam primum alterans, non alteratur aliunde. Christus autem sit primus omnium doctor, par est vt concludamus non fuisse ipsum ab aliquo creato doctore institutum. Quod verò Luc. 2. 46. 47. dicitur interrogasse doctores, non huc spectat, vt putetur aliquid ab iis addiscere voluisse: Interrogabat enim non quomodo discipuli doctorem, vt erudiantur, sed vt doctor discipulos, vt eos instituat. Dices videri saltem aliquid didicisse cùm Angelus in summis angoribus apparuerit eum confortans, vel consolans, Luc. 22. 43. Consolatio verò fieri solet per aliquam doctrinæ consolatoriæ applicationem. Resp. 1. dici Angelum ἐνισχύσαι, non autem παρακλῆσαι: vox autem ἐνισχύσεως corroborationem propriè significat, nempe Angelus cum Dei judicio luctantem firmauit sua præsentia, non quòd eum institueret, aut aliquid edoceret, sed quòd ex ea præsentia non leue argumentum Christus colligebat se à Patre non reipsa deseri, cujus prouidentia adstantem & administrantem sibi Angelum haberet. 2. Vt

rectè

rectè notatum est à Beda, Creator creaturæ suæ non egebat præsidio, sed homo factus, sicut propter nos tristis fuit: Ita propter nos confortatus est, nos etiam voluit admonitos hoc exemplo, vt ipsi ne in extremis quidem angoribus ministerium Angelicum defuit: Ita neque à nobis abstituros spiritus illos administratorios quacunque demum afflictione vexemur.

3. Cùm amicorum consolatio nobis in angustiis, ac doloribus constitutis sæpius non nouas doctrinas exhibeat, sed ea repetat tantùm, quæ iam diu probè nouimus, etiam ipsis amicis fortasse perfectiùs, non sequitur Angelum, quando Christum consolatus est, aliquam nouam institutionem Christo exhibuisse.

Hvic tractatui de Christi scientia haud erit inutile, si breuem jungamus, de Christi Conscientia contemplationem: Nam & conscientiam ad intelligendi facultatem pertinere, vel ipsum nomen docere potest, cùm dicatur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scilicet dicit ordinem ad aliud, aut quasi concludens scientia, quatenus ex principiis practicis conclusionem deducit. Itaque conscientiam definiunt scientiam relatam, vel applicatam ad actus nostros in particulari, siue judicium practicum intellectus, quo judicamus esse aliquod præceptum, vel prohibitum, bonum, vel malum, vel etiam judicium hominis de seipso, prout subjicitur legi Dei. Solet autem variè accipi conscientiæ nomen. 1. Pro actu, quo ratio dictat, aliquid esse faciendum, vel omittendum in actu aliquo particulari, Rom.13.5.1.Cor.8.7.10. 2.Cor.4.2. & 5.11. Aliquando pro actu quo cognoscimus quid egerimus aut non egerimus, Act. 23.1.Rom.9.1. 2.Cor.1.12. Sic & Eccl.7.23. dicitur cor nostrum, siue conscientia nostra nosse, quod sæpius malè dixerimus. 3. Pro actu, quo judicamus de iis, quæ fecimus, bene, an malè fecerimus, quæ maximè propria est hujus vocabuli significatio, quo sensu dicitur conscientia hominem redarguere, Sap.17.10. Et hæretici dicuntur αὐτοκατάκριτοι, id est, à propria sua conscientia condemnati, Tit.3.11. Vel accusare vel excusare, Rom.2.15. Ex illis tribus actibus exurgit plena, perfectaque ratio conscientiæ, cujus tota vis vnico syllogismo practico continetur, isto putà, quicunque verum Deum sincerè colit, salutem æternam consequetur: Atqui Deum verè, ac sincerè colo. Ergo, vel, qui in peccatis permanet, non potest ad salutem æternam peruenire: At ego in peccatis. Ergo. Horum syllogismorum major propositio continet primum: quem diximus actum, & dictatur à συντηρήσει. Est autem syntheresis habitus intellectus, quo assentimur principiis operationum moralium, & ea cognoscimus, quæ officium nostrum spectant, in ordine ad Dei voluntatem, lege, siue naturali, siue scripta testificatam. Assumptio verò complectitur conscientiæ actum secundum, quo nimirum cognoscimus, quid factum sit, aut non factum sit à nobis. At conclusio comprehendit tertium actum, id est, judicium particulare de nostris virtutibus, quo conscientia sententiam pronuntiat de nobis secundum factum, vel statum nostrum. Propositio itaque jus: Assumptio factum. Conclusio relationem ratione juris illius ex facto nostro exsurgentem proponit. At-

que adeò cùm ad conſcientiam pertineat, vt ſit, & lex, & teſtis, & judex. Tria hæc illo ſyllogiſmo ſimul exhibentur: Propoſitionis enim ratione conſcientia dicitur Lex, Rom.2.14. Quatenus docet quid agendum, quid omittendum aſſumptio reſpectu teſtis vocatur & teſtimonium reddere dicitur, Rom.2.15. & 9.1. & 1.Cor.1.12. Vocaturitem liber, Apoc. 20.12. Eo quòd rationem actuum noſtrorum contineat: Nam in hominis mente tanquam in tabulis quibuſdam conſignatis conſcriptum relinquitur, quidquid homo fecit; & quo animo fecit, Quod etiam tandem à conſcientia & legitur & pronuntiatur. In concluſione denique conſcientia Iudex eſt, & judicis officio fungitur, 1.Ioh.3.20. Adeóque vel reos nos tenet, ſi malè feciſſe conſcij ſumus, vel ſecuritatem quandam ſpiritualem ingenerat, ſi bene egerimus. Eſto itaque de Chriſti conſcientia hoc.

THEOREMA *Chriſti conſcientia, vt ſemper bona, recta, firma fuit, ita omnibus ſuis officiis in re qualibet perfectiſſimè eſt defuncta.* Chriſtum quà hominem non minus conſcientia quàm ſcientia perfecit. Certè conſcientiam habuiſſe demonſtrat. 1. Similitudo, quam nobiſcum habuit in omnibus excepto peccato: Atqui nullus eſt planè hominum, qui ſit conſcientiæ expers. 2. Partium ſiue actuum ad conſcientiæ conſtitutionem pertinentium conſideratio primus actus eſt Syntheresis, id eſt, cognitio eorum quæ fieri debent, aut omitti atque notitiam ejuſmodi fuiſſe longè perfectiorem in Chriſto quàm in quolibet alio homine ſatis eluceſcit ex iis quæ de Chriſti ſcientia iam docuimus. Secundus eſt notitia, ſiue recognitio factorum noſtrorum & hæc ſine dubio fuit in Chriſto pleniſſima. Enimuero cùm ita Petrum Chriſtus alloquitur, Ioh.13.7. Quod ego facio, tu neſcis, tum eadem ratione ſignificare noſſe ſe optimè quæcunque ageret. Tertius eſt judicium de iis quæ agimus, quòd nimirum bene aut male facta ſint, vt Chriſtus quidquid ageret norat illud optimè habere, Ego inquit, quæ placent Patri facio ſemper, Ioh.8.29. Porrò Theorem. de Chriſti conſcientia duo docet, qualitatem, & officium ipſius. Qualitas eſt quòd ſemper bona, recta, firma fuerit, quæ vt faciliùs innoteſcant, reuocanda eſt hic in memoriam triplex. Conſcientiæ diuiſio: Eſt enim conſcientia. 1. Alia recta; alia errans. 2. Alia bona, alia mala. 3. Alia firma & certa, alia dubia infirma & ſcrupuloſa. 1. Recta conſcientia eſt quæ judicium fert rectum & efficax; Rectum quidem, quia rectè & ſincerè judicat illud eſſe bonum, debitum, licitum, quod tale reuera eſt, judicio Dei, & teſtificatione legis. Illud verò eſſe malum, indebitum, & illicitum quod reapſe tale eſt, quodque tale eſſe Deus lege, vel naturali, vel ſcripta declarat. Efficax autem, quia efficaciter excitat hominem ad benefaciendum, & efficaciter retrahit ac reuocat ab eo quod eſt malum, etiam alij vocant conſcientiam honeſtè bonam, vel bonam reſpectu integritatis & honeſtatis; Atque de iſta conſcientia loquitur Apoſtolus, Heb.13.18. Vnde ſequitur, errantem conſcientiam illam eſſe, quæ judicium fert Dei judicio contrarium, ita vt arbitretur illud eſſe licitum, quod eſt illicitum, & contra.

Secundò

SECVNDO conſcientia bona, quam ſcriptura ſancta modò ἀγαθὴ vocat, 1.Tim.1.5.19. Modò καλὴ, Heb.13.18. Aliquando καθαρὰ, 1. Tim.3.9. Aliquando ἀπρόσκοπον, Act.24.16. Ea eſt, quæ pacem & quietem interiorem cordibus affert, id eſt, quæ excuſat, abſoluit, conſolatur, Act.24.6. Adeóque conſequentes habet effectus dulciſſimos, nempe verum gaudium, quo homo in bono ſuo facto acquieſcit, quodque habet inſtar perpetui conuiuij, vt loquitur Salomo, Prouer.15.15. 1.Cor. 2.12. & veram fiduciam, quâ liber eſt ab omni metu mali, Prou.10.9. & 28.1. quippe qui probè norit bene viuentibus non miſeriam impendere, ſed bona omnia apud Deum eſſe repoſita, 1.Tim.4.8. Conſcientia mala eſt, quæ hominem interiùs vocat & conturbat accuſationibus atque condemnationibus ſuis, atque indiuidua comes eſt ipſius, triſtitia cordis, 1.Sam.25.31. nec non timor, quo animus malum imminens refugit, Deumque, tanquam ſeuerum Iudicem auerſatur, Gen.3.10. Iſti porrò duo effectus triſtitiæ & timoris, ſi hominem compellunt ad culpæ fugam, inter ſigna veræ pœnitentiæ meritò computantur, qualem legimus fuiſſe triſtitiam & compunctionem eorum, qui ad prædicationem ſancti Petri conuerſi ſunt, Act.2.37. adeoque hominem deducunt ad deponendum malam conſcientiam vt bona induatur, ſed in reprobis mala conſcientia vlteriùs progreditur; neque enim tantùm triſtitiam ac tremorem efficit, ſed & deſperationem tandem parit, neque vllam relinquit reparationis ſpem, vt patet in iis, de quibus Hebr.10.27. quæ deſperatio continuis in inferno cruciatibus & inſolubili damnatorum augore cumulata vocatur, in ſcriptura vermis qui nunquam moritur, Eſ.66.24. Marc.9. 44. Atque hæc eſt propriè infidelium conſcientia, quam Scriptura vocat μεμιαμμένην, Tit.1.15. & πονηρὰν, Heb.10.22.

TERTIO, conſcientia firma eſt, quæ certò nouit quid agendum, quid omittendum ſit, neque, vbi ad praxim reducendum eſt, hæret incerta, quam in partem tendere debeat, talis eſt conſcientia fidelium, qui Dei verbo plenè ſunt inſtructi de ratione vitæ bene inſtituendæ & præcepta moralia atque inde deductas concluſiones plenè cognitas habent, quos vocat Apoſtolus credentes firmiter & ſine dubitatione, Rom. 14.2. & dicit eſſe in animo ſuo plenè certioratos, Rom.14.5. Habere fidem apud ſemetipſos in conſpectu Dei, & v.22. Conſcientia verò quam ſcriptura vocat infirmam, 1.Cor.8.7.11. & Theologi dubiam, aut ſcrupuloſam, eſt quæ veritatem ſatis perſpectam non habet, & inter aſſenſum & diſſenſum hæſitat, dubitatque, an aliquid ſit licitum, an illicitum, talis eſt conſcientiæ eorum quos Paulus infirmos vocat, 1.Cor.8.10. & tamen vt fratres eſſe cognoſcendos docet, Rom.14.10. Quippe pro quibus Chriſtus mortuus ſit, 1.Cor.8.11.

HINC iam patere poteſt, quam certum ſit, quod de Chriſti conſcientia Theor. docet. Nam, 1. Chriſtus voluntatem patris pleniſſimè nouit. Nunquam igitur errauit ejus conſcientia circa cognitionem eorum, quæ ipſi ex officio agenda incumbebant, ſed rectitudinem ſuam incorruptè ſeruauit. 2. Chriſtus ab exactiſſimo legis tenore, ne latum

quidem vnguem discessit, sed obsequium Patri suo præstitit in omnibus & singulis perfectissimè, neminem læsit, omnibus fuit beneficus, nec dolum corde concepit, nec fraudem ore protulit. Ergo nec potuit non esse bona & tranquillissima ejus conscientia, & indefecto gaudio perpetuaque fiducia frui ratione sensus illius benefactorum, quem habuit continuum, & cùm inter homines nemo planè sit, qui non aliquando vt peccator conscientiæ morsibus vexetur, qui non accusetur, & condemnetur suo conscientiæ testimonio, quique adeò non debeat in eo totus esse, vt conscientiæ bonitatem & pacem instauret per sanguinem Christi fide applicatum, quo reatus accusatio & condemnatio tollatur, Heb. 9. 22. Christus è contra conscientiam habuit, quæ nusquam ipsum, ne leuissimè quidem accusauit aut damnauit, sed excusauit perpetuò & consolata est. Excusationem autem cùm dico, non intelligo aliquam diminutionem, aut attenuationem culpæ, quia vbi nulla culpa fuit, nulla attenuatio culpæ potuit esse, sed actum illum, quo plena culpæ ac reatus cujuscunque amotio ac negatio significatur. Itaque inter Christi conscientiam & fidelium interest, quod Christi semper bona & pacata fuit, fidelium aliquando bona, aliquando mala est & internis lancinationibus vexata, nempe Christi conscientia fuit bona creatione, fidelium tantùm regeneratione. Illa bona naturali bonitate & per se; fidelium per aspersionẽ sanguinis Christi & gratiosam spiritus sanctificationem. Quod autem legimus in Euangelio expauisse Christum, ac timuisse, non ita intelligendum est, quasi pauores illi conscientiam ejus propriè attingerent, aut inquietam redderent, sed quòd sponsor pro peccatoribus apud Deum constitutus pœnas illas debitas horresceret, qua ipsi impendebant. Non sunt igitur dicendi illi conscientiæ pauores, quippe qui, propriè loquendo, non aliunde progerminant, quàm ex recognitione particularium actuum contra legem Dei commissorum, à quibus Christus omnino fuit immunis, sed pauores erant animi à causa externa, putà ab imputatione peccatorum nostrorum in Christum illati. 3. Christus quid sibi, & quà homini, & quà Mediatori agendum esset, perfectissimè tenebat & nouerat indubitanter, quid faciendum, quid fugiendum esset singulis locorum & temporum circumstantiis, neque, vbi ad praxim veniendum erat, hæsitabundus subsistebat: Erat non ἰδιώτης πληροφορίας & cognitionem habebat plenam apud semetipsum in conspectu Dei callebat, vt qui rationem maximè quâ discernebat inter licita & illicita, debita & indebita, & necessaria & ἀδιάφορα. Erat igitur intrepida, firma & stabilis ipsius conscientia, nec vllis scrupulis angebatur. Stabilis, inquam, certitudine, quia inter assensum & dissensum non fluctuabat, sed cui oportebat parti, ei semper adhærescebat: Stabilis in affectu, quia ad ferendas & tolerandas aliorum infirmitates paratissima; Stabilis in judicio, quia cùm omnia exactissimè perpenderet, nunquam vel discipulis suis, vel aliis aliquid proponebat, quod offendiculi materiam eis reuera exhiberet, etsi quando homines ex ipsius actibus scandali ansam arripiebant, id non Christi actionibus, sed ipsorum peruersitati

uersitati adscribendum erat, scandalum id erat acceptum, non datum, passiuum, non actiuum, non ex intentione Christi progerminans, non ex conditione facti productum, sed ex pessimis hominum & maleficiosis interpretationibus nostris subjectus fuisse dicitur, Heb.4.15. Non ad conscientiæ infirmitatem trahi debet, sed ad innoxios illos defectus referendum est, quos nostri causa suscepit.

ATQVE inde patere potest Christi conscientiam omnibus officij sui partibus fuisse plenissimè defunctam, vt altera parte Theor. explicatur: Nam, 1. conscientiæ officium, vel actus est obligare hominem & impellere ad voluntatem Dei faciendam, quo respectu homo conscientiam habens voluntatis Dei officium aliquid imperantis non tantùm vocatur debitor Rom.1.14. Seruus, Rom.6.16. Sed & necessitate præmij dicitur, 1.Cor.9.16. Imò non posse aliter facere, Act.4.20. Atque Christus sicut obligatus erat ad voluntatem Dei faciendam, quâ homo, vnde seruus Dei dicitur, Es.42.1.& 53.11. Ità etiam impellente conscientia Dei mandata cumulatissimè præstitit, sicut ipse testatur Ioh.8.29.55. Diciturque subditus fuisse parentibus, Luc.2.51.& Magistratibus, Ioh.19.11. 2. Conscientiæ officium est, tum discernere licita ab illicitis, vt illa fiant, & ab his abstineatur tum pro circumstantiarum ratione actiones licitas ordinare ac dirigere in bonum finem, Dei nempe gloriam, & proximi ædificationem atque salutem: Atqui Christus pro concessa sibi sapientia non modò licitum ab illicito perfectè dignoscere poterat, sed & actiones suas omnes, adeóque passiones dirigebat ad Patris honorem, Ioh.8.49. & electorum salutem, Ioh.17.19. 3. Conscientiæ officium est in bonis actionibus testimonium intùs homini reddere, eum excusare, absoluere, consolari, quantumuis exteriùs ab Aduersariis accusationes, calumnias, maledicta, condemnationem ac supplicia patiatur, 1.Cor.1.12. Hoc officio probè defuncta est conscientia Christi qui quanquam accusaretur, & injustissimis calumniis impeteretur, conscius tamen sibi semper innocentiæ fuit, qui & sæpissimè tuetur in Euangelio testificatus se à nemine de peccato coargui posse, Ioh.8.46. nec justè accusari, quasi malè locutus esset, Iohan.18.23. & testimonium quod ipse reddebat esse fide dignissimum, Ioh.8.14.

OBIICITVR si Christi conscientia omnibus officiis Christi defuncta est. Ergo & eum aliquando accusauit atque condemnauit cùm isti actus connumerentur inter officia & actus etiam bonæ conscientiæ: Ita enim docet Apostolus vnumquemque fidelium, quorum etiam est habere conscientiam bonam & mundam, teneri, seipsum judicare, id est, coram Deo accusare, & quasi aduersus semetipsum sententiam ferre ne judicetur à Domino, 1.Corinth.11.31. *Resp.* discrimen esse inter conscientiam bonam creatione & regeneratione; Quæ enim tantùm regeneratione bona est, accusat aliquando hominem & condemnat, quia regenerationis gratia nunquam in hac vita perfecta, supersunt in homine multæ peccatorum reliquiæ, quæ sese nimis quàm sæpe proferunt, adeóque hominem apud Deum reatu constringunt: At in Christo non

fuit regenerationis donum, sed creationis gratia, quæ ipsum à conceptionis momento plenè reddidit à peccato quolibet immunem, non potuit igitur ipsum aliquid accusare conscientia. Certè accusatio & condemnatio non sunt inter officia conscientiæ simpliciter dictæ, sed conscientiæ tantùm cuiusdam, putà vel ejus quæ simpliciter mala est, vel ejus quæ imperfectè bona est, qualis est conscientia regeneratorum: At non conscientiæ absolutè bonæ, qualis fuit in Christo, & veri Adami conscientia & natura creationis debuit esse harmonia inter totum & partes. Iam autem si conscientia naturaliter & ex ratione creationis hominem accusasset, dissidium fuisset atque dissensus inter ipsum hominem & conscientiam. Concludimus ergo cùm in Christo quàm in Adamo perfectior fuerit sanctitatis ratio & potior conscientiæ conditio, nec debuisse, nec potuisse vnquam ipsum à conscientia accusari, vel damnari.

Addamvs etiam aliquid de Christi memoria, cujus rationem explicare possumus hoc Theoremate. Theorema; *Christus vt sensuum & intellectus vigore præstantissimo, sic etiam excellentissimâ memoriâ præditus fuit.* In homine alia facultas est qua res cognoscit alia qua cognitas conseruat. Ergo sicut duplicem notitiam habet; alteram cum brutis communem, quæ sensus dicitur; Alteram sibi propriam, quam intellectum vocamus. Ita duplex est in ea agnoscenda vis cognita conseruandi, siue memoria duplex, sensualis scilicet & intellectualis. Illa est quâ conseruantur imagines objectorum intellectu perceptorum, vtraque hæc memoria in Christo agnoscenda est, vt satis docet humanitatis ratio, quam Christus perfectissimè assumpsit: sed & memoriam Christi agnouit latro ille qui conuersus ad Christum clamabat in cruce, Domine, memento mei, cùm veneris ad regnum tuum, Luc. 23. 43. Etiam porrò in Christo excellentissimam esse paret. 1. Quia quæ ad constitutionem, siue justam rationem corporis, aut animi pertinent par est in Christo esse præstantissima: Atqui ad justam animi rationem pertinet memoria tum sensualis, tum intellectiua siue rationalis. 2. Quia quæ ad memoriæ bonitatem, & præstantiam concurrere debent, in Christo eminentissimo modo fuerunt, non potuit Christus non valere sensitiua memoria, quæ species intelligibiles conseruat, & reddit expeditè, quoties opus est, cùm illius memoriæ bonitas pendeat à bonitate temperamenti, siquidem inter documenta Philosophorum, id est, eos quibus spiritus animales non obscuri sunt aut turbidi, aut crassis & turbulentis vaporibus inquinati, sed clari, puri, quieti, tum dein mediocriter humidi & calidi, nec non mediocriter humida & calida παρεγκεφάλις recebellum, siue postrema cerebri pars, quæ est instrumentum & proxima sedes memoriæ. Illos, inquam fidelem habere ac tenacem memoriam, id est, quæ cùm prompta sit & firma ad imprimendum, tunc expedita ad reddendum: Atque in Christo tum cerebri partes, tum spiritus animales optimè sine dubio habuerunt: Deinde memoriam intellectualem, quod attinet, consentiunt Philosophi ab intellectu, seu modo intellectionis dependere,

quia.

quia vis conseruandi sequitur vim formandi & dijudicandi imagines illas quæ conseruari debent. Atque adeò, quò exteriorem & pleniorem intelligentiam, siue apprehensionem, siue dijudicationem rerum aliquis habet, eò tenaciùs quò memoria pollet bona, quippe memoriæ pars est, vt non nemo ait, rem penitus intellexisse : At quis dubitet Christum in rebus intelligendis, apprehendendis ac dijudicandis eximium fuisse, quippe donatum spiritu sapientiæ, scientiæ, & intelligentiæ. Concludamus ergo fuisse illum præstantissima memoria præditum, ita vt quæ semel ipsius memoriæ thesauro recondiderat, nequaquam obliuione sepeliret, vt omnibus nobis sæpe fit, vnde colligitur etiam non videri Christum opus habuisse reminiscendi actu, cùm ex Scalig. exercit. 307. sect. 28. non sit aliud reminiscentia, quàm disquisitio tectarum specierum, amotio importunarum, digestio obturbatarum : Atqui quas Christus rerum species memoria condidit, illæ neque tectæ, neque importunæ, neque obturbatæ erant, non erat igitur opus illarum disquisitione, auctione, digestione. *Hactenus de iis quæ ad Christi intellectum pertinent, sequuntur jam quæ ad voluntatem spectant.*

THEOREMA *humana Christi voluntas quacunque deliberatè & absolutè voluit ea & liberrimè & Patris sui voluntati conformiter voluit.* Humanæ Christi voluntatis veritatem, actum qualitatem vno Theoremate paucis exponemus. Ac veritatem quidem quod attinet. Quanquam monophistæ & monotheletæ & quos vocarunt ἀκεφάλους, sicut & vnam in Christo naturam, ita & vnam voluntatem atque operationem esse confixerunt. Certum tamen Theologiæ axioma, cùm omnia in Christo propter subsistentiam, fuerint duplicia, duplicem esse in eo voluntatem agnoscendam. Alteram diuinam, humanam alteram, vnus est Christus, inquit Damasc. lib. 3. cap. 14. Et vna ejus hypostasis, sed tamen ipse volens est θεός τε καὶ ἄνθρωπος, id est, voluntate diuina, & voluntate humana. Atque vt ipse ibidem, ait Physica, sunt & non hypostatica θελήματα καὶ ἐνέργειαι voluntates & operationes sunt naturales non personales, quanquam sint in persona subjectiuè, siue tanquam à principio, quòd sunt tamen ab vtraque natura originaliter & effectiuè tanquam à duplici principio *quo*: Est enim persona principium *quod* vult & agit, sed natura principium *quo* vult & agit. Itaque præter voluntatem diuinam, quam Christus, qua Deus, communem habet cum Patre & Spiritu Sancto. Esse in eo voluntatem humanam patet ex Scriptura. 1. Luc. 22. 42. non mea, sed tua voluntas fiat, & Iohan. 6. 38. descendi è cœlo. Vt faciam non voluntatem meam, &c. Quibus locis manifestè docet Christus habere se voluntatem aliquam, quæ sit diuersa à voluntate Patris, adeoque à voluntate diuina. Hæc autem non alia esse potest, quàm voluntas humana. Præterea obedientia significat voluntatis subjectionem : At Christus obediens fuit Patri, Phil. 2. 8. Ergo habuit voluntatem, quæ Patri subjecta esset. Hæc autem non potuit esse nisi voluntas humana: Diuina enim est ἀνυπεύθυνος soluta legibus, quæque nullum superiorem agnoscit, à quo dependeat & cui subjiciatur. 2. Ex ratione; nam omnis homo est na-

turaliter volendi facultate præditus. Christus autem est verus homo igitur si Christus haberet tantùm vnam voluntatem, ea procul dubio esset voluntas diuina, quippe quòd verbum incarnatum ab æterno habuit, & in æternum habiturus est. Atqui per eam voluntatem Christus nobis salutem obtinere non potuisset per modum meriti, cùm meritum non cadat, nisi in eum qui tendit ad perfectionem, id est, in viatorem. Agnoscenda est igitur alia voluntas, nempe humana per quam mereri potuerit. Adde quòd Christus non redemit, nisi ea quæ suscepit: Nam redemptio finis est, cur nostra voluerit assumere, vt supra docuimus. Ergo si non assumpsit voluntatem humanam, non potest voluntas nostra Redemptionis & purgationis à peccato fieri particeps, quod absurdum est. Denique si Christus non assumpsit voluntatem humanam dicendus est non assumpsisse, vel quia non potuit, vel quia noluit: At neutrum dici debet: Non prius, nam qui potuit naturam nostram assumere, quidni potuerit mentem & voluntatem suscipere, quæ sunt facultates humanitatem necessariò consequentes: Non posterius: Nam si noluit, noluit, vel quia non decebat atque hoc falsum est: Etenim si decebat, vt fieret particeps infirmitatum nostrarum, Heb. 4. 15. Quantò magis vt assumeret perfectiones, qualis est volendi facultas, vel quia nolebat suscipiendo curare, aut seruare voluntatem nostram, atqui hoc est ἄπιστον, neque in bonum illum pastorem conuenire potest, qui dedit animam suam pro ouibus suis, Ioh. 10. 30. Vide latiùs Damasc. l. 3. c. 14. & Thom. c. Gen. l. 4. c. 36. Ex Patribus qui semper in Christo duas voluntates agnouerunt. Esto igitur instar omnium œcumenicæ sextæ Synodi Constantinopoli habitæ Canon. *Confitemur vnum eundémque Christum filium Dei, & duas voluntates naturales in eo & duæ naturales operationes indiuisè, incommunicabiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum sanctorum Patrum doctrinam aquè prædicamus.*

Dicamvs iam de actibus voluntatis Christi qui & ipsi nomine voluntatis veniunt: Notum est enim ea voce non modò facultatem, sed actum volendi designari, quam volitionem dicunt. Hoc sensu voluntas multifariam diuiditur. 1. Voluntas alia efficax est, alia inefficax. Efficacem dicimus eam quæ principium est agendi, hominemque mouet & impellit ad exequutionem, & amolitur pro viribus quælibet operationis impedimenta inefficacem verò quæ in effectum non deducitur, siue propter impedimenta aliunde accedentia, siue quia ipsa non pergit vlterius, vt sit operandi principium, neque adeò ad rem exequendam hominem impellit, sed simpliciter est alicujus boni complacentia, vel mali displicentia. Vtriusque hujus voluntatis in Christo exempla Euangelium subministrat: Nam voluntate efficaci voluit ea omnia quæ ipsi agenda ex officij Mediatorij ratione incumbebant. Ita voluit Euangelium docere, Apostolos mittere ad prædicandum, Patri suo cœlesti obsequium præstare, virtutum opera exhibere, mortem pro redemptione suorum electorum oppetere, illa denique facere quæ per ipsum fieri, & impleri oportebat, de qua voluntate dicit ipse, Heb. 10. 5. Ecce adsum, id est, paratissimus

tissimus, vt faciam voluntatem tuam Deus, Ioh.4.34. Cibus meus est vt faciam voluntatem ejus, qui me misit. Sed sunt præterea, quæ Christus voluit voluntate inefficaci, nimirum multa ex iis, quæ per alios impleri oportebat, siue ad quorum exequutionem necesse erat aliorum voluntatem & factum accedere. Ita Christus sua voluntate humana volebat omnes homines ad Deum conuerti, id est placebat ei omnium conuersio, tanquam aliquid in se bonum, & tamen hæc voluntas non est impleta, sed mansit inefficax propter objectum à plerisque hominibus impedimentum. Ita Matth.23.37. Testatur se voluisse Hierosolymorum incolas in vnum congregare, id est, spiritualiter adjuuare per fidem, charitatem, & cultum diuinum, eisque omnia illa præstare, quæ solet pullis suis Gallina, quos alis fouet, quibus victum prouidet, quos aduersus miluos & aues rapaces sollicitè tuetur, & tamen illi noluerunt, id èst, vocanti non responderunt, quin contra ita obstinato animo ita obluctati sunt, vt voluntas ipsius in effectum deducta non fuerit. Sic Marc.7.24. cùm venisset in confinia Tyri & Sidonis, domumque fuisset ingressus, dicitur latere voluisse, nec tamen potuisse. Et ibidem versu 36. cùm surdum & mutum sanasset, voluit & imperauit, ne qui miraculum viderant, illud euulgarent, quòd tamen non obtinuit, sed quantumcunque illis imperasset multò ampliùs prædicabant: fuit igitur ista Christi voluntas inefficax, quia de eo agebatur, quod non ab ipso Christo, sed ab aliquibus erat implendum. Si jam quæras, justáne fuerit Christi voluntas latere se & sua miracula cupientis. An etiam justa voluntas eorum, qui quidquid Christus imperasset illa miracula celari, diuulgabant. Resp. 1. De voluntate Christi dubitari non posse, qui cùm ab effectu quocunque vitioso fuerit alieniissimus, non potuit non omnia & justè facere, & justum velle, nimirum latere volebat, & alios miracula silere jubebat, ne φιλότιμος esset, auramque popularem ambitiosè captare videretur, tum etiam exemplo suo id admonitos volebat Evangelij ministros, vt ne vel in rebus alioquin justis & honestis vanæ gloriæ appetentes essent. 2. Voluntatem eorum qui silere jussi, facta tamen Christi prædicarunt. Iustam fuisse dicimus, neq; contumaciæ, aut inobedientiæ nomine propriè venire potuisse: Iesus enim voluit & imperauit eis ne dicerent, non quod omnino nollet miraculum in hominum notitiam deuenire, sed quia nolebat ita sciri, vt ab Aduersariis ipse φιλοτιμίας alicujus accusari posset. Potuisset accusari, si rem euulgari jussisset, sed quando eo non jubente, imò contra silentium injungente, res tamen innotescebat, non erat quod quispiam Christo ambitionis dicam scriberet. Itaque sicut justè Christus inhibebat rem dici, vt ἀφιλοτιμίας suam manifestam faceret, & verbi ministris, quid esset officij ipsorum indicaret: Ita etiam illi justè publicabant, vt & gratitudinem animi sui testificarentur, & Christianorum gregi exemplo suo demonstrarent, quantumuis ipsorum doctores laudem negligant, & ab omni ambitione remoti sint, eis tamen ex officio incumbere vt bonorum modestorum laudes modestè prædicent, eosque aliis debita ratione commendent. Sic.

denique cùm Matth.26.39. dicitur voluisse Christus vt à se transiret calix mortis, non est hoc referendum ad Christi voluntatem efficacem, quæ in ipso produxerit aliquem conatum euadendi seque illis laqueis expediendi. Legimus enim è contra eum ductum fuisse ad mactationem, tanquam ouem, id est, ita vt nulla ratione obstiterit, neque mortem à se amoliri tentauerit, Esa.53.7. sed de voluntate inefficaci est intelligendum, quæ non aliud significat, quàm simplicem displicentiam ortam ex inclinatione naturali quâ voluntas abhorret à malo naturam destruente. Neque verò propterea dici potest Christus illud imprudenter voluisse, quod certò sciebat non futurum; quia etiam finis, quem sibi tunc proponebat, erat oportunus, vt nempe ostenderet se naturam nostram, & innoxios naturæ affectus atque inclinationes verè suscepisse.

Secundò voluntas alia est naturalis & indeliberata; Alia deliberata & electiua cujus distinctionis duplex est sensus. 1. Enim naturalis voluntas dicitur, quæ objectum quod respicit naturaliter & necessario vult, ita vt illud non possit nolle aut respuere, sed statim ac proponitur ad illud inclinatione propensissima & impetu quodam naturali citra consultationem & electionis libertatem capiatur, quomodo voluntas respicit vltimum finem, & ad illum appetendum non tam seipsam mouet aut agit, quàm agitur, aut mouetur à Deo per naturalem inclinationem, quam Deus voluntati indidit & impressit. Hac igitur voluntate Christus necessariò volebat & amabat beatitudinem summam, adeoque Dei visionem, quâ in vnione verbi perpetuò fruitur, Voluntas electiua est, quæ objectum quod respicit liberè vult, neque ad illud sine consultatione & electione fertur. Ita per actum electiuum voluntatis deliberamus de mediis, eaque vel eligimus, vel abjicimus, prout cognoscimus illa esse ad finem obtinendum magis, vel minùs commoda. Hac voluntate Christus Apostolos duodecim ad verbi sui ministerium vocauit, quos propterea elegisse dicitur Iohan.6.70. & 15.16. Hac voluntate miracula patrauit, sicut dicit ad leprosum, volo, mundator, Matth.8.3. Et cœlestis doctrinæ mysteria reuelauit, cui voluit, Matth.11.27. Et nolebat in Iudæa conuersari, Iohan.7.1. & vult suos ad æternam gloriam per viam gratiæ subuehi, Iohan.17.24. 2. Naturalis voluntas est quæ Scholasticis dicitur voluntas vt natura, siue voluntas considerata per modum naturæ: Estque effectio, aut desiderium commodi, & incommodi declinatio. Vnde ad cognitionem sensitiuam tanquam ad causam refertur, quia cognitio sensitiua quærit tantùm quod bonum & commodum est, quod verò molestum est & incommodum refugit. Vocatur & voluntas indeliberata, quia fertur ad objectum absolutè consideratum citra vllam rationem circumstantiarum. Voluntas verò electiua est, quæ Scholasticis dicitur voluntas vt ratio, siue per modum rationis considerata, quia refertur ad cognitionem rationalem, tanquam ad causam, neque tam naturæ instinctum quàm rationis dictamen sequitur, adeoque est effectus ac desiderium justitiæ potiùs quàm vtilitatis propriæ. Vult enim quæ justa sunt & honesta. Injusta verò & inhonesta auersatur, dicitur & voluntas deliberata,

berata, quæ respicit obiectum omnibus suis circumstantiis vestitum. Christus ergo mortem, & voluit, & noluit, prout scilicet diuersè consideratur ejus voluntas: Nam voluntas Christi, vt natura mortem nolebat, sed eadem, vt ratio, mortem volebat; Nolebat quatenus naturali appetitui incommodum erat, vt viueret; Volebat, quatenus rationi & iustitiæ consentaneum erat, vt moreretur, volebat, vt transiret à se calix, quatenus mortem absolutè & secundùm se spectabat, vt creaturæ exitium afferentem, sed quatenus eandem spectabat cum circumstantiis suis, id est, vt à Deo decretam, vt Mediatori hominum apud Deum conuenientem, vt ad salutem electorum necessariam in eandem affectu propensissimo capiebatur: Cibus meus enim, inquit, est vt faciam voluntatem Patris mei, & opus ejus perficiam, Iohan. 4.34. In quo nulla voluntatum Christi contrarietas notari potest. 1. Quia non erant circa idem eodem modo consideratum. 2. Quia voluntas ea commodum spectans, non tam voluntas, quàm velleitas dici debet: Illa verò quæ iustitiam & honestum respiciebat propriam perfectamque rationem voluntatis continebat.

Tertiò voluntas alia simplex est, & absoluta, alia verò hypothetica & conditionalis. A prima quàm tradidimus haud multum differt. Absoluta, vel ἁπλῶς dicta est qua quis vult aliquid omnino absolutè & efficaciter, quæque nihil reliqui facit vt in effectum deducatur. Conditionalis autem siue secundùm quid est quâ quis aliquid sub conditione vult quæque intra certos limites se cohibet, putà quæ superiorem aliquam voluntatem agnoscit cui se planè plenèque subjicere debeat. Quomodo Iac. 4.13.14.15. jubemur non simpliciter dicere hodie, vel cras ibimus, &c. sed potiùs nos voluntatem nostram diuinæ subjiciendo ita loqui, si Deus voluerit. Ergo absoluta volunt fideles remissionem peccatorum suorum sanctificationem animæ. Denique quæ ad salutem animæ sunt semper necessaria. Voluntate conditionali volunt ea quæ ad salutem non attingunt per se, neque vel data eam simpliciter promouent, vel negata eam simpliciter remouent, putà opes, sanitatem, robur corporis, pacem æternam, &c. In quibus à Deo petendis eam conditionem, vel expressè addunt, vel implicitè intelligunt. Ita Dei voluntas & salutis nostræ ratio.

Hvivs conditionalis voluntatis, quanquam extent in Scripturis varia exempla, tamen ista occurrunt obseruatu digna. Primum in Mose, Exod. 32.31. Secundum in Paulo, Rom. 9.3. Tertium de quo hîc præcipuè loquimur, in Christo, Matth. 26.39. de quibus singulis haud inutile erit, si aliquid hîc commentemur. Ac Moses quidem cùm populum Israeliticum horrendæ idololatriæ reum omnibus votis exoptaret in gratiam redire cum Deo peccatum populi ante omnia confessus deprecationem peccati & pœnæ illius subjicit in hæc verba, aut condona eis, aut dele me de libro vitæ. Vbi quæsitum est quænam sit voluntas illa, qua de libro Dei Moses expungi petit. Hîc aliqui se facilè expediunt, qui per librum Dei, non illum æternæ vitæ præsentis, in quo anni, dies,

& horæ, quos quisque victurus est à Deo sunt notati, vt verborum Mosis ista sit sententia, si in vasta hac solitudine, quò me duce peruenerunt Israelitæ, eos omnes perdere decreuisti. Quæso Domine non potius interfice, & è numero viuorum submoue, quippe post eam cladem nonnisi magno tui nominis opprobrio & existimationis meæ damno superesse possint. Sed non videmus huic expositioni acquiescere deberi. Nam cùm zeli sui pro salute Iudaicæ Gentis præstantiam Moses illustri testimonio tum satis exhibere suis, tum posteritati consecrare voluerit, putandus est altiùs assurrexisse, quàm vt affectum declararit ejusmodi, qualem non tantùm ministri Dei debent gregi suo, Phil.2.17. neque tantùm fideles omnes fratribus suis, 1.Iohan.3.16. Sed etiam multi ex Ethnicis præstitisse narrantur, nempe non tantùm optarunt mori, sed reapse pro salute Reip. suæ sese deuouerunt. Decij Curtij, Codrus, Menesseus, &c. Adde quod ex frequenti Scripturæ vsu liber Dei, vel liber vitæ refertur ad vitam æternam, potiùs quàm ad caducam istam & temporalem, vt videre est Daniel.12.1. Et plerisque Apocal.locis.

Missa igitur hac expositione ad hanc potius accedendum est, quæ vt omnem difficultatem eximat in voluntatis distinctione, veram quærit horum verborum sententiam. Imprimis igitur liber vitæ, siue Dei decretum designat, & consilium illud, quo Deus ab æterno quosdam ex hominibus prædestinauit ad gloriam, & adoptionem filiorum; desumpta scilicet Metaphora ab eo quod inter homines fieri amat: sicut enim quos præ aliis charos habemus & singulari beneuolentia prosequimur eorum nomina solemus albo amicorum adscribere. Ita Dominus æterno decreto saluandorum nomina scripta habet apud se & in libro suo exarata, & vt solet pater filiorum, quos hæredes cõstituit, nomina in testamenti sui tabulis describere: Ita Deus fidelium, quibus regni cœlestis hæreditatem parauit nomina suis quasi tabulis consignauit. Sed quod Moses deleri petit intelligendum est eum non simpliciter & absolutè voluisse, sed secundùm quid & ex hypothesi. Etenim cùm cuperet, non eximium modò in suos amorem, sed & singulare asserendæ gloriæ studium, memorabili exemplo demonstrare non potuit sanè affectus ὑπερβολὴν efficaciùs proponere, quasi testaretur se ne æternum quidem exitium & perpetuam exclusionem à cœlesti beatitudine refugere, siquidem res in effectum produci posset, & ita ferre valeret Dei justitia & sapientia, dummodo aliena salute propria perditio pensaretur: fuit igitur hæc Mosis petitio, non ex communi illo charitatis sensu, quo proximis nostris bene volumus, prospera omnia exoptamus voluntate simplici & constante, sed ex singulari charitatis sensu, quo sic afficiebatur erga populum illum & eorum causa conditionaliter peteret se de libro vitæ deleri; conditionaliter, inquam, quia ejusmodi charitatis motus extraordinarij semper implexam habent duplicem illam conditionem possibilitatis in re, & voluntatis in Deo. Atque id ideò magis in Mose notandum est, quòd erat Moses Mediator typicus à Deo Israelitis datus, vnde & Mediatoris nomine insignitur, Gal.3.19. Conueniebat igitur, vt exhiberetur in typo adumbratio quædam summæ illius & admirandæ

charitatis, quâ Iesus Christus verè Mediator suo tempore sese pro salute omnium fidelium ita deuoturus erat, vt totum diuinæ indignationis in hominum peccata exardescentis feruorem in se transferret.

Hinc satis iam liquet non esse ista verba Mosis ad voluntatem aliquam absolutam referenda, quia expunctio de libro vitæ significat exclusionem à cœlesti gloria, atque beatitudine qui hominis vltimus est finis: Atqui nemo potest absolutè velle priuari fine vltimo, quia vltimus finis non potest simpliciter respui, cùm voluntas ante & citra omnem deliberationem eò rapiatur impetu naturali. 2. Quia nemo sanus potest impossibilia, quatenus impossibilia velle: Atqui nouerat optimè Moses fieri non posse, vt qui in libro æternæ vitæ ascripti sunt, inde expungantur: Fundamentum enim Dei firmum stat & immotum habens hoc sigillum, Deus nouit qui sunt sui, 2. Tim. 2. 19. Vnde gaudere iubentur Apostoli quòd in cœlis inscripta sunt eorum nomina, Luc. 10. 20. Quippe cùm inde nullis, vel hominum, vel diabolorum conatibus eradi valeant. Et Dan. 12. 1. Dicuntur sine dubio eripiendi atque saluandi quicunque inuenti fuerunt in libro vitæ scripti: Sicut enim in ignem æternum conjici dicunt qui non inueniuntur scripti in libro vitæ, Apoc. 20. 15. Ita introducendi sunt in sanctam ciuitatem, i. e. gloriam cœlestem, qui scripti sunt in libro vitæ agni, Apoc. 21. 17. Quod ergo, Exod. 32. 33. dicit Deus eum, qui peccauerit mihi, delebo de libro meo; & Ps. 69. 29. Dauid à Deo precibus contendit, ut aduersarij sui de libro vitæ deleantur, & Apocal. 22. 19. testatur Deus se de libro vitæ ablaturum partem eorum, qui Scripturæ sanctæ libros nefando vsu truncare præsumunt: ita intelligendum est, vt ne certissimam veritatem impetat: Nam, 1. Quod dicitur Exod. 32. 33. non categoricè dicitur & simpliciter, sed hypotheticè & ex concessione: Id enim tantùm significat Deus, si aliquis omnino ex eo libro deleri posset, delendum fore, non Mosem, aut aliquem alium ex justis & fidelibus Dei seruis, sed eum duntaxat, qui Dei majestatem cumulandis continuò criminibus offendit, & violat. Deinde quod Ps. 69. 29. dicuntur aliqui deleri de libro vitæ intelligi, debet non affirmatiuè, sed negatiuè, id est, non quasi peteret Dauid, vt jam ante nomina conscripta expungerentur, sed quia postulat vt non scribantur, seu potiùs vt in eo nequaquam scriptos aliquando fuisse pateat & verbis & factis ipsorum omnibus declaretur non esse eos adscriptos in libro prædestinationis ad vitam, sicut rect. Iansenius explicat, & ad mentem August. qui Comment. ad hunc locum, dicit, hoc dictum esse de Aduersariis Dauidis secundùm speciem & opinionem illorum, qui se ibi scriptos putabant, quid est, inquit, deleantur de libro vitæ, vt ipsis constet, non ibi illos esse. Igitur delebuntur de libro viuentium, id est, non ibi se esse cognoscent. Denique, Apoc. 22. 19. dicitur aufferri de libro vitæ impiorum pars, nempe non quam habuerunt, sed quam se habere putauerunt in eo libro, & pars illorum aufferri dicitur, quatenus suo tempore Deus declarat ipsos nunquam in illo libro reapse scriptos fuisse: Etenim vt notat Thom. 1. parte, quæst. 24. art. 3. Consuetum est in Scriptura, vt res

tunc fieri dicatur, cùm innoteſcit, adeóque aliqui dicuntur inſcripti libro vitæ κατ' ἀξίαν, quòd ſcilicet propter externam profeſſionem & Iuſtitiæ laruam quam præferunt, iudicantur ex regula charitatis omnia credentis & ſperantis, vt ait Apoſtolus, 1.Corint.13.7. Eſſe de numero electorum ad vitam, ſed cùm poſtea vel in hoc ſeculo, vel in futuro comprobatur ipſo euentu non eſſe illos κατ' ἀλήθειαν in Electorum numero habendos, dicuntur de libro vitæ deleri.

Alterum exemplum eſt Pauli, Rom.9.3. Ita loquitur, optarem ego ipſe anathema eſſe, &c. Qui locus cùm variè torqueant interpretes, propterea de legitimo illius ſenſu hîc ſeriò nobis diſpiciendum eſt. 1. Cùm verbum ἀνατίθημι varia Græcis ſignificet, tum duo nominatim: Eſt enim aliquando idem quod in altum tollere, ſiue ſuſpendere docentibus Budæo & Henrico Stephano, aliquando verè ſegregare, ac ſeorſim ponere, vt obſeruat Chryſoſt. in hunc locum, inde duo nomina ἀνάθημα & ἀνάθεμα inter quę nonnulli ſunt, qui diſtinctionem non agnoſcant, ſed ea velint eodem ſenſu promiſcuè accipi; Alij res diuerſas ſignificari prætendunt, vt ſcilicet ἀνάθημα, donarium, ſiue ornamentum: ἀνάθεμα verò execrationem & maledictionem ſignificet, &c. Quam Hebr. חרם, vel חרמה vocant. Beza pro prioribus ſtat notis ad hunc locum, ſed poſterioribus fauet ad Luc.21.5. Res ita expedienda videtur, ſi varia loca reſpiciantur, tum profanorum ſcriptorum, tum LXX. Interpretum ſæpius indifferenter nomina illa vſurpari, ſed apud Scrip. ſacros Noui Teſtamenti diſtingui. Ἀνάθημα enim vox ſemel occurrit, Luc.21.5. Atque ibi manifeſtè ſignificat donaria illa, quibus Dei templum ornari ſolebat, ſicut & Ethnic. templis fieri amabat, quorum columnis & parietibus appendi, vel etiam de lacunaribus ſuſpendi, cùm ſolerent in idolorum honorem clypei, coronæ, pocula, & alia ejuſmodi donaria, propterea vocata ſunt ἀναθήματα à ſuſpendendo, vel tollendo: Deinde etiam quia dona ejuſmodi magna erant, ornamenta templorum, factum eſt vt ſignificatio vocabuli iſtius extenſa fuerit ad ornamenta cujuſque rei: At vero vocabulum ἀνάθεμα & quod inde deducitur verbum ἀναθεματίζειν frequenter in Nouo Teſtamento occurrit, Marc. 14.71.Act.23.10.12.14.21.1.Cor.12.3.& 16.21.Gal.1.8.9. Quibus omnibus locis non donum aut ornamentum, ſed ſemper execrationem, deuotionem, deteſtationem ſignificat, quo nimirum ſenſu dicitur aliquis ſe diris deuouere, aut ab aliis deuoueri. Itaque ἀνάθεμα dicitur de re, ſiue perſona, quæ ita eſt abominata, vt nemo eam contingere, aut ad eam accedere audeat, ſed horreatur & refugiatur ab omnibus, quales ſunt quos dicere ſolemus excommunicatos. Ergo ἀνάθεμα nomen hoc Apoſtoli loco, vt & alibi ſemper in Nouo Teſtamento execrationis ſignificatione accipiendum: Neque enim fingendum eſt noua & alibi ignota vocis hujus ſignificatio. 2. Certum id nobis eſſe debet non loqui de ſe Paulum, qualis erat cùm adhuc in Iudaiſmi ſuperſtitione demerſus jaceret, quaſi ſignificaret ſe tunc temporis nihil magis in votis habuiſſe pro ſuo erga auitam religionem zelo, quàm vt omnibus pateret

eſſe

esse se alienissimum à Christo & ab omni ejus communione atque commercio, & summè cupere, vt ne Iudæi vnquam transirent à Mose ad Christum, quantumuis hunc sensum insinuare videatur vulgatus interpres dum vocem εὐχόμην reddit per latinam obstabam, quæ potiùs, verti debuerit per optarem vel optauerim: Hæc enim explicatio ad scopum Apostoli accommodari non potest, quia vult Apostolus Iudæis ostendere quanto eos beneuolentiæ affectu prosequatur: at quodnam beneuolentiæ argumentum nihil commercij habere velle cum Christo? Hoc enim certè non amorem Pauli erga Iudæos, sed odium Pauli aduersus Christum declarat, vt consideranti liquet. Adde quod anathema verè maledictionis significationem habet; atque in Iudaismo agens Paulus, non maledictioni deputabat, sed magni lucri loco habebat à Christo separari, quem etiam in membris suis ardentissimè prosequebatur, Act.9.1.4.5. 1.Tim.1.13. Loquitur ergo de se Paulus conuerso, Christiano Apostolo. 3. Nomine anathematis non potest simpliciter mors, aut occisio intelligi, quasi nihil aliud significaret Apostolus, nisi separatum esse, mori pro Iudæis & ex corporali hac vita discedere, cujus explicationis quamuis fundus & author sit Hieron. Epistola ad Algas. quæst.9. acriter tamen in eam inuehit Chrysost.Hom.16.in Epist.ad Rom. eamque variè refellit, tum quia aliquid eximium & singulare designat hic Apostolus quod pro Iudæis subire velit, cùm tamen pro Gentilibus non minùs quàm pro Iudæis separatum esse mori palam testetur, 2.Cor.12.15. Phil.2.17. Tum quia non tantùm vult anathema fieri, sed etiam anathema à Christo, adeóque separari, cùm tamen per mortem non à Christo separentur, sed etiam cum eo arctissimè conjungantur, Phil.1.23. 4. Dici non potest Paulum hoc optasse secundùm partis animæ inferioris dispositionem, non secundùm dispositionem superioris partis quæ rationem sequitur: Nam quod non cognoscitur, illud sanè nec optari potest. Pars autem animæ inferior sine sensitiua non cognoscit, quid sit fieri anathema à Christo ergo neque velle potest: Deinde quod voluntas optat secundùm dispositionem partis inferioris, illud optat, vt natura, siue considerata per modum naturæ, adeóque ipsi gratum & commodum esse oportet, vt ante dicebamus: Atqui animæ Pauli per se commodum non erat, vt anathema fieret. 5. Sed neque refugium hic nobis est ad hyperbolem, ita vt dicamus Paulum hyperbolicè loquutum, non quòd ille optaret aliquando separari à Christo, sed quia non poterat ardentissimam charitatem suam erga Iudæos meliùs explicare, quàm per aliquem sermonis excessum: Nam quod hyperbolicè fuisse loquutum putemus, impedit seria Pauli protestatio profitentis non tantùm se veritatem dicere, sed etiam hoc sibi intus per spiritum sanctum testificari conscientiam suam: Nam sanè ejusmodi protestationes & juramenta non solent hyperbolicis sermonibus adjungi. Itaque non loquitur aliter Paulus, quàm sentiat, aut ab aliis credi velit, sed verba ista ex intimis animæ visceribus proferre putandus est.

Eò igitur tandem deueniendum est, vt dicamus anathematis quidem

nomine significari veram à Christo separationem adeóque sempiternum exitium, quomodo ferè interpretantur doctores nostri, & ex veteribus Chrysost. Cass. Oecum. Foss. nec dissentiunt Thom. Cart. & alij. Cæterùm hanc Apostoli voluntatem & desiderium fuisse non simplex & absolutum, sed hypotheticum & implexam habuisse conditionem. Ita enim Cassianus collat. 23. cap. 6. verba Apost. exponit paraphrasticè, vellem ego non solùm temporalibus, sed & perpetuis addici pœnis, dummodo, si fieri posset, Iudæi Christi consortio fruerentur. Ita Oecumenius, si possibile esset, vt per meam perditionem glorificaretur Christus & Iudæi salui fierent, neque hoc detractarem, siquidem hoc optauerim, si possibile esset, si liceret mihi, si hæc optio daretur. Sed obseruandum præterea separationem à Christo esse duplicem, à gratia putà, & à gloria Christi. Separatio à gratia & charitate Christi fieri non potest, nisi per culpam hominis, Es. 59. 2. Hoc itaque modo noluit Paulus à Christo separari, cùm hæc velle non posset, nisi voluisset etiam peccare contra Christum. Votum autem peccandi Diabolicum est magis, quàm Apost. Separatio à gloria est, quâ quis priuatur à cœlestibus gaudiis & inenarrabili illa voluptate, quam Beati Deum contemplando percipiunt. Ejusmodi autem separatio per voluntatem saltem conditionalem optari potest sine peccato. Itaque de hac putandus est Apostolus loqui, explicante Chrys. quid, inquit, est optari anathema fieri à Christo perinde scilicet est ac si diceret vellem ab eo Christo separari atque alienari, qui Christum circumdat, non tamen ab ipsius amore separari velim. Absit hoc: nam propter ipsius amorem hoc ipse desiderio tantopere ardeo, sed illa Christi fruitione & gloria priuari sustinuerim, vt Gens mea in Christum credens promissionum Dei particeps fieret & salutis æternæ.

Sed jam à diuerticulo redeamus in viam, & Christi voluntatem, cujus gratia instituta est illa disputatio, consideremus. Ad justam enim intelligentiam, tum locorum aliorum, tum nominatim illius, vbi Christus non semel & iterum, sed ter petit, vt calix mortis ab ipso transeat, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Necessarium est Christi voluntatem distinguere, certè cùm repetitis tam ardenter precibus testatus fuerit Christus se mortem imminentem valde reformidare, videri posset prima fronte formido illa non satis consentire cum perfectione doctrinæ, quam prædicauit, charitatis, quâ suos prosecutus est, obedientiæ, quam Deo præstitit: Nam, 1. Qui suos tam seriis monitionibus instruxit, docuitque, vt in decurrendo pietatis stadio, mortis ab hostibus intentatæ metum abjiciant, Matt. 10. 28. Quid est quòd ipse tanto mortis terrore percellitur. 2. Hæc mortis recusatio, quomodo conuenire potest cum eximia illa charitate, quâ *bonus pastor animam suam pro bonis* ouibus ponere semper paratus est, Ioh. 10. 11. & 15. 13. 3. Quomodo asserit Christus se Patri continuum obsequium exhibuisse, Ioh. 4. 34. & 8. 29. Qui tamen onus detrectat, quod optimè nouerat esse sibi impositum.

His vt satisfiat distinctione voluntatis opus est. Sanè siquidem Christus

Christus firmo voto, ac deliberata voluntate expensis omnibus circumstantiis quidquid demum ferret Dei consilium, quidquid redemptionis ratio flagitaret, mori tamen omnino recusauit, est quod credamus excidisse illum à doctrinæ, à charitatis, ab obedientiæ perfectione. Verùm absit, vt in Redemptore nostro ejusmodi aliquid, vel imaginando cogitemus, nimirum sua ista petitione non id declarare voluit, quod examinatis omnibus ipse mallet fieri, sed illud tantùm ostendere in animo habuit se dum hominem induit, etiam innoxios hominis affectus induisse, humani à se nihil alienum putasse, neq; in meram ἀπάθειαν abiisse, sed ipsæ, tum propensione naturæ, tum vitę conseruatione amare, tum ea quæ vitæ perniciem intentant, non posse, non timere, ac refugere, τῆς δ' ἀνθρωπίνης φύσεως ἐστι τὸ δειλίαν ἔχειν, inquit Theoph. Eò vergit sensus naturalis eò inclinat σοφὴ φύσις. Aliud igitur est more secundùm se, & in propria natura atque conditione spectata, horrendum nempe quid, quod non possit quodcunque viuens ac sentiens non auersari. Aliud mors, vt à Deo decreta, vt ex consilio Dei subeunda, vt electorum redemptrix: Ista enim non recusanda, aut detrectanda, sed alacriter & lubentissimè oppetenda. Quòd itaque Christus mortem noluit, motui naturali & σοφῇ φύσει tribuendum; quod voluit, voluntati rationali ac deliberatæ deputandum juxta distinctionem jam traditam. Adde jam aliud esse, si de voluntate conditionali loquaris, quam si de absoluta sermonem instituas: Voluntate absoluta ac simpliciter dicta Christus mori voluit, & prout se moriturum prædixerat, Matth. 18.11. & 20.18.19.22. 28. Iohan. 13.21. Ita vltro ac libentissimè sese morti exposuit, annon inquit bibam poculum, quod dedit mihi Pater, Iohan. 18.11. Ergo quod mortem refugiebat, referendum est ad voluntatem conditionalem, de quo, ne quis dubitare posset, voluit ipse Christus conditionem, eamque duplicem annectere. Prior est conditio possibilitatis, si possibile, inquit, est. Altera est conditio voluntatis diuinæ, cui se Christus omnino submisit, non mea voluntas, inquit, sed tua fiat, Luc. 22.42. vt agnoscamus omnes istos Christi motus desiisse in voluntatem absolutam moriendi.

Atqve huc etiam spectant, quæ hac de re commentatus est Caluinus in Matt. 26.39. & quorum nomine identidem ab Aduersariis grauatur injustissimè, eo quòd Christo tribuerit votum abruptum & alterna vota, & in illis Christum quasi vacillantem faciat, & orationem Christi dicat non fuisse meditatam, sed votum subitò elapsum, quod correxerit, castigauerit, reuocauerit, imò ipse sibi frænum injecerit: Atqui vt sit aliquis in istis verbis excessus, mens tamen Caluini non potuit non esse optima: Nam, 1. Caluini ibidem clarissimè docet, nullos esse in Christo turbulentos affectus, qui ejus animæ puram moderationem excusserint. 2. Verbis disertissimis testatur, & in Christo non fuisse, nisi quatenus ferre potuit sana & integra hominis natura, id est, quatenus fieri potuit sana & integra hominis natura eodem scilicet, quo dixit August. in Ps. 87. non fuisse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia. Et Thom.

part.3.quæ.46.art.6. Christum accepisse tristitiam maximam quantitate absoluta, sed quæ tamen non excederet regulam rationis. Verùm accusationes sigillatim excutiamus. 1. Caluinus Christo votum abruptum attribuit. *Resp.* non ita vocat significaturus bruto quodam impetu, & nullo habito justitiæ, vel injustitiæ discrimine à Christo fuisse effusum: Hoc enim à Caluini mente alienissimum, sed quia citra vllum verborum circuitum Patri à Christo propositum est affectu vehementissimo, scilicet quomodo Rhetoricæ magistri exordium abruptum dicunt, cùm sine orationis circumductione statim ad caput rei properatur, vt moueantur animi, & affectus vehementiores excitentur. 2. Alternantia vota attribuit Christo. *Resp.* hac phrasi non aliud denotare voluit Caluinus, quàm duas illas voluntates in diuersas tendentes, quas in Christo agnoscunt Aduersarij quæque alternæ dicuntur, quatenus vna successit alteri: Videmus enim, 1. voluntatem conditionalem, *transeat à me calix*, tum accedit absoluta & à liberata *fiat, vt tu vis*. 3. Dicit Christum quasi vacillare. *Resp.* Vacillare in vitio meritò ponitur, si simpliciter dicatur, cùm propriè illaudabilem animi inconstantiam notet, sed quid vrget Aduersarius eam vocem & appositam interpretamentum non agnoscit? Durum igitur vocabulum Caluinus non ignorauit. Itaque mollitum & excusatum voluit appositione vocabuli, *quasi*: certè *quasi* vacillare, est reapse non vacillare. Ita cùm Tullius dicit gestum esse, quasi corporis quandam eloquentiam procul dubio agnoscit non esse reuera & propriè dictam eloquentiam. Et cùm Paulus dicit 2.Corinth.11,17. Loquor non secundùm Dominum, sed quasi per insipientiam. Nemo inde colligit: ergo sibi insipientiam tribuere Apostolum, imò potius concluditur Paulum non fuisse reapse insipientem. 4. Christo tribuit rationem non meditatam. *Resp.* Caluinus illis verbis nequaquam excidisse illam orationem Christo incogitanti, imprudenti & quidvis aliud agenti signat. Nam in sapientissimum hominum & Angelorum cadere non poterat incogitantia & imprudentia ejusmodi, sed meditationis vox hic paria facit cum voce deliberationis, nempe quo sensu dicunt Aduersarij voluntatem Christi non fuisse deliberatam, eodem dixit Calvinus non fuisse ipsius orationem meditatam. Ergo aut voluntatem non deliberatam expungunt, aut orationem non meditatam ferant. 5. Non dubitat dicere Christo votum esse subitò elapsum. *Resp.* hoc nihil aliud denotat, quàm præcessisse in hac oratione Christi testimonium inclinationis naturalis, quæ ipso pondere naturæ vergit, ad conseruationem sui, & foras. 1. Statim orantis impetu quasi prorumpit. 6. Dicit votum illud correctum, castigatum, reuocatum. *Resp.* & similia leguntur apud Veteres, Orig.tract.35.in Matth. Christus reuocat desiderium suum. Hieron. in hunc locum Christus reuertitur ad semetipsum. Quasi an quod antea Christus sui compos non esset, apage sensum impium, imò quia à voluntate conditionali, & quasi transitoria deuenit, quod voluntatem absolutam & constantem, & quia voluntas illa conditionalis videtur esse magis vox naturæ, quàm hominis, aut actionis; propterea non dubitauit,

uit Hierony. dicere Christum reuerti ad semetipsum. Inter Pontificios etiam Lucas Brugensis in Matth. 19. *corrigit Christus quod dixerat.* Correctio igitur ista, ἐπανόρθωσις, siue reuocatio nullum Christo peccatum impingit, seu Rhetoricè, seu Ethicè accipias. Correctio enim non modò Rhetorica non est peccatum, sed etiam inter orationis ornamenta computatur à Rhetoribus, qui & emẽdationem & aliquomodo pœnitentiam vocant; quæque est definiente authore libro ad Herennium quando tollitur, quod dictum est, & pro eo, id quod magis idoneum videtur, reponitur. Ethica verò correctio duplex est: altera cum à malo ad bonum deuenitur, & præsupponit ante fuisse peccatum quam nemo sobrius Christo attribuit. Altera cùm à minori bono transitus fit ad aliud melius, quo sanè sensu Christo correctionem Caluinus attribuit: nam sine dubio votum absolutum moriendi pro hominibus melius fuit voto conditionato non moriendi. Quanquam de cætero votum illud conditionatum nihil mali in se implexum haberet. 7. Denique asserit Christum sibi ipsi frænum injecisse. *Resp.* hoc non significat effrænem antea fuisse Christum. Absit; sed cùm deprecatus esset mortem ex voluntate suâ naturali & conditionali, subjungit testimonium alterius voluntatis melioris & deliberatæ, atque ita priorem quasi depressit ne vlterius vsque ad conatum aliquem euadendi progrederetur. Hoc fræni injectione Caluin. significat.

Tollamvs jam scrupulos quos emergere dicebamus ex eo quòd Christus testetur se voluisse non mori & mortem reformidasse. 1. Christus suos hortatur ne mortem timeant. Non debuit igitur eam ipse formidare. *Resp.* 1. Longè diuersam Christi & fidelium in hoc negotio esse conditionem: Christus enim mortem reformidabat Dei maledictione cumulatam. Fideles formidare non debent, quippe non ampliùs inimicam neque maledictionis diuinæ signum quoad ipsos attinet, sed potiùs æternæ vitæ, quasi proxenetriam: Deinde cùm discipulos suos jubet ne timeant eos, qui corpus occidere possunt, non prohibet omnem omnino mortis formidinem non eam certè, quæ naturalis est & necessariò suboritur ex naturali vitæ affectu, sed metum illum excludit qui nimius est, & à defectu spei procedit, & mentem abducit à pietate atque cultu Dei, vt hominem pertrahat ad ea quæ legi diuinæ sunt contraria. Atqui talem aliquem in Christo fuisse mortis metum, nemo Christianus, vel dixit vnquam, vel cogitauit. 2. Hæc mortis recusatio non bene conuenit cum charitate Christi erga fideles. *Resp.* imò si rem bene perpendimus metus ille magnitudinem charitatis Christi mirificè commendat, ne dum vt cum imperfectionis alicujus arguat: Vides enim Christum ex humanitatis propensione mortem horrere atque aduersari: Cùm igitur illam lubentissimè subit, quatenus in ea paratam esse nouit hominibus salutem ac redemptionem. Annon immensum, & quodammodo infinitum erga nos suum amorem testificatur, qui nos magis dilexit, quàm semetipsum & suæ saluti nostram antepositi, mira charitas Dòmini, qui seipsum quasi obliuiscitur, vt se totum nobis im-

pendat ac largiatur. 3. Christus non obsequitur Patri, dum onus detrectat sibi à Patre impositum. *Resp.* detrectat voluntate conditionali, sed subit voluntate absoluta. Voluntas autem absoluta conditionalem superat & absorbet. Pensandum porrò est obsequium non eo quòd absorbetur, & quasi obruitur, sed ex eo quòd superius est, & eminet. Addit Maldonatus obsequium respicere voluntatem superioris perspectam & notam, non latentem, incognitam: Nec enim statim inobedientiæ atque contumaciæ insimulatur quicunque aduersus Dei voluntatem quocunque modo dictam aliquid agit, sed qui vult, dicit, aut facit aliquid contra voluntatem Dei sibi perspectam: Atqui Christus tunc temporis sinebat humanam naturam suam partes agere suas, vt si cum Diuinitate non juncta fuisset, neque de diuino decreto aliquid sciuisset, neque diuina voluntas ipsi cognita esset hac conditione agens, non poterat dici Patri suo contumax. Quæres hic quomodo Christus à Patre petens, vt transiret à se calix non fuerit exauditus, cùm ipse alibi testetur se semper à Patre exaudiri, Ioh.11.42. *Resp.* ex prædicta distinctione, quod Christus simpliciter, perfecte, & absolutè voluit in eo nunquam repulsam tulisse, sed quod voluit sub conditione, nihil mirum esse si non obtinuerit. 1. Quia ea non tam voluntas erat, quàm velleitas. 2. Quia illud non tam erat rationali desiderio deputandum, quod solùm Deus in oratione respicit, quàm inclinatione naturali, & desiderio deputandum quod solùm Deus in oratione respicit, quàm inclinatione naturali & appetitui sensitiuo, cujus nunquam sunt præcipuæ in oratione partes.

SEQVITVR vt ad considerandam voluntatis Christi qualitatem accedamus ea duplex Theoremate proponitur; libertas putà, & conformitas cum voluntate diuina dicamus de libertate primum. Eam triplicem vulgò faciunt à necessitate, à peccato, à miseria, quam alij vocant libertatem naturæ, gratiæ, gloriæ. Nos quartam adjici posse putamus, nempe libertatem à lege. Ac libertas quidem à lege est, quæ non agnoscit legem aut superiorem, ex cujus præscripto & nutu pendere debeat. Libertas à peccato est peccandi immunitas, siue quæ creaturam culpæ cuicunque eximit. Libertas à miseria, quæ dolorem, tristitiam, fatigationem ac pœnam quamcunque amollitur. Libertas denique à necessitate, quæ coactionem tollit & violentiam. Christus quidem libertatem à peccato plenam perfectamque habuit, quippe sanctus, & immaculatus, & segregatus à peccatoribus, Heb.6.16. & fraudis, ac doli cujusque ignarus, Esa.53.9. Sed neque à lege, neque à miseria libertatem consecutus est, dum in his terris ageret: fuit enim subditus tum legi ceremoniali, quomodo se circumcidi voluit, Luc.21.21. & festa Iudaica celebrauit, ut passim docetur in Euangelio, tum legi etiam morali. Paruit enim parentibus, Luc.2.51. & magistratus partem agnouit, Iohan.19.11. Sic neque à miseria & pœnis hujus vitæ fuit immunis, sed variis opprobriis, atque doloribus vexatus est, prout exigebat, quod susceperat redemptionis negotium. Sed missis nunc iis libertatis speciebus sola libertas à necessitate venit explicanda.

LIBER-

LIBERTATEM à neceſſitate vocamus libertatem voluntatis, quæ in producendis ſuis actionibus libera eſt, ſiue quâ liberè vult, quod vult, & liberè reſpuit, quod reſpuit, dicitur etiam liberum arbitrium, niſi quòd liberi arbitrij voce ita deſignatur libertas voluntatis, ut ſimul denotetur præcedens mentis judicium. Itaque etſi bruta libertatem aliquam dici poſſint habere in propriis ſuis operationibus, quatenus ad illas ſponte & citra vllam coactionem feruntur, non tamen dici poſſunt habere liberum arbitrium, cùm eo fruantur, non ex præuij judicij, ſeu arbitrij ductu, ſed ex ſolo naturæ inſtinctu, vel cognitione ſenſuali, ut cùm ouis ad paſcua, vel ad ramos virides accurrit. Eſt autem ita voluntati naturalis libertas, vt ne voluntas quidem eſſe poſſit, niſi libera ſit & ſponteè agat. Certè velle aliquid facere & cogi tamen ad faciendum ſunt penitus ἀσύμφωνα, voluntarium & violentum nihil habent inter ſe commercij. Nam violẽtum eſt cujus principium eſt externum, ita vt qui violentiam patitur, nihil proprij & ſpontanei motus conferat, vt cùm Ethnici Chriſtianos ad idolorum templa pertrahebant, & ibi vel in genus procumbere, vel altaribus thura imponere per vim adigebant. Voluntarium verò eſt cujus principium eſt intrinſecum, ſeu quod eſt *electiuè*, vt loquuntur, à voluntate, ita vt voluntas eò per ſe feratur, quomodo Græci illi, qui aſcenderant vt adorarent in feſto Philippum conueniunt & rogant eum dicentes, Domine volumus Ieſum videre, Ioh. 12. 20. 21. Atque huc referri poteſt Apoſtoli dictum, 1. Cor. 7. 37. Vbi tanquam contraria opponit ἔχειν ἀνάγκην & ἔχειν ἐξουσίαν τῆς ἰδίας θελήσεως, Chriſtus igitur qui voluntatem habuit humanam & propriè dictam proculdubio habuit libertatem voluntatis, & quod voluit, liberè voluit, neque fuit neceſſitatè adactus. Itaque quod diſcipuli eum συναναγκάσαι coegiſſe dicuntur, vt ſecum pernoctaret, Luc. 24. 29. Non eſt rigidè accipiendum, quaſi in ea re voluntas ipſius vim propriè dictam paſſa fuiſſet, cùm ex eodem loco ſatis pateat Chriſtum diſcipulorum deſiderio illo delectatum fuiſſe, & haud grauatè ipſorum hoſpitio fuiſſe vſum, ſed phraſis eſt ex medio petita, & popularis locutio quæ coactionis voce κατεπείγεσθαι & impropriè ſumpta non aliud deſignat quam efficaciam precum & verborum, quibus vſi ſunt diſcipuli, & quibus Chriſtum promouerunt ac perſuaſerunt, vt ab ipſo pernoctationis gratiam obtinerent.

SED quæritur, Num Chriſti voluntas libera fuerit ab omni neceſſitate vbi eadem ratione expedietur quæſtio de libertate, quæ neceſſaria eſt ad liberum arbitrium conſtituendum quam Bell. agitat lib. 3. De gratia & libero arbitrio cap. 4. 5. 6. Vbi ergo poſuit aliam eſſe libertatem à coactione, aliam à neceſſitate docere nititur. Ad liberum arbitrium conſtituendum non ſufficere vt liberum ſit à coactione, ita vt quod agit, ſponte agat, ſed eſſe omnino liberum debere à neceſſitate, quod probat tum variis patrum teſtimoniis docentium, quod liberè fit, non fieri neceſſario, & libertatem neceſſitati opponentium, imò teſtantium arbitrij libertatem pares in vtramque partem motus habere & partem ejus eſſe in oppoſita, tum etiam ejus rationibus: Nam ſi ad rationem libertatis in

voluntate sufficiat, vt liberum sit à coactione; Consequens est, vt diceremus bruta & pueros & furiosos habere lib.arbitrium, cùm agant sponte, non coactè. Igitur Deum per lib.arbitrium genuisse filium, quia non coactè, sed sponte eum genuit.

Nos his conclusionibus rem explicamus. 1. In lib. arbitrio duo consideranda sunt; quid scilicet est arbitrium, & quid est liberum. Quid arbitrium est, ad rationem pertinet: Est enim arbit. idem, ac existimare ac censere, quod sanè rationis est, sed quod liberum est ad voluntatem pertinet, vt arbitrium est, habet κρίσιν, vel προαίρεσιν, id est, judicium, vel consultationem circa rem, quæ agenda est, vt liberum est quod habet ἐκουσιότητα, siue libentiam. Vt igitur constituatur integra ratio liberi arbitrij, opus est, vt res judicio fiat, ac sponte. 2. Fit aliquando, vel propter statum hominis, vel propter naturam rei, quæ voluntati offertur, vt libertas arbitrij sit industria ad vtrumque oppositorum: Ita enim Adamus potuit præcepta Dei seruare, vel non seruare: Ita homo fidelis in hac vita in cujus voluntate inest tum forma sanctitatis imperfectæ, tum forma corruptionis nondum abolitæ, potest bonum facere, vel malum operari: Ita in rebus humanis & Ciuilibus possumus ambulare, vel sedere, loqui, vel tacere, &c. Tertia libertas voluntatis in eo præcipuè, atque essentialiter consistit, quòd immunis est à duplici necessitate. Prior est necessitas Physicæ detractionis ad vnum, quando nempe res ex ratione principiorum internorum constitutionis suæ ad vnum tantum fertur naturaliter, quomodo bos & ouis necessitate Physica feruntur ad pabulum suum: Nam certè quod ita physicè determinatur, voluntarium dici non potest, cùm voluntas & natura inter se opponantur: Posterior est necessitas violentiæ siue coactionis: voluntas enim libera nullo modo dici posset, nisi sponte & citra vim vllam externam ageret. Quid est enim cogi, nisi adigi ad faciendum quod nolis. Voluntas igitur si cogeretur, vellet simul, & nollet, quod est contradictorium. Itaque Lomb.lib.2. dist.25.lit.7. Libertatem à necessitate in eo ponit, quòd voluntas cogi non potest, vbi Bonau. est, inquit, considerare libertatem arbitrij quantum ad esse & quantum ad bene esse: Si quantum ad esse vocatur à Magistro libertas à coactione. Sic Thom. in quæst. disp. de potentia quæst. 10.art.2. Ad quintum docet necessitatem quamlibet libertate voluntatis non repugnare, sed libertatem tantùm voluntatis opponit tantùm violentiæ & coactioni.

His positis totam Bellarmini telam detexere facile est: Nam quod ad ipsius rationes pertinet, sunt inutiles omnes: Nam bruta, & pueri, & furiosi agunt quidem sponte, sed non agunt ex arbitrio & consilio; non possunt igitur dici habere liberum arbitrium. Deus autem non voluntate, sed natura genuit filium. Itaque non dicendus est genuisse per lib.arbitrium, quod non ad naturam, sed ad voluntatem pertinet. Lib. arbitrium est κρίσεως; generatio filij est φύσεως. Quod verò Nicenus & alij à Bellarmino producti asserunt lib.arbitrium esse in opposita. Intelligendum est non de libero arbitrio in genere spectato, sed specialiter consi-

derato, putà quale erat in ſtatu creationis, vel quale eſt in ſtatu regenerationis imperfectæ. Quod denique neceſſitatem & voluntatem, ſiue libertatem opponunt inter ſe, non eſt referendum ad neceſſitatem quemlibet, ſed ad eam, quam diximus neceſſitatem violentiæ, ſiue Phyſicam.

Esse enim neceſſitatem aliquam quæ cum voluntatis libertate non pugnat probo, 1. Quia inter Stoicorum & Pelagianorum errores, hunc etiam Patres computant, quòd docuerint voluntates eſſe non poſſe liberas, ſi ſubducantur neceſſitati, eumque libero arbitrio priuari, qui neceſſitate conſtringitur, vt videre eſt apud Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 10. & libro de natura & gratia cap. 46. 2. Quia ſi ſpecies neceſſitatis percurramus reapſe comperiturі plures eſſe, quæ in voluntatem ſalua ipſius libertate cadant: Etenim ne quid dicam de neceſſitate hypothetica, quâ quidquid agit, quatenus agit, neceſſariò agit. Neceſſitas quædam ab externo præcedens, neque vim tamen vllam inferens, cui voluntas ſubjecta eſt, ea eſt neceſſitas, tum dependentiæ, tum directionis à Deo. Certè voluntas noſtra, ſicut & omnia creata à Deo neceſſariò pendent, tum in eſſendo, ſiue ſecundùm eſſentiam, quam habent a Deo, tum in conſeruando, ſiue quoad conſeruationem ſui eſſe, quia ſi Deus influxum ſuum retraheret, voluntas ſtatim eſſe deſineret; ſic & quod agat voluntas, à Deo dirigitur neceſſariò, neque aliquid operari poteſt, niſi quod à Deo dirigitur neceſſariò, neque aliquid operari poteſt, niſi quod à Deo præuiſum eſt, quam vocant neceſſitatem immutabilitatis, ſiue infallibilitatis. Eſt & alia neceſſitas, quæ ab interna procedit, quam, docendi gratia, duplicem facio neceſſitatem, nempe modi, & formæ. Modi eam voco, quâ voluntas ita liberè agit, vt fieri non poſſit, quin liberè velit, adeóque neceſſarium ſit, vt libertate vtatur in volendo, Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 5. Cùm dicimus neceſſe eſt, cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideò lib. arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem. Neceſſitas formæ eſt qua voluntas agit pro ratione qualitatis illius, quâ informatur: Cùm enim ex forma conſequatur operatio, ſi voluntas informetur qualitate perfectè mala, non poteſt non malè operari, vt patet in Diabolis & reprobis: ſi verò qualitate perfectè bona non poteſt non bene operari, vt patet in Angelis & beatis hominibus, & tamen illi omnes liberè operantur.

Sed non aliunde clarius poteſt patere, quænam libertas ad conſtitutionem liberi arbitrij ſufficiat, quàm ex conſideratione humanæ voluntatis in Chriſto. Atque illud quidem certum eſt apud omnes habuiſſe Chriſtum voluntatis libertatem. 1. Quia vbi ſunt formales actus libertatis, ibi liberum arb. eſſe neceſſe eſt. Atque actus ejuſmodi fuerunt in Chriſto, putà electio boni, reprobatio mali, Eſa. 7. 15. Obedientia voluntaria, Phil. 2. 8. 2. Quia ad meritum requiritur voluntatis libertas. Chriſtus autem actionibus & paſſionibus ſuis verè nobis promeritus eſt gratiam & gloriam. 3. Quia Chriſto non defuerunt perfectione huma-

næ naturæ. Liberum autem arb. magna est perfectio, & insigne decoramentum. Iam autem ea Christi libertas, sicut ab omni coactione fuit immunis, ita cuidam necessitati subjecta est. Nam, 1. Christus non habuit indifferentiam ad bonas & malas actiones, sed ita voluit bonum, vt malle malum non potuerit, quæ tamen fuit eximia species libertatis. Voluntas Christi tantò liberior fuit, quantò magis peccato seruire non potuit, inquit August. de Prædest. Sanctorum, cap. 15 .2. Christi voluntas à Deo determinata fuit ad illa omnia præstanda quæque ipsi ex ratione muneris incumbebant, sicut mandauit mihi Pater, &c. Ioh. 14.31. Ergo non potuit eâ non præstare. 3. Christus mortem libentissimè oppetiit pro nobis, Ioh. 8.18. Heb. 10.7. Et tamen in ea morte obeunda sine dubio immutabilis necessitas adfuit primùm ex decreto Dei, vnde dicitur oportuisse Christum pati, & in crucem tolli, Marc. 8.31. Luc. 9.22. & 17.25. & 24.26.46. Act. 17.3. 2. Ex infallibili veritate prædictionum & figurarum, quas omnes impleri oportuit, Act. 3.18. Cùm fieri non possit, vt scriptura soluatur, Ioh. 10.35. Neque debeat vnum jota vel vnus apex ex lege præterire, vsque dum omnia facta fuerint, Matth. 5.17. Vnde dicitur Christus mortuus, sepultus, & suscitatus secundùm scripturas, 1. Cor. 15. 3.4. Excipiunt quidam ex Aduersariis non reperiri quidem in Christo libertatem quoad speciem, siue quoad genus mortis, sed liberum verè fuisse Christum quoad numericam passionis vnitatem, idque multis modis. 1. Quia liberum erat, vt moreretur alio momento temporis, vel alio. 2. Vt per tales ministros, vel alios. 3. Vt cum tali, vel tanto ardore charitatis. 4. Vt ex imperio, puta fortitudinis, vel patientiæ, vel charitatis erga nos, vel obedientiæ erga Patrem. Ita Becan. cap. 17.2. & Gamach quæst. 18. Sed hæc omnia nihili sunt. 1. Quia id semper relinquitur esse aliquam necessitatem, quæ possit simul esse cum libertate voluntatis. 2. Quia decretum & prædictio faciunt in re necessitatem infallibilitatis: Atqui non tantùm genus mortis, sed etiam circumstantiæ ejus omnes, vel prædictæ, vel certè à Deo decretæ fuerunt. Nam quod ad authores & ministros Christi, fecerunt illi omnia, quæ manus & consilium Dei priùs definierat facienda, Act. 4.27. Et sicut prædictio Iudæ antea fuerit à Deo prædicta, vt docetur Act. 1.16. Ita non est dubitandum, quin de vnoquoque ministri morte præcesserit apud Deum decretum quoad tempus mortis; Illud vero ita determinatum fuit, vt nec citiùs, nec seriùs Christus mori potuerit, vnde dicit ipse modò nondum venisse horam suam, Ioh. 2. 4. modò appropinquare horam, Matth. 26. 45. modò venisse horam, Ioh. 17.1. quam vocant etiam horam Aduersariorum & partem tenebrarum, Luc. 22.53. Quòd ad affectum charitatis necessarium erat vt esset maximus, & in eminentissimo gradu: Nam cum esset Christus bonus Pastor oportebat & vt daret animam suam pro ouibus suis, Ioh. 10.11. Atque ille est eminentissimus charitatis gradus, Ioh. 15.13. Denique motiua mortis quod attinet, necessarium erat, ut adessent illa singula, quæ in medium proponuntur fortitudo, patientia, charitas, obedientia, neque fieri poterat, ut Christus aliquid eorum omitteret.

teret. Nam, 1. quid est fortitudo, quàm constantia illa, siue animi firmitas quâ paratus est homo ad officium præstandum, quæcunque demum difficultates occurrant, ita vt ardua suscipiat, & aduersa sustineat, donec tandem ex illis victor eluctetur. Christus autem à Deo vocatus erat ad officia illa præstanda, nec poterat ex illis omnibus difficultatibus non victor emergere. 2. Patienter omnia ferre debuit, tum quia ita prædictum, Es.53.7. Tum quia patientiæ exemplum nobis esse debebat, 1.Pet.2.23. Quippe qui seruator noster esset, non tantùm meritò, 1.Cor. 6.20. 1.Tim.2.6. Sed etiam exemplo, Ioh.3.15. 3. Sicut mori Christum pro peccatoribus necessarium fuit; ita necessarium fuit vt moreretur ex charitate erga nos, quia intentio moriendi pro salute alicujus non potest esse, nisi ex amore, eoque summo, Ioh.15.13. Denique cùm non potuerit Christus non obedire Patri, Ioh.4.34.& 14.31. Obedientia autem illa pertigerit vsque ad mortem crucis, Phil.2.8. Sanè non potuit Christus non obire mortem ex obedientiæ motiuo ita patet, quanquam liberrima fuerit Christi voluntas, salua tamen illa fuisse Christum multiplici necessitati subjectum.

ALTERA qualitas est conformitas voluntatis humanæ Christi cum diuina. Potest autem ea conformitas spectari dupliciter, nempe vel secundùm essentiam, seu esse naturale: vel secundùm actionem, seu esse morale. Ac si esse naturale consideremus nulla est inter voluntatem Christi humanam & diuinam conformitas æqualitatis, cùm finiti ad infinitum nulla potest esse ejusmodi conuenientia, etsi non est negandum esse conformitatem quandam similitudinis & ordinis, qualem nimirum agnoscere est necesse inter Creatorem & creaturam. Sed nos hic agimus propriè de conformitate secundùm actionem, quæ in hoc consistit quòd voluntas vtraque idem vult: Eam. Ergo sic explicamus. 1. Humana Christi voluntas diuinæ nunquam fuit contraria: Nam & ipse Christus ostendit exequutionem voluntatis diuinæ esse rem sibi gratissimam, cùm eam cibum suum vocat, Ioh.4.34. Et vt voluntates dicantur contrariæ, necessarium est vt discrepent omnino circa idem eodem modo eadémq; ratione consideratæ, quod minus in hac causa contigit, vt ex supra dictis liquet. 2. Fuit aliquando diuersitas quædam inter voluntatem diuinam & humanam Christi quando nempe Deus volebat Christum mori, Christus autem mortem refugiebat. 3. Hæc diuersitas non impedit quò minus dicatur humana voluntas diuinæ conformis; Idque variis modis. Nam, 1. Ea demum est veri nominis voluntas quæ absoluta, efficax, & determinata est: Nam quæ conditionata est & inefficax velleitatis appellatione potiùs venire debet: Atqui iam ante confirmauimus voluntatem Christi absolutam & efficacem fuisse semper diuinæ conformem. 2. Etsi voluntas Christi aliquando non fuerit conformis diuinæ materialiter, siue in objecto volito, quia Pater volebat mortem Christi; nolebat autem Christus mortem suam, fuit tamen conformis in objecto formaliter spectato, hoc est omnibus circumstantiis suis vestito, vt docuimus. 3. Fuit conformis diuinæ effectiuè, siue ratione causæ effici-

entis ac dirigentis: Voluit enim Christus semper quod Pater volebat eum velle: Placebat enim Deo vt Christus vellet viuere, adeóque mortem refugeret secundùm inclinationem naturæ, & ita demonstraret humanitatis suæ veritatem. 4. Denique conformis erat diuinæ secundùm generalem finem, vel rationem volendi: Sicut enim Deus nihil vult, nisi propter bonum aliquem finem. Ita neque Chtistus, qui cùm esset immunis à peccato turpem & inhonestum finem nunquam sibi proponere potuit. *Atque hactenus de voluntate Christi & de ejus dotibus.*

CAPVT X.

De innocuis Christi defectibus.

POST Christi dotes, de innoxiis defectibus nonnihil in specie obseruandum superest, post ea, quæ generaliter docuimus lib. prioris cap.7.Theor.3. Esto igitur hoc Theorema. *Christus vt varios defectus corpore pertulit puta famem, sitim, &c. Ita in anima verè ac propriè passus est tristitiam, timorem & alia ejusmodi.* Christum ex corpore & anima constitutum eis defectibus obnoxium esse par fuit, qui essent innocui, & quibus mortalium corpus & animam subjici videmus atque ad corpus quidem spectant opprobria dolores cruciatus. Et denique mors quam in cruce pertulit. Sed de his alibi erit dicendi locus, hic nonnullos tantùm attingimus. Christum igitur esuriisse bis legimus; primùm, post exactos quadraginta dies jejunij, Matth.21.18. Sitiisse item semel & iterum scribitur nempe, Ioh.4.7. Vbi potum petit à muliere Samaritana, & Ioh.19.28. Vbi moribundus exclamat in cruce sitio, sed & lachrymarum bis scriptura meminit; fleuit enim Christus in morte Lazari, Ioh. 11.35. & iterum super Ierusalem, Matth.9.41. Semel lassitudo ipsius ex itinere memoratur, Ioh.4.6. Semel autem dormiuisse legitur, Matth.8. 24. Circa hos omnes defectus ista *notari* debent. 1. Illos in Christo fuisse secundùm naturam & aliquando supra naturam. Secundùm naturam, quia Christus eos verè patiebatur. Verè enim esuriebat, sitiebat, &c. & quia dum eos affectus Christus assumebat, præcedebat semper objectum aliquod quod sibi Christus animo proponens eos affectus in se efficiebat, quando nos cùm esurimus, aut flemus, aut alio affectu commouemur. 1. Rem aliquam, siue objectum concipimus, quod ejusmodi affectum excitat, sed & supra naturam, quia Christi voluntatem non anteuertebant, sicut fit nobis omnibus, sed sequebantur, non necessitate, inquit Chrysost. sed voluntate Dominus esuriit, vnde cùm in morte Lazari effunderet lacrymas, dicitur turbauisse seipsum, Ioh.11.33. Id est, voluntariè viscera sua commouisse calore compassionis, tum erga Lazarum mortuum, tum erga sorores fratris morte supra modum afflictas: Turbatio enim illa non aliqua rationis obnubilatio fuit, sed motus interior,

quo

quo Christi viscera sunt ad compatiendum miro affectu commota. 2. Defectus, siue passiones illas in hominibus causas habere aliquando naturales & ordinarias, aliquando præter ordinem & naturam, nonnullos videmus, febricitantes siti vrgentur immensa, quidam nimio noxioque sopore grauantur, spontaneæ sunt quædam lassitudines, quæ futuros morbos præsagiunt. Sed in Christo non sunt fingendæ causæ ejusmodi particulares & extraordinariæ, quæ nonnisi morbidos affectus progenerant: fames enim & sitis oritur à causis præternaturalibus, non affectus naturales, sed morbi sunt, à quibus Christum immunem supra fuisse diximus; Ejus fames fuit naturalis appetitus cibi, ejus sitis naturalis appetitus potus: Ejus somnus naturalis ligatio sensuum externorum, sed ita vt ratio Christi per soporem non ligaretur: Christus enim dormiens intellectu operabatur perfectè, ne vanis phantasmatis, aut ineptis cogitationibus, vt nobis sæpe fit, deluderetur, quippe quæ omnia, vel peccata sunt, vel certè à peccati fomite trahunt originem. 3. Hos defectus voluntariè Christum accepisse, non tantùm vt humanæ suæ naturæ veritatem demonstraret, sed eam propter peculiares causas, quæ in singulorum narratione exhibentur, sic esuriuit post jejunium quadragesima dierum, vt Diabolum prouocaret, & occasionem ministraret tentationis, ex qua victor rediturus erat. Hil. can. 3. in Matth. non erat à Deo Diabolus, sed à carne vincendus, quam vtique tentare non ausus fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis, recognouisset. Esuriuit cùm reuerteretur in vrbem, vt inde ansam arriperet & edendi miraculi & docendi mysterij in arefactione ficus; Defatigatus est exitinere, & potum petiit à Samaritana, vt se verum Messiam Samaritanis declararet, eosque in mysteriis quibusdam præcipuis veræ pietatis institueret. Sitiuit, in cruce, vt aceto potatus se eum esse demonstraret, de quo ante Dauid longè vaticinatus fuerat, Ps. 68. 22. Fleuit in morte Lazari, vt adstantes charitatem ejus admirati, multò magis potentiam in suscitando statim Lazaro susciperent; fleuit, super futurum hierosolymorum excidium, vt se doceret esse venturorum scium, nec ipsum aliquid eorum latere, quæ postea, vel ipse ab ingrata Ciuitate passurus esset, vel ingrata & sanguinaria ciuitas propter ipsum morte mulctatum paulò post iusto Dei judicio perpeti deberet. Denique dormiit in remigio, vt oborta tempestate territi discipuli opem ab ipso vehementiùs peterent, eorumque sensus apertior ad videnda miracula redderetur, vt veteres docent. Adde quod ita voluit Christus ab Apostolorum intrepidatione magna excitatus arguendæ eorum ὀλιγοπιστίας occasionem capere posset, qui Domino præsente dubitarent, ac de salute incerti essent, quasi non posset ipse dormiens æquè ac vigilans imperare ventis, sedare fluctus, tempestatem cohibere, & ipsos ab omni naufragij periculo tutos præstare.

Fuerunt & sui animæ Christi defectus quidam, absque omni tamen peccati ratione: Talis fuit, ignorantia, de qua ante agebamus, talis tristitia, quæ Christi animam obsedit, talis pauor quo impetitus est, ta-

lis ira, in quam aliquando efferbuit, iustissimè, & quæ aliæ potuerunt esse passiones ejusmodi innoxiæ, de quibus generatim aliquid dicendum, antequam ad singulas accedatur. 1. Christus non corpore tantùm, sed & animo passus est docet scriptura, Es.53.10. Exposuit animam sacrificium in reatum, Ioh.10.15. Pono animam pro ouibus meis, vbi nomine animæ non potest simpliciter intelligi vita, quæ viui corporis est affectio, quam definiunt permanentiam vegetantis in calido, vel præsentiam formalem, & operatiuam animæ in corpore: Nam certè victima pro reatu, siue sacrificium ἱλαστικὸν pro peccatis nostris debet esse res αὐτόπαρχος, id est, per se subsistens, cùm merum accidens sanctificatum esse pro nobis nemo sanus dicat. Itaque voce animæ intelligitur pars illa nostræ substantiæ, quæ vnà cum corpore hominem constituit. Sic Matth.26.38. Anima Christi dicitur tristis ac turbata, quod non aliò sanè, quàm ad substantialem illam humanitatis Christi partem referri potest, agnoscunt & Patres, Ambr. vt citatur in Concilio II. Hispalensi cap.13. Anima Christi passionibus obnoxia, diuinitas libera fuit, Hieron. in Es.53. Perspicuum est sicut corpus flagellatum, ita & animam verè doluisse pro nobis. Leo de passionibus serm.8. veros & corporis sensus, & animi sentiebat angores, fatentur & Pontificij Bell. de anima Christi cap.8. Maldon. in Matth.26.37. Corn. à Lapide in Es.53.3. non tantùm ait, Christi animam plenam fuisse dolore, sed & omnes animæ Christi potenatis intellectum, voluntatem, memoriam plenas fuisse doloribus æquè ac sensus externos & internos. 2. Passa est anima Christi per συμπάθειαν, siue consensum; neque enim inferri poterat violentia corpori, quin ejus sensus in animam peruaderet, propter intimam partium illarum vnionem. Certè ex consensu illo fiebat, vt animi dolores ad corpus vsque pertingerent, sicut legimus, Luc.22.44. Antequam vlla vis fieret corpori Christi manasse illud sudore grumisque sanguineis ex ingenti illa tristitia, quam animo conceperat, vt in effectu extraordinario (sudare ex metu siquidem frequens est, sed sudare sanguinem infrequentissimum & miraculo simile) pateret vnicuique quantum grane & humanitus ἀζάνατον indignationis diuinæ pondus in sponsoris nostri animam incumberet, ex consensu similiter illo fiebat, vt corporis passiones in animam exundarent, Cyrill. de Incarn. vnigeniti cap.7. Vbi docuit animam etiamsi per naturam propriam expers sit passionum corporis, tamen omnia, quæ sunt corporis, reputare sua, & condolere, quòd corpus suum patiatur. Illud Christo statim applicans docet necessarium fuisse, vt cum suo corpore adunata anima doleret, atque illud etiam facilè Pontificij concedunt. 3. Sed quæritur, vtrum anima Christi per ἰδιοπάθειαν, id est, propria & immediata passione aliquid passa fuerit, quod esset necessarium ad Redemptionis nostræ pretium peragendum. Negant Aduersarij, qui solam mortem & passiones corporis ad impetrandam redemptionem à Christo ita docent assumptas fuisse, vt propriarum animæ passionum nullam fuisse velint necessitatem. Nos contra. Christum anima verè & propriè atque immediatè passum fuisse contendimus

Quæstio

dimus, neque dubitamus, quin illud necessarium fuerit, cùm non sit putandus Christus aliquid frustrà passus fuisse, & nullo cujusquam commodo suppetunt in eum finem clara Scripturæ testimonia. Sanè passiones illæ immediatè hærent in anima, & animam, tanquam subjectum proprium sibi deposcunt, quæ in illum inferuntur, tum cùm neque dolet, neque patitur aliquid corpus. Atqui multæ fuerunt ejusmodi passiones Christi. Anima enim eius turbatur, Iohan.12.27. quantumuis corpus tum nullo dolore afficeretur, & cùm nondum ab hostibus correptum fuisset corpus, tristis vsque ad mortem fuit ipsius anima, Matth.26.38. Præterea cùm Christus tentatus fuerit sicut & nos, excepto peccato, Hebr.4.15. Habeat autem anima nostra proprias suas passiones necesse est, vt eam etiam in anima Christi agnoscamus. Adde quòd quidquid ex nobis assumpsit Christus in eum finem assumpserit, vt in eodem patiendo idem redimeret. Ambr. exempla 40. vt totum redimeret, & saluum faceret totum hominem vtique suscepit: fuit item Christus sponsor noster. Licere igitur debuit non tantùm in corpore, quod nostris corporibus debebatur supplicium, sed etiam in anima, quæ animis nostris tormenta debebantur, peccata natura Christi pœnis expiata sunt. Ergo & quæ peccauit anima propriè ac per se ac seorsim à corpore, id est, ita vt ad peccatum nihil de suo corpus conferat ex propriis animæ Christi passionibus ac doloribus debuerunt expiari: Nec est aliquid in doctrina Patrum frequentius, Iren.lib.5. cap.1. Et ex eo Theod.Dial.3.Dominus dedit animam suam pro animis nostris & carnem suam pro carne nostra. Euseb. lib.1.demonstr. ait Christum nobis non tantùm ἀντίψυχον, sed & ἀντίσωμον, id est, animam suam pro animabus nostris in oblationem dedisse. Athan. de Incarnatione in duas partes diuisus est homo corpore in sepulchrum, anima in infernum. Fieri autem non potuit, vt alterum horum pro altero daretur in pretium, sed corpus pro corpore, animam verò pro anima dedit Nazian. apud Theod. Dial.1. Sicut carne opus habebat propter carnem commendatam: Ita & anima propter animam, mens propter mentem, quæ non solùm in Adam lapsa erat, sed etiam prior passa & affecta fuerat. Denique Cyrill.Alex.apud Euthym.Panopl.parte 2.tit.13. Quemadmodum dispensatione concessit propriæ carni, vt omnia, quæ ipsius sunt propria patereturIta rursus animæ permisit, vt quæ ipsius propria sunt, sustineret.

Obiicitvr in Scriptura redemptionem nostram semper attribui morti Christi temporali, ejusque sanguini in carne effuso. *Resp.* Morti quidem, & sanguini, & cruci attribui, imò cùm de Christi oblatione & sacrificio agitur, fit mentio sæpius animæ, Esa.53.10.15. Neque cùm mors crucis memoratur, sola mors corporea intelligenda venit, sed maledictio etiam illi adjuncta. Maledictionis autem nomine veniunt etiam angores illi summi, quos Christus in anima sua pertulit, sed de his amplius suo loco.

Trivm præsertim passionum animæ Christi Scriptura meminit. 1. Est ea de qua Marc.3.5. circumspexit eos cum ira, Iohan.11.33.38.

dicitur Christus ἐμβριμήσασθαι, infremuisse Spiritu est autem ἐμβρίμασθαι cum ira loqui, & cum austeritate increpare, vt videre est apud Suidam & alios. Porrò iram, vel Physicè, vel Ethicè spectare possumus, id est, vel secundùm esse naturæ, vel secundùm esse moris. Physicè est passio ex accensione sanguinis circa cor ortum trahens, quomodo peccati rationem non habet. Ethicè dicta duplex est; Alia quæ meritò culpæ deputatur; Alia quæ culpam in se non habet. Illa est immoderatus animi motus inordinatè concitans ad vindictam; ejus iræ filias dicit Greg. Mag. esse rixam, contumeliam, clamorem, blasphemiam: Ista est motus animi contra aliquem propter ipsius peccata ex zelo, & amore Dei procedens. Quæ igitur in Christo fuit ira, non ex vitio erat, sed ex zelo; non ex odio in personas, sed ex odio in peccata hominum; non ex appetitu vindictæ propriæ, sed ex amore justitiæ diuinæ. Ita cùm in morte Lazari Spiritus infremeret, indignabatur in peccata hominum, & ægrè ferebat in multis perituram doctrinam & miracula sua, indignabatur Iudæorum incredulitati & hypocrisi, qui Lazarum lugebant, magis ad vanam amicitiæ ostentationem, quàm ad solidam afflictarum sororum consolationem, & corporis mortem in amico deflebant, cùm ipsi secundùm animam in morte jacentes non deplorarent seipsos: Ita dum accusatores circumspiciebat cum ira, indignabatur eorum peruicaciæ, qui tam impudenter, & insanè manifestam Dei bonitatem ac veritatem insectarentur. Verùm vt noris hanc iram in personas non exarsisse, sed in peccata, docetur Marc. 3. 5. Christum condoluisse, vel contristatum fuisse super cæcitate cordis eorum, nempe ita infensus erat eorum contumaciæ, vt simul caperet illum commiseratio eorum, vnde etiam nihil præteriuit, vt à malitia reuocet & ad officium reducat.

TRISTITIA est motus animi consequens ex objecto nocuo, vel disconueniente, quatenus imaginatione apprehenditur tanquam præsens. Eiusmodi affectum in animo sapientis esse debere negarunt Stoici, qui nisi de tristitia loquuti sunt, non turbante modò, sed perturbante, id est, quæ rectum Iudicium eliminet, & à rationis æquitate hominem planè dejiciat, audiendi non sunt. Nam certè de nullo tristari, non sapientiæ, sed duritiæ potiùs inter homines jure deputatur. Sicut enim gaudere cum gaudentibus ita flere debemus cum flentibus, Rom. 12. 15. Et fuit sine dubio Christus omnium hominum sapientissimus, cujus tamen Scriptura tristitiam clarè profitetur, Matth. 26. 38. & Marc. 3. 5. neque verò solùm Scriptura tristem Christum esse docet, sed quantitatem etiam ipsius tristitiæ non tacet: significat enim longè maximam fuisse, & intensissimam, etsi de cætero rectæ rationis fines nunquam transilierit. Itaque non tantùm λύπην vocat, sed etiam τάραξιν, Iohan. 12. 17. deducta nimirum ab aquis similitudine, quæ violento impetu à ventis aut tempestate huc illuc agitantur, quanquam vehemens illa fuit commodo absque vlla ἀταξίᾳ, vt si aquam limpidissimam, & nullo limo commixtam puro vitro inclusam agites atque commoueas. Vocat & ἀδημονίαν, Marc. 14. 33. quasi dicat cumulum doloris, atque tristitiæ: Nam cùm sit ἄδος,

ἐτάραξεν σεαυτόν.

Gr. sa-

Gr. satietas. Inde ἀδημονῶν, præ nimia dolorum satietate, quasi fatiscere, nisi malis esse ἀδημονᾶν, quasi ὁ ἄδην ἔχων ea tristitiæ mole grauari, vt videre passionis apud inferos agere. Fuit autem ea Christi tristitia non tantùm in appetitu ejus sensitiuo, quam vocant inferiorem animæ partem, sed & in appetitu voluntatis, adeoque in animæ parte superiori, vt patet, 1. Ex eo quod Christus ipse docet animam suam fuisse περίλυπον, id est, non modò tristem, sed vndique tristitiâ veluti obsessam, ita vt nulla fuerit animæ pars, quàm non occupauerit, Matth. 26. 38. In quem locum fatetur etiam Maldonatus, dispensatione quadam factum, vt Christus tristitiam in animæ parte superiorem admiserit. 2. Ex eo quod Christus tristatus fuerit ex apprehensione impendentis sibi diuini judicij & mortis pro salute hominum obeundæ. Item propter peccata hominum, & propter casum ac ruinam Iudæorum, & propter scandalum ac mœrorem discipulorum. Hæc enim omnia non sub apprehensionem partis imaginatiuæ & inferioris, sed intellectiuæ cadunt, vt satis liquet.

TIMORIS à tristitia discrimen, hoc est, quòd tristitia ex apprehensione mali præsentis ortum ducit. Timor verò ex apprehensione ejus futuri timoris veritatem in Christo docet Scriptura, Matth. 26. 37. & Hebr. 5. 7. Vbi dicitur Christus exauditus ἀπὸ τῆς εὐλαβείας à metu mortis, non quidem absolutè, quasi à mortis obeundæ necessitate, liberatus fuisset, sed secundùm quid, quatenus nempe Deus, qui illum exaudiuit, timorem etiam mortis ita discussit, vt Christus se totum Dei voluntati submittens mortem constantissimè exciperet, quantus autem fuerit Christi timor eadem Scriptura docet, quæ & ἐκθαμβεῖσθαι vocat, Matth. 26. 37. & ἀγωνίαν, Luc. 22. 44. Est enim ἐκθαμβεῖσθαι non timere simpliciter, sed expauescere, siue attonito pauore exterreri. Ἀγωνία verò est propriè horror ille, quo concutitur, qui contra volentem Aduersarium in certamen descensurus est. Vnde & in genere angorem, trepidationem animi æstimationem designat. Haud abs re igitur Christi agonia tribuitur qui aduersus Dei judicium, quasi dimicaturus ad mortem pergebat. Sic Iustinus contra TRYPH. cor & ossa Christi contremuisse ait, & Basil. in Psalm. 21. Cor Christi metu tanquam ceram ignis calore dissolutum fuisse. Tertull. de resurrectione carnis, cap. 18. Christum animam circumtulisse trepidantem vsque ad mortem, ac timorem quidem Damasc. lib. 3. cap. 23. docet aliam esse reformidationem scilicet eorum, quæ vitam, & esse naturæ tollunt, vel molestiam ac dolorem inferunt: Tantam enim habet rationalis anima ad vnitum sibi corpus, affinitatem, vt illi conjuncta reformidet nexus illius arctissimi separationem: Alium verò præter naturam, qui nempe excogitationum errore procedit, aut ex diffidentia, aut ex eo, quòd quis mortis horam ignoret. Posteriorem hanc cum Damasceno à Christo penitus abdicamus. Priorem in eo agnoscimus, quanquam neque simpliciter mortem tremuisse Christus putandus est, ne multis sanctis hominibus mollior, aut infirmior fuisse credatur, sed mortem crucis, id est, pondus illud indignationis diuinæ in hominum, pro quibus Christus patiebatur, peccata succesisset. Vnde maledictio-

nem etiam memorat Scriptura, Gal.3.13. Patres mortem animæ Christi aliquando etiam attribuunt, Athan. serm. de Salu. vocat ὁρμὰς τοῦ θανεῖν ἡ ψυχῆς θάνατον, Hil.in Psalm.67. passionum vniuersarum impetus vsque ad mortem animæ prorumpebat, mortem intellige non spiritualem illam, quâ dicitur anima nostra mortua in peccatis : Absit enim vt huiusmodi mortem Christo tribuamus. Augustinus in Psalm.69. quòd anima sit mortificatus Iesus,quis audeat dicere,cùm mors sit,nonnisi peccatum. Et serm.181.de tempore, Mors Domini nostri non fuit in anima, sed intellige mortem, quatenus significat præsentem iræ diuinæ sensum, quâ fit vt priuetur homo sensu fauoris diuini. Hæc enim est separatio quædam à Deo propter quam Christus queritur se derelictum à Patre. Iam autem vt mors corporis est separatio ab anima. Ita mors animæ est separatio à Deo,inquit Bernard.Ergo fuit timor Christi non ex ignorantia mali futuri,nec displicentia, sed ex horrore maledictionis imminentis.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE

De OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Officio, Oeconomia, & Christi Mediatione in genere.

REDEMPTIONIS negotium quatuor capitibus explicamus. Primum est de persona redimente. Alterum de aptitudine ipsius ad redimendum. Tertium, de Redemptione ipsa. Vltimum, de Redemptionis fine, objecto & effectis. Atque ea quidem quæ ad Redemptionis personam spectant exposita sunt lib. 3. Alterum caput de aptitudine ad redimendum duo membra continet, vt scilicet & qualitates Redemptoris expendantur, & officia ejus exponantur. Prius jam effectum dedimus lib. superiori: Nunc sequitur, vt ad explicandum Christi officium aggrediamur, illudque ante omnia in genere consideremus, vt inde de tribus officiis dicatur in specie.

QVOD Latini officium, munus & aliquando partes spectant, id est, Græcis καθῆκον, vel καθήκωσις. Hebr. משפט משא מעמר פקדת. Est autem dictum officium, vel ab efficiendo, quod scilicet vnusquisque debet efficere, vel ab officiendo, quòd nemini debeat officere, sed omnibus prodesse. Vtrumque etymum Ambr. placuit lib. 1. officiorum cap. 8. Officij porrò nomine plura Latinis denotantur. 1. Ministerium, quod Domino debetur à seruis, vnde lege 24. de manumiss. Artificium, & officium distinguuntur, vt duæ ministerij species. Hoc sensu sæpius occurrit apud vulgatum bibliorum Interpretem. Quòd enim Græc. λειτουργία, siue λατρεία, ipse officium reddit, Luc. 23. Hebr. 9. 6. & vocem vtramque

ministerij & officij conjungens, Exod.28.35. quòd Hebraicè est לשרת. Ipse vertit ad officium ministerij. 2. Cultus, honor & obsequium alteri delatum, sic apud Cic. vt intelligat homini amicissimo te habuisse officium; & apud Sueton.in Tullio cap.82.assidentem conspirati officij spe circumstiterunt. 3. Beneficium quo aliquem demeremur & gratuita opera quam ex mera voluntate & amicitia alicui præstamus Cic. officia meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorari qui contulit; & apud Iurecons. tritum est officium suum nemini esse damnosum. 4. Officium magis propriè illud designat, in quod vnusquisque incumbere debet, vt ipsum pro viribus effectum reddat: Siue vt ait Ambr. quod quisque agere debet, vt nemini officiat, & omnibus prosit. Itaque definiri potest actus vniuscuiusque personæ pro ratione circumstantiarum congruens vnicuique atque conueniens. Hoc sensu Cic.cum voce muneris conjunxit lib. de senectute Masinissa senex omnia regis officia, & munera exequitur: & ibidem munus officij vocat, rectè in senectute viuitur, quoad munus officij exequi, & tueri possis.

NEQVE verò vlla est harum significationum, quæ non possit in Christum competere, si ministerium hac voce designas Christus est Dei seruus, Esa.42.1.& 52.13. & 53.11. Et minister λειτουργος, Hebr.8.2. Item διακονος, Rom.15.8. Et ipse testatur se venisse, vt ministraret, Matth.20. 28. Si honorem, cultum & obsequium. Christus autem ea omnia Patri præstitit honorem, Iohan.8.49. obsequium, Phil.2.8. Et ipse testatur se venisse, vt ministraret & obediret, si beneficium Christus præstantissima quæque beneficia fidelibus exhibuit, & gratuitam operam in iis ab æterna morte liberandis eorumque salute procuranda præstitit. Sed nos missis specialibus significationibus officium Christi consideramus in genere, quatenus id omne designat quod Christus ex imperio Patris effecit ad redemptionem à peccatis & æternæ salutis impetrationem. Hoc vocant Theologi officium Mediatorium, quia in hoc situm est, vt Christus Mediatoris partibus defungatur inter Deum & homines, eósque in gratiam constituat, ac restitutos in eo statu fœliciter & in æternum conseruet. Oeconomicum verò quia & à Deo impositum, & à Christo voluntariè susceptum est ex admirabili œconomia, quo vocabulo cùm frequentissimè, tum veteres, tum recentiores Theologi vtantur, haud abs re erit, si breuiter hìc explicemus. Oeconomia sanè, tum hominibus, tum Deo, tum etiam Christo tribuitur: Atque apud homines quidem cùm propriè, & ex vi compositionis dispensationem significet, siue curam rei familiaris, vt Luc.16.23. tamen inde ad alia translatum est, in Scriptura nominatim de Verbi ministerio dicitur: Cùm enim Ecclesia familiæ cujusdam instar habeat, cujus domus οἰκοδεσποτης est Deus, 1.Timoth.3.15. Inde fit, vt qui fideles verbo vitæ pascunt, οἰκονομοι vocentur, 1.Corinth.4.12. Et οἰκονομία eis commissa dicatur, 1.Cor. 9.17. 2. οἰκονομία Deo tribuitur vt significetur ipsius prouidentia, siue sapientissima rerum omnium administratio, Eph.1.10. Οἰκονομία plenitudinis temporum, id est, prouidentia secundùm quam quod apud se præfinierat

finierat ab æterno, Christum misit in has terras, Coloss.1.25. Ecclesiæ factus sum minister secundùm οἰκονομίαν Dei, id est, ita dispensante prouidentia diuina. 3. Oeconomiæ vocem ad mysterium Incarnationis & Redemptionis Græci Patres nominatim accommodant: distinguunt enim inter θεολογίαν & οἰκονομίαν, vt Theologia dicatur, vel ipsa Christi diuinitas, vel de Christi diuinitate tractatus. Oeconomia verò incarnatio, & quæ œconomiam sequuta sunt, vita, actus, & mors Christi. Quo sensu negant Patres οἰκονομίαν attribui Patri & filio, sicut notauit Maximus Schol. in cap.2. Dionysius de diuinis nominibus. *Hoc loco,* inquit Dionys. *de οἰκονομία tractatus soli Dei verbo attribui sine vlla Patris & Spiritus Sancti communicatione, nisi per solam voluntatem.*

His ita expositis, de Christi Mediatione esto nobis theorema primum, theor. *Christus Mediator est non ratione substantiæ tantùm, sed ratione etiam operationis: Idq; generaliter & specialiter modo perfectissimo.* Mediatoris nomen cum Græco μεσίτου paria facit eandémque cum ipso sortitur, originationem: Nam vt hoc ἀπὸ τοῦ μέσου: Ita & illud â medio dictum est. Seruauit itidem etymum nomen Syriacum מצעיא à מצע quod medium sibi designauit, Hæbræi voce מליץ, eadem significatione vtuntur, quanquam angustiorem significationem vox habet, quæ non Mediatorem quocunque modo dictum, sed eum propriè designat, qui partes egit internuntij, aut oratoris & interpretis vice fungitur. Itaque Gen. 42.23. à Caldæo redditur per vocem מתורבמן. A Septuaginta nomen ϛμηνευτοῦ: Sic & alibi per vocem πρεσβευτοῦ, id est, legati, aut oratoris, 2.Chron.32.31. Ita enim legere malim, quàm πρεσβευτοῦ seu senioris sicut vulgò legitur, cùm voce ista ad Hebræi nominis significationem non accedat. At Iob.16.20. Qui Hebraicè מליץ dicitur, Chaldaicè vocatur פרקליט quæ Græca vox est παράκλητος consolatorem sanctificans, nempe הליץ in hiphil est disertum esse, siue facundum. Itaque מליץ interpretem, legatum, consolatorem oratorem significat, quia id omne genus hominum absque facundo atque expedito sermone munus suum laudabiliter vix obire potest.

Mediatoris nomen & μεσίτου paulò videtur recentiùs, nec à veteribus illis Romanis aut Græcis vsurpatum. Quanquam alio loco vsurpatum est, & Latina voce Apuleium, & Græca vsum esse Philonem, & Scholiasten Thucydidis.

Mediatorem Veteres Latini sequestrem dixerunt, qua voce non semel Tertull. ad designandum Christum Mediatorem vtitur, sicut in eundem sensum Ambr. voce arbitrij. Vnde & Christi Mediationem arbitrium vocat. Est autem sequester, qui medius est inter duos altercantes, & apud quem res ponitur, de qua controuertitur, ita dictus à sequendo, quod fidem ejus vterque contendentium sequatur. Vnde Virg. Æneid.11. non dubitauit inducias vocare pacem sequestrem, quod mediæ sint inter præteritum & futurum bellum, vt notauit Seruius. A Mediatore dicta est mediatio, quam generaliter definire possumus rationem, siue modum administrandi officij Mediatorij.

In Christi autem Mediatione duo præcipuè spectantur, qualitas & actus; id est, persona medians, & operatio personæ; inde duplex multis Theologis mediatio distincta, quarum illam vocant substantialem; hanc actuosam & efficacem; illam quæ per naturam est: Hanc per operationem: Illam Mediationem ratione personæ: Hanc ratione officij vtramque Theoremate breuiter indicatum. Mediatio illa prior non actum, sed statum denotat, adeóque cùm dicimus Christum esse Mediatorem, siue potiùs medium secundùm naturam, aut subsistentiam, non aliud, quàm conjunctionem duarum in Christo naturarum designamus: Est enim Filius Dei incarnatus medius inter Deum & homines non negatiuè, sed positiuè per participationem extremorum, quia vt verus Deus est & verus homo in vnitate suppositi Patri conjunctus ratione naturæ diuinæ, nobis similis ratione humanitatis assumptæ. Quanquam autem hæc Mediatio sit alterius illius fundamentum & basis, quia non potuit esse Mediator officio, nisi quia substantia medius esset inter Deum & homines reconciliandos, vt scilicet accessum haberet facilem ad vtrumque dissidentium, eaque præstare, quæ pro nobis apud Deum, vel ex parte Dei apud nos agenda erant, vix est tamen vt legas alicubi apud probatos authores Christum hac nominatione Mediatorem vocari. Scriptura sanè cùm de Mediatore loquitur, officium semper & operationem designat.

Mediatorem itaque Christum vocamus propriè, ideò quòd actu, officio, exercitio, & operatione Mediator est. Atque id quidem ante omnia ponendum est, quod docet Apostolus, Gal. 3. 20. Mediatorem non esse vnius, sed plurium, adeóque hoc nomine eum demum vocari posse, qui inter duos medius est, vt ipsos deuinciat, atque conjungat. Vbi enim sunt duo distantes, si conjungi debeant, illi alicujus vnionis ratione medium quoddam intercedere necesse est. Sunt autem Creator & creatura duo quædam extrema. Filius igitur Dei accedit tanquam medium cujus habita ratione creatura Deo vnitur, siue ab ipso creetur, & esse suum accipiat, siue aliquo beneficio donetur, siue ad pristinum aliquid jus, vnde fortè exciderat, reuocetur ac restituatur. 1. Ergo quodam laxissimo sensu Dei Filius Mediator dici potest, quatenus ὁ ἀπ' αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ in ipso & per ipsum omnia creata sunt, Col. 1. 16. Hebr. 1. 2. quo respectu dicitur in ipsa vita esse à principio, Ioh. 1. 4. Sed missis reliquis creaturis agamus tantùm de illa Mediatione quæ Christo tribuitur respectu rationalium creaturarum.

Mediationis finis & opus est extremorum vnio. Itaque cùm Christus Mediator dicitur defigenda est statim cogitatio in aliquam vnionem, quæ per ipsum procurata fuerit, inter Deum & creaturas intelligentes, quas nouimus contineri ordine duplici Angelorum, & hominum. Vnde liquebit, an & quomodo Christus Angelorum Mediator dici debeat. Vnionem creaturarum non Deo duplicem facio creationis & reconciliationis. Illa in prima creatione facta est, hæc post lapsum & peccatum creaturæ in opere redemptionis instauratur. Mediatorem igitur si dici-

mus quicunque medius est ad extrema vnienda. Haud absurdum sanè erit, si Christum Mediatorem agnoscamus duplici nomine, & quia per eum instituta prima creaturarum intelligentium vnio cum Deo,& quia post lapsum in eo altera hæc vnio quæ non naturæ est,sed gratiæ instaurata est, siue denuo procurata. Quanquam fatendum in vsu communi hujus vocis Mediatorem potiùs dici, qui vnionem interruptam instaurat,quàm qui primùm instituit. Vnde non dubitat Augustinus Enchir.cap. 108.dicere,cùm factus est Adam homo, scilicet rectus, Mediatore opus non erat. Mediatoris enim nomen tutè sumit, eo nimirum sensu quo Conc.2.in Psalm.90. vbi ait, ad hoc mediator est vt eos qui recesserant per se reconciliet.

VNIONEM primæuam illam cum Deo, tum Angeli, tum homines in filio & per filium Dei habuerunt: Pater enim nonnisi per filium operatur, tam in operibus naturæ, quàm in operibus gratiæ; Pater, inquit, vsque adhuc operatur, Ioh.5.17. Ipse est in quo est vita, tum naturalis, Ioh.1.14. Tum spiritualis primæ, Ioh.5.11. Ipse sapientia Patris, Prou.8. Et imago Dei inconspicui, Col.1.15. Quidquid igitur vita cœlesti donatum est, quidquid sapientia spirituali præditum, quidquid ad Dei imaginem factum esse suum & perfectionem in Christo tanquam in vita & sapientia prototypo & in expressa Dei imagine habuit. Est igitur Christus, tum Angelorum, tum hominis integri Mediator ratione vnionis primitus procuratæ: Enimuero vnionem illam primæuam cum Deo abruperunt, homines in Adamo diuini præcepti violatione, ita vt ex illo tempore nemo natus sit, aut porrò nasciturus, qui non in peccato jaceat & miseria per peccatum accersita: Sed Angelorum duo sunt ordines. Alios enim in primigenia sanctitate permansisse nouimus: Alios excidisse & ex Angelis in Cacodæmones degenerasse certum est. Atque his quidem cum Christo nullum ampliùs commercium, 2.Cor.6.15. Vt sit, inquam, Filius Dei ipsorum non Mediator,sed Iudex,qui catenis caliginis in tartarum detrusos seruat ad æternam damnationem, 2.Petr.2.4. Iud. vers.6.

ANGELOS electos quod attinet, sicut fuit Christus Mediator in eis primùm cum Deo per creationem conjungendis: Ita & in conseruando constringendoque perfectissimæ societatis vinculo, adeóque in confirmandis ipsis & à lapsu quocunque in æternum tutandis Mediatoris officium exercet: Vnde factum enim vt aliis Angelis ex primo Sanctitatis culmine deturbatis, isti in fide Creatoris & accepta primitus gratia perseuerarint & in æternum præstituri sint. Sanè facit hoc Electio Dei, vnde vocantur Angeli electi, 1.Tim.5.21. Electio enim necessariò finem suum consequitur, Rom.11.7. Nec vllo molimine quatefieri potest, cùm nunquam abjiciat Deus, quos semel præcognouit, Rom.11.2. Sed facit hoc etiam confirmatio Dei per Dei filium, nimirum sunt Angeli de se mutabiles, quod in aliquibus euentus ostendit, etsi mutabiles miseri etiam esse possint. Quid igitur impedit, quò minus hæc miseria de potentia producatur in actum,& vt sunt potentia miseri. Ita verè aliquando & re-

apse in miseriam incidant. Sanè nihil aliud est quod huic malo obstet præter Dei decretum & filij Dei gratiam malum illud arcentis datumque semel beneficium in perpetuum conseruantis. Itaque qui fuit Mediator vnionis, Mediator etiam confirmationis & conseruationis respectu bonorum Angelorum, Aug. de fide ad Petrum cap. 23. Hoc ipsum, quod Angeli beati ab illo statu beatitudis in quo sunt, mutari in deterius nullomodo possunt, non est iis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt gratiæ diuinæ largitate donatum. Præterea cùm visio beatifica & naturam superet, & meritum transcendat cujuscunque creaturæ; Angeli vero Dei visione illa perpetuò fruantur in cœlis, Matth. 18. 10. non potest id non transcribi gratiæ diuinæ: Atqui gratia diuina nemini transfertur, nisi mediante Christo, qui canalis est gratiæ ex cujus plenitudine omnes hauriunt, Ioh. 1. 16, Quique omnia in omnibus adimplet, Eph. 1. 23.

In eam rem duo præcipuè suppetunt scripturæ testimonia: Alterum est Eph. 1. 10. Vbi dicitur Deus omnia, quæ sunt in cœlis & in terris in Christo ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recollegisse & recapitulasse: Quanquam enim nonnullis placet ea verba ad homines tantùm referri, vt scilicet per ea, quæ in cœlis sunt intelligantur fideles ante Christi aduentum morte defuncti, per ea verò quæ suut in terris, illi quos veniens in hunc terrarum orbem Christus viuos deprehendit, & qui ejus aduentum consecuti sunt, & porro ad finem seculi vsque consecuturi, qui omnes in vno Christo Mediatore recollecti, adunati, adeóque reconciliati fuerunt, aut postea futuri sunt. Nulla tamen vrget necessaria ratio, vt verba generalia πάντα τὰ ἐν οὐρανοῖς restringamus ad aliquam cœlicolarum partem, nec aliquid obstat, quò minus hac verborum complexione contineantur Angeli juxta plerorumque veterum explicationem Chrysost. Hieron. Theod. Primas. &c. Sunt igitur Angeli in Christo recapitulati ἀνακεφαλαιωθέντες. Quod verbum duplicem potest ferre notationem: Nam ἀπὸ τῆς κεφαλῆς dicitur, vt significetur Christus esse Angelorum caput, quam significationem secutus est Chrysost. Deus, inquit, vnum posuit omnibus caput, nempe Christum: Nam sicut de domo quapiam, partim marcidè, partim robustè habente, dicimus domum hanc iste restaurauit, id est, firmiorem fecit, & firmiorem crepedinem suppossuit: Ita & hic Deus sub vnum caput reduxit omnes: Nam ad hunc modum vtique fit vnio, ad hunc modum fit fortis coaptatio, quando sub vnum caput omnia coacta insolubili quodam & inuicto nodo est superius cohibentur. Vel ἀπὸ τῆς κεφαλαίου deriuatur, quod summam significat, siue rerum diuersarum collectionem vt sit ἀνακεφαλαιοῦσθαι, in summam aliquam redigi, vt cùm diuersos numeros colligis, hoc igitur sensu dicuntur omnia, tum cœlestia, tum terrestria in Christo recollecta, quatenus & Angeli, & homines sub vno Mediatore in vnam Eccl. societatem reuocati sunt, prout cœlestis Ierusalem tum ex innumerabili Angelorum conuentu, tum ex cœtu primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, siue ex spiritibus justorum conflata esse dicitur, Hebr. 12. 22, 23. Alterum testimonium est Col. 2. 10. Vbi dicitur

Christus

Christus caput esse omnis imperij atq; potestatis, i.e. Angelorum, qui hoc nomine sæpe designantur, Eph.3.10. & 6.12. Col.1.16. Vnde August. in Ps.36. Conc. Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus, non quòd soli nos, & non illi etiam, qui fuerunt ante nos omnes qui ab initio seculi fuerunt justi; Adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt illa vna ciuitas fiat, sub vno Rege, & vna prouincia sub vno Imperatore. Iam autem quonam officio fungitur caput respectu membrorum, ea nempe vegetat, continet, sustentat, confirmat, & gubernat. Ergo caput Angelorum Christus, non ratione regiminis, modo seu ratione sustentationis atque confirmationis.

QVÆRES Christus ne Mediator sit & caput Angelorum, quà Deus, aut etiam quà homo? *Resp.* Rationem capitis esse præcipuè à Christi diuinitate desumendam. Cùm enim inter creaturas ex ordine naturæ, quem Deus primùm justituit, nobilissima sit Angelica substantia non potest esse nobilior Angelis, adeóque nec ipsorum caput, nisi qui Deus est, sed non esse tamen ab illa dignitate excludendam Christi humanitatem, quatenus verbo vnitam, & infinitis gratiis cumulatissimam ex eo satis patere potest, quòd dicitur Christus vnctus fuisse oleo lætitiæ super omnes consortes suos, Ps.45.8. Et tantò præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis nomen κεκληρονόμηκεν, id est, hæreditate obtinuit, Heb. 1.4. Nomen illud est, tum nomen personæ, quatenus Christus est verus & naturalis Dei Filius. Angeli autem ministri tantùm, Heb.1.14. & filij non natura, sed gratia, Ioh.1.6. Tum nomen officij: Christus enim sedet vt caput & præses omnium creaturarum ad dextram majestatis in excelsis, Heb.1.3. Quod de nemine Angelorum dici potest, Heb.1.13. Christus autem nomen illud hæreditate possedit, tum quà Deus, quia ex æterna generatione habet, quòd sit Filius Dei, Dominus & hæres omnium, tum quà homo, quia conceptione per Spiritum sanctum humanitas ipsius assumpta est in vnitatem personæ verbi, vt sit verus Deus, & verus homo, non duo filij, sed filius vnicus; idque non adoptione, sed vnione. Quod igitur veteres Hil. Chrys. Aug. docere videntur Christum esse caput Angelorum ratione diuinitatis tantùm, ita intelligendum est, vt non negarint illi quidem dignitatem capitis Angelorum in Christum competere, quà hominem, sed docere voluerint totius illius dignitatis fundamentum esse in sola Christi diuinitate quærendum, quatenus gratia vnionis, quâ humanitas conjuncta est hypostaticè verbo, fons est, & origo eminentiæ omnis, quam habet Christi humana natura supra reliquas creaturas: Absque hoc enim foret sine dubio vt humanitas in inferiori gradu subsisteret quam Angelica natura.

SED iam ad Mediationem, quæ reconciliationis ac redemptionis respectu ita dicitur, accedamus, quæ nimirum illos propriè respicit, qui à Deo per peccatum separati, & in miserrimam seruitutem traditi, nonnisi per Mediatorem ad Deum redire possunt, quales sunt homines, non Angeli electi, quanquam fateor Theologicos nonnullos Bernardum sequutos Serm.22. in Cant. etiam redemptionem ac reconciliationem An-

gelis attribuere; verùm illi non propriam primariamque vocum illarum significationem sequuntur, sed laxiorem quandam, & καταχρηστικώτερον eorum sensum assumunt, vt nimirum dicant Angelos reconciliatos, non quia à bonitate ex qua excidissent, liberati, sed quia à malitia præseruati sint, ne in eam inciderent, nempe Angelis idem est in gratia confirmari, quàm hominibus in gratiam per Christum restitui: Ita enim rem explicat ipse Bernard. qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione æquè fuit vtrique Redemptio soluens illum, & seruans istum. Atque hoc sensu intelligi potest, quod Col.1.20. Dicit Paulus per Christum reconciliata fuisse Deo omnia, siue quæ in terra, siue quæ in cœlis, id est, tum homines, tum Angelos illos quidem, quia de peccati, mortisque imperio sunt eruti. Istos verò quia aduersus peccatum & mortem sunt stabiliti, neque vero est hæc loquendi ratio vel scripturæ ignota, vel à communi vsu aliena. Certè Dauid significans se à Deo seruatum ne in hostium partem deueniret dicit, Psal.14.10. Se redemptum de gladio malo, & Ps.86.14. Redemptam fuisse animam suam ex fouea inferiori. Sic etiam vulgò dicimus liberatum esse hominem à morbo, medici opera non tantùm quo à morbo sanatus est, sed & cùm ab ægritudine seruatus est, in quam alioqui delapsurus erat. Verùm hac significatione omissa, Christum spectamus, quà Mediator est inter Deum & homines lapsos, quæ strictè & propriè dicta est Mediatio redemptionis.

Enimvero cùm Christum omnimoda ratione, tum generali, tum speciali Mediatorem Theorema nostrum asserat, propterea plura de Mediatore sunt addenda. Mediatoris nomen in scriptura Noui Testamenti de duobus dictum inuenitur, Christo scilicet, & Mose. Ac de Mose quidem vt Mediatore loquitur Apostolus, Galat.3.19. Lex ordinata est per Angelos in manu Mediatoris. 1. Quidem ordinata, quia à Deo ordinatè tradita, id est, certo tempore nempe inter leges naturæ & Euangelij, certo loco, nimirum extra terram promissionis in Sina monte Arabiæ, certo modo, nimirum terribili illa specie, quam Deus in monte præferebat ad incutiendum populo terrorem. 2. Per Angelos, quia ministrantibus Angelis à Deo imperata & lata est, quemadmodum, Act. 7.53. dicitur lex data per dispositiones Angelorum. Vbi nomine διαταγῆς non αὐτοκρατορικὴν potestatem significat, sed ὑπηρετικὴν tantùm: Neque enim authores fuerunt, sed ministri legis, quia nimirum, vt inquit Theod. ad tubas illas & tonitrua, & terriculamenta, quæ audita fuerunt in donatione legis Angeli ministri erant. 3. In manu Mediatoris, quo nomine, quanquam non ignoro à pluribus intelligi Christum in cujus potestate, tanquam veri summique legislatoris lex lata sit, cùm nulla à mundi vsque initio fuerit communicatio Dei cum hominibus, nisi intercedente ejus sapientia, & filio, potior tamen videtur sententia Epiph. Theod. Lutheri, Bezæ, & aliorum qui ad Mosem referunt: Nam, 1. hoc mirificè consentit cum illis Scripturæ locis, ac nominatim cum Ioh.1.17.

vbi di-

vbi dicitur lex data fuisse per Mosem, veritas & gratia per Christum facta. Ita enim hic Apostolus promissionem & legem opponit: illam per quam hæredes fiamus; hanc per quam hæreditatem consequi nequeamus: illam quę per Christum data fuerit; hanc per Mosem & Angelis recepta & Israelitis tradita. Præterea inter Angelos & Mediatorem distinguere videtur Apostolus, vt illos faciat superiores legémque tradentes; istum autem accipientem ab Angelis adeóque inferiorem, quod in Christum competere certum est non posse. Adde quod phrasis illa in *manu*, ministerium significat ὑπηρεσίαν ex vsu frequentissimo Scripturæ, quomodo etiam Deus dicitur, quamplurimis locis aliquid fecisse per manum Mosis. Filio autem Dei præsertim incarnato non rectè potest attribui ministerium, & famulatus. Denique cum Scriptura Christum vocet Mediatorem N. fœderis, Hebr. 9.15. Satis significare videtur præcessisse aliquem Veteris Testamenti Mediatorem, qui sine dubio non alius esse potest, quàm Moses. Cæterùm quod Moses mediator dicitur, non aliter intelligendum est, quàm quomodo ipse Moses explicat, Deut. 5.5. cùm ait se stetisse inter Iehouam, & populum, ad referendum populo sermonem Iehouæ fuit igitur Mediator non officio fungens pacificatoris: Hoc enim vnius Christi proprium est, sed partes agens internuntij & legati, quatenus nimirum Israelitas referebat ad voluntatem Iehouæ, quam vocant mediationem doctrinæ.

VERVM de Christo sæpius dicitur in Scriptura Mediatoris nomen, idque cum additamento quodam, quod modò res vnitas respicit, nunc ad vnionis modum referri debet. Ac res quidem vnitas quod attinet, Christum docet Apostolus vnum esse Mediatorem Dei & hominum, 1. Timoth. 2.5. id est, eum qui homines antea per peccatum sejunctos ad vnionem cum Deo spiritualem reuocauit, vt explicat Augustin. tract. 41. in Iohan. Est medium separans, sed contra est Mediator reconcilians. Medium separans est peccatum: Mediator reconcilians est Dominus Iesus Christus. Vnus enim Deus & vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Vt ergo tollatur medium separans, quod est peccatum, venit ille Mediator, & factus est sacrificium sacerdos ipse. Modum vero vniendi Scriptura cùm respicit, Christum vocat Mediatorem κρείττονος διαθήκης, Hebr. 8.6. & 9.15. & 12.24. Vbi nomine διαθήκης significatur, tum pactum, siue fœdus, tum etiam testamentum: Nostra enim reconciliatio habet instar pacti cujusdam conuenti, quod Deus nobiscum pacisci gloriosè dignatus est, Ierem. 31.34.35. & 32.40. & quia fœderis illius conciliator est Christus, in quo fundatur pactum, & cuius etiam sanguine sancitum est, qua ratione dicitur conciliator hujus pacti, Matt. 26.28. Luc. 22. 20. 1. Corint. 11.25. propterea vocatur Mediator N. fœderis: Deinde quoniam Christi mors intercessit ad redemptionem præuaricationum, vt ij qui vocati sunt, recipiant hæreditatis æternæ promissionem. Testamenti nomen in hac causa vsurpant Scripturæ, quia testamentum in mortuis tamen ratum est, & vbi testamentum est, mors testantis intercedat, necesse est, Hebr. 9.15.16. Vnde quod œconomia totius hujus fœderis testa-

mentaria est, quoniam sicut testator in tabulis testamenti sui consignat qui debeant esse hæredes, qui legatum aut beneficium aliquód capere; ita beneficia ex fœdere Dei promanantia nostra fiunt ex testamentaria Filij Dei legatione, qui dispósuit nobis regnum cœleste, vt ipse inquit, Luc.22.29. vbi verbo διατίθεσθαι vtitur, vnde fit διαθήκη testamentum.

IAM autem multi sunt actus integram rationem Mediationis Christi constituentes, neque aliter fieri potuit: Cùm sit enim Christus Mediator, quatenus Propheta, Sacerdos, Rex. Sint autem diuersi actus, qui Prophetam constituunt ab iis, qui Sacerdotem & Regem sanè ad Mediationem Christi diuersos actus concurrere necesse est. 1. Christus est Mediator per modum internuntij siue ratione doctrinæ, quatenus retulit hinc & inde pacta & conditiones vtriusque partis, ac nominatim, quatenus hominibus Dei voluntatem patefecit, Matth.23.10. Luc.4. 8. Iohan.1.18. & 4.25. & 15.15. &c. Atque hoc etiam respectu dicitur Angelus fœderis Malachiæ, 3.1. & Angelus magni Consilij ex versione 70. siue juxta Hebræum, Consiliarius, Es.9.5. & simplex Angelus, Exod.23.10. Igitur Patris sapientia, Prou.8. & λόγος, Ioh.1. quæ duo nomina ad Christi diuinitatem ita pertinent, vt tamen ad officium ejus Mediatorium spectent, vt alibi notauimus eodem sensu legatus & Dei nuntius dicitur apud Lact. lib.4. diuinæ instit. cap.5. Hanc primam mediationis rationem Patres sine dubio respiciunt, cùm aliquando Mediatoris nomen Episcopis & verbi diuini ministris attribuunt: Ita enim Nazian. oratione prima Sacerdotem ait mediatorem inter Deum & homines agere. Et epistola ad Simp. Basil. vocat Pontificem magnum Dei & hominum mediatorem, sed August. in Parmeniano ferre non potuit vt Episcopum diceret inter Deum & homines, imò pertendit talem, ne Paulum quidem, vel quemlibet Apostolum dici posse, sed eum pro quo nullus interpellat, verùm ipse pro omnibus nempe Christum vnum verumq; Mediatorem dici jubet lib.2. epist. contra Parm. c.8. cui sanè magni authoris scientiæ subscribimus, neque facilè consentimus, vt Mediatoris appellatio alteri tribuatur quàm Christo: Nam mediator quidem dici potuit Moses, quatenus typus erat futuri Mediatoris, sed vbi corpus accessit, nec aliquis ampliùs est locus typis ac figuris Mediatoris nomen vni Christo reseruandum censemus, & illa Patrum dicta notanda magis, quàm imitanda putamus, præsertim cùm Nazian. ipse hoc Mediatoris munus Sacerdotibus; nonnisi timidè & dubitanter attribuat hoc fortasse Sacerdos est, inquit oratione prima.

SECVNDÒ Christus Mediator est per modum arbitri, vnde Christum arbitrum Dei & hominum vocat Ambr. in Rom.5. vers.2. Hæc etiam sunt verba August. conc.4. in Psalm.103. Quid visus est dixisse Iob. vtinam nobis esset arbiter, vtinam esset medius aliquis, qui iudicaret inter me & te, arbitrum desiderabat; quid est arbiter medius ad componendam causam, nonne inimici eramus Dei, & malam causam habebamus aduersus Deum. Quis finiret istam causam malam, nisi medius illi arbiter, qui nisi venisset misericordiæ periret iter, de quo Apostolus dicit vnus

cit vnus Deus, vnus Mediator, &c. Arbitrum verò Latini distingunt à judice, quod judex dicatur in strictis judiciis qui nempe adstrictus est ad augustissimam formulam, à qua discedere, vel latum vnguem non potest. Arbiter verò dicitur in bonæ fidei judiciis, quæ etiam arbitraria vocantur, cui nempe æquitatem se tutiùs sequi promittitur, & pronuntiare, quod sibi æquum & bonum videatur, vnde Sen. lib. 3. de benef. cap. 7. Iudicem formula includit, & certos, quos non excedat terminos ponit Arbitrum libera & nullis adstricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest & adjicere, & sententiam suam non prout lex & sententia suadet, sed prout humanitas & misericordia impulit regere. Christus igitur verè arbiter, qui in procuranda nostra cum Deo reconciliatione & componendo dissidio, non ex stricto jure, sed gratia & misericordia justitiam temperauit, factus est, inquit Ambr. in 1. Timoth. 2. 5. Christus factus est arbiter inter eum qui peccauit, & inter eum qui peccare ignorat, vt hic ignosceret, & homo de cætero in fide Dei maneret. Sanè Christus peccata hominibus ignosci petit, Luc. 23. 34. & vult nos in fide permanere, Luc. 22. 31. 3. Christus Mediator est per modum intercessionis aut aduocati, quam vocant mediationem patrocinij: Neque verò est, quòd à voce Latina intercessoris abhorreamus, quasi ea nullo modo conueniret Christo, eo quòd Latinis intercessor dicatur, qui obstat & impedit ne quid fiat; quàm rationem cùm opponeret vir Magnus Erasmo, qui vocem Μεσίτου intercessoris nomine reddit, Gal. 3. 19. non satis aduertisse videtur ad hujus vocabuli varium apud optimos authores vsum, nempe intercedere est quasi medium se interjicere, siue noceas, siue prosis. Ita nihil mirum si contrarias habet illud verbum significationes: Aliquando enim intercedere dicitur, qui reliſtit, adversatur & obstat, iis quæ geruntur. Quo sensu dicebantur tribuni plebis intercedere legi aut rogationi, cùm impediebant, ne ferretur, sed intercedere sæpius est etiam idem, quod rogando impetrare, vel fidem suam interponere & pondere pro alio: Quomodo intercedere sæpius idem est ac si diceretur fidejussor pro reo apud creditorem, quia pro eo rogat vt detur ei mutuò pecunia, & quod ipsius rogatu factum dictúmue est, fides sua præstare cogitur. Ita Cic. ad Attic. accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit, & alibi. Nullum meum minimè dictum, non modò factum pro Cæsare intercessit. Patroni verò & aduocati vocem quod attinet. Patronus est propriè qui causam agit clientis sui: Advocatus verò qui alteri adest in causa, officij gratia, eumque defendere paratus est. Sed Pedianus ita distinguit; qui aliquem defendit in judicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut aduocatus, si jus suggerit, vel præsentiam suam commendat, amico, aut procurator, si negotium susscipit, aut cognitor, si præsens causam nouit, & sic tuetur, vt suam. Græci vocant μεσιτεύειν & συνήγορεῖν. Scriptura verò, 1. Christum vocat παράκλητον, 1. Iohan. 2. 3. Ac παρακαλεῖν varia significatione sumitur. Est enim hortari, vel inuitare, consolari, vel leuamentum afferre, quo duplici sensu Spiritus S. vocatur παράκλητος, Ioh. 14, 26. tum quia nos ad pietatem & sanctimoniam internis motibus

inuitat & permouet, tum quia mirificas indit animo in maximis angustiis consolationes. Interdum παράκλησις est pro alio peccatore interuenire, siue aliquem vt Patronum accersere & implorare, vt apud Æschinem Δημοσθένην παρακαλεῖ, id est, Demosthenem appellet Patronum, & apud eundem ἡ σωφροσύνης παράκλησιν παρακαλεῖν, id est, temperantiæ patrocinium suscipere. Vnde igitur meritò Christus παράκλητος, quia Patroni & aduocati partibus pro nobis fungitur, apud Deum intercedit, fidei jubet, rogat, causam nostram tuetur, negotium suscipit, adest nobis officij gratia, vos defendere semper paratus est. Voca igitur Intercessorem, Interpellatorem, Patronum, Aduocatum, Procuratorem, cognitorem, πρόξενον, συνήγορον, παράκλητον, & variis vocabulis, eandem officij Mediatoris partem applicaueris, quam etiam designat Scriptura, Rom. 8. 33. Hebr. 7. 25. Luc. 22. 31. Ioh. 2. 1.

QVARTO Christus Mediator est per modum reconciliationis, quatenus nempe nos in Dei gratiam restituit, & nos ei reconciliauit, propitiumque effecit, qui propter peccata erat à nobis antea alienissimus, Es. 59. 2. Vnde dicitur propitiatorium per fidem, Rom. 3. 25. & propitiatio pro peccatis nostris, 1. Ioh. 2. 2. Vbi nomine abstracto significantiùs exprimitur beneficium Christi Propitium autem reddidit, non precibus tantùm, & intercessione sua, vt cùm aliquis iratum Regem precibus demulcet, sed & sacrificio mortis suæ. Vnde vocatur ἱλαστήριον, siue placamentum in sanguine suo, Rom. 3. Itaq; facta est illa reconciliatio satisfactione, siue solutione pretij, quatenus nimirum peccata nostra, id est, pœnam peccatis debitam portauit in corpore suo super lignum, 1. Petr. 2. 24. Et nos emit pretio, 1. Cor. 6. 20. Eóque non corruptibili sed incorruptibili sanguine suo, 1. Pet. 1. 18. 19. Vnde dicitur pax nostra facta per sanguinem Christi, Coll. 1. 20. Quanquam autem Deus, atque ita tota Trinitas nos sibi reconciliasse dicatur, 2. Cor. 5. 18. Col. 1. 20. vtpote primaria reconciliationis causa, quæ viam hanc pacis per Christum cùm hominibus ineundæ ab æterna destinauit, & Christum ad hoc vocauit, & hanc voluntatem ipsius humanitati inspirauit, vt pro hominibus redimendis mortem vellet oppetere, & eum confirmauit atque sustinuit, in tota salutis nostræ administratione, Es. 42. 6. Christo tamen σωτῆρι totum reconciliationis negotium tribuitur, quia fuit ejus proximum & immediatum agens, & quia quæ ad reconciliationem peragendam erant necessaria, ab ipso sunt sufficientissimè præstita, Es. 63. 3. Atqui est maximè propria Mediatoris citatio, & propter hoc satisfactionis opus præsertim Mediatoris nomine donatus. Quemadmodum satis docet Apostolus, 1. Tim. 2. 5. 6. Vbi Christum Mediatorem dicens Dei & hominum, statim subjicit illum ἀντίλυτρον, siue Redemptionis pretium sese dedisse pro nobis omnibus. Huc pertinet, quòd Apostolus Christum N. fœderis ἔγγυον vocat, Heb. 7. 22. Ne quis enim strophas necteret in nomine Mediatoris, Christumque diceret Noui Testamenti Mediat. vocari, eo quod fuerit internuntius & Interpres Dei apud nos, qui salutis viam nobis ostenderit, eamque exemplo suo confirmarit. Do-

cet

cet scriptura Christum esse N. fœderis, non Mediatorem modò, sed ἔγγυον. Est autem ἔγγυος Græcis, qui Latinis præs, sponsor, fidejussor, id est, qui sponte pro alio promittit, quique pro alio ideò fidem suam obligat, & fide sua, id est, periculo suo esse jubet, quod alius debet, ita ut satisdationi sit obnoxius, & si alius soluendo non sit, soluere ipse teneatur. Cùm igitur nos in peccatis jaceremus, & bona quæcunque nostra dilapidassemus, Christus pro nobis debitor fuit, & debitum quodcunque nostrum persoluit: Debita verò nostra quid erant, nisi nostra peccata, quæ Matth. 6.12. propterea eo nomine vocantur. Idque ex vsu Chald. & Syriorum apud quos חוב, debitorem, siue reum esse, idem est quod peccare & impium agere, vnde qui Psalm. 1.1. vocantur peccatores in verbo Chald. dicuntur debitores, & Iobi 35.8. vocabul. Hebr. רשע, impietas, reddit חיובא debitum. Est igitur Christus Mediator, quia nos reconciliauit, & vt reconciliaret nos, pro nobis fidejussit, & prout fidei jusserat, ita satisfecit, & reapse soluit pro nobis. Soluit autem cùm purgationem fecit peccatorum per seipsum, Hebr. 1.3. & tanquam Pontifex misericors & fidelis expiauit peccata populi, Hebr. 2.17. Semetipsum semel offerens Patri, Hebr. 7.27. Et ita æternam nobis redemptionem acquirens, Hebr. 9.12.

VLTIMO Christus Mediator est per modum gubernationis, quem modum nullomodo Bellarminus attigit lib. 5. de Christo cap. primo cùm Mediationem Christi efficacem, siue quæ in operatione consistit, explicaret. Certè Mediatori nostro non satis fuit pro nobis & omnia præstare, quæ hactenus exposuimus, sed ne vnquam à Deo recederemus, & vt ei debitam obedientiam perseueranter exhiberemus, opus fuit, vt Christus erga nos regia authoritate defungens administraret intus animis nostris Spiritus sui gratiam, gubernaret, dirigeret, & in Dei obsequium flecteret, ac legem diuinam inscriberet pectoribus nostris: est enim Mediator N. fœderis, atqui hæc sunt in præcipuis capitibus illius fœderis, Ier. 31.33. & 32.39.40. Ezech. 36.26.27. Debuit igitur etiam in hac re Mediatoris nostri efficacia claresceré. Atque hoc insinuatum voluit Christus discipulis suis, cùm se perpetuò mansurum cum eis sponderet, Matth. 28. 20. Perpetuamque Spiritus sui præsentiam eis adpromitteret, Ioh. 16.13. Præterea cùm Mediatoris munus tria sub se officia comprehendat. Modorum verò mediationis quos exposuimus, primus & secundus ad Christi Prophetiam pertineat, tertius & quartus Sacerdotium respiciat, opus fuit addi Spiritum sanctum, quod ad regium munus refertur, vt ita concludamus esse Christum plena perfectaque ratione nostrum apud Deum Mediatorem.

CAPVT II.

De Constitutione Christi Mediatoris.

AVDIVIMVS quàm perfectè in Christum competat appellatio Mediatoris: Videamus quomodo Mediator constitutus sit, siue vnde

habeat vt sit Mediator, de quo esto nobis Theorema, *Christus à Deo Patre prædestinatione, promissione, missione, & vocatione excellentissima fidelium omnium Mediator & Dominus in æternum constitutus est ad Dei gloriam & electorum salutem.* Mediator est nomen officij, & administrationis, vt audiuimus. Ergo necesse est, vt ab aliquo, aliquando, aliquibus, aliquo ordine ad aliquem finem institutus fuerit, quæ omnia theoremate nostro breuiter indicata sunt; & primò quidem causam efficientem quod attinet Mediatorem Christum à Deo Patre constitutum fuisse dicimus: Etenim cùm Mediator accedat ad componenda dissidentium diuortia, necessarium est, vt vel ex partibus dissidentibus assumatur; vel foris adueniat extra partes dissidentes. Iam autem in procuranda reconciliatione hominum cum Deo non potuit Mediator foris accedere qui inter Deum & homines medium se interponeret. Quis enim tantùm negotium ad finem perducere præsumat? An homo? At ipse reconciliatione opus habet. An Angelus? Atqui non est Angelorum aliquis, cui non sit necessarius Mediator, cujus ope confirmetur in gratia, Deóque perseueranter adhæreat. Necessarium ergo vt instituatur Mediator à partibus dissidentibus; Idque vel per consensum mutuum, vel certè per alterius partis dispositionem & mandatum: At consensus quidem mutuus hic locum habere non potuit, quia pars quæ offenderat, homo scilicet fugiebat à Deo, & ab ejus facie sese abscondebat, Gen.3.8.9.10. Deumque oderat impetúmque indignationis ejus extimescebat, in cujus irati manus incidere res horrenda est, Heb.10.31. Alteram igitur partem Deum scilicet offensum de constituendo Mediatore cogitare oportuit. Atque inde fit, vt dicatur Deus pater nos sibi reconciliasse, 2.Cor. 5.18.19. Non quod ipse reconciliationis opus consummauerit, sed quia Christum dedit, qui illud perageret, & omnia præstaret in eam rem necessaria. Perquam enim omnia condiderat, per eum voluit omnia quæ in terris & in cœlo sibi reconciliare, Col.1.20. Dei porrò nomine intelligenda venit communiter tota Trinitas, cujus etiam in hac causa scriptura meminit: Nominat enim & Patrem, qui filium suum misit, ad perficiendum hoc mysterium, & filium, qui ab illo Deitatis culmine se quasi demisit, & abjecit per admirabilem œconomiam, vt assumpta humanitate omnibus Mediatoris partibus defungeretur, & Spiritum sanctum, qui Christum vnxit, Luc.4.18. Et super eum in specie columbæ descendit, Matth.3.16. Sed singulariter tamen Patrem in hoc negotio cum scriptura spectamus, eique Mediationis constitutionem attribuimus, 1. Quia ipse fons est diuinitatis & principium ordinis, atque originis aliarum personarum. 2. Quia Christus in hac Mediatoris muneris administratione solet omnia Patri suo deferre. Ita enim docet sibi omnia à Patre tradita, Matth.11.27. & opera, vt ea perficeret, Ioh.5.36. & doctrinam, vt eam annuntiaret, Ioh.8.28. & regnum, vt illud gubernaret, Luc.22.29. & authoritatem, vt ponere posset, atque assumere animam suam, Ioh.10.18. & Iudicium summum, vt illud administraret, Ioh.5.22.

SED

Sed ad illam Mediatoris constitutionem multis veluti gradibus deuentum est. Primus est Mediatoris prædestinatione, quam Petrus notat, cùm ait Christum esse agnum immaculatum, &c. 1.Pet.1.2. Idque ex definito Dei consilio, Act.2.23. Vnde dicitur occisus ab origine mundi, Apoc.13.8. Nos quòd ab intio sculi reuera mortuus, sed quòd ab æterno ad mediatorium munus, adeóque ad mortem, quæ pars est illius muneris non minima, fuerit destinatus à Deo, cujus destinationis vi factum est, vt fuerit Christus semper idem heri, & hodie, & in secula, Heb. 13.8. Nempe Mediator omnium Electorum quocunque sæculo vixerint, vt per eum gratiam & salutem æternam obtinerent, Act.18.11. Sed de Christi prædestinatione plura iam supra diximus.

Secvndvm gradum constituimus in promissis de Christo Mediatore venturo, quæ scilicet sub Veteri Testamento præcesserunt. Promissionum autem nomine intelligimus non vaticinia modò de Christo, verùm etiam typos, figuras, sacrificia, denique illa omnia, quæ ad Christum spectabant, quæque in eum finem instituta sunt, vt venturam in Christo gratiam antiquorum fidelium animis intuendam præberent: Idem enim illis figuris & vaticiniis exhibitum est quod hodie nobis Euangelica prædicatione & Sacramentorum administratione præstatur, nimirum vnus Deus est, & vna fides, Eph.4.5.6. Et qui eundem quem nos Deum patrem agnouerunt, vnam eandemque nobiscum de Mediatore fidem habuerunt, nisi quod illi venturum sperabant, quem nos venisse gloriamur. Certè testimonium perhibent omnes Prophetæ per illum peccatorum remissionem consequuturus quisque in eum crediderit, Act. 10.43. Cùm non sit aliud nomen sub cœlo, &c. Act.4.12. Cumque per ejus gratiam non tantùm nos, sed & Patres Veteris Testamenti salutem obtinuerint, Act.15.11. Qui diem Domini gestierunt videre, & viderunt & exultarunt in eo, Ioh.8.56.Ps.118.24. Est enim fides hypostasis, &c. Hebr.11.1. Neque concluditur angustis temporum spatiis, sed sæcula transgrediens vt præsentibus incumbit, sic præterita contemplatur, & in futura protenditur. Itaque mediationem & intercessionem Christi appellarunt veteres, eaque freti preces suas fuderunt ad Deum. Ita enim Daniel propter Dominum se petit exaudiri, Daniel.9.10. Quis autem putas ille Dominus non Abrah. sanè qui nouit nos, vt ait Ecclesia Iudaica, Es.64.2. Quanquam si Saræ Dominus dicitur, nunquam tamen Dominus Ecclesiæ, aut vocatus, aut habitus est: verùm ille quem Deus fecit Dominum & Christum, Act.2.36. Quem Dauid Dominum suum agnouit, Ps.110.1.Matth.22.42. &c. Quem Dominum suum Elizabeth confessa est, Luc.1.43. Quemque adeò vnum Dominum esse docet Paulus, 1.Cor.8.6. In eundem finem alia etiam ex Vetere Testamento loca solent, & Veteres, & recentiores laudare satis multa. Ita etiam docent, 2.Sam.7.21. Dici Deum res maximas præstitisse seruo suo Dauidi, non solùm secundùm animum suum, id est, mero gratiæ ac misericordiæ dono, sed etiam propter verbum suum, id est, propter Christum verbum illud Dei, quod suo tempore incarnari deberet, Ioh.1.14. & in quo

quotquot sunt Dei promissiones sunt etiam & amen, 2.Cor.1.20. Ita 2. Sam.12.24.25. Dicitur Salomon amatus à Deo propter Iehouam, id est, propter æternum filium suum, in terras olim mittendum, in quo fideles suos amore complectitur, & sibi gratiosos efficit, Eph.1.6. Ita Ps.80.15. 16. Petit à Deo Propheta, vt vineam suam, id est, Ecclesiam respiciat, & surculum, quem dextra sua plantauit, id que propter filium בן על, quem fortificauit sibi, id est, propter vnigenitum suum, cui ad munus Mediatoris vocato munus & robur dedit, & quæcunque ad tanti operis administrationem erant necessaria. Ita denique, Ps.84.10. Deum orat Propheta, vt respiciat ad faciem Christi sui, id est, non modò fauore Dauidem dignetur, quem vnxerat & constituerat Regem super populum suum, sed etiam præcipuè vt eum intueatur in facie vnigenæ dilectique sui, quem Mediatorem constituit fidelium omnium. Itaque Patres haud infrequenter de Christo loquuntur tanquam Mediatore sub Veteri & sub Nouo Testamento, Aug.lib.2. de nuptiis & concupiscentiis, cap.12. *Eadem fides Mediatoris saluos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis, non Veteris Testamenti, quod in seruitutem generat, non lex, quæ non est sic dicta, quod posset viuificare, sed gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum, quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum, vt nos mortuum; Ita illi moriturum: Sicut nos resurrexisse; Ita illi resurrecturum, & nos verò & illi ad judicium viuorum & mortuorum venturum.* Et tract.14.3. in Ioh. de Abrahamo dicit quod credens exultarit sperando, & viderit intelligendo & cordis oculis Christum aliquando in carne venturum, nec de gremio Patris recessurum, & diem Domini temporalem, quo erat venturus in carne, & diem Domini qui nescit ortum, nescit occasum; quod, inquam, totum hoc viderit & sciuerit. Sic Leo serm.3. in natiu. Domini præteritis temporibus fuit impensum, quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, & Sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit, quod prædicauerunt Apostoli, hoc annuntiarunt Prophetæ, nec ferò est impletum, quod semper est creditum.

Tertius gradus in Christi missione consistit, cujus frequentissima est in Scriptura V. & N. nominatim autem in Euang. Ioh. mentio. Distinguitur autem missio à processione, tanquam species à genere, cùm omnis quidem missio sit quędam processio, sed non è contra omnis processio missio dici possit. Processio enim fit tum ad intra, tum ad extra. Ad intra vt cùm filius procedit à Patre per generationem, & Spiritus à Patre & Filio per spirationem internã & æternam. Hæc opera Theologi vocant ad intra, id est, quæ terminantur in ipsis personis diuinis: Ad extra verò vt cùm dicitur filius à Patre processisse, vt esset homo, hæc processio externa est, adcóque temporalis, cùm terminata sit ad humanitatem assumptam in plenitudine temporum. At verò missio terminum tantùm externum respicit; neque enim rectè diceretur filius à Patre missi, quatenus à Patre generatur, sed tantùm quatenus à Patre processit, vt manifestaretur in mundo. Vnde patet, missionis nomine duo significari,

nempe

nempe emanationem, siue processionem ab alio, & manifestationem per aliquod externum. Quare missionem definire possumus processionem ab aliquo ad aliquem terminum. Porrò mittitur aliquis ab alio tripliciter nempe vel per modum imperij & authoritatis; vel per modum consilij & directionis; vel per modum originis & processionis. Per imperium mittitur seruus à Domino, vt Giezi ab Elizæo, 2.Reg.4.29. Per consilium mittitur à Medico æger ad balnea, vt à morbo conualescat: Atqui hi duo modi imperfectionem quandam designant in persona, quæ mittitur: Prior enim ὑποταγὴν denotat & subjectionem: Posterior ἀζθένειαν & ignorantiam: Quæ duo cùm in æternum Dei filium cadere non possint, superest vt concludamus dici missum per modum originis, quatenus scilicet originem habet à Patre, quod nullam imperfectionem aut inæqualitatem significat: Atque ita satis intelligitur veritas illius regulæ Theologicæ, missio non tollit æqualitatem personarum: Neque enim Filius, aut Spiritus S. ideó minores putandi sunt Patres, quoniam à patre mittuntur, cùm missio in hac causa solùm ordinis & originis respectum non verò authoritatis significationem habeat: Enimuero missio non originem tantùm siue emanationem significat, sed & manifestationem per aliquod externum: Quisquis enim mittitur ad aliquem locum, vel terminum mittitur, vt in eo aliquid gerat, ac si de personis quidem creatis loquamur, Angelis putà, vel hominibus, mittuntur illi, ad locum, vel ad terminum, in quo ante missionem non erant, vt cùm Angelus Gabriel mittitur ad B. Virginem, aut cùm Apostolus mittitur in varias regiones Euangelium prædicandi gratia. Sed quando de personis diuinis agitur, Filio putà, aut Spiritu sancto, dicuntur illi mitti, non ad terminum, in quo non essent antea, cùm Deitas vbique sit, sed ad terminum in quo non erant eo modo quo ibi per missionem esse incipiunt; ita dicitur Spiritus sanctus ad Apostolos missus in die Pentecostes, Act.2. non quòd eo antea planè caruissent Apostoli, sed quia tunc incipit esse per visibilem in eis manifestationem, majoremque donorum spiritualium communicationem: Sic dicitur Deus misisse Filium suum in mundum, Ioh.3.17. non quòd antea non esset in mundo, & mundus fuisse ab ipso creatus, Ioh.1.10. Sed quia nouo modo sese in mundo patefecit, nimirum per incarnationem per quam visibiliter apparuit, inter homines. Igitur per administrationem operis Mediatorij, quâ per Spiritum sanctificationis declarauit se Filium Dei, Rom.1.4. Hæc missio donationis nomine non rarò insignitur: Sicut enim Spiritus S. dicitur dari, Ioh. 3.34. & 14.16. Act.8.18, Rom.5.5. Ita & filius dicitur nobis à Deo datus, Es.9.6. Ioh.3.16. Cujus appellationis ratio est, quòd diuinarum personarum missio fit, vel ad donum aliquod, siue visibile, siue inuisibile, iis ad quos mittuntur communicandum reapse, vt quando missus est filius exaltauit naturam nostram in seipso, vt esset, humanitas verbi, & quando mittitur Spiritus sanctificat animas nostras illapsu diuino, vel certè ad significandam jam antea factum donorum collationem, vt cùm Spiritus S. missus est in specie columbæ, si nouam gratiam non contulit Chri-

sto iam antè] gratiis omnibus cumulatissimo : At saltem denotauit esse ac residere in eo gratiarum plenitudinem. Porrò quanquam Pater incipiat etiam esse nouo modo in creaturis, quo antea non erat, nimirum per gratiam, vnde dicitur vnà cum filio venire ad nos, & nobiscum manere, Ioh.14.23. Nusquam tamen dicitur vel mitti, vel dari, quia persona missa debet ab eo, à quo mittitur, procedere ; Pater autem in diuinis à nullo procedit, quod si quando apud Patres legitur posse personam à seipsa mitti, sumitur impropriè missionis nomen, vt scilicet non originem designet, sed manifestationem tantummodo per aliquod externum, quatenus scilicet se nouo modo in mundo manifestat.

QVARTVS gradus est in vocatione, quâ Christus ad munus illud mediatorium autem Deo consecratus est. Est nempe vocatio ad rite fungendum quodlibet munus, ac præsertim sacrum & spirituale omnino necessarium. Hinc grauissimæ comminationes aduersus eos, qui ἄκλητοι & citra vocationem in officia sacra se ingerunt, Ierem.14.14. & 23.21. Qui & seueriſſimis afficiuntur à Deo suppliciis, Ier.14.15. Vt patet exemplis Core, Dathan & Abiram, Num.16. & Huzæ, 2.Sam.6.6.7. Ante omnia igitur id scriptura monet, vocatum fuisse Christum à Patre. Ego, inquit Dominus, Es.42.6. vocaui te in justitiam, id est, tum secundùm *justitiam & fidelitatem promissorum meorum*, tum vt justitiam in terra collapsam electorum meorum justificatione & sanctificatione restituas, Hebr.5.5. docet Apostolus, Christum non sibi gloriam hanc arrogasse, vt fieret Pontifex, sed fuisse ipsi à Patre tributam qui non modò eum filium suum per æternam generationem esse docuit, Ps.2.7 Sed & sacerdotem in æternum legitima vocatione instituit, Ps.110.4.

VOCATIO Christi duobus præcipuè capitibus continetur, *Vnctione* & *inauguratione*. Atque vnctionem quidem quod attinet, quanti sit ea momenti in hac causa, vel inde satis patere potest, quòd ad eam Redemptori nostro Messiæ & Christi nomen inditum est, vt iam supra monuimus ; Quanquam id nominis statim à prima redemptionis promissione impositum fuisse legitur, sed multis post seculis Filio Dei attributum esse : Vocatur quidem semen mulieris, Gen.3.15. Semen Abrahæ, Genes.22.18. Schilo, Genes.49.10. Propheta, Deut.18.18. Princeps exercituum Iehouæ, Iosuæ 5.14. Sed Messias siue Christus primum Dauidis ore vocatur, Ps.2.2.& 45.8. Ab eo tempore increbuit hoc Mediatoris, nomen in populo Dei. Itaque reperies ita vocatum, non modò, Dan.9.25.26. Sed etiam subinde apud Chald. paraph. vt nihil mirum sit notum fuisse id nomen Pharisæis, Ioh.1.19.20.25. Herodi, Matth.2.4. Turbis, Ioh.7.26.27.31. Adeóque ipsis Samaritanis, Ioh.4.25.29.42. Qui quamuis à vero cultu iam pridem defeciſſent, hanc tamen de Christo doctrinam & notissimam & inter Israelitas omnes receptam retinuerant.

IAM si quæras, nihilne à tempore Mosis de Christi vnctione fuerit insinuatum. *Resp.* fuisse illam procul dubio variis modis in Ecclesia Israelitica significatam, ac nominatim extructione & sanctificatione taberna-

bernaculi,& eorum quæ tabernaculo continebantur. Atque hæc est inter alias ratio, quare Christum Angelus, Dan.9.24. vocet *Sanctum Sanctorum*, quia voce hac nouimus ex vsu Scripturæ designatum Israeliticum sanctuarium, nempe ex instituto Dei vnctione olei sanctificati sunt, non modò Aaron & filij ejus, vt exercerent Domino Sacerdotium, Leu.8. verùm etiam tabernaculum, & quæ in eo Exod.30.23.24. Hæc autem omnia spectasse ad Christum & eo tanquam ad scopum referenda fuisse docetur, Hebr.9. Quod etiam ex speciali vniuscujusque consideratione patet: Nam, 1. tabernaculum & templum quod in locum tabernaculi authoritate diuina Rex Salomon substituit, humanam Christi naturam designabat. Vnde Christus corpus suum templum vocat, Iohan.2.19. Et Apostolus Hebr.9.11. tabernaculum maius, & melius, & non manufactum. Maius, quia Mosaicum tantùm terris destinatum: At humanitas Christi in cœlis subuehenda melius, quam Mosaicum ad tempus duraturum, humanitas Christi in æternum extitura; non manufactum, quia Mosaicum opus erat manuum hominis, humanitas Christi authorem habuit Spiritum S. Luc.1.35. Et alludit Scriptura cum Iohan.1.14. verbum carnem factum dicit σκηνώσαι, habitasse tanquam in tabernaculo in natura, quam assumpserat. Et verò sicut Deus se gratiæ suæ continua præsentia habitaturum in tabernaculo Mosaico promiserat, & sicut tabernaculum Mosaicum illud populum in deserto præcedebat. Ita Deus in humanitate Christi habitauit, & porrò habitaturus est in æternum, & est Christus nobis datus, qui nos præcedat, & in tota vitæ Christianæ ratione ducatum nobis præstet. 2. Arca fœderis Christum identidem figurabat, erat nempe ex imputribilibus lignis composita; & Christi corpus corruptionem sentire non potuit, Psalm.16.10. erat illa obrizo auro tota intus & foris obducta. Et Christi humanitas omnigenarum dotium splendore semper eminens supra omnes homines, & Angelos, Ps. 46.8. 3. Quæ inerant tabernaculo, & vnctione consecrata fuerant, suam habebant ad Christum relationem. Panes enim propositionis qui Deo quotidie mensa in eum finem parata offerebantur, non modò Dei prouidentiam omnibus & singulis sufficientem necessariam demonstrabant, sed nominatim panem vitæ Christum designabant, id est, sapientiam illam Dei, quæ mensam suam instituit, Prouerb.9.2. vt quicunque panem illum ederit, non moriatur vnquam, Ioh.6.50. Licnuchus aureus septem lucernis instructus Christi insinuabat veram illam lucem quam qui sequitur non ambulat in tenebris, Iohan.8.12. quique spiritum veritatis nobis largitur vnum quidem illum in se, sed qui tamen propter varietatem gratiarum, quibus nos cumulat, vt septiformis proponitur, Apoc. 1.4. Altare holocausti & suffitus ad Christum similiter referatur, qui sese in sacrificium Deo Patri in ara crucis obtulit & humanitatem suam propter peragendam redemptionem nostram diuinæ indignationis æstu & flammis, quasi consumi passus est. Cujus etiam sacrificij fragrantissimus odor apud cœlestem Patrem perpetua viget efficacitate. 4. Quæ arcæ inerant, non minùs ad Christum respiciebant, Propitiatorium quod

ſupra impoſitum erat arcæ, quódq; Cherubini duo paſſis alis ita obtegebant, vt propitiatorium reſpicerent, eximium erat ſymbolum peragendæ per ſanguinem Chriſti propitiationis, Rom.3.28. 1.Ioh.2.℣.2. in quod myſterium Angeli continuò introſpicere cupiunt, 1.Petri 1.12. Virga Aaron, quæ refloruit aliquando & per quæque tot miracula Moſes patrauit, figura erat corporis Chriſti, quo tanquam organo conjuncto Verbi diuinitas vſa eſt in efficiendis miraculis quódque cùm morte cecidiſſet, reſurrectione reparatum, quaſi refloruit Manna ſpiritualem illum cibum repræſentabat, quem ſe nobis daturum promittit filius, Ioh.6.27. Denique in thuribulo aureo proponebatur ſymbolum illius Angeli, Chriſti, inquam, qui fœderis Angelus eſt qui ſtat ante aram habens thuribulum aureum, cui dati ſunt ſuffitus multi, vt offerret cum precibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum, Apocal.8.3.

Vnctionis Chriſti nomine duo Scriptura denotat, putà deſignationem ad munus & gratiarum collationem ad illius exequutionem neceſſarium, quanquam deſignatio duplex eſt. Eſt enim aliæ ab æterno facta, nempe decretum, ac deſtinatio illa quâ prægnitus eſt Chriſtus & ab æterno præordinatus ad officium Mediatoris, vt ſupra diximus. Sed alia eſt in tempore facta, de qua nunc agitur, quâ Chriſtus ad Mediatoris officium reapſe conſecratus eſt, & quam Scriptura ſanctificationis nomine deſignat, Iohan.10.36. vbi teſtatur Chriſtus ſe à Patre conſecratum fuiſſe nempe prout hac voce deſtinatio ad munus deſignatur. Ita enim Ieremias antequam de vtero, dicitur à Deo ſactificatus & Propheta Gentibus conſtitutus, Ier.15. Medos ac Perſas, Eſa.13.3. vocat Dominus ſanctificatos ſuos, quòd eos deſtinaſſet ad executionem judiciorum ſuorum, vt ſcilicet impiam Babylonem ſuæ ditioni ſubjiceret, & exemplar ab ipſorum tyrannide Iudæos in Palæſtinam liberos dimitteret. Ab eo ſignificatu nonnihil euariat illa ſanctificatio, de qua Chriſtus Iohann.17.19. pro eis ſanctifico me ipſum. Vbi ſanctificare ſe Chriſtus dicitur, non ſimpliciter, quatenus ſe ſegregauit ab aliis, & ad mediatorium opus ordinauit, ſed præcipuè quatenus ſe ipſum ſanctum, juſtum, immaculatum perfectiſſimè obedientiæ Patri opere obtulit, & pro redemptione generis humani conſecrauit in ara crucis, nempe poſterior hæc ſanctificatio facta demum eſſe in morte Chriſti ad quam oratione illa Iohan.17. tanquam quodam Canone, ſiue præparatione ſacrificij ſeſe Chriſtus comparauit: At prior illa, de qua Iohan.10.36. facta eſt ab ipſa Chriſti conceptione. Ita enim cœleſtis Pater ſe filium ſuum ab vtero vocaſſe teſtatur, & inde ab vtero formaſſe, vt ſeruiret ſibi, Eſa.49.1.5. Huic deſignationi adjunxit Deus collationem gratiarum omnium infuſarum, quæ libro ſuperiori numeratæ ſunt: Neque verò neceſſarium eſt vt hic actum agamus, hîc tantùm obſeruaſſe ſufficiat. 1. Vnctas fuiſſe duas Chriſti naturas, ſiquidem deſignationem ad munus vnctionis vocabulo intelligimus: At verò ſi collationem donorum ſpectamus vnctam fuiſſe ſolam humanitatem, cui diuinitati nulla poſſit conferri gratia,

quippe

quippe in sese ἀνταρκιστάτη, atque perfectissima. 2. Gratias illas in Christum collatas jam inde à conceptione : Inde fit enim vt Angelus conceptionis mysterium annuntians Christum vocet sanctum, Luc.1.35. Quanquam se postea infusæ illæ gratiæ variè variis temporibus exeruerint.

Pars altera & quasi complementum vocationis Christi consideratur in ejus *inauguratione*, sicut enim in regnis hæreditariis nascuntur quidem principes & ipsa natiuitate jus habent ad regnum, nec tamen eò minus mortuo præcessore per inaugurationis regiæ solemnia in plenam regni possessionem mitti solent. Ita quãquam fit Christus ipso nascendi beneficio Dominus & hæres omnium constitutus, Hebr.1.1. voluit tamen sub annum ætatis trigesimum solemnia baptismi recipere, Matth. 3.13. Atque ita publica & cœlesti inauguratione in Mediatorem constitui, vt ne quis in posterum mediatoriam ejus partem jure posset in dubium reuocare. Atqui in hac quidem actione declarata est multis modis excellentia vocationis Christi. 1. Ex persona Ministri, certè magnum Principem esse par est, qui nobilissimorum & præcipuorum quorumcunque parata habet ministeria : Atqui Iohan. Baptista in baptizando Christo ministerium suum occupauit, Iohan. inquam, tot nominibus, tot dotibus in Scriptura celeber, cujus aduentus multis antea sęculis declaratus, qui spiritu & virtute Eliæ præditus, qui vitæ instituto clarissimus sanctitate conspicuus, plebi venerabilis, quem ipse Herodes obseruabat, quem occidere metuebat, qui eam vitæ rationem sectabatur vt ad eum miserint Pharisæi percuntantes an ipse Christus esset, qui denique inter natos mulierum maximus. 2. Ex testimonio Ioannis : Cùm enim ab ipso baptizari peteret Christus, obstabat Ioan. & infinitam Christi dignitatem præ se agnoscens, eum baptizare recusabat. Ego, inquit, opus habeo abs te baptizari, & tu venis ad me, q.d. vt tu me baptizes, est idonea ratio, sed vt ego te baptizem, quæ ratio est? Nam omne quidem bonum descendit de cœlo in terram, sed non de terra in cœlum ascendit, tu Dominus ego seruus, tu mundus es, & omnia mundas, non igitur tu à me, sed ego à te mundari debeo? Quid tibi opus baptismate, nunquid sano opus est medicina, nunquid mundissimo mundatio necessaria, ego baptizo peccatores in pœnitentiam, tu quid vis baptizari, qui non habes peccati causam, imò qui venisti peccata condonare. Sed Christo tandem obsequitur Iohan. dicenti, omitte : Nam sic decet nos implere omnem justitiam, id est, iis omnibus partibus defungi, quæ sunt nobis impositæ, vt tu quidem baptismum administres, ego à te recipiam eumque in corpore meo consecrem, vt quisque in posterum in nomine meo baptizabitur me fratrem agnoscat, & consortem, qui idem cum ipso symbolum gestare voluerit. 3. Ex apertione cœlorum : Quanquam enim cœli tunc temporis potiùs visi sunt diffindi & aperiri, quàm reapse aperti sunt, ex sententia plerorumque Interpretum : certum tamen totum hoc quidquid fuit, factum fuisse, non modò ad Iohan. Baptistæ confirmationem, vt nempe signum haberet quo Christum antea de facie sibi

ignotum cognoscere posset, verùm etiam propriè ad testificandam signi symbolo Christi vocationem: Ita enim denotatum est esse manifesta,& notissima Christo regni cœlestis omnia mysteria, Iohan.3.13. Illumque de cœlis venisse, vt cœlestia doceret, Iohan.3.31.32. Ita enim quando vidit Ezech.1.1.visiones diuinas dicuntur, ipsi aperti fuisse cœli,& apertior diuinæ majestatis Christi reuelatio facta Stephano significata est per apertionem cœlorum, Actor.7.56. Sed & ita denotatum est venisse Christum, vt humana cœlestibus conciliaret, Ephes.1.10. Col.1.20. & nos Patri cœlesti conjungeret, Ephes.2.13. & paradysi januas peccato Adami clausas nobis resecaret, Hebr.9.12. 4. Ex dispensatione Spiritus Christo insidentis in specie columbæ. Sanè cùm ad opus Euangelicæ prædicationis Apostolos suos Christus compararet Spiritum Sanctum in die Pentecostes misit visibili specie, vt singulari hoc & sensibili signo in opus ministerij consecrarentur, Actor.2. Itaque non est dubium, quin externo hoc & miraculoso symbolo, ea Christi authoritas, quam diuinitus habebat, in terris declarata fuerit: Non enim eo signo denotatum est tum primum inhabitare cœpisse in Christo spiritum, quem scimus à conceptione fuisse ipsi plenissimè communicatum, aut tunc demum factum Messiam, aut regem: Nam & cùm introductus est in mundum dictum est de ipso adorent eum omnes Angeli Dei, Hebr.1.6. Sed quod antea minùs patuerat, tunc manifestè claruit Christum esse regem illum cœlestem, super quem requieturus erat Spiritus Domini, Esa.11.2. Et qui Spiritus Sancti gratias receperat, vt ex ipso reliqui haurirent, Iohan.1.16. Qui denique Spiritu & igne baptizatus erat? Matth.3.11. id est, non tantùm in Apostolos collaturus dona visibilia Spiritus sui in linguis igneis, verùm etiam in electos omnes thesauros cœlestes, & dona spiritualia effusurus,eosque instar ignis cujusdam purgaturus, & remissionem peccatorum largiturus,& mutuæ humanitatis ignem, atque charitatis inter eos accensurus. Sic columbæ specie significatum voluit Pater, qualis Rex Christus futurus esset, mitis scilicet & benignus, Matth.11.29. & 21.5. Qui non esset clamaturus, neque lignum fumigans extincturus, Es.42.2. 3. Quique adeò Spiritu suo eam esset mansuetudinem inditurus cordibus electorum, vt haud absre dici possent simplices, sicut columbæ, Matth.10.16. 5. Ex voce de cœlis facta, hic est filius, &c. Cœlos intelligo aerios, vbi volant aues, vagantur nubila, splendent fulgura, tonant fulmina: Nam vt è Paradyso ipso demissa audiretur, sine miraculo fieri non potuit, ad quod confugere non est hic necessarium. Vox autem facta quidem est illa & efformata à tota Trinitate, quia tres personæ vt sunt inseparabiles, ita inseparabiliter in operibus externis agunt, & Patri tamen soli tribuitur, quia Patrem solum personam loquentem indicabat: Trinitas fecit de cœlo columbam, sed non pertinet, nisi ad solum Spiritum Trinitas fecit de cœlo vocem, sed non pertinet vox, nisi ad solum Patrem, inquit August. serm.63. de verbis Domini. Pater autem verbis illis & testimonio suo personæ qualitatis & officij, ad quod

Christum

Christum designabat, excellentiam declarat personæ. Vocat autem filium suum, nempe non adoptiuum, quales Deus multos habet, sed naturalem vnicum, æternum sibi æqualem per omnia subsistentia, gloria, virtute, qualitatibus: Vocat enim ἀγαπητὸν dilectum, siue charissimum, mundi quidem oculis, vilem & abjectum, qui ne à suis quidem recipiendus sit, Ioh.1.11. Et quem sint multi odio habituri, Ioh.7.7. & 15.24. Sed quem tamen Deus amore summo complectatur. Et quia non est amor Dei sterilis, quem omnibus gratiis cumulatissimè donet. Christum autem Patri dilectum fuisse ratione diuinitatis, humanitatis, mediationis, alio loco latiùs diximus. Officij, dicit enim Patrem in ipso δόδοκησα. δόξα verò significationem habet non approbationis modò, siue complacentiæ, plenæ propensionis, sed etiam reconciliationis & placationis, vt sic inficererur eo vocabulo non modò Patrem in Christo plenè conquiescere, eóque plenè delectari, sicut de sapientia æterna loquens Salomon dicit eum fuisse delitias Dei quotidianas lætificantes coram eo omni tempore, Prouerb.8.30. Sed etiam in Deo & propter eum nos Deo placere & acceptos esse, Ephes.1.6. ita vt cùm in eum intuetur Pater, omnem statim iram & offensionem ponat hominibus cur reconcilietur & placabilem se præbeat. Porrò tota hæc dispensatio eo illustriorem fecit Christi vocationem, quòd non inter paucos quosdam hæc gesta sunt, sed aderat multitudo infinita. Confluxerat enim tunc ad Iordanem Ierosolyma & tota Iudæa, & tota Regio finitima Iordani, adeóq; multi ex Pharisæis & Sadducæis, Matth.3.5.6.7. Filius Dei auditu, conspectúque monstratur, plebíque in fide & Prophetis Inobedienti, testimonium de Domino suo mittitur, & contemplationis & vocis, inquit Hilar. in Matth.con.2. vt mira sit Iudæorum contumacia post tantum de Christo testimonium, in incredulitate permanentium. Sed hic nobis satis esto illud Chrysost. homil.12. in Matth. Cur non crediderunt Iudæi, cum talia fierent? Quia etiam sub Mose aliquando, etsi non talia, plurima tam sunt facta miracula; & post illa omnia, post voces, post tubas, post tonitrua, post fulgura, vitulum fabricarunt, & Beelphegor initiati sunt. Ne quæras igitur, quomodo non crediderint, sed illud require annon omnia facta sint, propter quæ illos opportuerit credere.

Sed & vocationis illius excellentiam Christus significatam voluit, cùm de se diceret, Ioh.6.27. Pater ἐσφράγισε, id est, obsignauit. Et obsignare quidem est aliquid appositio signo, siue sigillo munire, vt cùm Matth.27.66. dicuntur Sacerdotes & Phrarisæi muniisse sepulchrum obsignato lapide. Sed ad res spirituales cùm refertur, de hominibus aliquando dicitur, verùm Deo frequentiùs attribuitur. Certè, Ioh.3.33. Qui recipit Christi testimonium, is dicitur obsignare, quod Deus verax sit, id est, qui verè credit Christi doctrinæ eamque vera fide amplectitur, ei tribuit consensu suo testimonióque gloriam veritatis, & corde, atque ipso facto suo testatur Patrem, qui Christum misit in has terras, & qui de Christo talia tamque magnifica dixit, esse sine dubio veracem, ita vt obsignationis nomine intelligatur approbatio & consensus in veritatem

Dei. Quæ vero dicitur à Deo fieri obsignatio duplex est, *rerum* scilicet, & *personarum*: Ad res quidem quod attinet, 1. dicitur Christus obsignasse peccatum, Dan.9.24. id est, justitiæ suæ quasi velo obtexisse, ne in conspectum Dei veniat, quia scilicet vnum ex officiis sigilli est, quòd rem, cui apponitur, claudat, ne oculis patere possit, quomodo cùm liber, aut testamentum obsignatur & sigillo clauditur, nihil eorum videri, aut legi potest, quæ in eo scripta sunt. 2. Decretum electionis obsignari dicitur à Deo, 2.Tim.2.19. Solidum fundamentum Dei stat habens hoc sigillum, &c. Nam ibi nomine fundamenti Paulus intelligit decretum de seruandis electis, quippe quod instar fundamenti solidissimi habeat, quod ante omnia positum est, & cui totum salutis nostræ ædificium superstruitur. Dicitur autem illud decretum habere sigillum, siue à Deo quasi sigillo quodam obsignari, quatenus electionis certitudo in nobis duplici ratione per res obsignatur, nimirum, 1. ex immutabilitate amoris diuini; Nouit enim Dominus, qui sunt sui, cognitione scilicet εὐδοκίας, beneuolentiæ, atque approbationis, quia eos æterno & immutabili amore prosequitur: Deinde ex opere pietatis nostræ: Nam qui inuocat nomen Domini, discedit ab iniquitate. Atque ita bonis operibus electionem suam confirmat sibi, 2.Petr.1.20. 3. Dicitur Deus Sacramentis, quasi totidem sigillis nobis obsignare promissiones suas, ac præsertim eas, quæ sunt de remissione peccatorum, & justificatio in Christo & Apostolus docet circumcisionem Abrahamo fuisse sigillum, quo obsignata & ipsi confirmata justitia fidei, Rom.4.11. Iam verò quoad personas attinet; dicitur Deus, 1. Fideles & electos suos omnes obsignare Spiritu suo, & arrhabonem spiritus in cordibus ipsorum dare, 2.Cor.1.22.Eph.1.13. & 4.30. quia corroborat nos Deus per donationem Spiritus sui, tanquam sigilli impressionem, aut arrhæ cujusdam communicationem, vt certò aduersus tentationes omnes persuademur de veritate, tum totius verbi diuini, tum nominatim promissionum Euangelicarum, adeóque de tota salute & doctrina Christianæ religionis. 2. Pater dicitur obsignasse filium suum, siue quasi sigillo appositio, aut impresso ipsum approbasse. Sunt autem tria præsertim officia sigillorum. 1. Sigillum olim in literis præcipua erat nota, vnde agnosci possent. 2. Sigillum genuina & certa ab adulterinis & suppositiciis discerni. 3. Sigillis authentica adduntur diplomata, & ab eis maximam authoritatem accipiunt. Rectè ergo Pater dicitur obsignasse filium suum. 1. Quia illum propriis notis, putà vnione hypostatica & gratiarum omnium plenissima collatione ab aliis omnibus fidelibus distinxit. 2. Vocationem excellentissima ratione confirmauit, atque ita discreuit ab aliis, qui sub falso Christi nomine fideles decipere voluerunt, de quibus Matth. 24. 5. Ioh.6.43. 3. Quia testimoniis cœlestibus & miraculorum gloria, quasi sigillis totidem authenticam fecit ejus administrationem eique maximam in tota Ecclesia authoritatem conciliauit.

Excellentiam quoque vocationis videtur illud satis demonstrare, quòd Deus filium suum non tantùm Mediatorem nobis constituit, sed con-

sed constituit adhibito Iuramento, Ps.110.4. *Iurauit Dominus*, &c. Quod ita referri debet ad Christi sacerdotium, vt non minùs pertinere nouerimus ad Regium & Propheticum ipsius munus. Non ignoro, quòd hinc exculpere tentent Aduersarij, nempe, inquit Lorinus. in hunc locum de Regia potestate agens. Deus ℣.1. hujus Psalmi solo dicendi verbo vsus est. Dixit Dominus, &c. Nunc loquens de Sacerdotio Iuramenti religionem adhibet, quasi munus religiosum sanciens, atque judicans, quam præstet regiæ dignitas sacerdotalis: Sed quàm misera sit hæc colligendi ratio patet, 1. Quia hoc dato sequeretur in Christo dignius esse sacerdotium, quàm authoritatem regiam, cùm tamen Apocal.17.14. titulus iste Christi tanquam eminentissimus omnium præponatur. 2. Quia etiam in constituendo Christo Rege, juramentum etiam Deus alibi interposuit, Psalm.89.36.& 132.11. Quod ne ipse quidem Lorinus sequentibus diffiteri sustinet. De aduentu Christi, inquit, & stabiliendo in æternum regno ipsius extat alibi in Psalm. Iuramentum Dei. Quod autem juramentum Deus addidit, non eo factum est, quasi sola Dei hac de re declaratio, vel promissio minimè sufficeret, cùm norimus omnia Dei verba esse per se tam certa, quasi à Deo jurato facta fuissent. Vnde ad verbi diuini certitudinem respiciens Philo non dubitauit dicere omnia verba Dei esse juramenta: Sed hoc juramento Deus, 1. Significatum voluit, quanti esset momenti mysterium hoc vnctionis Christi, cùm non in leuibus causis, sed in rebus duntaxat magni ponderis & momenti juramento locus esse soleat. 2. Quanta sit ejus erga nos φιλανθρωπία, qui ad nostram infirmitatem ita sese dimittit, vt quasi aliquis nostrûm verbis suis non dedignetur apud nos authoritatem jurejurando conciliare, vt nobis confirmationem & consolationem abundantiorem præbeat, Hebr.6.17.18.

Denique quàm sit excellens ista vocatio patet ex consecuto effectu. Quandoquidem per eam, vt dictum est in Theoremate, Christus non Mediator modò, sed & Dominus omnium fidelium constitutus est: Nam cùm Mediatio sit duplex, alia simplicis ministerij (quomodo arbiter, intercessor, & internuntius, quamuis nulla de cætero authoritate præditus Mediator dici potest.) Alia verò authoritatis & præfecturæ summæ, quomodo supra dictum est, Christum esse Mediatorem reconciliationis, & gubernationis, ne quis in nomine Mediatoris effugium quærat, aut appellationem illam aliorsum trahat, nomen Domini addidimus vt significaremus esse conjunctam cum authoritate summa, Christi Mediationem. Dominium porrò Christi duplex est, aliud essentiale, quod habet commune cum Patre & Spiritu sancto: Aliud œconomicum, Mediatorium, & sibi proprium, quod scilicet exercet, quatenus est Mediator hominibus à Deo datus. Ac de priori quidem illo dominio, quod in omnes creaturas exercet quà Deus est, alio loco dictum est satis. De posteriori hic agendi locus est. Esse aliquid Christi Dominium, non naturale, sed acquisitum & donatiuum; non vniuersale, sed ad Ecclesiam limitatum; non absolutum, sed certis limitibus & legibus circumscriptum

ex variis postea locis Scripturæ apparebit. Vnum hîc præmitto notatu dignissimum ex Act.2.36. *Certò sciat tota Domus Israel, quod Deus fecerit hunc Dominum & Christum hunc* (inquit) *Iesum, quem vos crucifixistis.* Vbi nihil est quod non diligenter expendi mereatur. Primum enim mysterium hoc, ait Petrus, certò scire debere, id est, doctrinam hanc de Christi dominio non esse leuiter degustandam, aut cognoscendam obiter, sed ἀσφαλῶς sciendam, id est, scrutandam diligenter, contemplandam seriò, firmiter, solidè, & sine vlla dubitatione credendam, atque amplectendam, quippe cùm in hoc præcipuè salutis nostræ cardo vertatur, vt de Saluatoris in nos Christi dominio plenè, perfectéque persuasi simus, atque inter medios omnium tentationum fluctus norimus in tuto esse salutem nostram, nec vllis hominum, aut Diabolorum machinis, & artibus posse eam nobis extorqueri, quippe in ejus manibus constitutum, qui est Dominus potentissimus, hostium debellator, & triumphator inuictissimus. 2. Indidem patet dominium istud Christi non naturale esse, sed donatiuum, cùm fuerit Christus Dominus, factus à Patre: Ita enim distinguitur à naturali dominio quod Dei filius κατὰ φύσιν habet, non κατὰ ποίησιν, id est, iure naturæ, non jure donationis. 3. Demonstrant etiam ea verba Dominium hoc non esse vniuersale, sed Ecclesiæ nominatim destinatum: Præterea enim hoc certò sciri debere, dicit Petrus à tota domo Israelis, id est, ab vniuersa Ecclesia, quippe in cujus gratiam totum hoc mysterium dispensatum fuerit, & cuius æterna salus finis sit constitutionis illius, quâ Christus factus est Dominus. Vnde & Matt.28.18. Christus Apostolos jubens Euangelica prædicatione Ecclesias vbique fundare, rationem mandati ex eo deducit, quòd data fuerit sibi omnis potestas, & in cœlo & in terra, q.d. electos sibi congregandos esse vndique verbi ministerio, quia propter eos Dominus summa cum authoritate à Deo fuerit constitutus. 4. Docetur dominium hoc ab omnibus legibus simpliciter liberum & absolutum fuisse, verùm certis conditionibus adstrictum, ac nominatim ea lege Christo datum, vt in ejus plenam possessionem, nonnisi per varias ignominias, labores, adeoque mortem ipsam crucis introduceret: Eo enim fine non tantùm de Christo loquitur Petrus, tanquam Domino, sed etiam crucifixionem ejus memorat. 5. Tria nomina Redemptori nostro Petrus attribuit, sicut & alibi frequentissimè fieri solet: Vocat enim Iesum, & Christum, & Dominum. Iesum vt ipsius gratiam significet, Christum, vt ipsius authoritatem demonstret; Dominum, vt potestatem insinuet. Iesus finem ostendit, propter quem venit in mundum; Christus media & modum quibus istum finem consequi debuit; Dominus perfectam ejus exequutionem.

DOMINII hujus cognitionem vt plenè assequamur, videndum nobis quis sit ejus author, quod fundamentum, quæ conditiones, quæ amplitudo, quæ duratio. Authorem esse Deum Patrem Scriptura frequentissimè testatur, & nos initio capitis docuimus, quod de tota Mediatione dicebamus, illud etiam de dominio est intelligendum, cujus non vl-

timæ

timæ sunt in hac mediatione partes. Itaque cùm Deus Pater Filium suum alloquitur, Ps.2.6.7. dicit se eum inunxisse, & Sioni præfecisse & donasse Gentes in possessionem ipsius, & Ps.89.28. Constituisse primogenitu,m&c. Et Ps.110.1.2. Et Eph.1.21.22. Itaque Christus cùm de suo hoc dominio loquitur, proponit illud tanquam ab alio sibi traditum, Matt. 28.18. nimirum à Patre, cui solet omnia sua opera, miracula, doctrinam, sacerdotium, regnum attribuere: Atqui eò respiciebat Apostolus, tum, Heb.1.2. Christum dici à Patre positum, siue constitutum hæredem omnium: Quanquam enim hæc verba ad Christi diuinitatem nonnulli referunt, adeóque de dominio essentiali exponenda contendunt: Videntur tamen potiùs ad dominium Mediatorium pertinere, quod exercet Christus quà κατ' ἐξοχὴν. 1. Quia non simpliciter dicitur Christus Dominus factus, sed constitutus & positus hæres, quod verbum haud satis rectè diceretur de Dominio naturali filij: Cùm enim hoc sensu idem sit esse Dominum, & esse Deum, sicut non potest Christus dici fuisse positus Deus à Patre: Ita neque positus fuisse Dominus, & certum φύσιν ac θέσιν plurimùm inter se differre, vt sint sæpe membra ἀντιδιαιρήσεως vt cùm dicunt Logici verba significare, non κατὰ φύσιν, sed κατὰ θέσιν, non secundùm naturam, sed secundùm institutionem. Ergo cùm filius habeat essentiale Dominium φύσει, dici non potest illud obtinuisse θέσει. 2. Quia nomen hæredis demonstrat de donatiuo quodam dominio hic agi, qui hæreditatem capescit, eum oportet in locum alterius succedere. Iam autem Christus respectus essentialis dominij dici non potest in locum Patris successisse, cùm dominium illud cum Patre & Spiritu sancto æquali authoritate exerceat in æternum. Est igitur hoc referendum ad Dominium acquisitum & mediatorium, quod à Patre Christus ita obtinuit, vt quasi succedens in locum Patris vicariam sub eo potestatem exerceat à Patris constitutione dependentem: Cùm enim vellet, Pater per Mediatorem filium Ecclesiam sibi acquirere, munus illud Mediatoris demandauit, cum dominio, & hæreditate omnium conjuncto.

FVNDAMENTVM istius dominij ex duobus præcipuè capitibus *excellentia* & *beneficentia* Christi. *Excellentiam* dico, quia vel natura ipsa hoc docet, vt quod præstantius est dominationem habeat, quod inferius est seruitium præstet. *Excellentiam* autem illam in duobus præcipuè constituo, nempe potentia, & sapientia: vt enim aliquis optimo iure sit Dominus aliorum, oportet eum, & potentiâ præditum esse, quâ subditos in officio contineat, & aduersus hostium vim atque impetum tueatur; & sapientia eminere, quæ valeat omnia justè regere & ad fines suos ordinare, neque verò possunt, vt ait Augustin. de vtilitate credendi cap. 10. stulti beatiùs viuere, quàm si seruiant sapientibus. Huc respexisse videtur Iustinianus, dum ipsos statim institutionum ciuil. initio, docet Imperatoriam majestatem, non tam armis decoratam, sed etiam legibus debere esse armatam: Arma enim ad potentiam pertinent; Leges ad sapientiam referuntur. Addo etiam *beneficentiam*, nam & priscis latinis dominia vocabantur conuiuia, quæ domi suæ quis celebrabat, & qui con-

uiuium exhibebat, nomen Domini præ aliis obtinebat, vt significaretur non alios meliori jure dominorum appellationem consequi, quàm qui essent, in alios benefici. Et verò necessaria est relatio inter Dominium & seruitutem. Seruitus autem, inquiunt Iurisconsulti, non à seruiendo, sed à seruando: Serui enim non ex eo quòd seruiant, licet id reuera faciant, sed ex eo appellati sunt, quòd Imperatores, quos bello cœperant, in eos ita jus belli exercebant, vt eos seruare, non occidere solerent. Verè igitur Dominus, qui sibi beneficiis demeretur eos, quos habet sibi subditos. Vnde in jure feudali Dominus vocatur, qui fundi & prædiorum largitionibus alios sibi in clientem & seruitutem obstrinxit.

Denique Ios.24.13.14.17.18. Et Iosua inde colligit Israelem Deo servire debere, quia eis dedisset terram, in qua non laborauerant, & ciuitates quas non extruxerant, & populus cultum perpetuum Deo vouet, propterea quòd eos eduxisset ex Ægypto, & edidisset ante oculos ipsorum signa maxima, & conseruasset illos tota via per quam iuerant; quomodo & Zacharias Luc.1.14. docet Deum nos è manu inimicorum nostrorum liberare, vt seruiamus ipsi. Christus ergo iure meritissimo pro Domino colitur, cùm & dignitate, & meritis erga nos suis toti Ecclesiæ sit notissimus. Est enim primo potentia insignis, cùm sit illi data in cœlo & in terra omnis potestas, Matth.28.18. Vbi nomine potestatis, non est intelligenda omnipotentia illa, quæ est idioma diuinitatis, quæque in omnia omnino non existentia tantùm, aut futura; sed etiam possibilia extenditur, cum absoluto & independenti dominio, & quæ nulli omnino creaturæ adeóque nec humanitati Christi communicari potest, sed jus illud summum & authoritas regia, quam sub Patre suo Mediator Christus exercet ad constitutionem & conseruationem Ecclesiæ suæ, & de qua sæpe alibi Scriptura, Psal.2.8. Dan.7.14. Matth.11.27. Ioh.13.3. quam denique Christus variis miraculis fecit illustrem, ut dictum est lib.sup. cap.7. Sed est sapientia perfectissima præditus, quâ optimè nouit, quid, quâ viâ, quo tempore, in quem finem agendum sit, tum ad Mediatoris partes omnes obeundas, tum ad impedimenta quælibet, vel infringenda vel amolienda, vnde dicitur super eum requieuisse Spiritum sapientiæ, Es.11.2. Sicut expositum est lib.sup.cap.5. 3. Beneficentiam Christi erga Ecclesiam tota scriptura deprædicat, & certum est quidquid aggressus est Christus, quidquid egit, quidquid pertulit, id omne in nostri gratiam fecisse, itaque cùm de Christo, tanquam vno Domino loquitur Apostolus, 1.Cor.8.6. In eo præsertim Dominij rationem constituit, quòd per Christum sunt omnia, & nos per ipsum, nempe dominium Christi considerat non oppositè hoc, vel illud, id est, vel essentiale, vel mediatorium, sed compositè, vtrumque simul & vtriusque rationem ostendit, in beneficentia præsertim esse quærendam: Dominij quidem essentialis, quia per Christum (quà Deum æternum cum Patre) sunt omnia, id est, vniuersus hic mundus ab eo conditus est, & ab eo non tanquam Patris instrumento, sed tanquam vero & primario σωαιτίῳ habent omnia beneficium illud, quòd existunt & conseruantur: Dominij vero

vero Mediatorij, quia nos per eum sumus, i.e. ab eo redemptionis & salutis nostræ beneficium accepimus: Cùm enim fideles ibi distinguat; Apostolus ab omnibus aliis creaturis satis significat ipsos esse per Christum peculiari quodammodo, qui non competit in reliquas creaturas, satis significat ipsos esse per Christum. Atque ita non de creatione loquitur, & conseruatione, quæ sunt beneficia communia, sed de salute ac Redemptione, quæ sunt beneficia specialia, & electorum propria.

TERTIO ad conditiones istius Domini accedendum. Conditionem autem cùm dico, intelligo, 1. Leges illas; siue mandata diuina, quibus Pater cœlestis hoc Dominium filio suo tradidit, atque ita imperium ipsius veluti circumscripsit; Neque enim Dominium istud ita absolutum est & illimitatum, quomodo regnum, seu Dominium quod essentiale diximus, quodq; est penitus ἀνυπεύθυνον, nullius, vel judicio, vel legibus obnoxium, Ioh.13.13. Sed conditiones aliquas habet à Deo annexas, nempe in genere exequutionem eorum omnium, quæ ad salutis nostræ rationem pertinent, & in quem ipsum oportuit totum incumbere, Ioh.9.4. Ita docet se accepisse mandatum ponendi & resumendi animam, i.e. moriendi & resurgendi, Ioh.10.18. Ita testatur oportuisse se pati, &c. Luc.24.26. Ita conditionibus istis, & imposito munere defunctus opus se perfecisse, ait à Patre demandatum, Iohan.17.14. 2. Conditionum nomine intelligi debent partes illæ omnes, quæ simul sumptæ rationem constituunt Dominij œconimici: Ad hoc enim vt Christus verus Ecclesiæ Dominus dicatur, necesse est, 1. Vt sit caput Ecclesiæ, non ratione modò perfectionis & excellentiæ, sed directionis etiam & motus spiritualis, id est, vt Ecclesiam gubernet Spiritu suo, & in ea motum sensumque vitæ spiritualis efficiat, Eph.5.29. Ion.15.4.5. 2. Vt sit Redemptor Ecclesiæ: Nam si qui ab hostium impetu liberati fuerant, seruiebant olim liberatoribus suis, quis negauerit Christum, tanquam Dominum agnoscere, per quem à peccato & morte redemptus sit, Tit.3.14. 1.Pet.1.18.19. 3. Vt sit Ecclesiæ sponsus: Vir enim caput est, & Dominus vxoris suæ, 1.Cor.11.3. Eph.5.23. Gen.28.12. 1.Pet.3.6. 4. Vt sit legislator & judex Ecclesiæ, qui non modò leges ferat, secundùm quas fidelibus vita sit restituenda, quales sunt leges de pœnitentia, fide, spe, amore erga Deum, Marc.1.15. Ioh.13.34. & 16. 33. Sed etiam secundùm eas olim judicium laturus sit.

IAM latitudinem, quod attinet, certum est Christi Dominium extendi amplissimè. Nam, 1. Non certis prouinciis, aut nationibus destinatum est, sed per vniuersum mundi ambitum diffunditur, à mari vno pertingit ad alterum, & qua sunt terræ fines longè latéque protenditur, Psalm.72.8. Ecclesia certè catholica, non angustis quibusdam spatiis continetur, sed per vniuersum orbem sparsa est. Atqui Christus caput est & Dominus totius Ecclesiæ. Peruadit igitur ipsius Dominium omnia loca. 2. Quemadmodum Ecclesiæ duratio non ad certa temporum interualla limitatur, sed præteriti, præsentis, futuri fluxum ac durationem complectitur: Sic & imperium Christi fuit ab initio mundi, & futurum est vsque ad sæculorum consummationem, Ero, inquit, vobis-

cum vsque ad consummationem sæculi: Vnde Apoc.1.4. Dicitur ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, non modò ratione æternæ suæ naturæ, sed & respectu amplissimi illius Dominij, quod omni tempore exercet, & porrò exercicturus est. 3. Dominium illud Christus obtinet in Ecclesiam tum militantem, in terris, tum triumphantem in cœlis; Data est, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra, Matth.28.18. In cœlo quidem, quia ibi Angelis & spiritibus beatorum imperat, qui propterea repræsentatur, Apoc. 5.14. Procidentes in faciem suam & adorantes eum, qui viuit in sæcula sæculorum. In terra vero, quia fideles omnes hîc agentes fatentur cùm Apostolo, 1.Cor.8.7. Vtut, sint in terris plures Domini, sibi vnum tantùm esse Dominum Iesum Christum: Nam sicut omnia nostra sunt, id est, ædificationi nostræ destinata, & ad salutem nostram condita. Ita nos Christi sumus, quia ab ejus Dominio dependentes, 1.Cor.3.22.

4. Cùm Ecclesia militans in duas classes distribuatur; Quarum altera Iudæos continet: Altera gentes complectitur. In vtrosque sanè Christi Dominium extenditur. Iudæi enim & Gentes sicut in vnam spem vocationis admitti, & vnam fidem atque vnum baptisma. Ita & vnum Dominum habere dicuntur, Eph.4.4.5. Dominium autem hoc exercuit, primò in Iudæos ex quibus natus est & apud quos. 2. Officij sui munia primùm exhibuit, vt inde ad Gentes suo loco & tempore per Apostolorum prædicationem pertingerent; Quo respiciens in scriptura salutem ex Iudæis esse dicit, Ioh.4.22. Quia nimirum vera doctrina cultusque Dei primùm Iudæis innotuit. Inde autem ad reliquas Gentes progressus est, Ps.110.2. Esai.2.3. Itaque Christus dicitur Rex Iudæorum, Matth. 2.3. & hunc titulum quantumuis refragantibus Sacerdotibus cruci Christi appositum voluit Pilatus, Ioh.19.20.21. Adeóque literis Hebraicis, Græcis & Latinis perscribi, quod haud absque quadam secreta inspiratione factum videtur, vt scilicet significaretur, non solùm Iudæis, quorum erat propria lingua Hebr. sed & aliis nationibus, quæ variis linguis distinguuntur destinatam esse mortem & Redemptionem Christi, adeóque pateret non Iudæorum modò, sed & Gentium futurum Dominum Christum. Huc pertinent illa vaticinia de vocatione Gentium passim apud Prophetas extantia, quibus docetur Christi dominium nationes omnes esse potenter peruasurum juxta promissionem de benedicendis in Christi semine Gentibus omnibus, Gen.12.7. Et 15.5. Gal.3.16. Et dictum Iacobi de Schiloh, id est, Mediatore Christo, cui futura esset obedientia populorum, Gen.49.10. Et cui omnes Gentes ac Reges terræ seruituri essent, Ps.72.9.10. 5. Christus dominatum suum extendit, & in corpora, & in animas, quod significasse videtur Christus traditam esse sibi potestatem in cœlo & in terra, i.e. non modò in corpus & vitam hanc terrenam & animalem quo sensu vocantur Domini Reges terræ, sed & propriè in animas atque conscientias, quæ verè cœlestis dominatio est, & Apost. 1.Cor.6.20. Inde conficit à nobis glorificandum Deum, tum corpore, tum Spiritu, quia vtrumque ad Deum pertineat. Vtrumque autem pertinere, quia pretio empti sumus. Vnde patet Christum redemptorem es-

se,

se, adeóque Dominum animarum & corporum. Atque animas quidem quod attinet ad eas præcipuè spectare Dominium Christi, vel inde satis patet quòd pastor & curator animarum nostrarum dicatur, 1.Pet.2.25. Quo fit vt animabus nostris requiem æternam promittat, Matth.11.29. Corpus verò quod spectat est etiam Christus illius Dominus non tam ratione vitæ animalis: (Hoc enim magis ad essentiale Christi Dominium, quàm Mediatorium pertinet) quam quatenus corpus ordinatur ad vitam spiritualem, & est instrumentum animæ sanctificatæ in externis pietatis operibus exercendis, adeóque templum Spiritus sancti, 1.Cor.6.19. Olim gloriæ cœlestis particeps futurum, quo fit vt dicantur fideles expectare Redemptionem, id est, consummatam gloriam corporum suorum, Rom.8.22. Denique imperium hoc exercet Christus aliquatenus in omnes creaturas; Quanquam enim creaturarum omnium Dominium ad Christum propriè, & directè, & per se pertineat ratione diuinitatis: est tamen Mediator noster, quà talis creaturarum omnium Dominus, quatenus Mediatorem oportet non tantùm Dei electos ad Deum adducere, eisque Redemptionem æternam comparare, etiam Ecclesiæ laboranti succurrere, & à Satana, aliisque hostibus liberare, & quidquid Ecclesiæ inimicum est, prosternere, ac perdere, quod absque dominio in illas fieri non potest; vnde dicitur Christus judicium exercituras in Gentes, & complecturus omnia corporibus, & fracturus caput in regionibus plurimis, Ps.110.6.

Denique durationem quod spectat, cùm sæculare quodcunque dominium tandem abolendum sit, 1.Cor.15.24. Quippe quod huic vitæ tantùm destinandum fuit, & cujus in futuro seculo nullus esse possit vsus, quodque in rebus terrenis & visibilibus situm sit: è contra Christi dominium, vt spirituale est, & inuisibilia respicit, & in æternum permanere debet, docente Scriptura visibilia esse ad tempus. Inuisibilia verò æterna, 2.Cor.4.18. Itaque dicitur Christi dominatus perpetuus, qui nunquam periturus sit, Daniel.7.14. Certè Christus Dominus est ratione mediationis suæ, ita vt dominium omnia Mediatoris officia peruadat: Est enim Dominus ratione regiæ potestatis, quatenus spirituale regnum à Patre obtinuit; Est Dominus ratione Sacerdotij, quatenus morte sua Redemptor nobis factus est. Est Dominus ratione officij Prophetici, quatenus legislator est noster, qui legem Euangelicam, & dedit, & docuit, sub qua fideliter ac piè vitam degeremus. Iam autem si officia singula consideres, nullum inuenies, quod non Christo fuerit impositum, vt eo fungeretur in æternum de regno patet, Psalm.89.38. Iurauit enim Deus per sanctitatem, & Dan.2.44. Dicitur regnum illud staturum in sæcula, nec vnquam destruendum de Sacerdotio non minus certum est: Est enim Christus Sacerdos in æternum, Ps.110.4. Quia quanquam semel mortuus & Patri oblatus in sacrificium pro nobis, manet, in æternum, tamen inquit Apostolus, Heb.7.24.25. Habens sacerdotium ἀπαράβατον, id est, perpetuum, nunquam transiens, & semper vi-

uit, vt interpellet pro nobis. Propheticum munus quod attinet, cùm præcipua pars in hoc sita sit, quòd spiritu suo Christus animas nostras illuminat ad plenam Dei rerumque diuinarum cognitionem. Nemo dubitare, potest Christum esse Prophetam in æternum cùm nos in cœlis in æternum sit illuminaturus, Apoc.22.5. Neque verò obstat, quòd, 1.Cor. 15.24. dicitur Christus in fine sæculorum traditurus Regnum Deo Patri, quippe cùm non de re, sed de modo loquatur Apostolus, neque significare velit Christus non ampliùs futurum regem, sed solùm id doceat non fore regni illius administrationem, qualis nunc est, quia tunc non occupabitur regia Christi potestas in comprimendis hostium Eccl siæ inimicis, aut euertendis eorum machinis, & artibus: Neque enim tunc futurus est aliquis hostis non planè debellatus, & in æternum exitium detrusus; Non etiam tunc Christus in regenda Ecclesia vtetur ministerio, vel Angelorum, vel hominum; quemadmodum fit in hoc sæculo, vbi ministerij causa Angelos emittit propter eos qui salutis hæredes futuri sunt, Heb.1.14. Vbi facit Reges nutritios & reginas nutrices Ecclesiæ, Es.49. 23. Vbi pastores dat, & doctores ad compactionem sanctorum ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, Eph.4.11.12. Vbi nos aduersus principem tenebrarum armis instruit spiritualibus, Eph.6.12.13. At verò in consummatione sæculorum erit horum omnium finis, inquit Apostolus, 1.Cor.15.24. Nempe, 1. Finis mundi & omnium quæ sunt in mundo, quæque tunc peritura sunt, Ps.102.27. 2.Pet.3.10. 2. Finis omnium Christi hostium, qui tunc ita dejicientur, vt non sint in æternum restituendi. 3. Finis cujuslibet potestatis, imperij, & authoritatis, quippe quæ vt subdit Apostolus sunt abolenda. Intellige potestates Angelorum, imperia politica, authoritatem Ecclesiasticam. Denique ministeria, quælibet, quæ ad bonos tutandos, & fœnandos impios in hoc sæculo Deus instituit, quæ tunc cessabunt, quia Deus erit omnia in omnibus, 1.Cor.15.28. id est, pleno imperio suos gubernabit, sine ministerio creaturarum. Hic sanè vitam corporalem & spiritualem, & largitur, & conseruat mediis in eum finem ordinatis, cibo, potu, legibus, verbo, Sacramentis, &c. Tunc illis opus nequaquam erit, quia Deus nobis erit omnia, id est, loco mediorum omnium illorum, nos enim plenè & mediatè per se seruaturus in æternum. Breuiter cùm officium Mediatorium Christi varias partes & munia latitudine sua complectatur, haud arduum est explicare quomodo & quo respectu dicendus sit Christus Mediator, adeoque Dominus in æternum; vnde etiam facilè conciliari possunt, dissidentes in speciem doctorum sententiæ dum alij Christum affirmant Mediatorem fore in æternum; alij cessaturum Mediatoris officium, quippe in futura vita minimè necessarium. Certè quidquid est officij Mediatorij, videtur ad tria capita summatim reuocari posse: In eo enim situm est, quod Christus salutem acquisiuit, & impetrauit; 2. Impetratam efficaciter applicat. 3. Applicatam potenter conseruat. Partes igitur eas, si consideremus, quas in impetranda, & applicanda salute consistunt, illis ita defungitur Christus in hoc sæculo, vt in æterna

æterna vita locum non sint habituræ. Atque hoc respectu certum est quod asseritur à multis, Christum Mediatoris partes in fine sæculorum depositurus, cùm dicat Apostolus tunc traditurum Christum regnum Patri suo: At si tertiam illam partem officij respiciamus quæ in conseruanda salute versatur, haud quaquam negari potest fore Christum Mediatorem in æternum, quatenus in salutis animæ possessione nos perpetuò confirmaturus est. Hic Mediator est fidelium Mediator, inquam impetrationis & applicationis respectu, qua ratione Angelorum Mediator dici non potest. In æterna verò vita Mediator noster erit, quo & Angelorum, quatenus in gratia & gloria concessa nos in æternum conseruaturus est.

Vltima Theorematis nostri verba finem Mediationis Christi proponunt duplicem; Dei gloriam, & hominum salutem: Et gloria quidem Dei in omnibus operibus suis elucet, quæ propterea Dei gloriam celebrare dicuntur, Ps. 19. 1. & 145. 10. Sed in hoc Redemptionis opere præstantissima ratione se conspicuam præbet, & sanè cùm sit Dei gloria diuinarum proprietatum quædam complexio, & quasi explendescentia, quò plurium diuinitatis attributorum effecta effulgent in aliqua re, eò eminentiùs in illa re Dei gloria conspicienda exhibetur: Atqui in opere isto non vnum aut alterum, sed compluria diuinitatis attributa præferunt sese magnificè, immutabilitas, sanctitas, justitia, misericordia, sapientia, potentia Dei. Quidni ergo concludamus hoc opus ad Dei gloriam singulariter pertinere. Certè hic sese declarauit, Deus. 1. Immutabilem, qui quod decreuit, nempe ne peccatum vnquam impunè habeat, nulla prorsus ratione mutat. 2. Sanctissimum qui ab omni iniquitate sic abhorret, vt cum homine peccatore ne leuissimum quidem commercium habere possit. 3. Iustissimum, qui non minarum strepitu tanquam vanis terriculis intonet in homines, sed legis suæ transgressionem certissimè vindicet ac seuerissimè. 4. Misericordissimum, qui homini præstantissimum peccati remedium in Christo suo voluerit oblatum, vt eum ad cognitionem & participationem gratiæ suæ deduceret. 5. Sapientissimum, qui rationem inuenerit, hominibus incognitam & Angelis, quâ & salua esset ipsius justitia, & misericordiæ tamen nullum accederet detrimentum. 6. Potentissimum, qui hominem ex nihilo. 1. Creauit illum ex infimo miseriarum & perditionis barathro ad æternæ beatitatis culmen in Christo perduxerit. Huic suæ gloriæ conjunctam esse voluit salutem electorum, ad quam licet ordinata sint omnia, non bona tantùm & prospera, sed mala etiam & aduersa, quippe, quæ ipsi sint, adjumento ad bonum, Rom. 8. 28. Non est tamen dubium, quin Christi redemptio, tum ex sua natura, tum ex Christi voluntate, tum ex primaria Patris cœlestis intentione in salutem nostram æternam nominatim ordinetur ex sua natura, quæ reconciliatio fit inferioris cum superiore, miseri cum beato, egeni cum diuite etiam certum est totam ad bonum, & salutem ipsius referri, qui inferior est, egemus & miser ex voluntate Christi: Venit enim ipse vt ministraret, & animam suam daret in redemptionis pretium pro multis, Matth. 20. 28.

& seipsum pro eis sanctificaret, Ioh.17.19. ex Intentione Dei primaria: Nam Deus pro æterno suo in nos amore filium suum dedit, in quem credentes æternæ salutis fieremus participes, Ioh.3.16.

CAPVT III.

De Mediatore secundùm vtramque naturam.

QVAM verè Christus sit Mediator, & quomodo ad opus Mediationis sit vocatus: Videamus nunc, qua ratione sit Mediator, siue secundùm quid ei competat Mediatoris officium: Notum enim est triplex esse actionum Christi genus, prout consideratur, vel vt Deus, vel vt homo, vel vt θεάνθρωπος: Aliæ enim merè diuinæ sunt, quas nonnisi quà Deus efficit, qualis est creatio, miraculorum patratio, &c. Aliæ merè humanæ, vt quod edit, sitiit, ambulauit, passus est, &c. Aliæ mixtæ, quas Theandricas vocant, qualis est redemptionis opus, ad quod perficiendum suæ fuerunt, tum diuinitatis, tum humanitatis partes. Explicandum est igitur ad quam harum actionum speciem Mediatio Christi pertineat: Solius diuinitatis esse Mediationem nemo dixit hactenus, neque vero nisi absurdissimè dici potest: Cùm enim inter Mediationis partes non nimirum locum obtineant passiones Christi & mors, quam in carne pertulit. Certum est non esse trahendam in has partes Christi diuinitatem, quæ nec mori potuit, nec pati, sed ad solam humanitatem spectare Mediationis opus diu est disputatum, cùm affirmarunt Scholastici Lomb.lib.3.dist.quæst.19. litera 9. Mediator dicitur Christus non secundùm diuinitatem, sed secundùm humanitatem. Ita Thom.parte 3. quæst.26. art.2. docet Mediatorem esse non conuenire Christo secundùm quòd Deus, sed secundùm quod homo. Et Bonau.in 3. dist.19. art. 2.quæst.2. Christus non potest esse Mediator secundùm diuinam naturam, sed secundùm humanam. Ita recentiores Bell.Valent.alij. Becan. in manuali lib.3. cap.2. cùm hunc Caluinist. quos vocat errorem sexto loco proposuisset tanquam sibi refutandum, postea tamen nescio qua supinitate omisit, neque de eo vel tantillum disputauit. In eodem erroris luto etiam hæsit Franciscus Stanc. Christo quâ homini tantùm tribuens officium Mediatoris qua in re se magistri sententiarum, & Scholasticorum doctrinam sequi profitetur. Verùm Bell. lib.5. de Christo cap.2. abnuit, neque consortium illud cum Stancaro ferre potest: Ponit enim discrimen in eo quòd non videatur Stancarus supposítum diuinum requirere vllomodo, nequidem vt principium illius operis Mediatorij. Pontificij vera distingunt inter supposítum, & principium formale operum ad Mediationem spectantium, siue inter principium quod, & principium quo. Fatetur igitur Bell.cap.1. ipsum Mediatorem, siue principium quod operatur, opera Mediatoris non fuisse hominem solùm, vel Deum

Deum solum, sed vtramque simul, id est, verbum incarnatum, sed principium quo illa opera à Mediatore fiebant, contendit fuisse naturam humanam, non diuinam: Nam inquit, tametsi Deus erat, qui patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc omnia faciebat secundùm formam serui, non secundùm formam Dei: Enimuerò frustrà est Bell. in repellenda Stancarianismi accusatione: Stanc. enim non minùs quàm Pontificij in opere Mediationis suppositum & personam diuinam requisiuit, sicut ex Seluzerbulgio patet Catol. hæreticorum cap. 9. pag. 45. Vbi hæc duo loca producuntur ex Stancaro: Prius est excludo naturam diuinam ab officio Sacerdotij & Mediationis Christi, sed non à persona ejus per posterius in hac propositione, quatenus est Mediator secundùm naturam humanam tantùm, non secundùm diuinam hæc exclusiua tantùm non excludit diuinam naturam à persona Christi, sed ab officio Mediationis ejus. Quod si Stancarus alibi ea dixit, quæ Nestorianismum sapiunt, ita vt voce quidem vnam in Christo personam ponat, sed reapse tamen duas faciat, vt Bell. asserit, hoc nos minimè curamus, qui nouimus nihil mirum esse si sibi contrariantur, qui semel à veritate discesserunt. Quanquam Bell. criminationes aduersus Stanc. suas satis eleuat, cùm verba Stanc. in bonum sensum trahi posse fatetur,

Bellarminus libro illius 5. cap. 3. de Christo sententiam nostram, quod nempe Christus Mediator sit secundùm vtramque naturam, tum ratione suppositi, tum ratione formalis principij satis fideliter recitat, nisi quòd sensum nostrum perfectè non exponit, dum nos ait docere in sacrificio Christi ita distinguendas actiones Mediatoris, vt sacrificium obtulerit diuina natura; Victima verò fuerit humana: Quanquam enim docemus sacrificij oblationem esse à diuinitate, tanquam à principio primo & præcipuo, vnde dicitur se obtulisse per Spiritum æternum, Heb. 9. 14. Non tamen ab illa oblatione humanitatem simpliciter excludimus, cùm etiam per Spiritum suum humanum & creatum tanquam per principium secundum & inferius sese ipsum Christus obtulisse dici possit; Quod verò Melancthonem criminatur, & Samicio Arrianismi & Eutychianismi dicam impingit, in eo Bell. Antiquum obtinens injustas nectit accusationes: Nam quòd aliquando dixerit Melancth. Diuinitatem filij obediisse Patri, debuit illud non inuidiosè objici, sed legitima explicatione molliri. Dixit Aug. alicubi diuinitatem suæ carnis conceptione conceptam, & natiuitate natam, & sensisse participatione humani affectus, mortem, quam sponte susceperat. Hoc quantumuis catachrestice dictum ferunt Aduersarij, quòd nimirum diuinitas concepta, nata, passa dicatur, non in natura sua propriè, sed in persona figuratè. Hoc sensu quòd ille, qui verus est Deus, sit conceptus, natus, & passus respectu carnis assumptæ. Quidni igitur in eundem sensum accipiuntur benignè Melancthonis verba diuinitas filij obediuit Patri diuinitas nempe non in natura, sed in persona, id est, qui verè Deus & homo est in vnitate personæ præstitit Patri suo obedientiam. Samicius autem dixit, nec Christum quidem esse Sacerdotem diuina natura, victimam vero

humana. Ita quidem testatur Stancarus Sarnicij hostis, sed ex scriptis Sarnicij, aut exactis publicis probari id non potest, quod si dixisse concedatur, quis non ea verba facilè explicet, nimirum Christum fuisse Sacerdotem simul, & victimam, sed victimam tantùm ratione humanitatis. Sacerdotem autem non humaninatis ratione tantùm, sed & diuinitatis respectu. Hoc verò qui dixerit, nonnisi injustissimè cum Arrianis aut Eutychianis annumerari potest.

Sed his omissis sententiam nostram ita explicamus. In Christo quatuor diligenter distingui oportere τὸν ἐνεργοῦντα, τὸ ἐνεργητικὸν, τὴν ἐνέργειαν & τὸ ἐνέργημα, seu τὸ ἀποτέλεσμα. In Mediatione igitur ὁ ἐνεργοῦν, agens, siue principium absolutum Mediationis est ipse Christus, id est, Persona, siue suppositum quod Christum vocamus: Nam & vulgatum est in Philosophia dictum: *Actiones esse suppositorum.* Sed τὸ ἐνεργητικὸν, siue illud per quod agens, id est, persona Christi operatur, sunt duæ naturæ, quarum vnaquæq; citra vllam confusionem operatur. Inde consequuntur ἐνέργειαι, siue actiones, quarum vnaquæque naturam siue principium suum refert: Agit enim vtraque forma, secundùm dictum Leonis cum alterius communione quod suum est, verbo operante quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Non est igitur in Christo vnum tantùm opus juxta vnam personam operantis, sed sunt duo opera juxta duas naturas per quas persona vna operatur: Opera enim multiplicantur ad multiplicationem principij formalis, sicut docet Bell. cap. 2. sub finem. Denique ex illis naturarum ἐνεργείαις, & operationibus exurgit vnum ἐνέργημα, ἀποτέλεσμα, siue vnum opus externum ad redemptionis mysterium pertinens. Ergo operum Mediationis principium duplex, commune, & proprium. Commune vnum est, nempe persona Mediatoris: Principium verò duplex, diuina scilicet, & humana natura: Diuina quidem proprium & formale principium diuinarum actionum, humana verò humanarum. Vnde iam nobis efficitur hoc.

Theorema *Christus est Mediator secundùm vtramque naturam, id est, Mediationis operum formale principium est, tum diuina, tum humana natura.* Cujus Theorematis veritas firmissimo fundamento innititur: Nam vt humanarum operationum non aliud est quærendum principium formale præter humanitatem: Ita necesse est vt operationum simpliciter & propriè dictarum formale principium agnoscamus diuiniratem esse. Si ergo probatum fuerit officij Christi Mediatorij esse multas operationes verè, proprieque diuinas, necessaria exurget conclusio operum Mediationis formale principium esse non humanitatem modò, sed etiam diuinitatem Christi. 1. Ergo ad exercendas operationes tantùm humanas sufficit natura humana, neque necessaria personæ diuinæ conjunctio; alioqui quot sunt homines humana operantes, tot esse deberent supposita diuina, quod est absurdorum absurdissimum. Itaq; ad operationes Mediatoris edendas necessarium fuit suppositum diuinum, id est, vt Christus exercere possit officium Mediationis suæ, non debuit esse solùm verus homo, sed etiam verus Deus: Neque enim potuit Christus esse efficax Mediator, nisi esset diuina persona quæ officium Media-

tõris exerceret, inquit Bell. cap.2. Ergo Mediatoris actiones oportebat, non tantùm esse humanas, sed etiam diuinas.

SECVNDÒ per varios Mediationis gradus, siue actus eunti manifestum fiet suas esse in illis, non diuinitatis minus, quàm humanitatis partes: Nam, 1. Christus est Mediator per modum arbitrij, vt agnoscit Bell. cap.1. quatenus nimirum indicat & discernit causam inter Deum & homines: Atqui ejusmodi arbitrium non potest esse, nisi diuinitatis: Est enim certè supra humanitatis conditionem arbitrum esse inter Deum justissimum & homines peccatores. Itaque Christus officio arbitri functus est, quà Deus in humanitate assumpta. 2. Christus est Mediator per modum internuntij: Atqui rerum diuinarum internuntius, & Interpres nemo potest esse, nisi Deus agens per Diuinitatem suam. Interpres inquam, primus, & summus, perfectus, & ineffabilis: Nam homines quidem diuinam voluntatem interpretantur, & ad nos referunt, sed λειτουργικῶς καὶ ὑπηρετικῶς superiori causæ ministrantium: Sed supremum absolutum & ἀνυπόθετον Interpretem agere rerum cœlestium, & supra totius naturæ humanæ modulum positarum. Certè Christi est, quatenus est verus Deus in carne manifestatus, quod ipse satis testatur aliis verbis, Ioh.1.18. Deum nemo vidit vnquam, &c. Vbi docet satis euidenter, non aliunde esse quàm ex diuinitate ipsius, quòd cœlestis doctrinæ mysteria nobis ab ipso reuelantur. Et Matth.11.27. Nemo nouit Patrem, nisi filius, &c. 3. Christus est Mediator per modum satisfacientis, quatenus Deo pro nobis satisfactionem præstitit abundantissimam. Atqui satisfactionis, quæ Deo exhiberi debeat, quæque ad rigidam justitiæ ipsius trutinam expensa coram Deo consistere valeat, nullus author esse potest, nisi qui verè Deus est, quique per diuinitatem suam agens pretium, & pondus infinitum præstitæ satisfactionis indat, Quod etiam sibi volunt ea Scripturæ loca, in quibus dicitur Princeps vitæ occisus, Act.3.15. Et Deus acquisiuisse Ecclesiam suo sanguine, Act.20.28. Et Dominus gloriæ crucifixus, 1.Cor.2.8. Hæc enim dicuntur quidem per communicationem idiomatum, sed & illud etiam designant, etsi passio, crucifixio, mors fuerit solius humanitatis, in ea tamen fuisse diuinitatis suas partes, cùm nonnisi operari diuinæ tribui possit, quod ea passio & mors tanti fuerit meriti, & efficaciæ, vt pro peccatis omnibus nostris satisfacere, & nos Deo reconciliare posset.

TERTIO patebit eadem veritas omnes officij Mediatorij partes siue species percurrentibus: Est enim Christus Propheta Sacerdos, & Rex Ecclesiæ suæ, atque in singulis suis officiis, & diuinitatis & humanitatis simul operationes conspicuæ sunt. Nam, 1. Propheticum quod attinet, exercuit illud Christus antequam homo fieret, siquidem ille est, qui Prophetas misit ad populum suum, & eis mysteria reuelauit cœlestis doctrinæ, loquuti sunt nempe sancti viri Dei, à Spiritu sancto acti, 2.Petr.1.21. qui Spiritus Christi vocatur, Rom.8.9. Ergo operatio illa diuinæ fuit naturæ, sed & ab aduentu suo in carnem: ita sese Christus Prophetam gessit, vt non modò, quà homo doctrinam cœlestem exteriùs proponeret

sed & mentem aperiret ad intelligendas Scripturas, Luc.24.45. Quod certè sola diuinitas operari potuit, prout etiam Act.16.14. dicitur Deus cor aperuisse Lydiæ, vt iis attenderet, quæ dicebantur à Paulo. Et Iohan. 6.45. θεοδίδακτοι dicuntur illi qui veram habent cœlestium mysteriorum cognitionem. 2. Quoad Sacerdotale munus cùm constet illud oblatione, tum actiua, tum passiua, quia Christus & ipse offerri, & ipse sese offerre debuit, vt esset nimirum & Sacerdos & victima, vt oblatus est, & victima fuit Christus respectu humanitatis, ita obtulit etiam humanitatem illam, quà Deus, id est, per operationem diuinitatis suæ : Obtulit enim sese Patri per Spiritum æternum, Hebr.9.14. id est, per æternam suam Deitatem, quæ corporis Christi victimæ diuinum vigorem cœlestemque efficaciam indidit. 3. Ad officium regium spectant operationes variæ, quas nemo planè diuinas esse negauerit : Regis enim illius cœlestis est vocare suos efficaciter, & à regno tenebrarum transferre ad regnum suum spirituale, & corda in obsequium Dei flectere, & legem suam cordibus inscribere, & conscientiam purgare ab operibus mortuis, vt seruiamus Deo viuenti. Hæc sanè Christus per naturam suam diuinam in nobis operatur. Sunt enim operationes ejusmodi, quæ Deo tantùm tribuantur, Deus vnus est qui nos vocat vocatione sancta ex suo proposito & gratia, 2.Timoth.1.9. qui aufert cor lapideum & corde carneo nobis impertitur, Ezech.36.26. qui legem suam insculpit animis nostris, Ier.31.33. qui denique purgat nos hyssopo à peccatis, Ps.51.9.

QVARTÒ confirmatur eadem sententia ex effectis, siue ἀποτελέσμασι Mediationis Christi, quippe quæ non ad humanam tantùm, verùm & ad diuinam naturam referri debeant. Præcipuum ἀποτέλεσμα, & quod reliqua gremio suo includit, est salus, siue redemptio. Propterea officium illud assumpsit, vt mundus seruaretur per ipsum, Iohan.3.17. Atqui salus nostra diuinæ operationis beneficium est, cùm in vno Deo situm sit, quod seruare nos possit, Ose.13.9. Itaque de Messiæ aduentu loquens Esaias, non tantùm salutem ipsi adscribit, sed & causam salutis à diuinitatis operatione arcessit, Es.35.4. Deus ipse veniet, & saluabit vos, quæ de Deo in carne manifestato intelligenda esse demonstrant sequentia clarissimè, vbi miraculorum Christi fit enumeratio quædam. Itaque Patres ad viuificationem nostram & salutis acquisitionem agnoscant operatas fuisse, diuinitatem, & humanitatem Christi Athan. dial.5. de Trinit. Nisi Christus Deus esset, non viuificaret, & nisi homo fuisset, non passus esset. Volens autem Christus vtrumque præstitit, nimirum & passus est, & viuificauit. Cyrill. oratione Paschali 16. cùm de salute loqueretur terræ incolis danda, docet nulli rei creatæ tam illustria, præclaraque facinora conuenisse, sed ei tantùm naturæ, quæ supra res alias excellit, & perinde factum hominem vnigenitum Dei verbum. Sic Fulg. ad Trasim. lib.1. reuera homo seruari non potuit, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuit vel in veri Dei susceptione aliquid hominis defuit. Sunt & alia multa Mediationis effecta ad quorum productionem diuinitatem operari necesse fuit, certè debuit Mediator Christus &

ſus & nos per peccata ſeparatos à Deo reintegratâ vnione Deo conjungere, & nos peccatorum remiſſione donare, & Spiritum ſanctum impertiri, & vt omnia potenter effecta dare glorioſa reſurrectione corpus ſuum excitare de ſepulchro : Atque hæc omnia operationis diuinæ ſunt, adeóque de diuinitate Chriſti tanquam à formali principio. 1. Ad conjunctionem noſtri cum Deo, vt ſcilicet illi vniremur & reconciliaremur, diuinam Chriſti naturam intercedere neceſſarium fuit; vnde ait Paulus Deum nos in Chriſtum reconciliaſſe, 2. Corinth. 1. 19. niſi talem dederis inter Deum & homines, qui ita ſit medius, vt ex vtroque vtrumque ſit, id eſt, vt & Deus ſit propter diuinitatis, & ſit homo, propter humanitatis naturam humana diuinis, quemadmodum reconcilientur non oſtendis, inquit Vigilius contra Eutych. lib. 5. cap. 4. Et Cyrill. lib. 1. de Trinit. Mediator hac ratione intelligitur, quia oſtendit in ſeipſo collatas & vnitas, diuinitatem & humanitatem, quæ ſecundùm naturam valdè diſcretæ ſunt, & conjungit nos per ſe Deo & Patri. 2. Quod ad remiſſionem peccatorum, nemo ſanè peccata remittere poteſt, qui non ſit verè Deus, Marc. 2. 7. Vnde Deus hoc ſibi tanquam proprium attribuit, quod deleat iniquitates noſtras, Eſ. 45. 25. Atqui in Mediatore Chriſto habemus remiſſionem peccatorum, Coloſſ. 1. 14. Et Chriſtus ipſe docet ſe quatenus filium hominis, adeóque qua Mediatorem habere authoritatem remittendi peccata, Matth. 9. 6. Marc. 2. 10. Hoc rectè nonniſi per operationem diuinam fieri poteſt. Athan. Dial. 5. de Trinit. Idcirco mundi opifex formam accipit partis mundi, id eſt, creaturæ, vt quatenus pars mundi erat occiſus, tanquam pars mundi tolleret mundi peccata, quatenus opifex mundi. Donatio quoq; Spiritus S. ſine dubio diuinitatis opus eſt. Propterea enim vocatur Spiritus Dei, Rom. 8. 9. 11. 14. & Spiritus gratiæ, Hebr. 10. 29. quia ipſius communicatio diuinæ gratiæ opus eſt. Vnde dicitur Deus etiam ſubminiſtrare nobis ſpiritum, Gal. 3. 5. & mittere ipſum in corda noſtra, & effundere de Spiritu ſuo ſuper omnem carnem, Act. 2. 17. Atque hoc etiam inter Mediationis officia, quòd mittit ad nos Chriſtus Spiritus paracletem, vt in æternum nobiſcum maneat, cùm in eum finem doceat Chriſtus ſibi in cœlum, &c. Ioh. 16. 7. Deniq; reſurrectionem Chriſti quod attinet nemo dubitaturus eſt eſſe diuinitatis opus, cùm ex ea Chriſti diuinitatem confirmet Apoſtolus, Rom. 1. 4. Porrò ad perfectionem operis Mediatorij hac reſurrectione opus fuit. Itaque eam ſibi authoritatem Mediator attribuit, quòd poteſt ponere animam ſuam, & eam reſumere, Iohan. 10. 18. vbi notant Veteres Athan. Theoph. Eutymius habere Chriſtum eam poteſtatem, tanquam dominum mortis, tanquam Deum omnipotentem, & omni virtute præditum. Habere, inquam, diuinè, i. e. ſecundùm diuinam naturam. Quanquam enim Chriſtus, quatenus homo, animam poſuerit, & reſumpſerit paſſiuè, quia ſcil. ſecundùm humanitatem mortuus eſt, & ſecundùm humanitatem reſurrexit. Quo ſenſu dixit Auguſt. Chriſtum hîc vt hominem loqui, & Chryſ. hæc dicta eſſe ſecundùm humanitatem; verùm quàm Deus animam actiuè poſuit & reſumpſit, quatenus ſcilicet non per vim humanitatis, ſed per opus

diuinitatis, & animam sejunxit à corpore in morte, & animam corpori conjunxit in resurrectione. Ita Maldonatus ex hoc loco inquit, & diuina & humana Christi natura rectè probatur. Diuina, quia solius Dei est habere potestatem ponendi animam suam, vt docent Cyrillus, Idatius, & Cerealis. Humanam verò cùm & veram se habere dicit animam, & à Patre mandatum accepisse.

HARVM rationum vim, vt declinent Aduersarij, respondent Christum Mediatorem nostrum peccata remittere, & Spiritum mittere per modum instrumenti, sed causam principalem esse Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Item actiones illas omnes esse à Christo, quatenus Mediatore meritoriè, sed à Christo quatenus Deus efficaciter. Itaque non esse quod putemus Mediationem ad diuinam Christi naturam pertinere, cùm sola humanitas meruerit, & instrumentum fuerit in ejusmodi operationibus. *Resp.* 1. Non potest illa distinctio applicari omnibus effectibus qui propriè ad Mediationem pertineant: Nam sine dubio Incarnatio effectus est maximè spectans ad opus Redemptionis, adeóque Mediationis Christi. Et certè qui Sacerdos nòster esse debuit, eum oportuit hominem fieri, cùm omnis Pontifex assumatur ex hominibus, Hebr. 5. 1. Atqui Incarnationis, neque instrumentum, neque meritum quæri potest in humanitate Christi: Quomodo enim instrumentum incarnationis fuisset humanitas, quæ demum per incarnationem cœpit existere, Quomodo etiam meritum esse posset Incarnationis, cùm ex doctrina Patrum, & Aduersariorum omnes humanitatis Christi actiones ex Incarnatione valorem & meritum suum habuerint; Vnde etiam lib. 1. cap. 7. ostendimus, nihil omnino fuisse ex parte creaturæ, quod mereri potuerit Incarnationem, sed fuisse illam ex mera Dei charitate, & misericordia dispensatam. 2. Iohan. Baptista Christum vt Mediatorem & Redemptorem spectabat, quando ait eum post se venire, & tamen esse sibi prælatum, neque dignum se qui soleas ipsius portet. Ejus autem ita considerati comparationem instituens secum docet, Matth. 3. 11. se baptizare aqua, Christum autem Spiritu & igne, i.e. in rebus spiritualibus & donatione gratiæ sibi solum ministerium externum, & αὐθεντείαν attribui, Mediatori Christo primatum & authoritatem deputat. Ergo significat Christum in opere Mediationis & Redemptionis non esse considerandum solùm secundùm humanitatem, quæ causa est instrumentalis & ministerialis donorum spiritualium, sed etiam secundùm diuinitatem, quatenus est causa principalis & αὐτοκρατορικὴ, adeóque nullam esse distinctionem Aduersariorum donationem spiritus attribuentium Mediatori, vt instrumento, non vt efficienti causæ. 3. Donatio Spiritus sancti est opus Mediatorium, siue effectum Mediationis Christi: Accepit enim qua Mediator Spiritum sine mensura, Iohan. 3. 34. Vt ex ejus plenitudine omnes electi hauriant, Iohan. 1. 16. Atque in ea donatione manifestè docet Christus suas esse vtriusque naturæ partes: Nam humanitatem quod spectat, rogat Patrem vt mittat nobis consolatorem, Iohan. 14. 16. adeóque intercessionem sua obtinet nobis illum meritoriè. Sed hoc non satis est ad Mediationis

tionis opus, atque aliud addit quoad diuinitatem pertinet, nimirum cùm abierit, se missurum Spiritum S. ad discipulos suos, Iohan. 16. 11. Nam certè Spiritum mittere & ita mittere vt accipiat à Christo quod Apostolis renuntiaturus est. Id verò non humanæ, sed diuinæ est operationis: Itaque Christus Mediator non secundùm humanitatem tantùm meritus est nobis donationem spiritus, sed etiam secundùm diuinitatem nobis communicat. 4. Christus Redemptor noster est, non ratione meriti tantùm, sed ratione efficaciæ, id est, tum quoad sufficientiam, tum quoad applicationem attinet, quod non nostri modò doctores sed & Pontificij docent, vt videre est apud Valent. tom. 4. in Thom. disp. 1. qu. 22. p. 1. & in lib. de Christo Redempt. & Med. parte 1. cap. 2. Cùm ergo totum redemptionis opus ad Christi Mediationem pertineat: Consequens est, vt dicamus Mediatorem eum esse, non modò quatenus nobis promeruit remissionem peccatorum, & alia dona, sed etiam quatenus ea nobis efficaciter applicat. Est autem sine dubio efficacia, siue applicatio ista opus diuinitatis. Itaque diuinitas in operibus mediatoriis suas partes agit.

QVINTÒ crebra sunt in eam rem Veterum testimonia: Nam, 1. docent actiones Christi incarnati fuisse θεανδρικὰς, id est, Dei viriles, siue diuinas simul & humanas: Sic Dionys. epist. 4. ad Caium, postquam Christus factus est homo, nouam quandam θεανδρικὴν ἐνέργειαν, id est, actionem Dei virilem administrauit, & de operatione θεανδρικὰ habet satis multa Damasc. lib. 3. cap. 19. & Sophron. in epist. ad Sergium Constant. quæ extat in Synod. 6. actione 11. Bellarm. cap. 7. putat ex sensu Damasc. actionem dici θεανδρικὴν ratione tantùm suppositi operantis, quia scilicet operabatur non nudus Deus, aut nudus homo, sed is qui verus est Deus, & verus homo simul. Verùm fallitur manifestè, cùm Damasc. θεανδρικὴν operationem vocet eam cujus vtraque Christi natura est formale principium: Nam cùm θεανδρικὴν actionem definiuisset eam, in qua vnita vtraque natura cum alterius communione, & verò ita par est explicare ea, quæ ex Leone videtur Damasc. desumpsisse vtraque natura operatur cum alterius communione quod sui proprium est cùm ipse Leo ita euidenter exponat, statim post ea verba subjiciens verbum operari, quòd verbi est, & carnem ex eo quod carnis est. Itaque Lanselius notis in epist. ad Dionys. num. 42. θεανδρικὴν actionem explicans illam quæ procedit à virtute diuina & humana. Imò Bellarm. quidquid circa Damasc. explicandum conatur, cogitur veritatem agnoscere. Potest inquit vocari Dei virilis operatio aliquod opus Christi, in quo concurrant diuinitatis & humanitatis actiones, sed distinctæ, & duæ reuera, quomodo exponitur à Sophron. Hoc ergo fixum esto antiquis θεανδρικὰς vocari actiones Christi non tantùm quia sunt à supposito siue persona, quæ Deus est & homo, sed etiam quia duplex formale principium habent, diuinitatem nempe, & humanitatem Christi. Hinc iam argumentum nobis. Quæ Christi actiones sunt θεανδρικὰς, ad eas concurrit vtraque natura, tanquam principium formale: Atqui ex doctrina Patrum actiones mediatoriæ Christi sunt θεανδρικὰς. Ergo in actionibus Christi me-

diatoriis ex Veterum sententia duæ Christi naturæ *concurrunt*, tanquam duo earum principia formalia. Negat quidem Bellarm. opera Mediatoris esse θεανθρικὰ, sed frustrà cùm id satis doceant θεανθρικῶν actionum exempla, quæ in epist. à Bell. tantopere laudata proponitur Sophron. 1. Quòd Christus de sepulchro resurgens progreditur, quòd eleuatur in cœlos, quòd vt cœlorum dominato ascendit, quòd assidet dextræ genitoris, quòd inde iterum veniet judicium viuorum & mortuorum facturus, quòd regnat & regnaturus est in perpetuum; quis enim non videt, hæc ad regium Christi officium pertinere, adeóque ad munus Mediatorium docente etiam Catechismo Romano parte 1. cap. 3. num. 7. Rex fuit Christus propterea quòd Deus in illum hominem contulit quidquid potestatis, amplitudinis hominis natura capere potest. Illi igitur totius mundi regnum traditum est, ciique omne quod jam fieri cœptum est, plenè, perfectéque in die judicij subjicientur. 2. Patres docent verbum diuinum etiam antequam humanam naturam assumeret, fuisse verè Mediatorem & Mediatoris appellationem ei tribuunt, adeóque satis significant non esse excludendam à Mediationis opere diuinitatem: Nam si quis Deus est tantùm & nondum homo, Mediationis tamen officio fungitur. Necessarium certè vt illud administret ratione naturæ suæ diuinæ Hieron. lib. 2. comment. in Gal. 3. antequam humanum corpus Christus assumeret, & esset apud Patrem in principio Deus verbum ad omnes sanctos ad quos factus est sermo Dei & cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat sine additamento hominis, quem necdum assumpserat Mediator tantummodo nuncupatur. Et statim Angelus quidem visus est, sed in illo Mediator loquitur, qui dicit, ego sum Deus Abrahæ, &c. Et postea Mediator Dei & hominum inter dantem & accipientem legem medius fuit, neque est quòd excipiat Valent. libro de Christo Mediat. & Red. cap. 4. part. 2. Christum ante assumptionem carnis Mediatorem dici ab Hieronymo, non quia Mediatoris munus obierit ante naturam assumptam, sed quia in natura assumpta aliquando id munus obiturus erat: Neque enim Hieron. tantummodo Christum redemptorem vocat ante assumptionem humanitatis, sed & Mediatoris aliquas partes ei assignat, & officium aliquid ejus describit, cùm ait fuisse Mediatorem ad omnes sanctos Veteris Testamenti & loquutum fuisse in Ang. & fuisse medium inter eum, qui legem dedit, & qui legem accepit. 3. Patres frequentissimè in opere Mediationis necessitatem docent vtriusque naturæ. Irenæus lib. 3. cap. 20. oportuerat Mediatorem Dei & hominum per suam ad vtrosque domesticitatem (id est participationem vtriusque naturæ) ad amicitiam vtrosque reducere, & facere vt Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo. Chrys. in 1. Timot. 2. homo purus Mediator esse non potest: Neque enim ipsum suscepissent hi quorum Mediator accederet; & August. lib. 1. de consensu Euangelij, cap. 35. Mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo reconcilians hominem Deo, manens quod erat, factus, quod non erat, ex quo August. test. confi-

conficit Valent. Vbi supra Christus vt Deum & hominem conjunctim operatum fuisse nostram reconciliationem cum Deo. excipit Bellar. loqui Patres de Mediatione substantiali, siue de persona, quæ debuit esse Deus & homo : Non autem de Mediatione operatiua, siue de formali principio Mediationis. Verùm hæc duo satis manifestè docent. 1. Christum esse mediatorem substantialiter, id est, verum Deum, & hominem in vnitate personæ. 2. Esse Mediatorem operatione, id est, vtramque ipsius naturam partes suas egisse ad perficiendum opus mediatorium. Sanè August. test. hoc agnoscit Valent. vt diximus, & Aug. non potest loqui de illo, adeoque principio formali cùm docet distinctè diuinitatem esse Mediatricem, & humanitatem esse mediatricem. Non autem vtramque substantialiter esse tantùm Mediatricem.

Denique ne Aduersariorum quidem confessionibus destituimur certè Dominium Christi & Iudicium viuorum & mortuorum pertinet ad opus Mediationis, vt ante diximus. Ante Catech. Rom. part. 1. c. 3. art. 11. agnoscit Christum secundùm vtramque naturam Dominum nostrum dici & nomen hoc ad vtramque naturam referri : & cap. 8. art. 5. juxta vtramq; naturam Christo naturam esse potestatem judicandi genus humanum, eique non solùm vt Deo, sed etiam vt homini. Hoc judicium datum juxta sacrarum literarum declarationem Claud. verò Espencæus in 1. Timoth. 2. tract. de Med. non modò noster est in hac causa, sed etiam miratur aliquos esse qui tueantur Christum Iesum secundùm humanam tantùm naturam esse dicique Mediatorem, quin & Greg. de Valent. vel inuitus in sententiam nostram protrahitur. Neque enim tantùm fatetur si quæratur, per quod Christus omnino mediator fuerit, siue tanquam per id quo proximè exercuerit id officium, siue tantùm per id à quo valorem acceperis eius muneris functio ex communi & orthodoxa Patrum sententia responderi debere Mediatorem fuisse Christum, non tantùm vt hominem, neque tantùm vt Deum, sed conjunctim, vt Deum, & hominem.

Expendenda nunc veniunt Aduersariorum argumenta, quæ ex Scriptura, Patribus, ratione, Bellarminus colligit vt Christum concludat, quanquam ratione suppositi Deus sit & homo, Mediatoris tamen officium exercuisse secundùm solam humanitatem ex Scriptura illud vnum profert, 1. Timoth. 2. 5. *Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Quærit enim cur Apostolus addiderit, vocabulum homo, si non addiderit ad exprimendam naturam humanam secundùm quàm est Mediator, & hoc vult ab August. notatum lib. 2. de peccato originali cap. 11. & serm. de verbis Apostolicis tum explicationem suam confirmat, ex eo quòd Apostolus distinguit Mediatorem à Deo, vnus Deus, vnus Mediator. Vbi Dei nomine non Patrem in diuinis singulariter, sed Trinitatem designari præterquam quod docent Chrys. August. Oecum. Theoph. etiam ratio testatur, cùm non solus Pater, sed & Filius ac Spiritus sanctus, id est, tota Trinitas fuerit nobis ob nostra peccata infensa, adeoque à Mediatore placanda. *Resp.* 1. hoc argumentum nihil con-

cludere, nisi supponatur illud vbicunque occurrit nomen concretum Dei, vel hominis in Scriptura Christo attributum ibi designari naturam ejus, naturam diuinam, vel humanam secundùm quam specialiter eo loco ipsi aliquid attribuatur. Atque hoc posito absurda sequuntur plurima: Nam v. g. quia Act. 20. dicitur Deus Ecclesiam acquisiuisse suo sanguine, concludet aliquis Christum effudisse sanguinem secundùm diuinam. Et quia Iohan. 3. 13. dicitur filius hominis descendisse de cœlo, inferet aliquis humanitatem non assumpsisse de Virgine, sed de cœlo in terras detulisse. 2. Si concedatur additum id vocabulum homo, vt doceatur Christum Mediatorem esse secundùm humanitatem, hoc tamen causæ nostræ nihil præjudicaturum est, quippe qui nulli negamus suas esse humanitatis Christi in Mediatione partes, sed ostendat Bellarm. ea voce naturam diuinam excludi & sua furatur victoria. Nos sanè id facilè regerimus ostendere Apostolum naturam secundùm quam Christus sit Mediator, sed nequaquam significare, quòd Mediator sit secundùm eam solùm: Neque verò August. habemus in ea re contrarium, vt pote qui locis ab Aduersariis citatis non aliud sibi voluerit, nisi Christum non esse Mediatorem simpliciter, quatenus verbum, aut præcisè, quatenus Deum incarnatum. 3. Causa vt vocem homo addiderit Apostolus, facile patere potest scopum & mentem ipsius consideranti: Docet enim ibi quare pro quouis hominum genere supplicationes Deo fieri consentaneum sit, nempe, 1. Quia Deus ita vult, cujus mandatis religiosè obsequi debemus. 2. Quia vnus est omnium Deus, qui Reges curat, atque subditos, magnis prouidet, & paruis, semper idem & sui similis. 3. Quia vnus est omnium Mediator Christus, cui propter assumptam humanitatem arctè conjuncti sumus, & per quem omne genus hominum accessum habet ad Deum, quod certè ad consolationem nostram maximè spectare docet Apostolus, cùm Hebr. 4. 15. docet nos habere Pontificem, qui possit affici sensu infirmitatum naturarum, cùm & ipse homo fuerit & tentationibus nostris obnoxius excepto peccato. Rectè August. in Psalm. 134. Non poteras ad Deum ô homo peruenire, Deus factus est homo, vt quoniam homo potest ad hominem, qui non posses ad Deum per hominem venires per Deum, & factus est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus si homo solùm esset hoc sequendo quod est nunquam peruenires. Deus factus est igitur homo, vt hominem sequendo quod potes ad Deum peruenias, quod non poteras. 4. Apostolus dicens vnum esse Deum homine Dei primam diuinitatis personam designans: Significat enim eum apud quem Christus est Mediator: Atqui Scriptura clamat esse Mediatorem apud Patrem, vnde & Christus orationes suas, quæ Mediatoria fuerunt opera ad Patrem semper dirigit, Matth. 11. Luc. 11. Iohan. 17. & Iohan. 4. 7. Christus cùm officium suum Mediatoris designauit dicens se esse viam, veritatem & vitam statim subjicit, neminem venire ad Patrem, nisi per ipsum, vt innuat officium illud exercere apud Patrem, & Iohan. 14. 16. Patrem rogat (quod muneris est mediatorij) vt mittat ad nos consolatorem, & 1. Iohan. 2. 1. dicimur habere

habere Christum aduocatam, sed apud Patrem. Agnoscunt id veteres Athan. de Incarnatione verbi Christi erat corruptum rursus ad incorruptionem transferre,& quod maximum est apud Patrem seruare Ambr.in 1.Timoth.Deum vnum intelligit Deum Patrem, quia ab ipso est omnis authoritas.Denique verùm concedatur nomine Dei intelligi totum Trinitatem,& Christum fateamur Mediatorem esse apud totam Trin.quod optimè bono sensu dici potest, quatenus certum est tres personas esse vnum essentia & voluntate,adeóque fieri non posse, vt conciliato Patre non concilietur tota Trinit. An ideo rem Bellarm. confecerit? nequaquam verò : Nam Mediator quidem distinguitur à Deo,& à Trinitate, nec tamen ideò sequitur Christum esse Mediatorem, quà Deus est, sed hoc tantùm colligitur,quod certissimam habet veritatem Christum non esse Mediatorem secundùm naturam diuinam absolutè consideratam, quatenus nimirum communis est tribus personis, sed secundùm naturam diuinam οἰκονομικῶς spectatam, id est, ratione voluntariæ illius exinanitionis quam Filius Dei pro nobis redimendis subire voluit, adeoque Mediatorem esse, non simpliciter, quà Deus est, sed quà Deus est incarnatus, siue σαρκωθεὶς.

Secvndvm argumentum ducitur ex Patribus ac nominatim August. qui sæpius id repetit Christum esse Mediatorem per id ad quod est homo. Igitur Mediatorem non in quantum Deus est, sed in quantum homo est. Et Chrysost. docente Mediatorem non esse Dominum rei, cuius est Mediator, cùm tamen Christus quà Deus sit Dominus sine dubio omnium rerum. *Resp.* Secundam Trinitatis personam dupliciter à Patribus considerari nempe ratione naturæ,& ratione œconomiæ. Ratione naturæ quà Deus est simpliciter: Ratione verò œconomiæ quatenus est verbum caro factum. Cùm igitur negent Patres esse Mediatorem quà Deum intelligunt Christum non esse Mediatorem ratione naturæ diuinæ simpliciter & absolutè consideratæ, sed non inficiantur esse Mediatorem & Deum ratione voluntariæ dispensationis, quam subiit,i.e. quatenus est Deus in carne manifestatus : Persona enim filij humanitatem assumens Intermedia facta est, non secundùm hanc vel illam naturam, i. assumentem vel assumptam, sed secundùm suppositum,operante, ut ait Leo, natura vtraque quod suum est Chrysost. autem non negauit simpliciter Mediatorem esse Dominum,cùm supra ex Script. confirmatũ fuerit esse aliquod dominium, quod Mediatoris proprium sit, & fatetur Catech. Rom. quem audiuimus docentem Christum esse Dominum secundùm vtramque naturam,part.1.c.3.Vbi etiam additur Christum jure hanc potestatem accepisse, vt Dominus noster crederetur, & esset quoniam ipse Redemptor noster fuit,& à peccatis nos liberauit. Non potest autem negari redemptionem ac mediationem spectare,sed dixit tantùm Chrys. Mediatorem non esse rei Dominum cujus est Mediator,quia scilicet non sibi, sed nobis, tum reconciliationem cum Patre,tum cœlestem hæreditatem procurauit,siue quia illud in Mediatione sua non quæsiuit, vt gratiam Dei & alia effecta ipsius sibi seruaret,tanquam proprium pecu-

lium, sed vt ea nostra faceret, & nos in eorum possessionem adduceret.

TERTIVM argumentum varias rationes continet, cap. 5. expositas, quas quàm meritò efficacissimas vocat Bell. nunc videndum est prima ratio Mediator debet esse Medius, id est, distare ab vtraque parte dissidente: aliquo modo hoc autem Christo conuenit, non vt Deus est, sed vt homo justus: Nam vt homo distat à Deo, vt justus conuenit, cum Deo, & contrà vt homo conuenit cum hominibus, vt justus distat à cæteris hominibus: At verò vt justus nullomodo distat à Deo. Igitur non vt Deus, sed vt homo est Mediator. *Resp.* Mediatorem medium esse debere substantiali mediatione, vt agnoscit Bell. cap. 1. Adeóque continere in se & conjungere vtramque naturam diuinam & humanam eademque ratione distare debere ab vtraque parte dissidente, distantia, vt ita loquar, substantiali, non verò accidentali tantùm. Ergo sicut distat à Deo substantialiter, quà homo est, sic distare debet substantialiter ab hominibus, quà Deus est, & non tantùm accidentaliter, quà justus est: Nam alioqui inæqualis erit, tum distantia, cùm conuenientia, adeóque non erit verè medius cùm medium illud demum verè dicatur & propriè quod æquè distat, & æquè accedit ad extrema, imò quia Iustitia diuina infinitè distat ab humana; sequetur in eo ipso in quo quærit Bell. conuenientiam cum Deo Mediatoris, Mediatorem tamen à Deo infinitè distare. Propterea si ad hoc vt sit Mediator, qui nos redimat à peccatis sufficit vt sit justus, & per conuenientiam justitiæ accedat ad Deum, nihil obstabit quò minus inter Mediatores, adeóque Redemptores nostros computentur sancti cœlites, qui sine dubio sanctissimi sunt, & in hoc cum Deo conueniunt, & homines sunt in hoc nobiscum conueniunt. Nos igitur dicimus Christum esse verè Medium, adeóque Mediatorem, non quà hominem justum, sed quà hominem Deum, & Mediationis ratione, non partim in substantia, partim in accidentibus, quæri debere, sed totam in substantia, ita vt agnoscamus Mediatorem nostrum ad Deum accedere, respectu diuinæ naturæ à Deo distare respectu humanæ, & contra ad nos accedere respectu humanitatis, à nobis distare, diuinitatis ratione: At, inquies, Christus vt Deus nullomodo distat à Deo, sed vt homo justus habet aliquid quo differat, & aliquid quo conueniat cum hominibus. *Resp.* Christum non distare ab hominibus, vt est homo justus, ita etiam non distare à Deo vt est simpliciter Deus, sed vt est Deus incarnatus, id est, ratione voluntariæ suæ exinanitionis.

SECVNDA ratio Christus non est Mediator secundùm vtramque naturam, neque conjunctim, neque seorsim acceptam; Non secundùm vtramque conjunctim, quia sic distat quidem à cæteris hominibus. Igitur distaret à Patre & Spiritu sancto, sed non distat à seipso prima Filio Dei à quo tamen distare debet Mediator, cùm Filius Dei sit pars offensa, ad cujus placationem Mediatione opus est. Non secundùm vtramque seorsim: Non enim secundùm diuinam seorsim cùm illa sit pars offensa & secundùm eam nihil distet Christus à Deo. Ergo restat, vt secundùm humanam solam sit Mediator. *Resp.* non esse dubium, quin in Mediatione Chri-

ne Christi conjungendæ sint duæ naturæ, & Christus Mediator dicendus, non quà Deus, vel quà homo seorsim, sed conjunctim quà vtrumque nempe verè Immanuel, nobiscum Deus, Matth. 1. 23. Certè diuinitas sine humanitate, & humanitas sine diuinitate non est Mediatrix, sed Mediatrix est diuina humanitas & humana diuinitas Christi, vt supra dicebamus ex August. Porrò Christus, quà ἀνθρωπος Mediator est propriè & directè ad Patrem, ergo si quà ἀνθρωπος distet à Patre, neque necessarium est vt distet à seipso; haud inficior tamen ex eo, quòd Christus Mediator est apud Patrem esse consecutiuè Mediatorem apud Trinit. cùm placari nequeat Pater quin placetur tota Trinitas propter illam in quam essentiæ ac voluntatis perfectissimam vnitatem, quæ Patri cùm aliis personis duabus intercedit. Verùm inquis, non potest dici Christus Mediator secundùm diuinam naturam, cùm non distet ipse à seipso. *Resp.* non distare à seipso secundùm naturam & essentiam, sed distare secundùm œconomiam, per quam persona filij exiitit sub alia forma, quatenus scilicet assumpsit formam serui, Phil. 2. 7. Itaque nihil absurdi est, si dicamus Christum ἅμα ἀνθρωπον œconomicè consideratum Mediatorem esse ad seipsum, quà naturaliter, & ἰσοθεῶς Deus est: Nam qui offensus est vt Deus, peccatis nostris ipse vt homo offensam soluit, & reconciliauit nos actionibus suis. Et sanè si doceant Philosophi atque inter eos Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 11. Iustitiam propriè quidem & dici respectu alteriùs, & exerceri erga alterum, sed analogicè tamen à nobis exerceri erga nos ipsos. Haud mirum videri debet, si dicamus Mediationem esse quidem propriè apud personas alienas, sed tamen analogicè dici respectu personæ Mediantis, quod illustri exemplo Theologi nostri confirmant: Cùm enim olim Senatus Rom. à plebe dissideret, adeóque plebs ab vrbe in montem proximum secessisset, Menius Agrippa & ipse Senator Mediatoris opus exercuit inter Senatum & plebem: Ita etsi Regis filius vnà cùm Patre fuerit à subditis offensus, potest tamen Mediatorem se interponere, reconciliandis apud Patrem perduellibus.

Tertia ratio, si Christus esset aliquando Mediator secundùm naturam diuinam, omnes tres personæ essent Mediatores. Nam cùm natura diuina sit communis tribus quidquid secundum illam conuenit, vni personæ id conuenit tribus omnibus. Vnde est illa maxima sanctorum Patrum opera Trinit. esse indiuisa. *Resp.* eodem argumento confici posse totam Trinit. esse incarnatam: Est enim Deus manifestatus in carne, 1. Tim. 3. 16. Et diuinitas suscepit naturam hominis cùm infirmitate carnis, inquit Aug. de præd. Sanctorum cap. 15. Inde argumentare Filius Dei est incarnatus secundùm diuinam naturam. Diuina autem natura est communis tribus personis, & opera Trinit. sunt indiuisa. Ergo tres personæ sunt incarnatæ. Quid hic Bell. nimirum cum Scholasticis suis respondebit incarnationem esse totius Trinit. effectiuè, sed filij terminatiuè, vt cùm tres puellæ in conficienda veste communem operam præstant, quia tamen confecta vna earum induitur, quo exemplo vti solent, vt rem illustrent, applicet hic Bell. responsionem, & argutiæ suæ futili-

tatem agnoscat; Efficientia enim Mediatoris est totius Trinit. sed terminus vni soli Filio Dei adscribendus est, hoc est, ad constituendum vnum Redemptorem tres personæ communem operam adhibuerunt, sed mediator non alius constitutus est, quàm Filius Dei. *Resp.* 2. Quod conuenit naturæ diuinæ communiter consideratæ, id etiam tribus personis conuenit, & eò pertinet patrum axioma opera Trinit. esse indiuisa, sed quod illi conuenit, quatenus existit in hac vel illa persona singulariter, non statim conuenire putandum est toti Trinit. sicut videre est non modò in operibus quæ vocant ad intra, vbi generat Pater, non filius, spirant Pater & Filius non Spiritus sanctus, verùm etiam in operibus ad extra: Dicitur enim creare Pater per filium non autem filius per Patrem, & Spiritus, non Pater, aut filius descendisse dicitur in specie columbæ, Matth. 3. 16. etiamsi tres personæ, tum in creando, tum in producenda illa specie operatæ sunt. Iam autem Mediatio conuenit naturæ diuinæ Christi, sed personaliter, consideratæ, siue quatenus subsistit in verbo, Non potest igitur attribui reliquis personis licèt in ea destinãda communis fuerit trium personarum operatio. Cùm ergo Mediator dicatur, non qui aliquem destinat, aut constituit, vt sit Mediator, sed qui reapse mediandi officium exercet, exerceat autem sola secunda diuinitatis persona in humanitate assumpta, frustrà Bell. ex eo quòd Christum Mediatorem dicimus secundùm diuinam naturam concludit, tres personas esse Mediatrices.

Qvarta ratio officium proprium Mediatoris est sacrificare & sacrificando satisfacere. Hoc autem non potest conuenire Christo secundùm diuinitatem cùm omnis Sacerdos sit minor eo cujus est Sacerdos: Officium enim ejus est ministrare. Idem dici potest de aliis officiis Mediatoris Christi, vt quòd interpellat pro nobis & quòd aduocatus noster est, & quòd dedit semetipsum redemptionem pro nobis hæc enim omnia arguunt naturam inferiorem: Non potest igitur Christus esse Mediator nisi filius sit minor Deus, quàm Pater, & seruiat Patri quod dicere Arrianismum est. Itaque Patres sacerdotium & sacrificium Christi attribuunt humanitati & formæ serui. *Resp.* 1. Enumeratione à Bellar. non omnia, sed quædam Christi Mediatoris officia colligi itaque etsi fateremur, quæ hic enumerantur ad solam humanitatem pertinere, possent tamen alia proferri, quæ ad diuinam ipsius naturam & operationem pertinent, puta quæ in serie argumentorum nostrorum sæpius produximus.

2. In Sacerdotio Christi considerari oportet, tum Sacerdotem, tum victimam, ac propriè victima oblata fuit humanitas Christi, id est, cùm anima, Es. 53. 10. Tum corpus, 1. Pet. 2. 24. Quanquam & totam personam fuisse aliquomodo oblatam docet Suarez in Thom. part. 3. quæst. 1. disp. 4. Sed Sacerdos offerens fuit tota persona ratione vtriusque naturæ; Christus enim dicitur dedisse animam oblationem pro peccatis, Es. 53. 10. & semetipsum obtulisse, Heb. 7. 27. Idque per Spiritum æternum, id est, per diuinitatem suam, Heb. 9. 14. Itaque cùm Antiqui Sacerdotium Christi attribuunt ipsius humanitati, non simpliciter diuinitatem excludunt

dunt, sed significant tantùm filium Dei Sacerdotem fuisse, non simpliciter, quà Verbum est æternum, sed quà Verbum est incarnatum, vt supra diximus. 3. Cùm Sacerdos tantùm & intercessor non fuerit Christus, sed talis ac tantus, qui Sacerdotium habeat ἀπαράβατον, qui exaltatus fuerit supra omnes cœlos, qui semper sit viuens, &c. Hebr.7.24.25.26. quique adeò non orauerit, modò, sed exorauerit, nec sacrificauerit tantùm, sed perlitauerit: facilè concludimus adfuisse illi Sacerdotio operationem & efficaciam diuinam, & qualis ab humanitate sola perfluere non potuerit, neque est quòd dicatur Sacerdotis & intercessoris officium esse ministrare, & hoc arguere naturam inferiorem, cùm tamen filius Dei non sit inferior Patre secundùm diuinitatem absolutè consideratam (quod si quis diceret, verè Arrianus esset) factus tamen est inferior ratione voluntariæ dispensationis, & quatenus assumpsit formam serui, quo respectu non dubitat Christus se dicere venisse, vt ministraret, Matth.20. 28. Et Patrem suum esse se majorem, Iohan.14.28. quia scilicet non Pater, sed filius sese exinaniuit, sicut rectè explicat post Cyrillus Toletus in hunc locum. Atqui in hoc certè nulla potest esse Arrianismi, vel leuissima suspicio.

QVINTA ratio si operatio Mediatoris conuenit Christo ratione vtriusque naturæ sequitur confusio operationum & consequenter naturarum: Sacrificare enim est proprium Christi vt homo est. Sicut ex eo patet quòd conueniat etiam puris hominibus. Ergo si idem conuenit Christo vt Deus est eadem erit operatio vtriusque naturæ, vt causæ propriæ & principalis nisi dicatur diuinitatem esse instrumentum humanitatis, quo nihil absurdius cogitari potest. *Resp.* absurdum quidem esse illud, sed non absurdum, si dicatur humanitas esse instrumentum diuinitatis. Sanè id Bellarm. agnoscit in miraculis lib.5. in Christo, inquit, vna est operatio respectu Dei principalis agentis, & respectu hominis tanquam instrumenti. Talia enim erant omnia miracula quæ fiebant à Deo Verbo per carnem, vt instrumentum, si in miraculis vna est operatio vtriusque naturæ sine vlla confusione, quidni dicatur etiam vna sine confusione in operibus Mediatoriis: Præsertim cùm ad officium Mediatoris opera Christi Mediatoria pertineant saltem quatenus sigilla fuerunt prædicatæ à Christo doctrinæ veritatem confirmantia. In quibus igitur illis Mediatoriis causa principalis fuit diuina Christi persona humanitas verò instrumenti partes obiit, quatenus nihil agebat, nisi vt diuinitati subordinata à qua sustentabatur, dirigebatur, mouebatur nec tamen eò minùs humanitas operationum suarum causa propria erat, quia scilicet per propriam suam formam operationes exercebat, quæ sine illa exerceri non poterant. Præterea distingui oportet inter operationem, & opus siue ἐνέργειαν & ἔργημα. Operatio enim est motus per quem res fit. Opus autem est res ipsa motu facta. Itaque opus quodcunque mediatorium, puta sacrificatio Christi aut saluatio generis humani erat vnum numericè & indiuidualiter, quia erat vnum quidquid efficiebatur à tota persona, sicut dicitur Iohan.7.21. vnum opus fecit, neque certè deputan-

da est alia etiam saluatio, quæ fiat ab humanitate, alia à diuinitate. Verùm ad hoc opus duæ distinctæ virtutes & operationes ex duobus principiis formalibus, promanantes concurrunt: Operatur enim vtraque forma, quod suum est, vt dicebat Leo. Humanitas v.g. flagellatur, cruciatur, moritur; diuinitas humanitatem sustentat ac roborat, vt emergere possit & vincere, & illis flagellationibus atque cruciatibus vim & efficaciam indit, quanta opus est, vt possit inde oriri satisfactio sufficiens, id est, vt loquitur Thom. condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ. Nunquam igitur Bellarm. causam suam obtinebit, nisi priùs hoc posuerit, omne quod secundùm diuersas naturas, vel diuersa principia operatur producere confusam operationem. Atque hoc est falsissimum: Nam in vna operatione, quamuis simplici distingui possunt ea quæ ab alio, & alio principio proficiscuntur, sicut in loquutione patet. Loqui certè vna enim & simplex operatio, quæ ab homine, tanquam à communi principio producitur, & duo tamen habet principia singularia, corpus & animam, quatenus enim est sonus à corpore est, & ab instrumentis corporeis, lingua, palato, gutture, sed quatenus est vox articulata sensa mentis ad audientes proferens, non aliunde originem trahit quàm ab anima. Porrò duo esse distinctissima vel inde liquet, quòd multi sonum loquentis percipiunt, qui tamen subjectas illi sono nominationes non assequuntur. Hinc facilè concluditur posse duas operationes ab vno quopiam agente citra vllam confusionem ab vno in vno eodemq; opere simul produci, & sanè Synod. 6. actione 16. aduersus Monothelitas definiuit esse in Christo non solùm duas naturas cum suis proprietatibus, sed & duas operationes, & voluntates inconfusas. Quod cùm Bellar. agnoscat lib. 3. de Incarn. cap. 10. quod est quod hic concludit si in officio Mediatorio Christi duæ concurrant operationes, altera diuinitatis, altera humanitatis Christi fore operationum confusionem. 3. Sed rationem Bellarmini attendamus sacrificare, inquit, est proprium Christi vt homo est, quippe cùm competat etiam aliis hominibus. Ergo si idem conueniat Christo vt est Deus, eadem erit operatio vtriusque naturæ, vt causæ propriæ. Ego verò ante omnia nego sacrificare esse proprium Christi, quà hominis, imò ejus esse proprium contendo, quà ἀνθρώπου: At inquit, conuenit hoc etiam aliis hominibus. Ergo & Christo conuenit, quà homini, non quà ἀνθρώπῳ. *Resp.* Aliqui homines sacrificant æquiuocè & sacrificia ipsorum sunt tantùm homonymicè ita dicta: Sacrificium enim propriè & vniuocè dictum est oblatio Deo facta, qua quæritur & reapse procuratur homini expiatio peccatorum. Atq; hoc in solum sacrificium Christi competit, qui animam posuit oblationem pro peccatis, Esa. 53. 10. Et in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, nempe remissionem peccatorum, Col. 1. 14. Ita vt in nullo alio salus nobis constare possit, Act. 4. 12. solus ergo Christus propriè & vniuocè sacrificat: De nullis aliis sacrificiis idem dici possunt, Gentilitia proponis & Ethnica? At falsa fuerunt & diabolica, idololatrica damnantia, hominum non expiantia peccatum. Iudaica nostras, & typica tantùm fuerunt

& vm-

& vmbræ futuri sacrificij, quæ non peccatum expiabant, sed ad veram in Christo peccatorum expiationem fidelium cogitationes & fidem erigebant. Christiana dices? At ea metaphoricè tantùm sacrificia dicuntur neque inter ἱλαστικὰ haberi debent, sed εὐχαριστικὰ sunt, duntaxat ad gratitudinem profitendam, non ad propitiationem quærendam, non faciendæ reconciliationis causa, sed factæ testimonium: Deinde non consequitur, vt si sacrificare concedamus proprium esse Christi quà hominis, dicamus non esse proprium, quà Dei, quia scilicet est proprium ejus quà hominis Dei potest proprium esse vtriusque naturæ in diuerso genere causæ: Sacrificat enim Christus quà Deus in genere causæ principalis αὐτοκρατορικῶς & αὐθεντικῶς ex vi & authoritate propria. At verò quà homo sacrificat in genere causæ instrumentalis, tanquam instrumentum à diuinitate motum & diuinitati conjunctum. 4. Sed neque id præteriri debet, quòd Simlerus respondet in sacrificio Christi considerari debere, non modò substantiam operis, sed etiam efficacitatem & dignitatem illius, ad redimendum genus humanum, quæ sine dubio propria est diuinitatis, adeóque non potest diuinitas ab opere sacrificandi excludi. Excipit Bellarm. efficacitatem illam non esse actionem Physicam, aut influxum, siue efficientiam realem diuinitatis in illud opus. Alioqui citam efficaciam esse communem trium personarum. Sacrificium igitur in humana natura fuisse peractum, sed habuisse dignitatem & efficaciam ex eo quod fuerit sacrificium personæ diuinæ, nempe ad eum ferè modum, quo idem opus factum à Rege & ab homine priuato valde differunt quoad pretium ratione dignitatis operantium, etsi majestas regia Physicam nihil & reale influat in illud opus. *Resp.* efficaciam nihil aliud esse, quàm actum plenum atque completum virtutis efficientis, & virtualiter sese exerentis; quanquam ergo concedamus eam non esse actionem realem & Physicam, tamen agnoscendum est eam in actione reali semper ab agente reali procedere. Hoc autem satis est in hac causa: Si enim efficacia est à persona diuina, quà talis, sanè colligendum est personam diuinam, quà talem operatam fuisse in Christi sacrificio adeóque in opere Mediatorio diuinitatem Christi suas partes agere, neque verò propterea inferri potest sacrificium fuisse commune trium personarum, quia quamuis destinatum decretumque fuerit à tribus personis communiter tamen in sola secunda persona tractatum est singulariter, vt diximus ad rationem tertiam. Simile autem de Majestate regia causam nostram haud parum juuat: Sicut enim majestas regia nullam affert dignitatem actionibus regiis, nisi operetur natura illa, cui regia majestas adhæret. Ita necesse est vt natura diuina, quæ verè regia majestate insignis est, aliquid operetur, vt opus illud dignitatem & pretium infinitum habere possit: Quanquam longum discrimen esse inter majestatem regiam, & diuinam. Regia enim majestas, quà talis mecum est accidens, adeóque non producit aliquam actionem, sed natura humana regis ea est quæ operatur: At verò majestas diuina, quia idem est cum diuina essentia propriè operari potest, & reapse operatur?

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

CAPVT IV.

De Christo solo Mediatore.

POSTQVAM explicatum est qua ratione Christus sit Mediator id vnum superest, antequam ad species officij mediatorij aggrediamur, & exponamus quàm propriè ipsi competat Mediatoris munus, nec vllum esse, vel hominem, vel Angelum, quantumuis sanctum & beatum, siue in terris degat, siue in cœlestem patriam translatus fuerit, cui vel in totum, vel ex parte veri Mediatoris & aduocati apud Deum, vel officium conuenire possit aut appellatio tribui debeat. Esto nobis igitur hoc Theor. *Iesus Christus æternus Dei Filius est, verus & vnicus fidelium apud Deum Mediator & aduocatus.* Hujus Theorematis veritatem liquidis Scripturæ testimoniis confirmare facilè est: Nam, 1. Scripturæ de Mediatoris officio ita loquuntur, vt illud soli Christo transcribant, expressa sunt Apostoli verba εἷς θεὸς εἷς μεσίτης, 1.Timoth.2.5. Vbi non est quod excipiat aliquis Christum dici Mediatorem ἕνα, non μόνον, vnum, non solum: Nam sic vnus Mediator dicitur quomodo vnus Deus: At vnus Deus dicitur ad exclusionem plurium εἷς θεὸς οὐ πολλοί, inquit Chrysost. in hunc locum, ergo & Mediator vnus ad excludendum ab hoc officio quemlibet alium. Et verò quis nescit εἷς Gr. & vnum Latinis esse frequentissimè notam exclusionis, exempla sunt Matth.5.18.& 23.8.9, Rom. 3.30. 1.Corinth.9.24. 1.Timoth.3.2. Iac.1.12. Sic apud prophanos authores Homerus εἷς κοιρανός ἔστω εἷς βασιλεύς. Virg. vna salus victis. Ennius vnus homo nobis cunctando restituit rem. Iuuen. vnus pellæo iuueni non sufficit orbis. Denique fatente Bellarm.lib.5. de Med.cap.2. vnum Mediatorem hic intelligunt vnicum. Patres Ambr.Chrys.Theod.dicunt Christum vocari à Paulo vnicum Mediatorem.

DEINDE hanc veritatem Deus sub Veteri Testamento excellenti typo declarauit; solus enim Sacerdos iubetur incensum adolere Domino, Exod.30.7.& cùm illud officij vsurpare tentasset Oseas repulsus est à Sacerdotibus & à Deo lepra percussus, 2.Cron.26.28.29. Sicut autem Sacerdos Christum typicè repræsentabat, ita incensum, suffitus preces fidelium adumbrabat, Ps.141.2. Ergo solius Christi est fidelium preces offerre Deo & commendare id ipsum, Apoc.8.3. docetur. Vbi Angelus fœderis proponitur tanquam Sacerdos stans coram altari cum thuribulo aureo in manu habens pleroſque suffitus vt offerret cum precibus sanctorum. Hunc autem Angelum non alium esse quàm Christum non modò consentiunt veteres Interpretes & recentiores Primasius, Beda, Haymo, &c. Sed & ratio demonstrat; Describitur enim hic Angelus, tanquam Sacerdos, qualis nullus Angelorum creatorum nobis proponitur in scriptura. Deinde distinguitur ab Angelis aliis adstantibus coram Deo, propterea

dicitur

dicitur impleuisse thuribulum igne altaris & abjecisse in terram. Quæ omnia nemo non videt esse Germana illis quæ de Christo veniente vt mitteret ignem in terram dicuntur, Luc.22.49. Præterea id esse Christi proprium, vt sit aduocatus noster, qui pro nobis intercedat, in cujus nomine concipiendæ sunt preces, & per quem accessus ad Deum Patrem pateat: Est enim via, &c. Ioh.14.6. Nempe vt ipse vnus est veritas, & extra eum est fallacia & mendacium, ipse solus vita & citra eum non-nisi mors & perditio: ita ipsi vni competit vt sit via. Vnde statim subjicitur neminem ad Patrem venire nisi per ipsum, vbi sanè Aug. non est quò eas, nisi ad Deum, non est quà eas nisi per Christum. Ita Ioh.16.23. si quid nobis dari velimus, id nomine Christi petere debemus, quippe per quem habemus accessum ad Patrem, Eph.2.18. Et fiduciam in introitu Sanctorum per sanguinem ipsius, Heb.10.19. Per quem acceptabiles Deo sint hostiæ spirituales, 1.Pet.2.15. per quem offerendæ hostiæ laudis Deo, Heb.13.15. Adeóque propter ipsum exaudiendæ: tum enim dicuntur offerri preces Deo, quando eas acceptas habet, & exaudire dignatur sicut patet ex Act.10. Nam quod dicitur versu 4. preces tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo; id ipsum exponitur aliis verbis ℣.31. Exauditæ sunt preces tuæ.

ADDE illa quis condemnabit nos, Christus mortuus est, resurrexit, est ad dextram Dei Patris interpellans pro nobis, Rom.8.34. Vnus Mediator, qui dedit semetipsum redemptionis pretium, 1.Tim.2.5. Eos potest seruare qui accedunt ad eum, Heb.7.24. Habemus aduocatum, qui est propitiatio, 1.Ioh.2.2. Quare quæso cum Intercessione Christi conjungitur mors, resurrectio, sessio ad dextram Dei, Redemptionis pretium, potentia nos saluandi, propiatio pro peccatis, nisi quia alius non noster esse potest apud Deum aduocatus, quàm qui vni hæc omnia competunt, imprimis obseruetur locus, 1.Ioh.2.1.2. Vbi scriptura contra peccati sensum hac nos consolatione munit, quòd patronum habeamus Iesum Christum apud Patrem: Si alij præterea nobis essent aduocati, hic certè, vel maximè sese offerebat occasio eorum memorandòrum: Illud enim ad majorem consolationem fidelium pertinebat, si docerentur non esse quod post peccata sua desperet, quippe qui Christum habeant Intercessorem, sed & alios plures causam ipsorum agentes in cœlis, & interpellantes pro eis, nempe choros Angelicos, & Iustorum πανήγυριν, qui suâ nobis Intercessione sub Christo & post Christum reconciliationem impetrare valeant. Ergo dum ab vnius Christi intercessione consolatio arcessitur, vnus Christus Intercessor esse apud Deum significatur.

EXAMINANDÆ nunc Aduersariorum variæ responsiones. 1. Excipiunt Mediationi Christi nihil inde decedere quod sancti defuncti dicuntur nostri apud Deum Intercessores. 1. Quia Moses vocatur Mediator, Gal.3.19. Sine vlla Christi injuria. 2. Quia hic viuentes alij pro aliis ad Deum preces fundunt, nec tamen de officio Christi Mediatorio aliquid delibant. 3. Quia reformati vulgò agnoscunt sanctos cœlites orare in genere pro Ecclesia militante, nec tamen putant se Christo ali-

quid detrahere *Examen*. Videndum ante omnia, quis sit Controuersiæ ſtatus, non quæritur, vtrum aliquis præter Chriſtum aliqua ratione Mediator dici poſſit, aut pro nobis precari, ita vt de Chriſti officio nihil propterea detrahatur: Hoc enim nemo ſanè noſtrûm negauerit. Sed hoc demum quæritur, vtrum ſint aliqui præter Chriſtum qui non tantùm precentur pro nobis, neque tantùm preces ad Deum deferant, ſed qui etiam eas Deo commendent, & precibus aut meritis ſuis acceptas reddant, imò & nos hic Deo precantes commendabiles faciant. Hæc eſt demum illa Mediatio & Interceſſio, quam negamus in vllum hominem competere quam vni Chriſto tranſcribimus quam Pontificij ſuis ſanctis tranſcribunt. His poſitis nemo non videt fruſtra eſſe aduerſarios in exceptionibus ſuis. Nam, 1. Moſes Mediator fuit, quia internuntius diuinæ voluntatis apud populum, non autem quod Iſraelitas aut & ipſorum preces Deo acceptabiles ſuis vllis vel precibus, vel meritis reddiderit. Præterea Moſes fuit Mediator typicus, id eſt, typus, quo repræſentata fuit Chriſti mediatio, ſicut agnoſcit Thom. in Gal. 3. lect. 7. Iſte Mediator ſignificatus eſt per Moſem, in cujus manu lex data eſt. Iam autem quis ferat hanc ratiocinationem Moſes ſine vlla Chriſti injuria Mediator typicus dicitur. Ergo ſine Chriſti injuria ſanctus aliquis poteſt dici Mediator verus: Eadem ſanè ratione quis concluſerit Ionas ſine vlla Chriſti injuria fuit typus ſepulti & reſurgentis Chriſti. Ergo & ſine injuria Chriſti poſſumus dicere aliquem ſanctum fuiſſe pro noſtra ſalute verè ſepultum, & excitatum à mortuis. 2. Nulli ſunt fideles, qui preces ſuas fundant pro aliis in hac vita, vt ipſos ea ratione Deo concilient: Neque enim eſt noſtra pro aliis precatio orationis, vel perſonæ alienæ apud Deum meritoria quædam commendatio, ſed ſupplex & humile charitatis officium; Ideò nec aliorum pro quibus rogamus quaſi clientum quorundam noſtrorum aduocati, aut patroni haberi volumus, nec ab aliis eo nomine adgeniculando inuocari, aut nobis cereos accendi, thura adoleri, feſtas & dies celebrari, altaria & templa conſecrari poſtulamus. Hæc igitur omnia cùm Sanctis propter Patrocinium, quod apud Deum præſtare putantur Aduerſarij exhibeant, ſatis patet eos in hac cauſa fruſtrà confugium quærere in precibus, quas alij pro aliis concipiunt, certè nulla duci poteſt conſequentia à viuentium precibus ad interceſſionem mortuorum. 1. Viuentium preces ſunt mutuæ, & Paulus qui orat pro aliis, aliorum pro ſe preces expetit.

At ſanctos Aduerſarij precantur, pro ſanctis precari abſurdum arbitrantur: Deinde viuentium preces, mandata, exempla, promiſſa in ſcripturis habent. Singularis defunctorum interceſſio nullum habet in ſcriptura præſidium. Præterea inter viuentes eſt officiorum, ſermonis ſcripti, crucis, conſolationis, auxilij communicatio: Inter defunctos & viuentes nullum ejuſmodi commercium. Denique cùm viuentes oramus certi ſumus nos ab iis audiri & intelligi de mortuis nullam quidem certitudinem habere poſſumus. 3. Interceſſionem generalem non negamus à ſanctis cœleſtibus præſtari, quatenus ea omnia optant, quæ poſſunt

ad Dei

ad Dei gloriam facere, quæque ad salutem totius Ecclesiæ & successum, incrementum atque complementum regni Christi pertinent ; Sed hæc intercessio simplex est precatio, non autem oratio vlla. Nos autem preces nostras Deo acceptas faciendi. Itaque nec aliquid de officio Christi detrahi, nec postea, nisi absurdè componi cum ea intercessione, quam Sanctis Aduersarij tribuunt. Itaque manet argumentum hoc, qui de officio Christi detrahunt qui alios præter Christum introducunt, qui pro nobis, non modò orent, nec tantùm orationes nostras ad Deum deferant, sed & eas oblatas Deo commendent, & acceptabiles reddant, imò & aliorum pro quibus intercedunt personas ita Deo concilient, vt liberationem & remissionem peccatorum, & vitam æternam consequantur: Atque tales sunt Aduersarij, non autem ij, qui vel Mosem fuisse internuntium, & Mediatorem typicum, vel viuentes hic mutuò pro sese precari, vel sanctos cœlites in genere pro Ecclesia orare docent. Non igitur nos, sed Aduersarij sua de sanctorum intercessione doctrina in Christi officium injurij sunt.

Secvndò decantatam distinctionem reponunt Mediatoris : Est enim ; inquiunt, mediator redemptionis, quem primarium, absolutum, principalem, & Mediatorem ad salutem vocant ; alius Mediator intercessionis, quem secundarium, subalternum mediatorem ad deprecationem, id est, mediatorem dispositiuè & ministerialiter appellant. Est igitur vnius Mediator redemptionis, qui solus hominem Deo conciliat, & vi ac dignitate sua non alterius adminiculo exequutus est Mediatoris officium, Sed sancti dici possunt mediatores intercessionis, qui aduocatorum officio pro nobis apud Deum funguntur. *Examen*, 1. Argumenta nostra quæ præmisimus efficiunt Christum, & solum Mediatorem, & solum Intercessorem siue aduocatum nostrum esse. Ergo frustra ludunt Aduersarij distinctione hac. 2. Mediator intercessionis nullus esse potest, qui non sit etiam redemptionis, vt colligimus ex Rom.8.34. 1. Tim.2.5. Heb.7.24. & 1.Ioh.1.2. Ergo cùm fateantur Aduersarij Christum esse solum Mediatorem redemptionis, necesse est agnoscant etiam solum esse Mediatorem intercessionis, & verò Christus redemptor est duplici nomine, merito scilicet & efficacia : At intercessio Christi pertinet ad efficaciam; dicitur enim intercedere, quatenus preces nostras Deo gratas, imò ratas efficit. Ergo ad redemptionem pertinere putanda est. 3. Quidquid Aduersarij vtut distinguant, reapse tamen Sanctos faciunt redemptionis Mediatores. Certè merita & meritorum applicatio ad Redemptionem spectant. Aduersarij à precibus suis ad Sanctos petunt ipsorum precibus & meritis vitam æternam consequi, & ab eis flagitant, vt misereatur sui, se liberent, & absoluant à peccatis, &c. Vt Bellarm. ipse agnoscit lib.1.de Sanctis, cap.17. Verùm respondet non esse inhærendum illis verbis, sed potiùs respiciendum sensum eiusmodi orationum qui non est alius, quàm vt dicantur Sancti seruare, misereri, largiri aliquid suis precibus & meritis, quod mirum haberi non debet, cùm seruare nos dicantur Ministri Verbi, Rom.11.14. 1.Cor.9.22. Enimuero

Bellarm. dum se expedire conatur, magis intricat: Nam si liberationem & salutem petunt per sanctorum merita; redit nostra ratio, & partem dicendi sunt habere sancti in opere Redemptionis: Nam qui petit absolui à peccatis per merita sanctorum, qui petit, ut acceptet Deus propria merita Sanctorum, pro peccatorum satisfactione quorum reus est ipsemet: Itaque admoderari sibi non potuit Bellar. quin assereret sanctos esse quodammodo Redemptores nostros lib. 1. de Indulgentiis cap. 4. Et Canisius lib. 5. de Deipara cap. 31. Atque maximè docet Mariæ inter mulieres benedictæ in nostra cum Deo reconciliatione suum esse locum; Et in margine, Mariam sine Christi injuria velut principem & causam nostræ salutis prædicari. Ita Cunæus tract. de Sanctis, pagina 362. Hæ orationes tuos ab alto respice, miserere, exaudi Virgo virginum ex propria sanctorum fiducia proficiscuntur, & propriam ipsorum misericordiam, dignitatum partem appellant, & nobis conciliare student. Expendite jam illa quæso; sancti non tantùm orant, vt saluemur, sed sunt quodammodo redemptores nostri, & merentur nobis saluationem, & sunt principes & causæ salutis nostræ, & in eos fiducia nostra propriè recumbit, & dignitatem ac potestatem habent propriam in causa salutis, & concluditur esse igitur ipsos verè Mediatores redemptionis. Est autem in officium Christi inuolare, si hoc non est: At inquit Bell. Scripturæ salutem tribuunt verbi ministris sine vlla Christi injuria. *Resp.* longè disparem esse rationem. 1. Quia salus verbi dispensatoribus attribuitur propter ministerium quod ipsis creditum est, 2. Cor. 5. 20. Sed cùm Aduersarij à sanctis misericordiam, liberationem, salutem petunt expectant, non potest illud ad aliquod sanctorum ministerium referri: Neque enim mortui sunt amplius apud nos mysteriorum Dei dispensatores, sed ad eorũ potestatem ac dignitatem pertinet, vt docebat Cunæus. 2. Quia verbi ministri dum in hoc sæculo degunt, ad hoc opus sunt instituti, & à Deo vocati, vt fratres suos saluos faciant instrumentaliter, & sint συνεργοὶ θεοῦ, 1. Cor. 3. 9. de sanctis demortuis idem dici nequit: Illi enim ætate sua Dei consilio seruierunt, Act. 13. 16. Sed post mortem vocationem eandem non obtinẽt, quippe qui requiescant à laboribus suis, Apoc. 14. 13. 3. Quia dum hic viuimus, alij aliis præsentes sumus, & ita ad aliorum salutẽ aliquid conferre possumus, aut verbis, aut scriptis, sancti non item. Ergo non sequitur si viuis salus nostra tribuatur, etiam demortuos sanctos saluatores nostros dici posse.

Tertiò de Intercessoribus distinguunt, dum vnum immediatum, plures mediatos faciunt. Immediatum esse solùm Christum, qui solus per se & vi sua nobis omnia à Deo salutaria impetrat, & ad eum nos immediatè adducit. Mediatores verò esse plures, nempe sanctos qui per Christum impetrant, & Mediatores sunt, non tam ad Deum, quàm ad Mediatorem Christum: Cùm sit enim tanta peccatorum nostrorum malitia, & tanta diuina Christi majestas, nos ipsi per nos soli, nec ad Deum Patrem, nec ad Filium accedere audemus, sed interpellatores quærimus Deo chariores, nempe sanctos, vt eorum precibus & meritis Deus ad misericordiam flectatur. Ita Cost. Enchir. cap. 14. Solutione argumen-

argumenti secundi, & Anthonius parte 4. summ. Theologiæ tit. 15. ait Christum non solùm aduocatum esse, sed & judicem cuncta discussurum. Quomodo igitur, inquit, peccator ad eum, tanquam aduocatum accederet: Ideò Deus, prouidet Deus de Advocato, qui mitis & suauis est, & in quo nihil inuenitur asperum. *Examen.* 1. Hæc respondeo conuellit priorem de Mediatore redemptionis & intercessionis. Illa enim ponebat plures esse intercessores apud Christum; hæc apud Deum vnicum intercessorem fecit, nempe Christum, sed plures intercessores apud Christum. 2. Refutatur Adversariorum praxi: Deum enim in precibus suis orant directè, vt Sanctorum intercessione sibi gratiam & gloriam largiatur. Agnoscunt igitur ipsos apud diuinitatem immediatè intercedere: Sicut enim loquitur Hadrianus Epist. ad Const. quæ habetur in actis Concilij Niceni secundi, act. 2. 3. Hæc sententia de Mediatore ad Mediatorem falsa suppositione nititur, nimirum quòd propter peccata non sit nobis ad Christum directè accedendum. Scriptura certè longè aliter de Christo docet: Ipsum enim proponit, vt agnum non vindicantem, sed tollentem peccata mundi, Iohan. 1. 29. Et qui Lychnum fumigans non extinguit, Es. 42. 3. Et nos peccati sensu absterritos ad se benignissimè vocat, Matth. 11. 28. Quique adeò Iudex noster futurus est, sed non ad condemnationem, verùm ad absolutionem: Enimuero quis nunc Christum in cœlis viuentem duriorem esse putet, quàm cùm in terris ageret, quo tempore, qui ad eum accedebant, alio mediatore opus non habuerunt, sanè quos Christus miraculosè sanauit, non Apostolorum intercessionem emendicarunt, sed ipsum rectà conuenerunt, Iesu Fili Dauid, inquiunt, miserere nostri, Matth. 15. Itaque Chrysost. homil. de profectu Euang. in exemplo Chananeæ docet fideles faciliùs à Christo recipi, cùm per seipsos orant, quàm cùm per alios: Nam Chananæam inquit repulit, cùm Apostoli pro ea precarentur. Vbi verò ipsamet orans pro dono clamauit, annuit. 4. Mediatores hîc ad Christum habéntne opus alio Mediatore, qui ad ipsos aditum nobis faciat, si ais, vlteriùs quæretur, an & apud hunc Mediatorem alius requirendus, & ita in infinitum, si negas, rationem quæro qui fiat vt isti Mediatores ad Christum nobis faciliores esse credantur, quàm ipse Christus: Id enim non fit ex natura, cùm & Christus non minùs quàm ipsi humanæ naturæ communione nobis sit coniunctus, non ex affectu: quis enim inter sanctos nos magis amare putandus sit, quàm ille qui animam dedit pro nobis, Iohan. 15. 13. Non ex conditione: Nam fiduciæ nostræ fundamentum inde ducit Apostolus, quòd Pontificem habeamus, qui compati possit nostris infirmitatibus, vtpote per omnia similiter tentatus excepto peccato, ac nos, Hebr. 4. 15. Concludatur ergo non tantùm nihili esse hanc distinctionem, sed & in Christum injuriam.

Alterum argumentum ducitur ex iis Scripturæ locis, ex quibus docetur solum Deum esse omnipotentem, Psalm. 139. 7. 8. 9. 10. Ierem. 23. 23. 24. Et omniscium atque scrutatorem renium, 2. Reg. 8. 39. 1. Chron. 28. 19. Psalm. 139. 1. 2. Ierem. 17. 7. 9. 1. Corinth. 2. 11. Apoc. 2. 23. Vnde enim

ita colligimus, quicunque pro neceſſitatibus omnibus omnium fidelium vbicunque degant communibus & ſpecialibus corporalibus & ſpiritualibus, internis & externis, occultis & manifeſtis, diſtinctè ac particulatim interceſſurus eſt, debet omnes illas neceſſitates in numerato habere, eaſque clarè, diſtinctè ac ſigillatim cognoſcere: At nemo beatorum neceſſitates omnes omnium diſtinctè nouit, cùm nec omniſcius ſit, nec omnipotens, quippe quod ſolius Dei proprium eſt. Ergo nemo ſanctorum cum Chriſto regnantium pro omnium fidelium neceſſitatibus ad Deum particulatim intercedit.

Respondent & hîc Adverſarij multa, 1. Communiſſima reſponſio, Sanctos hæc noſtra omnia non habere nota per ſe, ſed videre tamen in ſpeculo Trinitatis. Verùm hanc totam doctrinam de ſcientia beatorum omnia videntium in eſſentia diuina, tanquam in ſpeculo fulgentiſſimo latè confutauimus lib. ſup. cap. 9. Itaque non eſt opus, vt hîc ampliùs immoremur, expendamus tantùm alias quaſdam exceptiones, quæ poſſunt omnes ad quatuor capita reuocari.

Primò excipiunt Angelos & animas ſanctorum mira quadam naturæ celebritate pollere, vt quodammodo dici poſſint eſſe vbique, atque ita per ſe videre preces ſupplicantium. Sed exceptio confutatur à Bellar. lib. 1. de Sanctis, cap. 20. Nam ad cognoſcendas, inquit, preces quæ eodem tempore fiunt in diuerſiſſimis locis, non ſufficit celeritas, ſed requiritur vera vbiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum ſpiritibus conuenire credimus. Cui addo illam perpetuò diſcurrendi neceſſitatem perperam iis attribui, qui non in perpetuo motu eſſe, ſed quieſcere dicuntur, & ab omni labore feriari, Apoc. 14. 13. Præterea defunctorum animas huc redire falſum eſt, cùm id nulla Scriptura dicat, nulla certa experientia confirmet, nulla viuentium vtilitas poſtulet. Qui ſi viuis non credunt, ne mortuis quidem credent, vt Abraham diuiti reſpondet, Luc. 15. 31. quo argumento veteres vtuntur in hunc finem, & fatetur Maldonatus in Lucam 16. 25. 28. Vbi laudat in hanc rem Tertullianus, Athan. Chryſoſt. Iſidor. Theophylactum.

Secundò excipiunt Sanctos, etſi in cœlis agant, neque inde ordinariè ad nos accedant, ea tamen quæ hîc aguntur cognoſcere per internuntios Angelos & animas ex hac vita mortali in cœleſtem illam demigrantes. Sed contra, 1. Nec Angeli, nec animæ ſcire poſſunt naturaliter preces noſtras, quando ſola cogitatione oramus. Quomodo igitur poſſunt eas aliis referre, qua etiam ratione Bellarm. vbi ſupra aduerſus illam reſponſionem vtitur. Secundò Scriptura Angelorum officium in hoc conſtituit, quòd ex cœlis mittantur in terram fidelium gratia, Hebr. 1. 14. Non autem quòd è terris mittantur in cœlos, vt res viuentium mortuis notas faciant, Commeant illi à Deo ad homines, & ab hominibus ad Deum, ſed non à mortuis ad viuos, aut à viuis ad mortuos officij gratia. Animæ autem morientium, ſi audiantur Adverſarij, paucæ ſunt, quæ ſtatim deferantur in cœlum, cùm diu eas oporteat hærere in purgatorio: Paucæ igitur quæ res hominum notas facere poſſint cœlitus,

niſi

nisi forte post longum: Vbi nimirum peccata sua in igne illo defœcatorio decoxerint, cùm non ampliùs opus est. Ante relationem enim ejusmodi centies perire potuerint, qui hîc agunt. 3. Etsi poneretur ejusmodi relatio, non tamen ideò sancti nosse possent omnia, quæ in terris aguntur, neque animæ vel Angeli sunt vbique præsentes vt omnia agnoscant. Itaque Augustinus quem hic laudant Adversarij non dicit Angelos & animas omnia referre, &c. Iam verò quis animum ejus, qui Sanctos orat certum reddere poterit, inter illa quæ ad Sanctos referuntur, esse orationes ipsius.

Tertiò respondent Sancti tunc reuelari orationes nostras, quando eas fundimus, licèt eas antea nulla ratione agnouerint, quod neque satis probabile Bellarm. arbitratur, & rationes addit, quia si Sancti noua reuelatione indigerent, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus Sanctis, orate pro nobis, sed peteret aliquomodo à Deo, vt eis reuelaret preces nostras: Deinde non posset satis facilè reddi ratio, cur Sancti ante Christi aduentum non inuocarentur, sicut nunc fit, cùm illis tunc, non minùs quàm nunc reuelari potuerint preces hominum; & valeant quidem hæ rationes aduersus illos, qui ab Ecclesiæ Rom. praxi dependent, & pro limbo patrum decertant totis viribus. Nos alias addimus: Nam, 1. de reuelationibus ejusmodi nihil in Scriptura docetur, sed contrarium potiùs: Reuelationes enim ejusmodi ad donum Prophetiæ pertinent, quod definiuit Augustinus diuinam reuelationem eorum quæ procul sunt ab humano intuitu: At Prophetiæ in cœlis locus nullus, 1. Corinth. 13. 8. 2. Reuelationem illam dicuntur habere sancti, non à principio suæ beatitudinis, sed tum demum cùm orationes ad ipsos ab hominibus diriguntur. Clarum est autem non posse reuelationem ejusmodi fieri sine communicatione noui luminis in animabus sanctorum: Atqui negant Adversarij lumen gloriæ augmentum aliquod in cœlis recipere, Bellarm. lib. 1. de Sanctis cap. 5. Ergo ex suis ipsorum principiis hanc, de reuelatione Sanctis facta, responsionem conuellunt.

Quartò contendunt Sanctos per donum beatitudinis & gloriæ ex cœlis posse nostra intueri; idque duplici ratione confirmatur à Costero Enchir. c. 14. prop. 2. Nam, 1. si concessum est, inquit, Beato Paulo in tertio cœlo diuinam essentiam contemplari, 2. Cor. 12. & sancto Stephano ex terris Christum videre, Act. 7. 56. nullum est inconueniens si fateamur Sanctos è cœlis opera nostra videre in terris. 2. Cùm Sancti nulla corporis mole præpediantur, non impedientur etiam locorum distantia, quò minùs nostras audiant preces, quæ volumus ipsis esse manifestæ: Sicut enim sine externa voce, & sensibili signo Angeli tum sibi mutuò, tum animabus loquuntur, & ab illis audiuntur & intelliguntur. Ita homines sola voluntate sua spiritibus tam bonis quàm malis internas cogitationes aperire possunt, & ab eis intelligi, non obstante corpore quo vestiuntur, vel quauis loci intercapedine. Quanquam de cætero nolentium mentem præter Deum nemo cognoscere valeat. *Examen.* 1. *Resp.* hanc abjudicant Pontificij ipsi. Certè Iohan. de Bada Episc. Pa-

ctensis controu. in 4.Sent. controu.16.art.4. cap.4. propositionem affert Costerianæ illi planè contrariam propter improportionatam distantiam inter beatos in cœlo commorantes,& nos in terra habitantes. Impossibile est beatos orationes nostras scire, nisi fuerint ab ipso Deo eis in verbo reuelatæ, imò & supr.concl.3. docuerat non esse necessarium ex ratione beatitudinis, vt beatus videat in verbo (quantò minus in reipsa, vel in cordibus nostris) orationes nostras, vel regulariter, vel vniuersaliter:Sed neque Patres huic Costeri doctrinæ calculum suum facilè sunt apposituri inter quos Hieron. Epistola 3. ad Heliodorum de morte Nepotiani loquens, vbi dixisset, scimus Nepotianum nostrum esse cum Christo & sanctorum choris mixtum:Deinde de calamitatibus hujus sæculi in medium multa protulisset,tum denique subjungit, fœlix Nepot. qui hæc non videt,fœlix qui hæc non audit. Itaque putauit nullam Sanctorum esse beatitudinem, quæ id efficere possit, vt nostratia hæc, quæ publicè fiunt, videant multò minus cordis nostri cogitata percipiant, & sequens nostrum argumentum ostendit ex Scripturis esse mortuis res nostras ignotas. Sanè gloria Sanctorum naturæ conditionem non auffert, nec quæ Deo propria sunt in ipsos confert. Esse autem proprium Deo cordis cogitationes perscrutari, paulò ante audiuimus ex multis Scripturæ testimoniis. 2. Si sancti è Cœlis vident nos & audiunt, id fit ratione vel nostri,vel medij, vel sanctorum ipsorum. At nihil horum dici potest. Non ratione nostri,non enim ita sumus vocales,aut magni, vt vox precum nostrarum, aut corporum nostrorum species possint in cœlum vsque pertingere.Non ratione medij,cùm enim interjectum spacium sit amplissimum & ferè infinitum,non est aut voci nostræ,aut Sanctorum aspectui permeabile.Non respectu Sanctorum ipsorum. Quis enim quæso reuelauit,Sanctos ex perspicuitate valere,vt inde à summo cœlo ea videant audiantque quæ geruntur in terris? Quis eò vsque largas sanctis esse aures, quæ ad voces nostras porrigantur? Oculos tam perspicaces qui necessitatibus nostris aduigilent. Quæ verba sunt Caluini lib.3.Inst.cap.20.§.24. non scurrilia,vt criminatur Bell.præf. ad lib.de Sanctis; Sed justæ argumentationes, cum certis naturæ principiis planè conuenientes, quæ docent nec sensum nec actum,nec essentiam,nec efficacitatem infinitam aut quasi infinitam vlli creaturæ.

Nec verò arduum est Costero satisfacere. Prior enim ejus ratio manifesta laborat inconsequentia: Quis enim has conclusiones ferat. Paulum, vt audiret ineffabilia, oportuit in tertium cœlum rapi. Ergo licèt sancti in cœlis commorentur possunt tamen inde omnia nostra audire, atque contemplari. Quis non inde potiùs contrarium colligat, nempe sanctos, nisi è cœlis ad nos accedant, non posse nostra percipere. Item quis non hanc conclusionem videat, Stephano per extraordinariam dispensationem concessum est, vt videret Christum in cœlis. Ergo sanctis ordinarium est vt videant,hominum acta in terris.Addo quòd Stephanus dicitur Christum vidisse,sed Christi cogitata non dicitur præuidisse,neq; reliqua fuisse contemplatus aut audiisse quæ sunt in cœlis,putà Dei essentiam,

tiam, Angelos, animas Patri arc. & Prophet. Quomodo igitur inferet inde Costerus sanctos videre & audire, non hunc, aut illum hominem, sed omnes fideles, nec ipsos tantùm, sed & eorum corda motúsque omnes interiores. Ad posteriorem respondeo inauditam esse hanc distinctionem & Philosophiam nulla locorum intercupedine posse impediri beatos, quò minus hæc nostra videant. Longè aliter Pactensis vbi supra art. 2. Cùm sit inquit, agens infinitum, non potest agere in passum quomodocunque distans, sed determinatam, & sibi proportionatam distantiam ad potentiam requirit: Improportionata enim impedit, quod ex Aristotele probat, qui Physicorum octauo docet distantiam determinatam esse necessariam etiam ad actionem substantiæ separatæ, & verò si nulla distantia impediat Spiritus cœlestes nequidem infinita. Itaque dicendum erit beatos infinitate virtutis esse præditos: Nam per infinitam potentiam, distantiam, vim & virtutem suam extendere non est nisi, illius, qui virtute pollet infinita. Quæ addunt postea de Angelis & animabus separatis sese mutuò alloquentibus & intelligentibus sine vlla voce aut sensibili signo, nempe per essentiæ, aut voluntatis suæ spiritualem quandam apertionem seu explicationem. Id totum Philosophis disputandum relinquo, & obseruo tantùm non posse hanc responsionem hoc loco satisfacere, quia longè dispar est ratio spirituum extra corpus inter se mutua communicatione exercentium, & eorum cum hominibus viuis agentium, quibuscum ad explicanda animi sensa sua, Deus instrumenta corporea quædam dederit, aut saltem signa quædam externa & sensibilia. Ipsos vult ad hæc media ita per totam vitam alligatos, vt absque eorum ope & opera non valeant cogitata sua declarare. Itaque absurdum visum est Augustino de Cassiano, si quis dicat posse Spiritus sine aliquo signo cogitata nostra cognoscere. Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 12. Cass. coll. 7. cap. 15. Huc pertinent quæ distinguunt Philosophi & Theologi inter species intelligibiles & actum intelligendi: Eas enim videri posse docent ab Angelis, quippe quæ sint impressæ in Phantasia nostra, in quam Angeli penetrare possint, sed hunc, nisi signo aliquo sensibili patefiat, negant vnquam, nisi vni Deo esse cognitum; quale verò illud est quod dicitur posse homines sola voluntate cogitationes suas aperire, tam bonis, quàm malis Angelis, nimirum in nostro arbitrio erit eas ipsis vel declarare, vel occultare. Miseram vero gloriam & conditionem Sanctorum, hac quidē ex parte: Nam si voluerit homo ea gloria. Sanctus assurget, vt ipsius cogitata in corde videat. Sin autem nolit isto cognitionis gradu sanctus careat, oportet. Ita pro libitu gloriam Sanctorum augebit vel minuet: Deinde quæ ex sanctorum gloria est videre corda nostra si velimus, quando si velimus etiam malis Spiritibus eodem priuilegio frui posse. Præterea si volentium corda agnoscant, Sancti, nolentium verò non agnoscant, quid illis fiet qui circa patefaciendas Sanctis cogitationes suas, nec volendi, nec nolendi actum exercent, putà dum Costerus meditatur responsionem ad aliquod argumentum Aduersariorum, neque de sanctis illomodo cogitat. Quæro sancti ne cogitationes illas in ejus corde videant, necne; si negat Coste-

rus sua ipsius vincta cædit. Sin ait. Ergo fatendum ipsi est ne millesimam quidem partem cogitationum videre sanctos, quia millesima pars hominum non cogitant de affectibus suis sancto alicui patefaciendis. Denique si velit Costerus vni tantùm ex Sanctis, putà beatæ Virgini patere suas cogitationes, & tamen ex ipsius sociis aliquis apud diuum Petrum precibus ardentissimis contendat, vt dignetur votis, & cogitationibus. Costeri satisfacere, quod fiet, illi sancto, nimirum frustrà sollicitabitur, quando reluctante Costero non potest in ipsius cogitationes penetrare. Ita sese in varias absurditates incidunt, qui vanis subtilitatibus indulgent.

Tertivm argumentum ea scripturæ loca continet, quæ specialem omnem rerum humanarum curam & cognitionem defunctis detrahunt, 2.Reg.22.19.20. Iosiæ promittitur futurum, vt breui moriatur, ne mala videat, quæ Deus in Iudæam missurus erat, 2.Reg.2.9. Elias ascensurus in cœlum Elizæo dicit, postulo quid faciam tibi, antequam tollar à te, quo significatur nihil amplius à sanctis peti, aut impetrari, postquam sunt è viuis sublati, Iob.14.21. de mortuis generatim dicitur eos non intelligere, neque curare, siue nobiles, siue ignobiles fuerint eorum filij: At si aliquorum necessitates defuncti intelligerent, tum suorum præcipuè, quippe quos speciali charitate prosequuti sunt, Ps.146.3.4. Monemur, ne Principibus, aut aliis hominibus fidamus, quia cùm Spiritus hominis exit, tunc pereunt omnes cogitationes ejus, cogitationes putà de humanis rebus, Eccl.9.5.6. Euidentissimè dicitur mortuos nihil amplius nouissimè eorum, quæ sub sole fiunt, Es.39.8. Ezechias audita prædictione de excidio Ierosolymorum, saltem inquit, fiat pax, & veritas in diebus meis, quasi dicat, det Deus, vt ego his terris eripiar, antequam hæc accedant ne tantùm calamitatem videre cogar, Es.63.16. Abraham dicitur nescire nos & Israel ignorare nos, Ioh.9.4. Nox venit, in qua nemo operatur; Vbi per noctem mors sine dubio intelligitur ex Orig. Chrysost. Leontio, Theoph. Atque ita significatur, mortuos nihil horum operari, aut curare, quæ ad hanc vitam pertinent, Heb.4.10. Idem dicitur Apoc. 14.13. Denique huc pertinet, quod toties legitur de fidelibus mortuis, eos obdormisse in Domino, nempe quia sicut somnus curas relaxat, & sensus ita ligat, vt quæ domi, vel foris geruntur, dormientes minimè norint. Ita mors est à curis & cognitione rerum terrestrium plena liberatio. Colligo jam intercedens pro aliorum necessitatibus eas debet cognoscere: At Sancti speciales nostras necessitates non habent cognitas. Ergo neque pro eis intercedunt.

Excipiunt Aduersarij, 1. quæ citauimus Scripturæ loca intelligi debere de cognitione naturali, non autem de supernaturali, quæ per supernaturalem reuelationem vel contemplationem diuinæ essentiæ est in Sanctis. *Examen.* 1. Satis jam refutata sunt, quæ de reuelatione supernaturali rerum in essentia Dei reponuntur. 2. Habemus ex Scripturis juxta confessionem Aduersariorum non inesse Sanctis cognitionem rerum naturarum naturalem, & vnde habent Aduersarij Sanctos

rerum

rerum noſtrarum notitia ſupernaturali pollere. Neque enim magis neceſſarium erat, vt docerent, ſcilicet negatiuam illam Sanctos non noſſe res noſtras naturaliter, quàm affirmatiuam hanc Sanctos noſſe res noſtras ſupernaturaliter. 3. Quæ laudauimus loca non tantùm docent Sanctos non cognoſcere res noſtras, ſed & non curare illas. An igitur curam nobis ſimiliter facient aliam naturalem, aliam ſupernaturalem quod ſi faciant explicent, quæ ſit naturalis cura, quæ ſupernaturalis. 4. Illa diſtinctio non poteſt eſſe magni momenti: Nam cùm Deus, v.g. Ioſiam conſolans dicit eum moriturum, ne videat calamitatem populi, vt hæc conſolatio ſit alicujus ponderis, neceſſe eſt vt dicatur, Ioſiam poſt mortem ejus rerum omnium humanarum cognitione caruiſſe: Alioqui qualis eſſet illa conſolatio, non cognoſces naturaliter, ſed videbis ſupernaturaliter, vel nonvidebis in re ipſa, ſed videbis in ſpeculo Trinitatis. Vbi longè perfectiùs res exiſtunt, quàm in ſeipſis. Ita ſcilic. negabant ſanctos rem videre, quia vident longè perfectiùs quàm antea, imò ſanctos cognoſcere res noſtras, quia hic paucula tantùm cognoſcebant: At in cœlis non pauca quædam, ſed res omnes humanas agnoſcunt. Mira verò ignorationis ſpecies, quæ modum ſciendi inferiorem tollit, vt longè digniorem & ampliorem reponat. 5. Cùm ſcriptura negat ſimpliciter rem ipſam, an non & rei modum negare putanda eſt: Alioqui enim negare debuit Chriſtianos cognoſcere myſteria ſuæ religionis, quia non cognoſcunt ea naturaliter, ſed per reuelationem ſupernaturalem; imò & negare poterit Chriſti & humanitatem plura cognoſcere, quàm ſanctos, aut Angelos, quia eam cognitionem non habet naturaliter, ſed per infuſionem ſupernaturalem, vel per gratiam vnionis hypoſtaticæ, & quis tamen ejuſmodi negationes ferat.

Secvndò negant eandem eſſe rationem ſub Veteri ac Nouo Teſtamento. Illos enim negat ante Chriſti aduentum ſciuiſſe omnia, quæ hic agebant, quia nondum erant in ſtatu beatitudinis, ſed nunc non eſſe idem dicendum de ſanctis cum Chriſto regnantibus, qui clarè vident diuinam eſſentiam. Contra, 1. De hoc nondum ſatis ſtabilitus eſt inter Aduerſarios conſenſus: Nam quod multi dicunt de mortuis ſub Veteri Teſtamento res humanas ignorantibus: Negant alij, atque inter eos Coſterus, cujus hæc ſunt Enchir. cap. 19. prop. 2. Patres in limbo ante Chriſti aduentum noſſe poterant, quæ in terra fiebant. Sciebat ergo Abraham epulonem illum accepiſſe bona in vita ſua, & Lazarum mala. A Coſtero facit Cunerus tract. de ſanctis pag. 361. Ierem. Proph. & Tobias ſtatum ejus populi cognouerunt, & poſt mortem, idque antequam adhuc per Chriſtum ab inferis in cœlum eſſent tranſlatis illis ſanè hæc reſponſio nullius fuerit momenti. 2. Si ſancti Veteris Teſtamenti non cognouerunt res humanas. Ergo nec pro viuis ſpecialiter intercedere potuerunt, adeóque ridiculè producuntur ex Veteris Teſtamenti loca, quibus ea interceſſio ſtabiliatur. 3. Non modò ex Veteri Teſtamento, ſed ex lib. noui fœderis argumentatio noſtra collecta eſt, vbi habes loca, Ioh. 9. Heb. 4. Apoc. 14. Ad quæ ſanè non poteſt iſta reſponſio applicari. 4. De-

nique falsum est fundamentum hujus responsionis : Nam Patres Veteris Testamenti post mortem non fuisse beatos, quemadodumm alia disputatio fusiùs docebit,id nunc prob.satis ex Luc.9.31. Vbi ante Christi ascensionem dicuntur Moses & Elias apparuisse in gloria,adeóque fuisse in statu beatitudinis.

Vltimvm argumentum Patrum testimonia continet: Nam, 1. Qui sanctos demortuos in loco quodam inuisibili vsque ad diem resurrectionis sequestrari & visione Dei priuari docuerunt, illi procul dubio intercessionem sanctorum nullam agnouerunt, qualis in Ecclesia Romana docetur, quippe cujus præcipuum fundamentum sit contemplatio faciei diuinæ & in ea rerum necessariarū:At pleriq; Patres fatētibus Aduersariis sequestrationem ejusmodi docuerunt Tertull. Iren.Orig. Chrys.Theod. Oecum.Theoph.Ambr. Clem. Rom.Bern. *quibus* alij addunt liturgiam Iacobi,Iust.Lact.Vict.Aug. Porrò cùm Aduersarij Senensis,Sandæus,Peltanus, & alij doceant tempore illorum Patrum potuisse credi sine suspicione hæreseos animas ante Iesum non videre Deum, nec frui cœli gloria, eadem ratione concedere debent toto illo tempore, quod annum excedit millesimum, sine suspicione hæreseos potuisse teneri doctrinam nostram, quod sancti non sunt nostri apud Deum Intercessores.

Secvndò Patres docent distinctè cordium, aut rerum nostrarum notitiam minimè habere, neque rebus hisce humanis interuenire Hieron. Epist.3. Ad Heliodorum Nepot. August. in hac re multum est de cura pro mortuis cap.13. Vbi ex locis Veteris Testamenti arguit, ne nunc quidem Sanctos nosse res nostras: Atque ita confutat distinctionem illam, quam Aduersarij ponunt inter Sanctos Veteris & Noui Testamenti,quasi isti agnoscerent, quod illi ignorarunt. 1. Non agnoscit distinctionem Pontificiam *inter cognitionem naturalem & supernaturalem* sanctorum:Nam si aliqua omnino cognitio rerum humanarum mortuis inesset confudit matrem suam nulla nocte ipsum deserturam, à qua tamen nihil esse præsidij sibi significat. Dices Aug. tamen ibidem docere aliquam rerum nostrarum supereresse sanctis. *Resp.* ad intelligendum prout ipsemet Aug. explicat. 2. Curam hanc esse generalem, neque ad specialia descendere lib.de sp. & ann.cap.29. 3. Cognitionem quam habent esse rerum paucarum & extraordinariarum ipsis dari de cura per mortuis cap.15.& 26. Proinde fatendum est nescire quidem demortuos quæ agantur,dum hic agitur.Itaque qui cum Augustino senserit.Ille nunquam certa cum fiducia sanctum aliquem appellare poterit, quippe quem credat non omnia,sed pauca, neque secundùm ordinem, sed præter visitatum ordinem, prout scilicet à Deo concessum fuerit cognoscere.

Denique Patres docent Iesum Christum esse Mediatorem vnicum etiam Intercessionis per quem vnum offerri debeant orationes nostræ Deo Clemens Const.lib.2.cap.32. ad omnipotentem Deum accedere non licet, nisi per Iesum Christum Ignatius epist.6. Solum Christum in precibus vestris, & Patrem illius ante oculos habete Tertull. de Trin. cap.14,Arn.lib.2. per hunc solum esse ingressum ad lucem, neque alias

datum,

datum est verò irrumpere, vel inuadere cœlis omnibus clausis, atque inexpugnabuli arce munitis, Origen. contra Celsum lib.8. Iesu Christi solius ductu peruenitur ad Patrem. Igitur preces ostende soli vnigenito Dei verbo, qui vt Pontifex eas ad Deum suum & Deum nostrum proferat. August.in Psalm.109. Deus mediatorem posuit, non quemlibet Principem, aut Angelum, sed vnicum Filium, vt qua via perducturus esset ad illum finem quem promisit, per eum ipsum Filium suum, & ostenderet, & præberet, agit de Mediatore ad salutem perducente. Perducimur autem non modò per Redemptionis meritum, sed & per intercessionis efficaciam, adeóque significat Christum esse vnicum, & Redemptorem, & Interceſſorem nostrum, & lib.2. contra Epist. Parm.8. cap. Parmeniani sententiam refutat, qui docebat Episcopum esse Mediatorem inter Deum & populum. Non autem vt putat Bellarm. inter baptizatum & Deum, quasi ageret de solo baptismo, cùm agatur manifestum de toto Episcopali ministerio, & de eo quod agit Episc. inter populum & Deum. Ibi ergo hæc inueniuntur, si dixisset Iohan. si quis peccauerit Mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis vestris, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum, & non potiùs sicut Antichristum intueretur, &c.

Videamvs nunc quibus rationibus probent Adversarij Sanctos defunctos esse nostros apud Deum aduocatos & intercessores. Bellarm. lib.1.de Sanctis, cap.18. argumenta præcipua colligit, sed ea duorum generum, pro duplici, quam habet propositione. Prior est Sanctos orare pro nobis in genere, quod probat ex Ierem.15.1.2. Marc.15.12.13. Apoc.5. 18.21. 2.Petr.1.25. Luc.16.27. Apoc.6.9. Igitur ex communione Ecclesiæ triumphantis cum militante. Sed hæc quidem argumenta nos minimè feriunt, qui facilè concedimus orare Sanctos pro Ecclesia in genere. Ita enim confessio Witebergica, cap.23. sect.2. fatemur quòd Sancti in cœlis suo quodammodo pro nobis coram Deo orent, & Apolog. confess. Augustanæ ad art.21. de Sanctis concedimus quòd in cœlis orant pro Ecclesia in genere. Si ergo testimonia quæ Bellarm. producit non aliud efficiunt causæ nostræ, nihil sanè præjudiciant. Quanquam illud addo ex locis productis esse quædam, quæ causæ Bellarm. parum fauere possint: Si enim certum est apud Pontificios intercessionem Sanctorum fundamentum habere in contemplatione diuinæ essentiæ. Porrò Patres sub Vet. Testamento non fuisse ad illam contemplationem admissos certum eam ipsis esse debet Patres illos non interceſſisse pro viuis. Itaque perperam laudari loca, quæ ad Vet. Testam. pertinent, putà Ier.15.12. Marc. 15.12. & Luc.16. Vbi de sinu Abrahæ. Sed quia vulgus doctorum Pontificiorum his locis sine distinctione vtitur ad Sanctorum intercessionem confirmandam eorum expendendorum labore defungamur.

Iere.15.1. Si steterint &c. His verbis demonstratur solitos Mosem & Samuelem orare pro populo vbi expendit Bellarm. verba Græca ἐὰν στῶ, non autem ἐὰν ἱστᾶ, si steterint, non autem si starent : Eo enim vult designari ipsos intercedere solitos. *Resp.* 1. Hypothetica est oratio,

quæ nihil ponit, non magis, quàm illa Pauli, si linguis Angelorum loquar, si Angelus vobis aliter euangelizauerit, &c. significatur. 2. Mosem & Samuelem, dum in viuis agerent, orasse solitos pro populo. Sed inde non sequitur. Ergo pro populo orasse jam defunctos. 3. Euthimij explicatio haud absurda est, nempe nominibus Mosis & Samuelis non significari eos qui multis jam annis mortui erant, sed per ea nomina eos designari, qui eorum vitam atque conuersationem fuerunt imitati Comm. in Psalm. 98. 6. Itaque significat Deus ita grauissimum peccatum commisisse populum illum, vt ne sanctissimi quidem precibus suis pro illo populo veniam obtinere potuerint. 4. Grammaticatio de ἐὰν ϛῇ, & ἐὰν ἱϛᾷ vanissima est, tum quia Hebr. lingua eam non patitur, quæ vtrumque illud effert per idem tempus nempe per futurum, tum quia falsum est aoristo illo ϛῇ, significari rem illam fieri solitam. Sanè Luc. 16. 31. eodem aoristo Scriptura vtitur, si quis ex mortuis resurrexerit ἀναϛῇ, & tamen ineptus esset, qui inde colligeret mortuos resurgere solitos, vt viuos ad pœnitentiam adducant.

SECVNDÒ Maccab. 15. 12. 13. 14. Iudas in visione quadam Honiam & Ieremiam videt orantes pro populo. *Resp.* lib. esse Apocryph. sed ne dicat Bellarm. nihil nos habere aliud, quod respondeamus. Addo narrari eo loco somnium & visionem. Atqui quæ videntur non ideo reapse existunt: videt enim in somniis Pharaonis septem vaccas quæ alias septem deuorauerint, & tamen hoc reapse nunquam accedit, nimirum somnia illa quæ sunt à Deo immissa significationem aliquam mysticam continent. Sic docet glossa in hunc locum per Honiam, Sacerdotalem ordinem intelligendum, cujus partes sunt precari pro populo, per Ierem. verò significari Iesum Christum, qui est aduocatus noster apud Patrem.

APOC. 5. 8. Seniores 24. habent phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, id est, intercessiones pro firmorum stabilitate juxta Primasium & Scholia Græca. *Resp.* 1. quæ ibi dicuntur ad militantem Ecclesiam referri possunt, vt sint Seniores illi, non cœlorum incolæ, sed pij qui Deum hic pro se inuocant & pro aliis: Ita enim explicant Scholia Græca, ita intelligit Viegas, & in eum sensum exponi possunt facilè verba Primasij. 2. Et si ad Sanctos defunctos ista referantur non tamen ideò causam obtinet Adversarius: Orationes enim illæ, non preces pro vinis significant, sed prædicationem diuinæ gloriæ τὴν εἰς θεὸν δεξολογίαν, vt explicant Andrianus Cæsariensis & Arctus, & locus ipse satis insinuat, vbi versu sequenti additur, cantabant canticum nouum.

2. PET. 1. 15. Dabo operam vt frequenter habere vos, commendatos scilicet, post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Aliqui veteres non ineptè hinc colligebant Sanctos curam gerere viuentium. *Resp.* 1. Bellarm. ipse fatetur non esse euidens argumentum, ideò locum producit ad pompam magis, quàm ad pugnam. 2. Explicat Bellarm. habere vos, id est, habere vos commendatos, id est, habere vos in animo. In eo sa-

eo sanè nouam indit illi loquutioni significationem, cujus nullum exemplum ex aliquo probato authore afferri potest, nec habere vos magis significat habere vos commendatos, quàm vos neglectos habere, aut habere vos in animo, quàm habere vos odio. 3. Ex contextu & serie verborum Apostoli satis patet non aliud designari, nisi Petrum dum viuit ita commonitorum esse, & Euang. doctrinam ita inculcaturum, vt illius se mortuo perpetuò meminisse possint, quomodo explicant Pontificij doctores plerique, glossa ordinaria Hugo, Thom. Carth. Cajet. Arias Montanus, Emmanuel Sa, Folengius, &c. & ipsa vulgata versio post obitum meum, vt faciatis, non verò vt faciatis post obitum meum. 4. ἔχειν à Petro sumitur pro διὰ παντός, quod frequens in Scriptura, Iohan. 8.6. Matth. 8.25. Actor. 4.14. significat ergo se daturum operam, vt possint fideles post ipsius obitum hæc in memoriam reuocare. Quòd verò contendunt aliqui ἔχειν in infinito quando regit aliud infinitiuum, non esse idem quod posse, mera est tergiuersatio, & exemplis confutatur. Demost. oratione pro corona οὐκ ἔχειν ἀπολύσασθαι τὰ κατηγορημένα δόξω. Id est videbor non posse objecta diluere.

Luc. 16.27.28. Dives epulo orat pro fratribus suis. Ergo multò magis orant justi pro Ecclesia; Costerus vbi supra. Hinc duplicem rationem eruit, 1. Patres in Limbo, vt Abrah. nouerant quæ fiebant in terra; multò magis ea nunc non ignorant Sancti adstantes Deo. 2. In inferno plerique, vt dives epulo, norunt quæ ad ipsorum majorem damnationem fiunt in terra. Ergo multò magis norunt Sancti quæ hic fiunt, ad majorem ipsorum gloriam. *Resp.* hujus argumenti vim totam ex eo pendere quòd hoc loco vera narretur historia: At ne ipsi quidem Adversarij, si sapiant, id dixerint: Quis enim putet animas post mortem habere linguam, oculos, digitos, aut seri veros sermones inter beatos, & damnatos, aut alios aliis ita propinquos esse, vt sese alloqui facilè & audire possint, cùm tamen inter eos interjectum sit μέγα χάσμα, aut in locis illis supernis esse veram aquam, aut qui sunt in inferno posse contemplari beatas illas cœlitum stationes: Aut denique credentium Patres inter filios suos computare, quos impietas detrusit in Tartarum, & sanè nihil est in toto illo loco, quod necessariò concludat simplicem historiam narrari, non natura Lazari & Abrahami: Nam Oseæ, id est, nominatur Gomor filia Diblagim, vbi tamen historia non narratur, sed somnium. Certi authores Chrysost. August. Greg. mysterium in Lazari nomine quæsiuerunt, & adjutum à Deo interpretati sunt, vt docet Maldonatus in hunc locum, non circumstantiæ loci, & temporis: Nam & ille in Serm. Parabol. vt tempus nocturnum in Parabolâ Zizaniorum, Matth. 13. 25. Et ager in parabola thesauri absconditi, Matth. 13.44. Hinc factum vt inter Pontificios non minimi Maldon. & Salmero dixerint hanc esse historiam, sed parabolicè tractatam: Nam inquit Maldon. quòd dives ille & Lazarus fuerint, quòd ille in inferno sepultus, hic ab Angelis in sinu Abrahæ portatus fuerit historia est, sed sermo Epulonis & Abrahami fictus est in modum parabolæ. Est autem parabola narratio rei fictæ ad

docendum ſpiritualia. His poſitis contendo ex iſta narratione non aliud erui poſſe, quàm quod pertinet ad finem parabolæ. Non eſt autem docere mortuis ineſſe cognitionem rerum humanarum, ſed vt docet Mald. multò meliorem eſſe pauperum, quàm diuinitum conditionem, neminique ſuas in altera vita diuitias profuturas, niſi quatenus eas hîc cum pauperibus communicarit. Cùm igitur extra hos limites euagentur Bellar. & Coſt. dico illos conjecturis ludere, non certis argumentis pugnare.

Apoc. 6. 9. 10. Animæ Martyrum petunt vindictum de interfectoribus ſuis. Ergo multò magis veniam petunt pro fratribus ſuis. *Reſp.* narrari hoc loco viſionem Iohanni oblatam. Diſtingui autem debet viſionis objectum à fine viſionis. Objectum eſt imago vel oculis, vel phantaſiæ oblata, quàm habet inſtar ſigni & ſymboli. Talis fuit ille clamor animarum ſub altari : At viſionis finis eſt res, quàm Deus declaratam vult & illa imagine deſignat. Ita illa imagine clamoris martyrum ſignificari voluit Deus Iohanni non impunè abituras, ſed ſuo tempore grauiter puniendas injurias Euangelij cauſa Sanctis ſuis illatas. 2. De martyribus agi quatenus martyrio coronatis, non verò quatenus gloria donatis, quòd Scriptura deſignare videtur, cùm martyres inducit. 1. Clamantes : Deinde verò & ſubſequenter ad illum clamorem veſtibus albis ornatos, id eſt, gloria donatos. Clamarant igitur antequam ad gloriam vocarentur, & ſanè animabus beatis Apoc. cantus potiùs & δοξολογία, quàm clamor & vociferatio. 3. Sed fac de Martyribus jam glorificatis agi, quomodo ſcimus explicari à multis, nihil tamen inde ſequitur pro interceſſione Sanctorum, tum quia orant illi martyres pro ſe & vindicta illatarum ſibi injuriarum. Vnde non ſequitur eos orare pro aliis, tum quia clamor hic intelligendus eſt non vocis, ſed rationis : Clamat enim aliquis, vel actu, vel effectu : Actu clamant martyres in hoc mundo, tum actu perſequutionem patiuntur, & auxilium diuinum implorant, ſed vbi in cœlos euecti ſunt clamare dicuntur effectu, quia ipſa injuria illata, quaſi loqui videtur, & vindictam à Deo poſtulare, & quia juſtum eſt vt pœnæ repoſcantur à perſecutoribus, hoc ſenſu clamare dicuntur animæ Martyrum, quomodo ſcilicet ſanguis Abel clamare dicitur apud Deum, Geneſ. 4. 10. Atque hoc ſibi volebat Brentius iſtum clamorem intelligendum figuratè & ſanctos dici clamare, quia preces, quas viuentes effuderunt, adhuc reſonant in auribus Dei. Opponit Bellarm. martyres, dum hîc viuerent, non vindictam de perſecutoribus, ſed veniam pro eis petiiſſe, adeoque oratione, quâ petere dicuntur vindictam eſſe nouam, & in cœlis reapſe fieri intuitu & amore juſtitiæ. *Reſp.* non petiiſſe quidem viuos Martyres vindictam ex affectu priuato & humano, ſed petere tamen potuiſſe ex motu & inſtinctu diuino, vt patet ex exemplis Sanctorum, Dauidis, Pſ. 59. & 109. ſancti Petr. Actor. 5. 9. 10. & Pauli, Act. 13. 9. 10. 11. & 2. Tim. 4. 14.

His locis hanc rationem Bell. adjicit à communione Eccleſiæ militantis cum triumphante, quæ id exigit neceſſariò, vt membra pro inuicem ſollicita ſint & ſe iuuent, Rom. 12. 4. 5. 1. Cor. 12. 12. Itaque falſum illud

illud Caluini nullum esse nobis commercium cum sanctis mortuis, cum quibus tamen sumus vna. *Resp.* vnum corpus, vnus populus: *Resp.* communionem Ecclesiæ triumphantis cum militante concedimus, commercium negamus cum Caluino, quia communio consistit in conjunctione, *quam sancti viuentes & mortui habent inter se in Christo*, vt ejusdem corporis sub eodem capite membra. Commercium est in communicatione rerum singularium, putà consolationis, consilij, exhortationis, auxilij, & particulari necessitatum alterius cognitione. Rem hanc in hunc sensum rectè Caluinus explicat lib.3. Inst.cap.20.sect.55.24. Itaque distinguendus est consensus communis à sensu particulari, nempe sicut in corpore politico ciues omnes consensu communi in Rep. viuant, & pro ea sollicitudinem gerunt, sed non ideo tamen sensu particulari afficiuntur circa res omnes, aut perpessiones suorum ciuium. Ita sancti triúmphantes in cœlis communi consensu Ecclesiæ juuant, quatenus complementum Christi regni ardentissimis votis expetunt, sed non ideò singularem sensum habent, aut particularem curam gerunt rerum omnium humanarum. Denique hoc argumento non aliud confectum vult Bellar. quàm sanctos orare pro Ecclesia in genere, quod nos facilè concessuri sumus, vt ante dictum, & docet eodem loco Caluinus.

Alteram deinde propositionem Bellar. addit eodem cap.20. nempe sanctos, qui regnant cum Christo orare pro nobis in particulari. Quod probat variis modis. 1. Angeli orant pro nobis & nostri curam gerunt in particulari, Iob.12. Zach.1.12. Dan.10.13.20.21. Ps.91.11.12. Luc.15.7. Apoc.8.3. Ergo multò magis Spiritus beatorum faciunt: Nam quantum ad hoc munus nihil deest eorum quæ Angeli habent, cùm sint præditi intelligentia & voluntate, & semper adsint, & nos vehementer diligant, & sint æquales Angeli, Luc.20.36. Et id habent præ Angelis, quòd sint membra corporis Ecclesiæ magis nobis conjuncta quàm Angeli, & expecti sint miserias nostras. Atque ita faciliùs compati nobis possunt. *Resp.* 1. Anteced. ex parte verum est Angelos, nempe curam nostri gerere: Id enim clarè docetur Ps.34.8. & 91.11. Heb.1.14. Sed ex scriptura certò non patere quòd sancti orant pro nobis. Liber enim Tobiæ inter Scripturas Canonicas non est numerandus, & quòd dicit ibi obtuli orationem tuam Domino, æquè in hoc mendax esse potuit, ac cùm diceret se esse Azariam Ananiæ magni filium, & Zachar.1.12. Qui Angelus loquitur Christus est, in hoc Angelo Christum significari docent veteres Patres Hiero. Ambr. Origen. inquit Ribera in hunc locum, & Apoc.8.3. Ita nullus locus supereſt qui manifestè conficiat Angelos orare pro nobis; Sed etsi vtrumque demus tamen nulla legitima consequentia duci potest ab Angelis ad sanctos defunctos: Nam si Angeli habent intelligentiam, & voluntatem, & adsint Deo, & diligant nos (non sensu particulari, quasi nos distinctè cognoscunt, sed consensu communi, quatenus juuant Ecclesiam militãtem, cujus nos membra sumus) deest tamen illis aliquid aliud, quod ad suscipiendam nostri curam necessarium est nimirum mandatum, & vocatio Dei ordinaria. Habent enim illam Angeli, Ps.91.11. Heb.1.14.

Sed ſancti demortui non habent; Cùm vero ſcriptura docet ei demandatam prouinciam, vt nos cuſtodiant, circumeant, caſtra metentur circa nos, & nos ſolentur, atque pro nobis excubias agant. Igitur docet Scriptura eos requieſcere à laboribus ſuis, Apoc.14.℣.13. Nec ampliùs partem habere cum eis quæ geruntur in hoc ſęculo, Eccl.9.6.2. Quod vero dicuntur ſancti ἰσάγγελοι, Luc.19.36. Matth.18. non eſt huc trahendum, quaſi quæcunque competere dicuntur in Angelos, dicenda competere in ſanctos. Non comparat Chriſtus beatos Angelis omnibus in rebus, ſed in ea tantùm, de qua agebatur, qòud nuptias inituri non eſſent, vt Hieron. annotauit, quia nimirum immortales erant, inquit Maldon. in Matth. 22.38. Adde quòd nec Angeli quidem ſinguli omnia norunt quæ geruntur in terris, quippe qui non ſint vbique præſentes, ſed alij huc, alij illuc mittuntur miniſterij cauſa propter fideles, neque ſi vident ea quæ geruntur exteriùs, poſſunt & corda ſcrutari, & cogitationes hominum videre, quod tamen ad plenam rationem Interceſſionis neceſſarium eſſe ſupra docuimus. Itaque etſi daretur ſanctos demortuos eadem habere cum Angelis priuilegia, non tamen inde ſequeretur eos à ſingulis hominibus appellari poſſe, tanquam Interceſſores & Patronos.

Secvndò varia ſunt loca, ex quibus confectum putant Aduerſarij fideles viuentes ſanctis regi, & gubernari; Vnde ſequitur eos res humanas curare, atque adeò non eſſe eos ipſatum ignaros, Pſ.45.18.& 149.7. Matt. 24.47. Luc.19.17. & 22.29. Apocal.2.26.27. & 3.12. *Reſp.* loca hæc, vel de ſanctis mortuis non loqui, vel ſi qua loquuntur, nullam docere humanarum rerum curam à ſanctis ſuſcipi. 1. Pſalm.45.18. Non de mortuis agitur, ſed Chriſti gloria deſcribitur, & regnum ſpirituale, quod per totam terram Euangelij prædicatione ſtabilitum eſt, in eo regno principes dicuntur eſſe ſinguli fideles, id eſt, regni illius conſortes cum Chriſto, Apoc.1.6. quatenus ſcilicet dominantur peccato, mundo, Diabolo. Veterum alij referunt ad Apoſtolos, quos Chriſtus velut eximios quoſdam duces in terrarum orbem miſit; Alij ad Epiſcopos, quos Deus conſtituit ad regendam Eccleſiam ſuam, ſed ad mortuos minimè referunt. 2. Pſ. 149.6.7. Verba ad nos viuentes pertinent, qui dicuntur ancipiti gladio, id eſt, verbi diuini efficacia vindicare in nationes, id eſt, Paganiſmum abolere, abſcindere hæreſes, & increpare populos, vt ſaluentur, qui ſeducti fuerant à malis magiſtris. Ita Hieron. Remig. Lorin. allegoricas multas interpretationes affert. Quidam ad mortuorum gloriam hoc referunt, ſed quam habituri ſunt demum in reſurrectione. Quod nihil facit ad gubernationem, de qua loquuntur Aduerſarij. 3. Matth.24.46.47.& Luc. 19.17. Non de ſtatu intermedio animarum agitur, aut de gubernatione aliqua quam verè exerceant ſancti in his terris, ſed de vltimo judicio & gloria, in quam beati ſint in æternum anima & corpore introducendi. Ita explicat Mald. in Matth.25. 4. Luc.22.29. Chriſtus Apoſtolos alloquitur, & vbi dixit ſe diſponere eis regnum, ſtatim in ſpecie docet quæ ſit illa diſpoſitio, & in quibus conſiſtat, nempe non in aliqua judiciaria poteſtate, quam poſt mortem è cœlis in nationes exerceant, ſed partim in beata quie-

ta quiete, & sufficientissima gratiarum omnium copia, quam sub imagine conuiuij repræsentat, vers.30. Partim gloria, quâ fruituri sunt in extremo judicio, vbi sedebunt super duodecim thronos, Matth.19.28.5. Apoc.26.27. Quæ dicuntur, non sunt propriè intelligenda, quippe quòd cùm id Christo tanquam proprium attribuatur, Psalm.2. Vnde clarum est has loquutiones esse desumptas: Debent enim accipi figuratè, vt ad sanctos cum Christo regnantes pertineant, communione personæ non communicatione officij; Regnant sancti, & judicant, non in propria sua persona; Nam in ea comparituri sunt coram tribunali Christi, 2.Cor. 5.10. non in corpore mystico, quæ est Ecclesia: Nam & ipsa in singulis suis membris judicanda est, sed in capite suo Christo, quatenus ei planè conjuncti sunt per vnitatem spiritus, & vim ejus sentiunt, & plenum consolationis fructum in eo consequuntur, nempe Christus ex Ecclesia vna est persona mystica, adeóque quod Christo propriè conuenit, figuratè ipsius membris tribuitur, neque tantùm mortuis, sed & viuis, qui dicũtur sedere in cœlestibus cum Christo, Eph.2.6. & judicare mundum, 1.Cor.2. Neque tamen inde aliquis concluserit, ad fideles viuentes pertinere curam & gubernationem totius mundi sextò ex Apoc.3.12. Vbi sancti dicuntur columnæ, non rectè colligitur eos mundum regere, cùm columnarum non sit regere, sed, vel fulcire, vel præstare ad decorem & ornatum. Si columnas fulcientes dicas, certè fulcire dicuntur templum Dei, id est, Ecclesiam triumphantem de qua ibi agitur. Quis autem ferat ita concludi. Sancti sustentant Eccl. triumphantem. Ergo curant res Ecclesiæ militantis. Sin autem dicuntur columnæ propter ornatum, quod verisimilius est, quia scilicet in cœlis splendent & stant, quasi columnæ in magnifico palatio ad decus & ornatum. Sanè multò magis inde colligitur, sanctos rerum mortalium curam gerere. Septimò, Apoc.3.21. Sessio sanctorum in Throno Christi duo significat. 1. Quietem & cessationem à laboribus suis vitæ, quæ significatio curam magis rerum humanarum conuellit, quàm concludit: Qui enim ab omni labore conquiescunt, non dicuntur ampliùs circa res nostras occupari. 2. Authoritatem & potestatem judiciariam, quo sensu dicuntur sancti cum Christo sedere, id est, in communione Christi, & in cap. suo mundum judicare, vt modò dicebamus.

Vltimo loco plurima subduntur Patrum testimonia docentium sanctos pro nobis intercedere & res nostras curare: Addit etiam Bellar. apparitiones sanctorum, qui apertè testati sunt se orare pro hominibus in particulari, sed etiam varia miracula producuntur quibus sancti sæpissimè demonstrarunt se audire preces viuentium, Bellar.lib.1. de sanctis cap.18.19. *Resp.* initio Christianæ religionis ducentis & vltra annis, nimirum ad tempora vsque Origenis & Cypr. incognitam fuisse doctrinam de Intercessione sanctorum, sed postquam circa annum 240. priuatas quorundam opiniones, in quibus numerari possunt Origenes, & Cyprian. inualuisse in vulgus, dum tandem ex vsu populari deuentum est ad vsum Ecclesiæ, & cœperunt omnia plena esse præsumptionibus & do-

ctrinis in hac parte nouis. Interim circa dicta Patrum hæc obſeruari poſſunt. 1. Multa citari ex libris ſuppoſitis quæ Patrum nomina præferunt, nec ſunt tamen germani Patrum fœtus, ea parum momenti habent. 2. In libro Patrum geminis diſcernendas eſſe declamationes à tractatibus, & ea quæ Rhetoricè dicuntur & δημηγορικῶς ab iis, quæ θεσμικῶς & poſitiuè dicuntur apud Baſil. Nic. Nazian. &c. Occurrunt ſubinde Apoſtrophæ Proſopopœiæ, Rhetoricationes, quæ à ſimplici dicendi genere diſtinguendæ ſunt. Ego, inquit Theod. fidei regulam non exiſtimo, quæ declamatoriè dicuntur in Eccleſia. Itaque cùm videret Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 11. Patres eſſe nimios in cumulandis B. Virginis laudibus, ita eos excuſat, quòd hæc dixerint per amplificationem & exaggerationem extendendo ad ſanctos, quæ ſecundùm ſenſum abſolutum ſoli Deo competunt. 3. Appellationes illæ & inuocationes ſanctorum tanquam Interceſſorum ſæpius pro votis & optationibus haberi debent potiùs, quàm pro precibus, aut Inuocationibus propriè dictis. Ita Caſſander ſcholiis in hymnos Eccl. dicit hanc orationem, ſancti orate pro me, perinde valere atque vtinam omnes ſancti orarent pro me. 4. Multa dicta Patrum loquuntur de Interceſſione generali, non particulari; multa item de interceſſione viuorum, non mortuorum. 5 Cùm dicunt à ſanctis res humanas curari, putandi ſunt hoc ipſis attribuere, non in perſona ſua, ſed in Chriſto capite conſideratis. 6. Si aliquem ſenſum rerum humanarum ſanctis ineſſe particularem docent, non de omnibus in genere loquuntur, ſed de illis tantùm quos vtpote nuperrimè in cœlos tranſlatos putarunt, ad aliquod retinere memoriam rerum ſæcularium. 7. De apparitionibus. *Reſp.* cum Anſelmo Scrip. credendum, de mortuorum apparitionibus non curandum, præſertim cùm ſupra docuerimus non paucos veterum Patrum hujuſmodi apparitiones ſimpliciter negaſſe, & ſanè qui eas recipiunt, tamen ne circa eas erretur, plurimas cautiones adhibendas eſſe docent, & cauendam Dæmonis fraudem, & paucos omnino eſſe, qui poſſint diſcernere Spiritus apparentes. Ergo ex mortis apparitionibus nihil certi concludi poteſt. Videatur Caniſ. lib. 5. de Deipara cap. 21. Vbi illud etiam docet apparitiones non fieri, niſi rariſſimè & per miraculum, neque ſanctos ipſos apparere, ſed Angelos potiùs perſonas illorum induere. Denique miracula quod attinet, poſſunt eſſe falſa pleraque & falsò narrari, neque miraculis contra ſcripturam credendum, Deut. 13. Neque enim fiunt illa, niſi extra ordinem, atque adeò ex iis non poteſt concludi ordinaria Sanctorum interceſſio.

CAP.

CAPVT V.

DE VNO CHRISTI MERITO.

Quæstio adversus præsumpta humanorum operum merita. Status quæstionis.

CHRISTVM vt solum nostrum apud Deum Mediatorem esse, ita & solum esse, qui nobis vitam æternam hac officij sui exequutione promeruerit Ecclesiæ reformatæ constans & fundatissima sententia, adeóque non absque ingenti Christi ejusque mediationis injuria humanorum operum merita jactare. Eam nos Controuersiam hîc examinatum imus.

NEQVE verò est quod magnificas bonorum operum laudes instituant Adversarij, quandoquidem si modò se intra legitimæ laudis terminos contineant, nos facilè adstipulatores habituri sunt. Consentimus enim, 1. Bona fidelium opera habere necessitatem, tum ex parte Dei, quia ea mandat, & per ea glorificatur, tum ex parte proximorum, qui eorum contemplatione ædificantur, tum ex parte nostri ipsorum, qui per ea vocationem & electionem nostram nobis ratam, aliis testatam facimus, & per ea pertingimus ad æternam salutem. 2. Perfectionem eis aliquam haud grauatè adscribimus, cùm legamus de Sanctis nonnullis fuisse perfectos illos in generatione sua. Perfectionem autem non graduum, sed partium, non absolutam, sed secundùm quid, non denique legalem, quæ omnem omnino defectum excludat, sed Euangelicam, quæ sinceritate constet & hypocrisim expellat, etsi omnimodam diuinorum præceptorum obseruationem non ineludat. 3. Quanquam nulla vi interna polleant ad obtinendam apud Deum justificationem & absolutionem à peccatis, quod subinde inculcat Scriptura, cùm nos ait non operibus, sed fide justificari, quia tamen jam impetratæ justificationis veritatem declarant apud homines, & sunt non causæ quidem, & principia, sed signa & testimonia nostræ apud Deum justitiæ. Nos ij non sumus qui justificationem quocunque modo dictam bonis operibus denegemus, quin cum Iacobo fateamur, si justificationis totum complementum, & quasi corpus consideremus justificari hominem tum fide, tum operibus, illa quidem apud Deum; hæc verò apud homines.

SED vbi quæritur, vllâne meriti ratio reperiatur in bonis operibus, pandere putamus responsionem ex legitima hujus vocis expositione. Meritum enim latissimo significatu dicitur opus in vtramque partem, i.e. tam illud quod bonum est, quàm quod malum vt apud Poetam concipit mens intra pectora pro meritis spemq; metumque suis. Vsu tamen frequentiori meritum, vt nempe designet bonum factum, vt apud Virg.

meriti tanti non immemor vnquam, apud vet. Ecclesiæ doctores obseruo vocabulum hoc tripliciter significare, vt, 1. Mereri sit idem quod posse, August.epist.114. Meruit venire ad manus tuas epistola,id est,potuit venire, siue reapse venit. 2. Idem quod velle Ambr.serm.6. Eloquia audire minimè meruistis,id est, voluistis. 3. Idem quod consequi, obtinere,impetrare. August.lib.83. quæst.67. vocamur Filij Dei,quamuis hoc adoptione mereamur,id est, obtineamus. Atque ex hoc tertio merendi significatu factum vt passim apud Patres opera bona vocantur merita, quatenus quidem ex gratuito Dei promisso mercedem consequuntur,quantumuis indebitam.

Verùm longè alia ratione meriti vox in hac nostra quæstione accipitur. Ac, 1. Quidem negamus quæstionem aptè satis à Bellarm. constitutum, si definitionem meriti spectes, quàm affert lib.5. de Iustificatione, cap.2.cùm ait eum dici Latinis propriissimè mereri apud alium, qui facit aliquid, quod placeat, eumque delectet : Nam si gratias agit, benefactori suo post acceptum meritum,nonne facit,quod benefactori placeat, eumque delectet, nec tamen dicitur aliquid eo nomine apud benefactorem mereri. Sic ea sæpe facit infantulus, quæ patri placeant impensè citra tamen meriti rationem, siue proprietates & conditiones consideres, quibus meriti naturam circumscribit à cap.10. vsque ad 16. Eas enim septem ponit, vt sit, 1. Opus bonum. 2. Opus liberum. 3. Factum in obsequium Dei. 4. Ab homine viatore, id est, in viuis agente. 5. Iustificato, & amico Dei. 6. Proficiscatur ex charitate. 7. Habeat annexam Dei promissionem. Etenim hæc omnia simul iuncta satis esse negamus ad veram meriti rationem constituendam. Fatemur quippe bona fidelium opera his omnibus conditionibus gaudere, & tamen meritoria esse pernegamus, quia vt ipse Bellarm. agnouit in mero merito aliquid aliud esse debere, nimirum intrinsecam aliquam vim & dignitatem, vt docet cap.14. & 17. Meritum illud esse testatur, cui præmium debeatur ex ratione Iustitiæ non modò distributiuæ,ita vt præmia pro merito distribuantur à Iudice, sed etiam justitiæ commutatiuæ, vt sit videtur justa & absoluta æqualitas inter opera & mercedem, & vnusquisque non minùs habeat mercedem, quàm justo judicio mereatur.Hoc igitur verum est quæstionis κεντρῶδον, vtrum opera ita sint meritoria, vt habeant internum aliquem valorem & efficaciam ad obtinendum cœleste præmium. Nos absolutè inficiamur quod Adversarij statuunt. *Esto igitur hæc nostra Thesis. Bonorum operum quibus fideles ex Dei mandato incumbunt, nullum est verum & proprium meritum ad æternam beatitudinem consequendam.*

Primvm sententiæ nostræ argumentum suppeditat nobis meritorum Christi consideratio. Testatur enim Scriptura Christum nobis vniuersam salutem, id est, ejus,tum initium,tum progressum, tum consummationem esse perfectissimè promeritum. Vnde dicitur Es.9.5. Pater æternitatis, id est,qui meritus sit æternam vitam. Et Act.3.15. Princeps salutis,extra eum nulla salutis spes,aut ratio supereſt,Act.4.12.Actor.20.

28.

28. id est, ejus animæ beatitudinis merito suo nobis acquisiuit, Hebr.9. 12. Hinc variè argumentantur. 1. Actiones Christi θεανδρικαὶ mediatoriæ, atque redemptoriæ, non possunt alteri cuiquam attribui, cùm ad officium ipsi soli demandatum pertineant, ejúsque rationem constituant: At vitam æternam credentibus promereri, est actio Christi mediatoria & redemptoria, vt patet nominatim ex Hebr.9.12. vt propterea dicitur Christus eam Redemptionem nactus, quia proprium sanguinem effudit. Secundùm propria non possunt alteri communicari: atqui vitam fidelibus promereri est proprium in Christi, ita ut inde nomen accipiat: Propterea enim dicitur Princeps vitæ, & author consummatorque salutis. Tertium, Quod Christi meritis derogat est à veritate Christianæ doctrinæ alienum: At merita humana derogant meritis Christi: Cùm enim mereri sit jus aliquid comparare, quod antea non habebatur, sanè si homines operibus suis sibi merentur vitam æternam. Sequitur illos ante merita sua non habuisse jus ad illam beatitudinem. Hoc autem siue magna Christi injuria dici non potest, per quam certum est esse nobis acquisitum jus cœlestis beatitudinis. Pater enim nos reddidit idoneos ad participandam, Coloss.1.12.13.14. Quantum est per se, & immediatè sufficientissimum ad juris alicujus acquisitionem non habet opus adjunctione alterius rei ad idem ius acquirendum: Atqui Christi meritum est ejusmodi nempe ad jus cœleste nobis acquirendum, cùm Christus æternam redemptionem nobis nactus fuerit. Ergo nulla sunt hominum merita, per quæ possint jus idem acquiri.

Respondent merita nostra non debere opponi meritis Christi, cùm ex eis nascantur, & quidquid laudis habent, id totum redundat in laudem meritorum Christi. Sicut gloria palmitis ferentis multum fructum redundat in laudem vitis, quâ succum palmes trahit. 2. Non requiri merita nostra propter insufficientiam aliquam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam, quippe quæ à Deo illud obtinuerit, ut possemus nos ipsi propriis meritis vitam consequi, sicut quod Deus sole vtitur ad mundum illustrandum, causa non est aliqua imbecillitas in Deo, sed eius omnipotentia, qui non solum potuit illud facere per se, sed etiam rei creatæ vim illud faciendi tribuere. 3. Non ideo inter hominem & Deum gloriam diuidi, quia etiamsi in opere quod bonum est, totam faciat Deus & totum homo, tum ratio, cur id opus sit dignum vita æterna, tota pendet à gratia. Denique non ideo, quod meremur operibus salutem non ideo minus obstrictos esse Christo. Quandoquidem non modò per ejus gratiam salvamur, sed etiam per eandem nobilissimo modo salvamur, id est per nostra ipsorum merita.

Contra, 1. Cùm ex Christi merito sit gratia, tum justificationis, tum sanctificationis, non dubitamus, quin etiam ex eo procedat, quidquid est in nobis facultatis ad bene operandum: Non enim nos laboramus, sed gratia Dei, quæ nobiscum est, 1.Corinth.15.10. Gratia autem illa datur in Christo, 1.Timoth.1.14. Itaque Bellarm. meriti nomen expugnat, & quod illo vocabulo significatur; de cætero haud illibenter fa-

tebimur. 1. Opera bona non esse opponenda meritis Christi. 2. Nasci ea ex meritis Christi, quatenus est à gratia sanctificante, quam Christus nobis promeruit, adeóque quidquid laudis est in bono opere totum redundare in gloriam Christi. 3. Quòd bona opera necessaria sunt ad hoc vt consequamur salutem non esse propter aliquam insufficientiam meritorum Christi, sed propter magnam eorum efficaciam, quippe quæ id nobis promeruerint, vt bonis operibus incumbere possemus, & per ea gradum ad æternam fœlicitatem moliri. 4. Non diuidit propterea inter gloriam Dei & hominum, quandoquidem opera bona semper referri debeant in gratiam diuinam. 5. Denique non esse nos minùs obstrictos Christo, quippe qui non tantùm voluerit, nos merito suo saluare, sed etiam ad cœlestem beatitudinem per viam bonorum operum perducere. Sed vbi jam Bellarm. opera conuertit in totidem merita nihili sunt quascunque texit rationes sigillatim examinemus.

Primùm enim Bellarm. responsiones, neque primum, neque secundum nostrum argumentum attingunt, quibus probamus meritum beatitudinis esse actionem mediatoriam & ita propriam Christi, vt in nullum planè hominem competere possit, adeoque manet vtraque illa ratiocinatio illibata & immota. 2. Si non est alia ratio, quare sine injuria Christi meriti possimus dicere vitam æternam promereri ex condigno, nisi quia condigni meritum nascitur ex Christo, meritis fatendum erit nullam esse rationem, cur dici possit homo primam gratiam, quam Christus nobis meritus est mereri de congruo. Quandoquidem merita de congruo non nascuntur ex meritis Christi. Sunt enim merita de congruo illorum hominum, qui nondum sunt in Christum insiti, nullamq; habent cum eo spiritualem vnionem, siue communionem, adeóq; ex ipso nihil meriti trahere possunt. Atque ita conuellitur tota doctrina de meritis congrui. 3. Si subterfugia illa valere debeant, nihil tamen Christo proprium, quod hominibus tribui non possit: Ita enim dicet aliquis hominem fidelem esse redemptorem sui ipsius, quia scilicet Christus Redemptione sua meruit, vt homo possit seipsum redimere, ita vt tota laus & gloria Redemptionis à nobis præstitæ redundet in laudem Redemptionis à Christo paratæ. Item Redemptionem quam homo præstat non requirit propter insufficientiam Redemptionis Christi, sed propter maximam ejus efficaciam. Item gloriam inter Christum & hominem propterea non diuidit, quia quamuis Christus hominem redimat, & homo redimat seipsum. Ratio tamen cur homo vim habeat sese redimendi tota pendet à Christi gratia. Denique non minus hominem esse obstrictum Christo, quippe cùm non modò ab eo redemptus fuerit, sed etiam beneficium acceperit, quo possit se nobilissimo modo redimere, nempe per suam ipsius actionem. Quæ omnia, cùm blasphema sint sanè quæ in causa meritorum producunt Adversarij constare nequeunt.

Sed nunc specialiùs ad primum dicitur merita nostra non debere opponi Christi meritis, si non opponenda, sed componenda sunt hominum ad vitam æternam consequendam, merita cum meritis sanè component,

ponent, vel vt causæ sociæ & ejusdem ordinis, vel vt causæ subordinatæ: Atqui neutrum dici potest non quidem vt causæ sociæ, quia in causis sociis non est dependentia vnius ab altera. Aduersarij autem volunt dependere & nasci ex meritis Christi, propterea causæ sociæ sunt tantùm partiales, neque possunt alterutri earum totus effectus tribui. Blasphemum autem esset dicere Christi meritis non esse nobis partam totam salutem & beatitudinem, cùm sit ipse non author modò, sed & consummator salutis; sed neque componi dici potest subordinatis causis.

1. Quia meritum ex se & sua ratione non ordinem dicit ad aliud meritum, sed potius respectum ad mercedem. 2. Quia Christus meruit orando, obediendo, patiendo, &c. Ergo sicut dici non potest oratio, obedientia, passio nostra subordinari orationi, obedientiæ, passioni Christi; Ita nec meritum nostrum ejus merito subordinari. 3. Quia ad effectum producendum necesse est causas subordinatas actu conjungi. Atque Christus vitam æternam nobis meritus est sanguine suo longè ante omnia nostra opera, Rom.8.5.8. Et infantes qui nulla adhuc merita habent per vnius Christi meritum ad vitam æternam sæpe producuntur. Certè innocentes illos, quos occidendos curauit Herodes, gloriam Martyrum debitam accepisse, quam tamen ipsi non meruerant fatetur Bell. lib.5.cap.11.

Secvndò quòd merita hominum nasci ex meritis Christi falsum est. 1. Quia hoc in meritum saltem congrui non competit, quippe quod citra omnem meritorum Christi applicationem inesse volunt operibus quibusdam infidelium. 2. Quia meritum definientibus Scholasticis apud Alstentagium est: operatio aliqua liberè à voluntate elicita ad præmij retributionem ab altero acceptata. Versatur ergo meritum non in alio merito, sed in debita retributione acquirenda. 3. Cùm sit meritum Christi opus redemptorium, sicut non potest dici ex Christi redemptione nasci alia redemptio. Ita neque ex ipsius merito generari aliud meritum, & sicut Christus non producit alios Christós secundariò, ita nec ipsius meritum alia secunda merita. 4. Quidquid producitur à merito Christi, illud vel gratia est vel gloria: Ita enim dicitur gratia data esse nobis in Christo Iesu, 2.Tim.1.9. & vita æterna esse donum Dei in Christo, Rom.6.23. Atq; merita hominum neq; gratiæ, neq; gloriæ necesse venire possunt: Non gloriæ, cùm ad eam antecedenter & efficienter sese habere dicuntur; non gratiæ, quia meritum, & gratia sunt ἀσύτατα. Denique si nascuntur merita nostra ex meritis Christi. Ergo par est vt inde credantur totum suum valorem haurire: Atque hoc negat magnus meritorum patronus. Becanus tract. de Incar. cap.14. quæst.12. Vbi docet ad hoc vt opera Iustorum habeant sufficientem valorem ad præmium supernaturale satis esse, si fiant ex auxiliis gratiæ actualis, neque opus esse, vt conjungantur cum meritis Christi, vt inde nouum valorem participent.

Tertiò dicunt non requiri merita hominum propter aliquam insufficientiam Christi, sed propter maximam ejus efficaciam, quippe quæ meruerint id vt nos mereremur vitam æternam. Contra, 1. Id assumi-

tur, quod falsum est, nempe meruisse Christum vt nos mereremur vitam æternam: Hoc enim si esset sequeretur Christum non ipsam beatitudinem immediatè nobis meruisse, sed mediatè tantummodo, quatenus nimirum meruit, vt ex operibns nostris vitam æternam consequeremur meritoriè. Atque scriptura est in contrarium, quæ docet Christum esse noui fœderis Mediatorem, cujus morte, intercedente promissam hæreditatem æternam accipimus, Heb.9.15. Et esse ipsum non modò ducem, sed & consummatorem salutis, Hebr.12.2. 2. Deus dicitur esse sufficientissimus, quatenus nulla res externa ipsi necessaria est ad suam beatitudinem. Cùm ergo fateantur Aduersarij Christi meritum esse sufficientissimum agnoscere debent eadem ratione nullum aliud esse meritum extra illud, quod sit necessarium ad beatitudinem consequendam. 3. Meriti sufficientia in duobus præsertim consistit, nempe tum in eo quòd habet plenam, perfectam & integram proportionem ad præmium beatitudinis: Deinde in eo quòd Deus illud acceptat ad beatitudinis præmium. Vbi autem hæc duo plena perfectaque ratione reperiuntur, ibi nihil aliud per modum meriti requiritur ad præmium obtinendum: Alioqui enim hoc esset actum agere & iterum velle mercari, quod pleno sufficientique pretio iam emptum est. Cùm igitur Christi meritum sufficientissimum sit ad vitam æternam promerendam, non sunt ei assuenda alia quæpiam merita, aut si assui debent, sequitur merita Christi non habere perfectam omnem & necessariam proportionem ad illud præmium. Quid enim opus est aliis meritis vbi primum illud omnem proportionem ad vitam æternam, quasi exhaurit & in se continet? 4. Non est quod nobis negotium facessant suo illo simili de Deo, qui mundum illustrat per solem, non propter aliquam imbecillitatem, quæ ipsi adhæreat, sed propter maximam ipsius potentiam & perfectionem: Nam aliud longè est de causis efficientibus loqui quæ habent inter se subordinationem, aliud de causis meritoriis, quæ nullam ejusmodi subordinationem agnoscunt; Aliud de ordine naturæ vbi concatenatio illa causarum superiorum & inferiorum reperitur, aliud de ordine gratia, vbi Deus vnus omnia operatur in omnibus, 1.Cor.16.6. Datq; velle & perficere, Phil.2.13. Aliud de causa, quatenus causa vniuersalis causas particulares sub se disponens. Aliud de Christo cujus meritum est causa singularis vitæ æternæ, ita vt nullum aliud sit nomen per quod seruari debeamus, Act.4.12. Denique solus Dei generalis concursus in ordine naturæ non est sufficiens ad productionem alicujus operis in natura instituta, vt per se patet: At verò solum Christi meritum est longè sufficientissimum ad consequutionem æternæ beatitudinis sunt igitur omnia in Aduersariorum similitudine disparia.

QVARTÒ dicit Aduersarius per doctrinam meritorum humanorum non diuidi gloriam inter Deum & homines, quippe cùm omnia hominum merita pendeant à gratia Dei, sed contra. 1. Diuiditur gloria Christi inter ipsum & homines, quatenus tribuitur salus non vni illi gratiæ, quæ residet in Christo, sed etiam gratiæ illi, quam facultatem merendi

vocant,

vocant, quanquam in nobis ineſſe volunt ſubjectiuè; tanquam qualitatem inhærentem & habitualem. 2. Cùm doceant Aduerſarij opera meritoria non ita pendere à gratia Dei quin ſit etiam ſuus voluntati humanæ liberoque arbitrio in iſta cauſa locus, non poſſunt euitare quin dicantur aliquam gloriæ poteſtatem ſibi ipſis attribuere. Certè nota eſt Scholaſticorum doctrina quam explicat Bonau. in ſecundum ſententiarũ diſt. 29. art. 3. qu. 2. Efficacia meriti ex tribus principaliter procedere, videtur ex difficultate operis, ex promptitudine voluntatis, & ex magnitudine charitatis. Promptitudinem autem illam voluntatis, tanquam aliquod proprium & procedens ab ipſo homine diſtinguit gratia, dum ait promptitudo voluntatis plurimum facit, ſed voluntas prompta ſecundùm illud quod habet, accepta eſt ad meritum quantumcunque autem ſit in homine gratiæ, niſi ſit voluntas conſentanea gratiæ nunquam elicietur opus meritorium, & quantò magis voluntas gratiæ ſubjacet & conformatur tantò magis homo in operibus meritoriis, & viderit Aduerſarius an hoc ſit totum opus referre ad gratiam & nullam gloriæ partem homini attribuere.

Denique aiunt homines etſi promereantur ipſi ſalutem non tamen ideo minus eſſe obſtrictos Chriſto, quippe cùm non modò per ejus gratiã ſaluentur, ſed etiam per eam ſaluentur nobiliſſimo modò, nimirum titulo proprij meriti vitam obtinentis: Atque, 1. Qui plus accepit, ſine dubio plus amare debet, & donatori ſuos magis obſtrictus, Luc. 7. 42. 43. Plus autem accepit, qui omnia prorſus habet à Deo, quàm qui aliquod habet, quod ſibi ipſi ex parte debeat. Ergo qui mera Dei gratia & ſolo Chriſti merito ſalutem obtinet, Deo magis obſtrictus eſt, eumque plus diligere tenetur quàm qui aliquid ex ſe habet quò tendat ad ſalutem.

2. Falſum eſt eum eſſe nobiliſſimum aliquid obtinendi modum, qui eſt per propria merita niſi dicere velimus nos non eſſe redemptos nobiliſſimo modo, neque nobiliſſimo modo effici conuerſionem primam in cordibus noſtris meritis aut dignitatibus ſoli Chriſti merito redemptos fuiſſe, & gratiam conuerſionis atque juſtificationis accipere. Denique cum in toto ſalutis negotio, non noſtra, ſed vnius Dei & Chriſti gloria quæratur, juxta illud, Pſ. 115. 1. Non nobis Domine, non nobis, &c. Non eſt hic conſiderandum quid ſit nobis honorificentius, ſed quid Deo gloriosius. Iam autem nemo negaturus eſt eſſe Dei bonitati longè magis honorificum, ſi dicatur nobis æternam vitam gratis largiri, & ex mera omnimodaque liberalitate donare, quàm ſi meritis noſtris eam debere exiſtimetur.

Alterum argumentum ſufficit gratiæ diuinæ conſideratio: Nam certè quod Deus ex gratia puraque liberalitate ſua largitur: Illud meritis humanis nequaquam poteſt attribui: At vitam æternam gratiæ Dei in ſolidum adſcribendam eſſe ſcriptura frequentiſſimè docet, Exod. 20. 6. Pſ. 103. 4. Matth. 5. 7. Luc. 12. 32. Ioh. 8. 28. Rom. 6. 23. Reſponſio ſolemnis eſt vitam æternam gratiæ attribui & miſericordiæ, non quòd non ſit merces meriti, ſed quia ipſa merita ſunt ex gratia, & addit Bell. etiam me-

ritis præsentibus, tamen misericordiam esse necessariam, vt peccata venialia remittantur, atque ita meritum respicere coronam, gloriam. Misericordiam autem remissionem venalium. Adde & aliquis meritum Christi cum gratia Dei conuenire; quidni possent fidelium merita cum Dei misericordia? Verùm his euasionibus nihil efficitur. Nam vt primùm de postremo hoc satisfacit; Certè tota Christi Redemptio, adeóque meritum quod ad Redemptorem pertinet, merè simpliciterque gratuitum est, vnde Scriptura totam meritorum & Redemptionis Christi dispensationem vni Dei gratiæ adscribit ideóque dicitur gratia & veritas per Iesum Christum facta fuisse, Ioh.1.17. Et gratia Dei cum Christi Redemptione conjungitur, Rom.3.24. Ergo est quidem obedientia & passio Christi propriè dictum meritum quod à Deo acceptatur ad retribuendum fidelibus cœleste præmium, sed est tamen mera gratia respectu nostri, quatenus meriti illius exhibitio, & quæ ipsum sequuntur beneficia nullomodo sunt nobis debita, atque ita quòd in rem nostram cedunt nonnisi in unam Dei miserentis δόσιν transferri potest. Vno verbo alieni meriti communicatio est, quod merè gratuitum & indebitum, quod mirum. Ergo si gratia Patris & meritum Christi tam bene inter se consentit, sed vt circa vnum idemque objectum, id est retributionem æternæ salutis versetur & gratia Dei & meritum nostrum quoque id nulla fert ratio, nisi dicamus idem præmium simul esse debitum & indebitum natura. Certè & quod gratis datur indebitum nobis est. Meritum autem proprium deditionem parit.

Præterea vbi est veri nominis meritum, ibi etiam, sicut docet Bell.cap.14. in pensando merito, & retribuenda debita mercede justitia quædam commutatiua exercetur, id est, ea in qua citra omnem personarum rationem seruatur in dando & accipiendo debita æqualitas secundùm qualitatem. Vbi autem est vera misericordia, ibi non tam res quàm personæ considerantur, neque seruatur æqualitas dati & accepti, vt detur tantùm pro tanto, neque denique attenditur ad illud quod ex rigore justitiæ debetur, sed quidquid donatur sine vllo debito ex mero beneplacito donatur. Itaque inter misericordiam Dei, & meritum hominum nullum potest intercedere consortium.

Adde quod scriptura, & ex scripturis Patres disertissimam oppositionem faciunt inter gratiam & meritum, vt Psal.69.5. Oderunt me חנם gratis, id est, nullo meo merito, ita vt hæc particula omne pretium, causam & meritum excludat, Rom.4.4. merces quæ redditur ex debito, vel merito opponitur illi quæ imputatur ex gratia, Rom.11.6. Docetur quod est ex gratia non posse tribui operibus; alioqui gratiam non fore gratiam, id est, deperituram rationem gratiæ, vnde sequitur eum qui componit gratiam cum meritis humanis gratiam reapse abolere, 2.Tim.1.9. dicitur Deus vocare nos non ex operibus, sed ex gratia, &c. Tit.3.5. Seruare nos, non ex operibus sed ex sua misericordia. Ex quibus locis cum colligant Aduersarij nostram ad Deum conuersionem excludere meritum quodcumque nostrum, id supponant necesse est non esse locum me-

rito,

sito, vbi totum gratia operatur. Ita Patres, Basil. in Psal.114. meritis suis nihil tribuunt sancti, sed totum misericordiæ Dei, Bern. in cant. serm.67. Non est quo gratia intret vbi meritum occupauit.

NEQVE illud prætereundum si verum est vitam æternam tribui gratiæ Dei, quia merita, quibus tribuitur, oriuntur ab illa natura, sequetur gratiam & misericordiam non modò nos præcedere, vt bene operandi facultatem largiatur, sed etiam sequi nos vt perpetuò habitemus in domo Domini, Ps.23.6. & Deus, non modò dum viuimus, sed etiam in fine sæculi fidelibus suis misericordiam facturus dicitur, 2.Tim.1.16.18. Imò qui vita æterna donantur, dicuntur misericordiam consequi, Matth.5.7. Neq; Deus nos tantùm vocat & justificat in gratia sua, sed etiam coronat nos in miserationibus suis, Ps.103.2. Ex quo loco Aug.lib.de correp.& gratia cap.13. colligit adhærere fidelibus misericordiam saluatoris sui, & cùm conuertuntur, & cùm præliantur, & cùm coronantur. Denique ignota est veteribus doctrina, misericordiam Dei versari quidem immediatè circa initia salutis, vt nos conuertat, sed non circa finem salutis immediatum, vt nos glorificet. Aliter August.lib.de grat. & lib.arb.cap.9. Maluit dicere Apostolus gratia Dei vita æterna vt intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro miserationibus suis producere. Dices alibi Augustinū docere pro bonorum operum meritis misericordiam in vltimo judicio esse tribuendam. *Resp.* his verbis Aug. noluisse significatam aliquam meriti propriè dicti rationem, sed ordinem tantùm notauisse, quem Deus instituit in negotio gratiæ, vt scilicet primùm in hac vita bonis operibus studeamus. Deinde in futuro sæculo gratuitò promissam beatitudinem consequamur. Dices etiam fateri Aug. potuisse dici ab Apostolo vitam æternam esse stipendium justitiæ. *Resp.* potuisse dici stipendium, quomodo dicitur, merces, nempe stipendium, non debitum, sed gratuitum.

QVOD verò Bellar. addit potentibus meritis tamen in ipsa etiam coronatione gloriæ misericordiam esse necessariam vt venialia remittantur. In eo satis ostendit, quàm parum gratiæ tribuat, quippe cujus post datam merendi facultatem eas vult esse partes, vt versetur circa exterminandas quasdam peccatorum minutias. Quid igitur, si homo jam regenitus, vt Dauid & Petrus in mortale peccatum incidant: At alterius erit misericordia peccata illa remittere: Atqui Dauid in remissione sui peccati magnam implorat Dei misericordiam, Ps.51.3. Tum in coronatione gloriæ, quid opus erit misericordia diuina ad remissionem venialium, quæ volunt Aduersarij jam antea per aquam lustralem, aut humanas satisfactiones, aut extremam vnctionem, aut certè per purgatorij flammas excocta fuisse. Denique in futura vita nullus erit ampliùs remissioni peccatorum locus. Frustrà ergo dicetur tunc misericordia necessaria ad remissionem venialium, certè qui tunc immundus inuenietur, arcebitur ab ingressu sanctæ illius vrbis, Apoc.21.27. Nullus erit tunc, vt loquitur Cyprian. pœnitentiæ locus, nullus satisfactionis effectus, sed quales, vt ait August. nos inueniet nouissimus vitæ nostræ dies, tales nos iudicabit nouissimus mundi dies.

TERTIVM argumentum nobis est à meriti propriè dicti conditionibus,& proprietatibus.Illæ tres sunt præcipuè, 1. Vt sit ἐκ τῶν ἰδίων, i. e. vt ex iis proficiscatur, quæ sunt illius propria qui mereri dicitur. Debitum enim vt Bellarm.docet cap.10.non oritur nisi ex eo quod vnus dat alteri quod suum erat: Nam si rem non suam,sed alienam daret,nihil ei deberetur. 2. Vt sit indebitum; nam qui soluit quod debet non dicetur aliquid mereri à creditore suo,neque enim quod debitum est,parere aliquam obligationem in eo cui debetur. Meritum autem omne parit aliquam obligationem in retribuente. 3. Vt habeat veram proportionem ad præmium, vt vulgatum est apud Scholasticos in merito debere esse commensurationem & adæquationem cum mercede. Sanè in Christi merito hæc tria requiruntur. 1. Quæ fecit opera, ea fecit ex sese, quippe qui verus sit Deus & homo in vnitate personæ.Quæ autem persona diuina exteriùs operatur ea facit ἐκ τῶν ἰδίων. 2. Quæ Christus operatus aut passus est propter salutem nostram, ea facit ex mera in nos *beneuolentia non ex aliqua vera obligatione*,quâ nobis obstrictus esset. 3. Habuerunt opera & passiones ejus justam & plenam proportionem ad cœleste præmium, nempe qualis est causæ ad effectum, cùm dicatur consecratione sua, id est, sacrificij sui in cruce factus esse nobis author & causa salutis æternæ, Hebr.9.5.

IAM autem bona fidelium opera,neque sunt ex ipsis,neque sunt indebita, neque proportionem habent ad supernaturalem beatitudinem, adeoq; nulla est propria meriti ratio.Ad primum quidem non esse bona opera ex nobis, sed ex Deo certum est, quippe à quo sit tota nostra ἱκανότης, 2.Corinth.3.5. & omnis bona donatio, Iac.1.17. & qui largiatur nobis ex suo beneplacito,tum velle,tum perficere,Phil.2.13.Quod etiam facilè patet singulas virtutum Christianarum species percurrenti: Nam fides est donum,donum est opus Dei,Iohan.6.29. Ephes.2,8. Imò & ipse credendi actus Deo tribuitur, Philip.1.29. Sic in spem viuam regeneramur ex Dei misericordia, 1.Petr.1.3. Et dilectio nostra erga Deum & proximum,vnde est quòd ex Deo nati sumus, 1.Iohan.4.7. Et verum sui timorem Deus ipse indit cordibus nostris,Ierem.32.40. Et pœnitentiam dat Deus Gentilibus ad salutem, Act.11.18. Denique si multum laboramus, id totum diuinæ gratiæ est tribuendum, 1.Cor.15.10.

SECVNDÒ quæcunq; præstamus opera & quidquid boni facimus id totum debitum est,quòd Iesus Christus docet celebri loco,Luc.17.7.8.9. Nam sicut seruum ex aratro vel pascuo redeuntem & agresti opere defunctum Paterfamilias non ideò admittit ad mensæ communionem,neque ei gratiam eo nomine habet,sed aduentanti mandat, vt cœnam paret,& administraturus sit dum Dominus cœnauerit: Ita,inquit Christus, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus,quod debuimus facere,fecimus; Vbi vt omnis tergiuersandi occasio tollatur,hæc notanda sunt, 1. Quomodo Christus ait, cùm *omnia feceritis*, non significat aliquem esse qui simpliciter legem Dei impleat,cùm in multis impingamus omnes,Iac.3.2. sed συγχορητικῶς, συγχολατικῶς ὑποθη-

τικῶς

τικῶς, etsi daretur reperiri aliquem qui talis esset, fore tamen eum seruum inutilem. Atq; ita explicant Cajet. Iansſ. & Stella. 2. Cùm ait Christus, *dicite serui inutiles sumus, quòd debuimus, fecimus*; non significat nos ita loqui debere per humilitatem & modestiam, quanquam reapse non simus inutiles. Neque enim vult Christus nos ita humiles esse, vt mentiamur, sed docet nos id loqui debere, quod reuera sentimus in nobis, & sanè cùm Christus rationem statim addat, quare id dicere debeamus, nempè quia nihil facimus, quod facere non debuerimus, satis ostendit hoc non ex simulatione, sed ex vero ingenuitatis nostræ sensu dicendum. 3. Cùm seruum Christus hîc nominat, non intelligit mercenarium aliquem locantem opera, id est, qui mercede pacta Domino suo seruiat & præstito seruitio cum mercede sua abeat, quales serui nostrates, quibus ideò post seruitium merces debetur, sed mancipium quod quanti est totum est Domini sui, vt ipsi operam suam totam assiduè impendere teneatur: Tales enim erant Christi tempore serui Romanorum & Iudæorum. Itaque de mancipiis etiam hunc locum intelligunt Salmero, Bellarm. Barradas. 4. Cùm Christus inutiles seruos vocat non tantùm ostendit, quales simus ex nobis, siue ex statu naturæ, siue etiam quales in statu gratiæ: An non enim Christus alloquitur Apostolos; atqui erant illi procul dubio gratiæ Dei participes. Præterea de illis seruis loquitur, qui mandata sui Domini fecerunt, quales non alij sunt nisi quos Deus gratia sua dignatur, & verò ita exponunt non Theod. modò & Theoph. sed Salmero etiam & Stella. 5. Non modò significat Christus non esse seruos inutiles Deo, quippe qui bonorum nostrorum non egeat, Psal. 50. 12. & ad quem bonum nostrum non pertingat, Psalm. 16. 2. Sed etiam inutiles nobis ipsis, sicut exponunt Mald. & Alphon. de Castro, & certè ita postulat parabolæ ratio: Nam sicut seruus ille, de quo Christus loquitur, nihil sibi suo labore promeritus est, nec habet illi propterea gratiam paterfamilias, vt eum mensæ suæ conuenire dignetur, ita docet Christus res nostras habere, vt scilicet cum Domino seruierimus, non putemus ideò nos promeritos, vt Deus in mensa illa beatitudinis æternæ nos discumbere faciat cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, vt loquitur Scriptura, Matth. 8. 11. atque adeò si ad mensam illam admittimur, id vni Dei gratiæ in solidum adscribendum.

His jam positis argumentationes aduersus operum merita, inuictæ sunt ex hoc loco, siue Deum, siue hominem operantem, siue opus & laborem hominis consideres, ex parte Dei hoc argumentum exurgit, qui nihil debet seruis suis, ille quidquid seruis dat ex mera gratia, non ex merito ipsorum largitur. At Deus nobis seruis suis nihil omnino debet, quæ debuimus, inquit, facere, fecimus. Ergo quando vitam æternam nobis dat, eam ex mera sua liberalitate citra omnem meriti nostri rationem largitur. Ex parte nostra ita ratio texi potest. Mancipium nihil meretur à Domino suo: Atqui nos sumus Dei mancipia. Ergo. Item seruus inutilis nihil quidquam à Domino suo promeretur, etiam cùm facit omnia Domini mandata. Nam si non operabitur, inquit Theoph. dignior est multis

plagis. Cùm autem operatus fuerit contentus sit plagas effugisse: At nos omnes serui sumus inutiles. Ergo etiam obseruatis omnibus Dei præceptis, nihil à Deo propterea meremur. Denique ex parte operum sic arguimus. Qui nihil facit, nisi quod tenetur facere, ille nihil illo opere debito mereri potest: Atqui tamen in absoluta etiam mandatorum omnium obseruatione nihil tamen fecerimus, quod non debeamus. Ergo etiam post acta mandata mercedem cœlestem, quasi meritis nostris debitam sperare non possumus. Hæc argumenta tanti sunt, vt etsi Bell. in omnes partes se vertat, illam tamen Augustini explicationem, serm. 3. de verbis Domini recipere cogatur nos seruos inutiles dici, quoniam nihil fecimus vltra quod debemus, & nihil inde justæ mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire voluisset: Nam ex conditione mancipia Dei sumus, & si velit, potest nos absque vllo præmio ad opera quæcunque placuerint, obligare. His certè verbis omnia Bellarm. expungit, quæ de æqualitate absoluta inter opera & mercedem, & de justitiæ commutatiuæ obseruatione in retributione præmij cœlestis alibi docet: Nam quod subjungit de gratuito pacto, quod nobiscum facere dignatus est, id nobis quidem non abnuimus, neque negamus justum esse, vt reddat Deus, quæ promisit, sed promissione illa Deus operibus nostris, sed sibi ipsi debitorem se fecit, adeóque vbi nos æterna vita dignatur, non merita nostra, sed dona sua coronat.

Tertiò bona nostra opera nullam habent proportionem cum cœlesti beatitudine, quandoquidem vita æterna omnes hujus sæculi afflictiones duratione, pondere, magnitudine excedit, 2. Cor. 4. 17. Et docet Apostolus Rom. 8. 18. passiones hujus sæculi, &c. (quo vocabulo continetur etiam ipsum pro Christo martyrium, id est, omnium opus nobilissimum) non esse condignos, vt vertit vulgatus Interpres, ad futuram gloriam. Certè in opere non condigno nullum esse potest meritum condignitatis, & nihil est magis contrarium, quàm quod ait Apostolus, opera non esse condigna, & quòd Aduersarij docent opera esse condigna ad futuram gloriam, conantur tamen elabi, & præeunte Bellarm. respondent Apostolum loqui de substantia operum, non de proportione absoluta: Nam passiones quidem hujus temporis esse breues, vitam verò illam æternam; sed tamen inter has passiones & gloriam illam proportionem esse propter dignitatem charitatis, vnde proc dunt, quod illustrant variationis similitudinibus. Sic etiam propter dignitatem personæ Christi, passiones ipsius, quanquam breuiores pœnis damnatorum, fuisse tamen sufficientes ad plenè satisfaciendum pro illis: sic peccatorum delitias temporales esse dignissimas, quæ æterno supplicio puniantur. Sic semen esse minus arbore, & ei tamen rectè *sato naturali quadam justitia deberi* arborem. Denique docere Apostolum, 2. Cor. 4. 17. passiones, *quamuis* momentaneas, operari tamen pondus æternum gloriæ, nempe moraliter & meritoriè.

Sed confutatio non est difficilis: Nam, 1. Bell. ex hoc loco confici[illegible] operibus nostris, si ex se considerentur nullam esse proportionem ad vi-

ad vitam æternam. Quomodo igitur hic negat Apostolum loqui de proportione. 2. Non potuit loqui Apostolus de condignitate, & non loqui de proportione, cùm condignitas proportionem significet, & etiam docente Pererio in hunc locum condignum aliqua re illud dicitur, quod habet sufficiens & justum, aut meritum acquirendi, vel habendi rem eam. 3. Græca vox ἄξια, quâ vtitur Apostolus proportionem significat: Ducitur enim ἄξιον à verbo ἄγειν, quod est agere, siue impellere. Itaque propriè ἄξιον dicitur, quod appensum ad trutinam æquis ponderibus libratur, & in neutram partem pendet, ideóque absolutam habet proportionem ad illud quod cum ipso appenditur. 4. Si Apostolus de absoluta operum proportione ad vitam non loquitur, quatenus procedunt à charitate, vel à Spiritu sancto, & à gratia Dei: Nam eo respectu docent Aduersarij eas habere proportionem ad vitam. 5. Denique si proportio hæc operum pendet à dignitate siue merito charitatis, concludimus nullam esse illam proportionem, quia nullum est charitatis meritum: Nam charitas in impletione mandatorum consistit, Rom. 13. 10. Atqui obseruantium legem nullum esse meritum modò audiuimus ex Luc. 17. 8. 9. 10.

Qvæ proferuntur ab Aduersariis ingentem habent disparitatem. Itaque respondemus ad primum passio Christi temporaria fuit infiniti meriti & valoris ad nos ab æternis pœnis redimendos propter infinitatem & dignitatem internam personæ Christi, at verò homines bonis operibus incumbentes, nec vllam infinitatem, nec vllam propriam & internam personæ dignitatem habent.

Ad secundum peccata temporalia pœnas æternas merentur, quia infinitam Dei majestatem per se offendunt, ac à legis diuinæ perfectione recedunt in infinitum. Opera verò nostra neque per se, sed tantùm propter Christum acceptantur à Deo, neque ad legem Dei ita perfectè accedunt, quin etiam variis infirmitatibus laborent.

Ad tertium semen est causa naturalis futuræ arboris. Inter materiam autem & materiatum nemo ignorat esse debitam proportionem. Opera quidem bona sunt via ad vitam, sed æternæ vitæ materia non sunt: Deinde in semine vis naturalis inest ad productionem arboris: Nulla autem est vis naturalis in operibus ad vitam promerendam.

Denique quod operandi verbum ex 2. Corinth. 4. 17. vrgent, in eo frustrà desudant. Notum etiam est illud verbum in Scriptura latissimam habere significationem, neque de causis tantùm propriè efficientibus vsurpari, verùm etiam de causis instrumentalibus, aut quolibet modo adjuuantibus, & siue occasionaliter, siue accidentaliter concurrentibus ad effectum, quomodo Rom. 15. lex dicitur iram, id est damnationem operari, non quidem per se, sed per accidens, & propter accedentem hominis transgressionem. Ita ergo passiones hujus vitæ dicuntur operari pondus gloriæ, lata quadam operandi significatione, quatenus scilicet via sunt & medium quo fideles perducuntur ad gloriam.

Qvartvm & vltimum argumentum adimus ex Patrum testimo-

niis, quibus etsi frequens sit in ore, & in scriptis meritorum nomen, non tamen vt ea voce designarent opus aliquod intrinseca & efficaci vi ad obtinendum cœleste præmium, verum vt latiori quadam & catachrestica vocis acceptione opus quodcunque bonum designarent, quod suam tandem, licèt indebitam & merè gratuitam mercedem consequitur. Ergo primò patres frequentissimè docent beatitudinem æternam merę Dei gratiæ deberi, non minùs quàm jam nostram conversionem seu justificationem. August. serm. de verbis Apostolicis pro nihilo saluos facio illos, nihil jnuenis vnde saluos, & multum vnde damnes. Fulgent. lib. 1. Admonimur ex gratia. Datur non solùm justificatis vita bona, sed & glorificatis vita æterna. Item vnus Deus est, qui gratis & vocat prædestinatos, & justificat vocatos, & glorificat sanctificatos. Et Gregor. lib. 2. Moral. cap. 40. Nudum me in fide prima gratis genuit, nudum eadem gratia in assumptione saluauit, nudum verò, id est, meritorum vacuum. Ex illis igitur locis ita argumentor, eadem est ratio gratiæ ad vitam æternam quæ est ad primam conuersionem, siue justificationem. Atqui gratia in prima conuersione ita operatur, vt nulla ipsi merita humana propriè dicta conjungantur, & docent Adversarij in prima, quam vocant Iustificatione, quâ homo ex injusto fit justus non admisceri opera meritoria. Ergo & gratia in donatione beatitudinis ita operatur, vt humana merita nihil in eam rem conferant. 2. Patres nullam esse in nobis fidelibus dignitatem ad vitam æternam, Chrysost. ad Colos. homil. 2. Nullus sic se vitam instituisse probauit, vt dignius habeatur regno. Theoph. in Colos. 1. Nos nullo nostro, vel officio, vel virtutę cœlesti dignamur imperio, sed Dei munere quodcunque. 3. Patres eam instituunt oppositionem inter meritum & gratiam, donum & mercedem, vt doceant vitam æternam obtineri non fidelium meritis, sed diuina gratia, August. de lib. arbitr. cap. 7. non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua, & cap. 9. non pro meritis nostris Deus nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione producit Hieron. lib. 14. in Ezech. omnis homo plenam perfectionem & gratia, non ex merito possidet, &c.

Adversarii duplicem responsionem afferunt: Altera est Patres excludere merita quæ sunt homini à se: *sed non quæ sunt homini ex gratia*. Ita enim August. docere vitam æternam reddi operibus & tamen esse gratiam, quia data sunt ex gratia: Altera docere Patres vitam æternam non deberi meritis ex jure absolutè, sed præsuppositæ tamen gratia & promissione deberi ex jure, verùm quod ad prius attinet. 1. Patres excludunt merita fidelium quà fidelium, adeóq; etiam ea quæ dicuntur esse ex gratia. Ita Basil. in Psal. 114. manet sempiterna requies eos, *qui* legitimè cogitauerint, qualis sanè non alij sunt quam fideles non ob eorum merita, sed ex Dei misericordia. 2. Agnosco August. dicta, sed illis non aliud intellectum voluit, nisi operibus quæ sine fide & ante gratiam nulla ratione vitam æternam retribui, operibus verò retribui, quæ fiunt, ex gratia, sed non tanquam meritis, verùm tanquam donis. Quod ad posteriorem

steriorem responsionem ea sententiam nostram non euectit, sed confirmat potiùs: Nam si Deus vitam æternam non debet meritis, ex jure, absolutè. Ergo non faceret injuriam si homini post labores suos eam non daret. Itaque cùm donat non reddit pro merito laborum, sed ex mera gratia. At inquis, præsuppositâ gratiâ & promissione, vita debetur ex jure. *Resp.* deberi, sed ex jure gratioso promittentis, non ex vere hominis laborantis.

MVLTA tamen sunt quæ hic stabiliendæ meritorum humanorum in causa beatitudinis substructioni Aduersarij opponant. Ad quæ breui responsione opus est primò nomen ipsum meriti quærunt in Scriptura. Bell. nominatim loca producit ex Eccl.16.14.Heb.13.16. Potuit & alia proferre ex Gen.4.13. Deut.7.10.Ios.11.20. &c. Vbi nomen meriti apud vulgatum interpretem extat, tum addit occurrere quoque in scripturis dignitatis & mercedis nomen, quod meriti vocabulo æquipollet, sed hæc facilè diffluntur. Nam, 1. Non curamus, quomodo vertit vetus Interpres cujus versioni absolutè standum negamus, sed attendimus quid Heb.vel Græco scripturæ Codice contineatur: At ibi comparere vocem meriti falsissimum est. 2. Si veteri versioni adhæreamus, nullum ideò fiet causæ nostræ præjudicium, quippe cùm meriti nomen opus quodlibet designet, etiam in vulgata illa versione, quod siue debitam, siue indebitam mercedem consequitur. Ita enim Gen.4.13. Negat Cainus se meritorum veniam esse consequuturum: & Ios.11.20. Illi dicũtur non mereri clementiam quibus nulla sit misericordia. 3. Heb.13.16. Dicitur Deus promuneri passiua significatione, id est, Deo placari: Illud enim significat Græcum εὐαρεστεῖται, sicut videre est Rom.12.1.Heb.11.6. Nec refert quod hoc loco meminit Paulus hostiarum. Vnde concludere vult Bellar. Deum reconciliari hominibus per bona opera, adeóque opera esse meritoria: Nam certè hoc argumentum nihil est, vel inde inferetur, sicut hostiis expiabantur olim peccata, ita nos operibus bonis mereri posse remissionem peccatorum nostrorum, adeóq; primam gratiam quod ipsi Aduersarij docere non sustinent; Et verò cùm hostiarum nomen sit Metaphoricè hic acceptum: Quis inde concluserit, sicut hostiis olim propriè dictis Deus olim propitiabatur. Ita bonis operibus, quæ sunt hostiæ metaphoricè dictæ ipsum nobis meritoriè conciliari: Adde quòd hostiarum aliæ erant expiatoriæ, aliæ Eucharisticæ. Et hæ posteriores non ad propitiandum Deum, sed ad gratias ipsi agendas destinatæ fuerant: Atqui Apostolus de posterioribus istis loquitur, vt patet, ex eo quòd dixerat versu superiori, Offeramus sacrificium laudis. Porrò inauditum est hominem propriè mereri, quando pro beneficiis præstitis benefactori gratias agit. 4. Quod ad dignitatis & mercedis nomina attinet, statim videbimus ea voci meriti nequaquam æquipollere.

SED à nomine progreditur Bell. ad rem, & pro merito argumentatur. 1. Ex illis scripturæ locis, vbi vita æterna merces nominatur, Matt. 5.12. & 20.8. Si enim vita æterna merces opera quibus redditur, merita esse oportet. *Resp.* Mercedis nomen in scriptura ita esse generale, vt ad

præmium referatur, tum gratuitum, tum debitum, vt docet Apostolus, Rom.4.4. Vbi ait mercedem aliam imputari ex merito, aliam ex gratia, cui concinnit, illud Amb.lib.1.Epist.1. Alia est merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium & laboris remuneratio. Vita igitur æterna merces dicitur, sed indebita & gratuita, vnde Matth.20. quæ vocatur merces ℣.8. nominatur donum, ℣.14. Porrò vita æterna merces dicitur propter euentum & consequentiam, siue ordinem rei, quia scilicet sicut mercenarij nonnisi sub vesperam & cum opere suo defuncti consequuntur mercedem. Ita fideles nonnisi post finem vitæ, consummato cursu, & emenso stadio vita æterna donantur. Denique vt noris in hac mercede nullam esse fundandam meriti rationem eadem scriptura, quæ vitam mercedis nomine donat, hæreditatis eam & sortis vocabulo insignit, & docet fideles non mercenarios esse, sed filios. Illi autem hæreditatem adeunt æternam, non meriti jure, sed filiationis priuilegio.

Secvndò Argumentum nectit ex iis scripturæ locis, vbi docetur præmium cœleste dandum hominibus secundùm opera ipsorum, Ps.62. 11. Matth.16.27. Rom.2.6. 1.Cor.3.8. Gal.6.7. Apoc.22.12. Hinc enim colligit in præmio illo conferendo rationem haberi, non promissionis solius, sed etiam dignitatis & efficaciæ ipsorum operum, præcipuè cùm præmium non modò dari, sed etiam reddi & retribui dicatur. *Resp.*

1. Vocabulum reddendi, siue retribuendi accipi sæpius in scriptura pro simplici verbo dandi, siue largiendi. Itaque quod Matth.20.8. dicitur Paterfamilias ἀποδοῦναι, siue reddere, id versu sequenti explicatur per δοῦναι, siue dare. Et notauit Basil. hom. in Ps.7. Morem esse scripturæ vt retributionis nomen non modò in præmium aliquod boni & mali accipiat, sed etiam in ipso actionum principio vsurpet. 2. Quamuis particula illa, *secundùm*, vel *iuxta*, rationem meriti sæpius denotet, putà cùm dicitur Deus redditurus impijs secundùm iniquitatem ipsorum, quia videlicet mala opera per se pœnis æternis digna sunt, & qui talia patrant digni sunt morte, vt ait Apostolus, Rom.1. Sæpius tamen est cum voculis illis, non causalitas, sed formalitas tantùm, & conuenientia designatur. Reddet Deus vnicuique secundùm opera, id est, comformiter & conuenienter, operibus, vt sit bonis bene, sic malis malè. Ita Pinellus Greg. in Ps.7. pœnit. Si secundùm opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur, sed aliud est secundùm opera reddere, aliud propter ipsa opera reddere in eo quod cùm secundùm opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, vt cujus apparuerint, bona ejus sit & glorioſa retributio. 3. Etsi nulla est inter opera & beatitudinem proportio pretij atque dignitatis, nec opus mercedi per veram & absolutam æqualitatem respondeat, est tamen quædam ordinis proportio siue analogica conuenientia laboris & præmij, quatenus plus operanti, plus dabitur: Deus enim pro mensura gratiæ distributurus est excellentiam gloriæ, quoad beatitudinem accidentalem attinet: Nam essentiale præmium in omnibus par erit, quatenus ij ad Dei visionem & fruitionem admittentur: Operariis enim, siue mane, siue meridie, siue vespere accesserint ad vineam, eo-

dem

donantur denario, Matth.20. Itaque cùm docet Scriptura vnumquemque recepturum præmia juxta laborem ſuum referendum illud ad proportionem ordinis, non dignitatis.

TERTIÒ Arguit ex iis locis, quæ vitam æternam reddi bonis operibus, ita teſtantur, vt ipſam rationem, cur detur vita æterna, in bonis operibus ponant, Matth.25.34. Poſſidete regnum, quia eſuriui, &c. Apoc.7.14. Venerunt ex magna tribulatione, &c. Ideò ſunt ante thronum Dei, vbi particulæ, *quia, ideò*, ſunt ſine dubio cauſales. *Reſp.* 1. eſſe quidem ibi particulas cauſales, ſed non quòd contineant, cauſam rei, vel conſequentis, verùm quia continent cauſam concluſionis, & conſequentiæ, quia legitimè concluditur à poſitione effectus, ad poſitionem cauſæ. Locis igitur allatis denotatur cauſa conſequentiæ non conſequentis, id eſt, denotatur opera bona non eſſe quidem cauſas ipſas, vitæ, ſed eſſe tamen ſigna, media, & conditiones, ex quibus certò pateat vitam æternam nobis eſſe præparatam: Atque hic facilè confirmari poteſt: Nam, 1. Veram vitæ æternæ cauſam ſatis oſtendit Chriſtus, Matth.25. Cùm eos qui in vitam introducuntur vocat benedictos Patris, id eſt, benedictos & electos à Patre ad vitam. Atque ita ſignificat ſolam Dei benedictionem, ſiue gratiam electionis eſſe veram & propriam cauſam vitæ. 2. Quia vitam æternam vocat ibidem κληρονομίαν: At hæreditas non propter merita datur, ſed propter jus filiationis. 3. Quia vitam paratam dicit fidelibus ab origine mundi, adeoque antequam fideles aliquid boni, vel mali feciſſent, non autem propter ipſorum aliqua merita. 4. Quia Chriſtus, Matth.25.21. Dicit eum, qui in pauca fidelis fuit, ſuper multa conſtituendum eſſe. Quomodo autem quæ pauca ſunt & leuia poſſint ex æqualitatis juſtitia exactaque proportione illa mereri, quæ multa ſunt, & ineffabilia. 5. Quia Apoc.7.14.15. Dicuntur ſancti eſſe ante thronum Dei, ſed ideò præcipuè quia lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſignificetur effuſionem ſanguinis Chriſti eſſe cauſam ſalutis noſtræ verè meritoriam.

QVARTÒ ea loca profert, quæ docent Deum redditurum præmia bonis operibus ex pactione & ordine juſtitiæ, 2.Theſſ.1.4. Iuſtum eſt apud Deum, vt reddatur afflictis requies, 2.Tim.4.8.Heb.6.10. *Reſp.* non eſſe ignotam Scholaſticis diſtinctionem juſtitiæ, vt dicatur alia eſſe reſpectu exigentiæ meritorum, alia reſpectu complementi promiſſorum, vt docet Alenſis parte prima, quæſt.39. memb.3.art.1. Prior etiam dicitur juſtitia æqualitatis quæ nimirum reſpicit & exactè attendit laborem partium & indignitatem operis. Poſterior vocatur etiam juſtitia fidelitatis, quæ veritatem ſpectat diuinæ promiſſionis, & pactum, quod Deus nobiſcum gratiosè inire dignatus eſt. Bonis ergo noſtris operibus Deus præmia reddit ex juſtitia fidelitatis, quia fidelis & verax eſt in præſtandis promiſſionibus ſuis, quid conficiunt laudata à Bellar. teſtimonia, ſed non ex juſtitia æqualitatis ita vt attendat meritum operis, & illud exactè compenſet præmiis cœleſtibus tanquam ex juſtitiæ rigore debitis, agnouit inter alios celebris Scholaſticus Durand.in 2.diſt.27. quæſt. ſecunda.

Si, inquit, meritum propriè & strictè accipiatur, prout est actio voluntaria, propter quam alicui merces ita debetur ex justitia, vt si non reddatur, ille ad quem pertinet injustè faciat, & sit simpliciter ac propriè injustus. Nullum est ejusmodi meritum hominis ad Deum, atque hoc variè probat, quod redditur potiùs ex liberalitate donantis, quàm ex debito operis, non cadit sub meritum de condigno strictè, ac propriè acceptum: At quidquid à Deo accipimus, sive sit gratia, sive sit gloria, sive bonum temporale, sive spirituale (præcedente in nobis præter hoc quocunque bono opere) potiùs & principaliùs accipimus ex liberalitate Dei, quòd reddatur ex debito. 2. Quia nullus potest Deo reddere æquialens in his, quæ sunt ad Deum & ad parentes, impossibile est reddere æquialens, sicut etiam agnouit Aristoteles ipse lib.8. Ethicor. Ergo multò minus potest Deus ex quocunque opere fieri nobis propriè debitor. 3. Quia omnia quæ habemus sunt gratuita dona Dei: Atqui ex dono gratuito nullus obligatur ad dandum ampliùs, sed potiùs ille, qui recipit, est obligatus. Ergo ex bonis habentibus, & ex bonis actibus, sive vsibus nobis à Deo datis, Deus non obligatur nobis ex aliquo debito justitiæ, ad aliquid amplius dandum, ita vt si non dederit sit injustus. Oppositum autem hujus sententiæ tenere, dicit esse temerarium & blasphemum concludit, sit homini decedenti in gratia Deus non daret gloriam, nihil injustum faceret, & si habenti gloriam auferret eam, non esset injustus. Denique inter Deum & hominem non potest esse justum simpliciter, sicut nec æquale sed solùm justum secundùm quid, scilicet donatiuum, quia totum bonum, quod est hominis, est Dei & à Deo, & multò ampliùs quód actiones serui sunt sui Domini in humanis, ideóque meritum hominis apud Deum non potest esse meritum simpliciter de condigno, sed solùm secundùm præsuppositionem diuinæ ordinationis.

Qvintò ea loca profert, quibus vita æterna promittitur, bonis operibus, 1.Timoth.4.8. Iac.1.12. promissio enim facta *cum conditione* operis non solùm facit rem promissam debitam, quatenus justum est, qui promisit, stet promissis suis, sed etiam facit, vt qui opus impleuerit, meruisse dicatur rem promissam eamque vt mercedem jure suo exigere possit. *Resp.* 1. Promissio facit rem promissam debitam, non ex condignitate operis, sed ex fidelitate promittentis. August.in Ps.32.& 109. Dominus se nobis fecit debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia promittendo. Ita si Pater filio centum aureos promittit, dummodo ad scholam accedat, non ideò putabitur accedens eò filius, ex merito actionis suæ aureos illos obtinere. 2. Promissio facta sub conditione operis perfectè implendi & indebiti, & ad præmium justam proportionem habentis facit, vt operans præstita conditione præmium mereatur, sed hîc secus habent res nostræ: Nam neque quòd à nobis Deus exigit, perfectè explemus, neque aliquid facimus quod præstare non teneantur, nec æqualitatem habent opera nostra ad cœleste præmium, vt supra demonstrauimus. Denique agnoscit Durandus, vbi

supra,

supra, ex promissione Dei nihil inferri posse pro merito operis, promissio diuina, inquit, in Scripturis Sanctis non sonat aliquam obligationem, sed insinuat meram liberalitatis diuinæ dispositionem. Item quod redditur, non ex debito operis præcedentis, sed ex promissione præcedente, non redditur ex merito operis de condigno, sed solùm vel principaliter ex promisso.

Sextò producuntur loca in quibus fit mentio dignitatis, Luc.20. 35. digni habebuntur sæculo illo, 2.Thessal.1.8. digni Dei regno, Apoc. 3.4. ambulabunt in stolis albis, quia digni sunt. Esse autem dignum præmio, & mereri præmium idem est. *Resp.* 1. docere Aduersarios ipsos dignitatis nomen non necessariò includere significationem meriti propriè dicti; Valent. in tertiam Thom. quæst.2.pag.813. *Resp.* dignam, neque obstat. Latiùs patet hoc quod est personam aliquam esse dono quopiam dignam, quàm hoc quod est mereri eam ex condigno, id est, dono: Etenim vt persona sit digna aliquo dono satis est, vt conueniens sit eam tali dono affici, Damasc. in 3.quæst. cap.9. Dignitas non simpliciter includit meritum condignum ex Iustitia. Nam & vulgò dicimus vestem rege dignam, nec tamen condignum meritum hic intelligimus, quasi Rex teneatur ex justitia hanc vestem gerere, aut in isto palatio habitare; dicimus quoque pulchritudinem & faciem dignam imperio, quibus verbis denotamus solùm aptitudinem, aut conuenientiam ad imperium gubernandum. Falsum ergo quod tanquam certissimum assumit Bellarm. & à cujus probatione abstinet, nempe idem esse mereri propriè præmium, & dignum esse præmio. 2. Dignitas alia est personæ, alia operis. Scriptura dignitatem in personis fidelium agnoscit, neque vsquam vocat opera digna cœlesti præmio. Dicuntur autem fideles digni non in seipsis, sed in Christo dignitas alia est propria, quæ fundatur in operibus ipsius hominis, altera, quæ ab alterius dignatione, id est, acceptatione dependet. Fideles ergo digni dicuntur, non dignitate propria, sed diuina dignatione, de qua Bern. dignatio locum non habet, vbi fuerit præsumptio dignitatis. 3. Dignitas alia est perfectionis, & meriti, qualem inesse operibus nostris Scriptura nulla docet, sed tota potiùs Scriptura exertè negat; alia est aptitudinis, conuenientiæ, condescentiæ; secundùm quàm fideles dicuntur digni regno cœlorum, id est, apti ad regnum illud consequendum, cùm fide præditi sint, & vera sanctitate, sine qua nemo videbit Deum. Neque verò rarum est in Scripturis vocabulum hac significatione: Ita enim Matth.3.8. dicuntur fructus digni pœnitentia, id est, pœnitentiæ conuenientes vel apti ad ostendendam veram pœnitentiam, Matth.10.11. interrogate, quis in ea domo dignus sit, id est, idoneus & paratus ad nos recipiendos, 1.Cor.16.4. Proficiscar, si dignum fuerit, id est, conueniens.

Septimò ex iis locis argumentum nectit, quibus docetur Deum non esse acceptorem personarum, Actor.10.34. Rom.2.11. Gal.2.6. Est autem personarum acceptio vitium contrarium justitiæ distributiuæ, cùm scilicet judex dat præmium sine meritis aut maius præmium mino-

ribus meritis,& contrà. Deus ergo in præmiorum retributione merita hominum considerat. *Resp.* acceptionem personarum non habere locum in gratuitis, sicut non tantùm Scholastici fatentur, sed etiam illo Christi dicto confirmatur, Matth.20. Annon licèt mihi facere de meo quod volo. Est autem æterna vita gratuitum Dei donum, Rom.6.23. Itaque non potest dici Deus acceptor personarum in æternæ vitæ donatione. 2. Bellarm. perperam describit acceptorem personarum, eum esse qui dat præmium sine meritis, vel qui dat majora præmia minoribus operibus. Nam si res ita habet, quomodo non erit Deus acceptor personarum,qui minùs laborantibus in vinea, vel per horulam laborantibus eandem soluit mercedem, quàm iis qui pondus,& æstum solis ferentes per totum diem operati fuerant, Matth.20. Dicamus igitur potiùs acceptionem personarum esse actionem judicis æqualibus inæqualia tribuentis propter externas conditiones aliquas nihil ad causam pertinentes, vt cùm ex duobus reis, alterum punit, quia inimicus, alterum absoluit,quia amicus,aut diues. Absit autem ejusmodi dicamus in Deum cadere.

Vltimò multa cumulat Patrum testimonia, quæ non est opus hîc sigillatim proponi,quia non est etiam ingentis negotij satisfacere. Obseruentur ergo sequentia. 1. Frustrà citantur ea loca,in quibus patres de beatitudine loquuntur tanquam de præmio, corona, mercede fidelium operibus olim tribuenda, & in quibus testantur vnicuique redditurum iri secundùm opera, laborem & certamen, quòd in hac vita certauerint. Nihil inde certè concluditur pro meritis strictè propriéque dictis, jam ante docui, nec repeto. 2. Patres dignitatis & meriti nomen vsurpare soliti sunt,vbi tamen nulla est planè veri meriti ratio. Ita Ambr.lib.10.in Luc.de aqua baptismi. O aqua quæ Sacramentum Christi esse meruisti. Et notum est illud Greg. O fœlix culpa quæ tantùm meruisti habere Redemptorem. Sic Bern. extremo lib.de gratia & lib. arb. cùm dixisset de voluntate pendere omne meritum, explicat tamen statim, si propriè appelletur.*Id quod meritum dicitur,esse tantùm viam* regni, non causam regnandi, id est, non esse merita. 3. Solent Patres appellare priorem gratiam, meritum posterioris, & posteriorem præmium prioris, non propter aliquam rationem veri meriti, sed propter ordinem illum quem Deus instituit,& quo voluit,vt gratiæ sese consequerentur, sibique inuicem succederent, sicut exponit Radulphus Domi.18. post Trinit. Quoniam,inquit,per vnam gratiam peruenimus ad illam merita dicuntur,sed impropriè. 4. Ne meriti,aut dignitatis nomine absolutam aliquam æqualitatem operis ad præmium intelligamus, Patres non rarò meriti nomen per nomen dignationis exponunt, quòd Græco ἀξιοῦσθαι respondet, & significat dignum reputari per reputantis gratiam. Fulgent.lib.de Incarn.& Gratia,cap.7. Virgo Christum parit, non humanis meritis, sed Dei dignatione, vt dignationem opponit meritis, & tamen componit cum voce promerendi, quia componendo sumit catachrestice, opponendo verò propriè. 5. Mereri apud Patres

idem

idem est, quod obtinere, consequi, impetrare, quod Gr. est τυγχάνειν, vel ὀπιτυγχάνειν. Itaque quòd dixit Euseb. lib.6. hist. Ecclesiast. cap.43. ἐκ αὐτῶν ἁγίου πνεύματος ἐτύχη. Ruffinus reddit, nec potuit vnquam Spiritum sanctum promereri. Sic Ambros. in Lucam, Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur, id est, obtinent: & Hieron. lib.2. adversus Pelagium, qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam. Ergo vbi Patres merita æternæ vitæ dicunt opera, intelligunt quæ de facto vitam æternam consequuntur, quantumuis indebita illa sint, & merè gratuitum Dei donum, & hoc est quod notauit Cassander notis ad hymnos Ecclesiasticos: & Bellarminus illud agnouit, cùm ait lib.1. de gratia & lib.arb. cap.14. Solet August. meritum appellare quemlibet actum bonum, ratione cujus aliquid aliud accipimus. Ex his omnibus facilè possunt explicari pleraque veterum Patrum de bonorum operum meritis dicta.

Interea non est hoc silentio prætereundum Patres aliquando de bonis hominum operibus & meritis duriùs loqui, ita vt eorum dicta interpretatione benigna molliri opus sit, cùm alioqui, nec Script. Sacris, nec ipsi adeò Pontificiorum sententiæ congruant, qualia sunt ista Hilar. can.20. in Matth. de nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio. Cùm contrà doceat Apostolus, nos ex nobis, tanquam ex nobis nihil boni, ne cogitare quidem posse, 2. Corinth.3.5. Et Pontificij agnoscant merita hominum non ex proprio, siue ex ipsis hominibus, sed ex Dei gratia. Gregor. Nazian. oratione in dictum Euang. Illi quoque his verbis, & quibus datum est hoc adjungit qui sunt digni, vt tales sint, & qui non modò à Patre receperunt, sed esse sibi ipsis contulerunt. Certè vix duriùs loquatur ipse Pelagius: Quam verò procul ab eo est quod docetur Col.1.22. Deum esse qui nos dignos & idoneos facit. Existimemus ergo ea dicta fuisse demegoricè & declamatoriè, vt efficaciùs promouerentur homines ad studia bonorum operum, neque ita accipienda rigidè, vt sonant, sed explicanda quàm fieri potest, ex aliis Patrum dictis, quæ pendere totum nostræ salutis opus ex Dei gratia docent, nempe quæ de operibus nostris dixerunt, intelligenda sunt, non tam de operibus in se consideratis, quàm in causa sua spectatis, id est, in gratia Dei fidelibus inhabitante, & in ipsis bona opera efficiente ferè ad eundem modum, quo cœlum sæpius accipitur pro Deo habitante in cœlis, quo sensu Matth.21.22. dicitur Iohannis baptisma non ex hominibus sed ex cœlo, id est, à Deo cœlorum conditore & habitatore. Atque hactenus de officio Christi Mediatorio dictum est.

CAPVT VI.

De triplici Christi officio. Ac primùm de Prophetico.

DE OFFICIIS Christi diximus in genere; Nunc ad specialiora nobis est transitus: Nam ad multiplex officium respicere vnctionem illam spiritualem, quâ designatus & consecratus est Christus à Patre cœlesti Mediator & Redemptor noster, & vnde Messiæ Christique nomen obtinuit, vt antea dictum faciunt scripturæ testatissimum. Ex quibus hoc eruimus.

THEOREMA primum, *Christus officio triplici Prophetico, Sacerdotali, & Regio à Patre donatus est.* Scio nonnullos esse, qui totum officium Christi Mediatorium ad duo capita reducant; Pontificatum, & principatum. siue munus Sacerdotale, & regium: verùm illi non propterea prophetiam, vel pastoralem curam à Christo abjudicare putandi sunt, sed existimandi potiùs eam inter Sacerdotij partes referre, quatenus scilicet inter Sacerdotalia munia non postremum fuit olim doctrinæ prædicatio, siue cura instituendi in diuina veritate populi. Interim cùm Scriptura à Prophetis satis manifesto discrimine secernat, & Sacerdotes vocet, qui mediata & ordinaria vocatione instructi legem docebant Moralem, Iudicialem, Ceremonialem, & sacrificia offerebant, eorumque rationem & significationem declarabant. Prophetas verò qui extra ordinem missi, & ex tribu qualibet à Deo assumpti, tum collapsum Dei cultum instaurabant, tum ventura prædicebant, tum nominatim populi fidem ad Christum in carne olim exhibendum erigebant: Haud immeritò facimus, qui cum omnibus fermè Theologis Propheticum Christi officium à Sacerdotali distinguimus. Triplex igitur Christi officium esse. 1. Scriptura manifestè docet, ac nominatim, 1.Cor.1.30. Vbi dicitur Christus factus à Deo nobis sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio: Quanquam enim ibi quatuor enumerantur distinctè, quartum tamen illud nimirum redemptio non subjicitur, tanquam aliquid à tribus aliis reipsa diuersum, sed tanquam illud quod tria superiora sinu suo & latitudine concludit. Hoc vt clariùs euadat obseruare opus est Apostoli morem, qui frequentissimè species enumerare non contentus genus memorat etiam, atque adjungit. Ad quod referuntur illæ species, ac sæpius quidem in enumerationibus suis genus speciebus præponit, vt videre est, Rom.1.28. 29.30. Vbi prius genus memorat nempe, μὴ καθήκοντα, quod non conuenit, i.e. peccatum, quod est ἀνομία siue discordia cum lege: Deinde varias subjicit species peccati, 1.Cor.6.9.10. primò Injustos generali appellatione vocat, tum ad species injustorum accedit, & postea ℣.11. Vbi ablutionem à peccatis præmisit, subjungit tantùm duas species, justificationem, & san-

& sanctificationem; quarum vna maculam, & sordes: altera reatum & culpam peccati delet & abluit. Sic Gal.5.19.20.21. Opera carnis manifesta esse docet, mox ea diuidit in varias species: Aliquando verò species prius nominat, mox eas ad vnum genus quoddam reuocat. Sic, Phil.4.8. Vbi varia exposuit, quibus quærendis nos diligenter incumbere oportet, omnia refert ad vnum caput nempe virtutem, siue laudem. Ita & hoc loco tres illas species, sapientiam, justitiam, sanctificationem, vbi dixit, colligit eas in vnum genus, quod Redemptionem vocat. Non est ita latum Redemptionis vocabulum, vt non ad ea modò pertineat, quæ perfecit Christus, dum in terris ageret, sed illa comprehendat, quæ ad cœlestem gloriam euectus, operatur, vnde dicitur appropinquare Redemptio nostra, Luc.21.22. & nos expectare Redemptionem corporis nostri. Ergo alia est Redemptio ab errore, ea fit per Christum quatenus est sapientia, alia à peccatorum reatu, quæ nos obnoxios faciebant pœnis æternis ab eo redimimur, per Christum, quatenus est justitia nostra: Alia à sordibus peccati, quæ vbi plenè sunt expurgatæ, sequitur liberatio à quacunque miseria. Ea redemptio fit per Christum, quatenus est sanctificatio nostra imperfectiori quadam ratione, dum hîc viuimus, sed perfectissimo modo in futura vita. Itaque Christus factus, id est, constitutus & ordinatus est nobis à Deo sapientia per munus Propheticum, justitia per Sacerdotalem functionem, & sanctificatio per officium regium. 1. Sapientia, id est, verè cœlestis ac salutaris sapientiæ doctor ac magister ea omnia nobis reuelans, quæ audiuit à Patre, Ioh.15.15. id est, totum Dei consilium de salutis nostræ negotio & ratione plenè declarans, siue totum illud quod verè nos potest ad salutem erudire, tum in scriptura proponens, 2.Tim.3.15. Tum animis nostris per spiritum patefaciens, 1.Cor.2.10. Qui propterea dicitur Spiritus sapientiæ & reuelationis, Es.11.2.Eph.1.17. 2. Iustitia, id est, verè illius Iustitiæ largitor, quæ coram diuino tribunali subsistere vnà valeat. Iustitiæ siquidem suæ gratuita sua imputatione nos justificat, Rom.4.6. & peccata nobis remittit in sanguine suo, Col.1.14. Adeoque Patrem cœlestem placat nobis & propitium reddit, quod sanè morte sua, id est, præcipua Sacerdotij functione effectum reddit, Rom.3.24. Vnde dicitur factus in cruce peccatum pro nobis, id est, victima pro peccato, vt fiamus Iustitia Dei in ipso, 2.Cor.5.21. 3. Sanctificatio veræ, internæ, & spiritualis illius sanctitatis author, quæ cordibus potenter infixa per Spiritum Christi externis actibus Dei gloriam & proximorum ædificationem sese profert & exerit: Est enim Rex noster spiritualis, qui nos in nouam vitam reformando, hic quidem ex immunditiis carnis sensim purificat, olim verò in cœlestem gloriam transferendo, & ab omni sorde redempturus est, vt sit plena nobis & omnibus numeris ac partibus absoluta redemptio. Ita Apostolus triplex Domini officium non obiter insinuando tangit, sed velut ex professo exponit.

Secvndò idem confirmatur ex eo quod, cùm lex data fuerit per Mosem, veritatem opotuerit exhiberi per Christum, Ioh.1.17. Qui pro-

terea dicitur corpus vmbrarum, quæ præcesserant in Veteri Testamento, Col.2.17. Et verò cùm nusquam extra Christum fuerit, aut esse possit salus, Act.4.12. Et eadem Christi gratia, tum Veteres sub lege, tum nos sub Euangelio seruemur, Act.15.11. Neque sine cognitione Dei in Christo quisquam æternam vitam obtinere possit, Ioh.17.3. Oportuit sanè sub V.Test. præcessisse aliquas vmbras, in quibus & ex quibus tantam Christi cognitionem haurirent fideles, quantam ipsis opus fuit ad salutem. Cur igitur in eo sit cognitionis illius caput, quod apud Deum Mediatorem habeamus voluntariè pro nobis occumbentem, 1.Tim.2.5, 6. 1.Ioh.2.1.2. Debuit aliquid esse in Veteri Testamento, quod Mediatorium Christi officium repræsentaret. Fuit igitur creberrimus vnctionis vsus, quâ spiritualis Christi vnctio designaretur, Ps.45.8. Enimuero ne jam rerum, quarum in Sacris erat vsus, vnctionem commemoremus, triplex genus personarum erat, quod sacra vnctione consecrari soleret. Nam sicut nihil erat apud populum Dei eminentius Regibus quoad politica, Sacerdotibus, quoad ordinarium Ecclesiæ regimen, & Prophetis in extraordinaria cultus sacri instauratione, aut Ecclesiæ institutione, ita voluit. Deus à reliquis hominum conditionibus & ordinibus eos distingui per sacram olei vnctionem, vt quos ipse singulari ritu eos ordinabat, & sanctificabat, totus populus in singulari cultu atque reuerentia prosequeretur, ac Reges quidem vnctione ad regium munus consecratos patet, tum aliorum Regum exemplo, tum nominatim Dauidis & Salomonis, 1.Reg.1.34. Quos etiam fuisse eximios Christi typos indubium est, Dauidem quidem, Ps.2.& 22. Vbi quæ de ipso dicuntur, ad Christum, tanquam ad τὸ τυπούμενον pertinere patet ex Apoc.2.27. & 19.15. Heb.1.5. & 5.5. Salomon verò, quia quæ de ipso dicta sunt, 2.Sam.7.14. Ea ad Christum spectant, Heb.1.5. & totus Cant.liber sub figura conjugij Salomonis, Christi spirituale conjugium cum Ecclesia repræsentat: Deinde olei vnctione solitos Sacerdotes consecrari patet, Exod.29.7. & 30.30. Leuit.8.12.Ps.133.2. 3. Ad Prophetici muneris conjunctionem vocatos eadem vnctione Prophetas Scriptura docet exemplo memorabili in Elizæo, quem ex Dei mandato vnxit Elias, 1.Reg.19.16. Qua de re supra monuimus, cùm de Christi nomine ageretur. Cùm ergo antiquæ illius vnctionis veritatem in Christo quærere debeamus, quemadmodum Reges, Sacerdotes & Prophetæ externis vnctionibus ad munus suum instituti sunt. Ita Christum qui à Deo vnctum esse oportuit, & Sacerdotem esse, & Prophetam, & Regem, vt vnctio illius spiritualis in omnibus externæ illi vnctioni respondeat, nec in aliquo deficiat eorum veritas, quæ in typis, & vmbris fuerunt exhibita.

TERTIÒ numerum istorum officiorum ostendit naturalis hominũ corruptorum conditio, & miseria à qua Christus nos liberaturus venit: Quanquam enim innumeris miseriis expositum est genus humanum, reducuntur tamen omnes ad tria capita siue gradus; primus est ignorantia illa crassa rerum spiritualium, quâ ita laborat intellectus noster, vt spiritualia, neque dijudicare, neque cognoscere ex se valeat, 1.Cor.2.14. Vnde

vocamur

vocamur etiam tenebræ, Eph.5.8. & dicimur naturaliter ambulare in tenebris & conſedere in terra vmbræ lethalis, Eſ.9.2. Alter eſt alienatio à Deo, de qua Pſ.58.4.Eſ.1.4. & 59.2. Ita nos docet Paulus ab alienatos eſſe à Repub. Iſraelis, & extraneos à pactis promiſſionum, & procul a Chriſto remotos, Eph.2.12.13. Tertius eſt impotentia redeundi ad Deum: Ad eum enim nemo venire poteſt, niſi tractus, Ioh.6.44. Et verò quomodo rediret, qui neque viam nouit, quâ itur ad Deum cùm miſerrima laboret, ignorantia, & mortuus ſit in peccatis, ac præputio carnis ſuæ, Coloſ.2.13. Cùm igitur venerit Chriſtus vt ſeruaret quod perierat, Matth.18.11. Oportuit, vt triplici officio triplici miſeriæ medelam afferret, id eſt, ignorantiam pelleret, per veri luminis illuſtrationem, in quo Propheticum munus conſiſtit, alienatos in Dei gratiam reſtitueret, quæ ſunt Sacerdotis partes, & impotentibus vires inſtauraret, quibus per viam juſtitiæ pergere poſſent ad Deum, quod regiæ partis beneficium eſt. Ergo Mediator noſter ex miſerrimo ſtatu in beatam gloriam nos tranſlaturus docet ignorantes, quia Propheta, Matth.23.10. alienos appropinquare facit per ſanguinem, quia Sacerdos, Eph.2.13. Infirmis ad progrediendum vires ſufficit, eoſque deducit in via mandatorum & ſalutis, quia Rex & ductor nunquam fallens, Pſal.23.3.4. & 139.24.Apoc.7.17.

Denique idem numerus ſtabilitur ex ratione ſalutis noſtræ, cujus conferendæ cauſa Chriſtus hoc officium Mediatorium ſuſcepit: Ad ſalutem enim tribus gradibus perducimur primum oportet eam nobis explicari & oſtendi, quænam ſit illa ſalus in cujus fruitione vera fœlicitas noſtra conſiſtit, cùm id ex nobis ipſis ſcire nequeamus, verùm explicari non eſt ſatis quantumuis eam perfectè nouiſſemus, nunquam tamen viribus noſtris valeremus conſequi, adeóque oportuit eam nobis aliunde comparari & acquiri, ſed ne hoc quidem ſufficit: Parum enim nobis prodeſſet eſſe comparatam & impetratam ab alio ſalutem, niſi in eam intromitteremur, & ejus applicatione realique poſſeſſione frueremur. Ergo cùm Ieſus Chriſtus ſit ſaluator noſter qui ſeruare poſſet perfectè eos omnes qui per ipſum accedunt ad Deum, Heb.7.25. Oportuit Chriſtum & de ſalute nos inſtituere, & ſalutem nobis acquirere, & acquiſitam nobis applicare, primum facit quà Propheta per doctrinam ſuam, alterum qua Sacerdos per ſanguinem ſuum, poſtremum, quà Rex per Spiritum ſuum.

Christvs officia hæc ſua dum in terris ageret eo ordine exequutus eſt, vt primùm in hominibus docendis ſeriam operam nauauerit, diuinam ipſis voluntatem & veritatem declarando: Nam ſtatim poſt illam Diaboli tentationem, quam glorioſè ſuperauit, dicitur reuerſus cum virtute Spiritus in Galilæam, & docuiſſe in Synagogis eorum, & aperto Eſaiæ libro illud ſibi applicuiſſe, quod de Euangelij prædicatione extat, Eſ.61.1.2.3. Luc.4.14.15. &c. Vbi per tres annos & quod excurrit regni cœleſti myſteriis enarrandis incubuiſſet, doctrinæque veritatem variis miraculis feciſſet teſtatiſſimam, obtulit ſe in cruce pro peccatis noſtris victimam. 3. Hac morte defunctus reſurrexit, & in gloriam ſuam re-

gnumque suum cœleste ingressus est. Ita primum sese Prophetam demonstrauit, tum Sacerdotem, & denique Regem. Par est igitur, vt quem Christus in exequendis muneribus ordinem demonstrauit, eundem nos in enarrando sequamur.

Primùm sese offert officium Propheticum, quo scilicet totam nobis doctrinam salutis perfectè reuelauit, ejus tum necessitatem, tum rationem nos expendamus. At necessitas, quidem tanta est, quanta reuelationis ipsius: Cùm enim in eo consistat Christi Prophetia, vt nobis reuelet mysteria regni cœlorum, sicut illa nullus potest, vel capere, vel cogitare absque reuelatione: Ita Ioh.10.18. Hæc certè indiuiduo nexu cohærent, salus, cognitio, doctrina, reuelatio, & Prophetia Christi: Ad salutem enim Deus nos elegit ante iacta mundi fundamenta, Eph.1.4. 2. Thess.2.13. Ad finem hunc citra cognitionem Dei in Christo nemo potest vnquam pertingere, Ioh.17.3. Cognitionem illam non assequimur, nisi ab aliquo doceamur; Neque enim credere possumus, nisi audierimus, neque audire absque prædicante Doctrina & ejus prædicatio præcedaneam aliquam reuelationem supponit, cùm tanta sint ejus mysteria, vt captum omnem rationis supperent, Matth.16.17. 1.Cor.2.14. Sicut ergo ad ea capienda, quæ sunt intra limites & Sphæram naturæ lumen rationis in naturæ schola sufficit, ita vt supra naturam in schola gratiæ versamur, superiori aliquo lumine opus est, lumine putà reuelationis, de quo verè dicere possumus cum Apostolo lumen esse quod nobis facit omnia manifesta, Eph.5.13. Et verò cùm lumen animi nihil aliud sit, quàm qualitas spiritualis facultati γνωστικὴ insidens ad propositi objecti veritatem intellectui manifestandam. Inter lumina præcipuum locum meritò assignamus reuelationi, quippe quæ nihil aliud sit, quàm rerum ad gratiam & salutem facta diuinitus declaratio; facta, inquam, tum exteriùs per varia olim media, & vltimò per scripturam ex scrip. sonantem in auribus prædicationem, tum interiùs per lucem spiritualem in cordibus à Spiritu sancto accensam, vnde fideles θεοδίδακτοι dicuntur, 1.Thess.4.9. Hinc nata distinctio reuelationis in interiorem & exteriorem, & tamen sicut ad visionem corpoream tria sunt necessaria objectum, lumen externum in aere, & lumen in oculo internum: Sic ad cœlestis veritatis cognitionem tria concurrunt objectum, qui Deus est, & res diuinæ, lumen externum siue medium quod objectum illud ad intellectum nostrum deferat, ea Scriptura est ex prædicatione Euangelij, vnde Scriptura vocatur lux, & fax pedibus nostris, Ps.119.105. Et lumen internum in mente, quod ipsam eleuet & ipsam idoneam præstet ad receptionem objecti per Scripturam propositi. Denique reuelatio ejusmodi non fit nisi per Christum & Spiritum Christi, qui vt Scripturæ author est, 2.Tim.3.16. Ita & mentes nostras aperit ad intelligentiam scripturarum, Luc.24.45. Act. 16.14.

Porrò cùm reuelationem dicimus, non restringimus vocabulum ad rerum futurarum, patefactionem, quo sensu dicimus Deum futura Prophetis suis reuelasse. Et vltimus N.T. liber vocatur Reuelatio, Apoc.

quia

quia in eo multa Iohanni sunt reuelata de futuro Ecclesiæ statu. Sed nomen vsurpamus, ad denotandum in genere mysteriorum cœlestis doctrinæ manifestationem: Ita Christum Prophetico defunctum munere diximus, non est Prophetiæ nomen ad rerum futurarum prædictionem limitandum, quasi ea tantùm ratione Propheta vocaretur, quòd futura cognoscat, & patefacere possit, sed vlteriùs extendendum est ad cognitionem & declarationem mysteriorum omnium, quæ nos naturaliter latent.

PROPHETÆ vocabulum in vsu Scripturæ latè patet: Nam aliàs abusiuè sumitur, aliàs propria magis significatione. Abusiuè quidem, 1. De falsis Prophetis & mendacij doctoribus, Ierem.5.13.31. Et ita dicuntur Baali Sacerdotes prophetasse symphatos, scilicet agendo & clamando, & Baalem suum frustrà inuocantes, 1.Reg.18.29. 2. De magistris & vatibus Ethnicorum, quomodo Epimenides dicitur Propheta Cretensium, Tit.1.12. Quò referendum, quòd ait Festus Pompeius Prophetas vocatos oraculorum Interpretes. 3. De iis, qui è mota turbataque mente absurda quædam & incondita desipiendo effutiunt, quomodo 1.Sam.18.9. dicitur Saul irruente in ipsum spiritu malo prophetasse in medio domus, id est, vt vertit Chaldæus, desipuisse.

MAGIS propriè acceptum Prophetæ & prophetandi vocabulum nulla rursum significat. 1. Ex peculiari Dei instinctu laudes ipsius celebrare, quomodo dicuntur Prophetasse Eldat & Medat, Num.11.27.28. & Saul, 1.Sam.10.11.12. & Asaph. Atque ibi tum prophetabant in citharis & nabliis, sacris cantibus efferendis operam dabant, 1.Chron.25. 2.3. 2. Alios docere, siue prædicando Euangelio incumbere. Quo sensu hoc vocabulum sæpe occurrit, 1.Corinth.13.14. 3. Prophetæ, & prophetandi nomen de illis speciatim dicitur, quos Deus immediatè vocabat, non ad docendum modò populum, sed & ad futura multa prædicenda, quæ vsitatissima est vocabuli significatio. Quanquã igitur Christus tribus istis modis Propheta fuit: Nam & laudes Dei celebrauit ex instinctu spiritus, Luc.10.21. & doctorem egit in medio discipulorum suorum, Matt.13.13. Et multa futura prænuntiauit, passim in Euangelio, tamen singulari ratione Propheta dicitur. Vnde non tantùm Propheta vocatur, qui venturus erat in mundum, Iohan.6.14. Sed & simpliciter & antonomasticè Propheta, ὁ προφήτης, Iohan.1.21. nempe omnium magister, supremus Ecclesiæ doctor, qui non externa tantùm prædicatione defunctus est suo tempore. Sed Amanuensibus suis Scripturas inspirauit, & doctrinæ veritatem & certitudinem operatione Spiritus insculpsit in cordibus fidelium: huc pertinent illi tituli, quibus in Scriptura insignitur, & quos jam supra suis locis explicuimus: Dicitur enim Angelus fœderis, sermo, sapientia Patris, Doctor, Magister, Apostolus confessionis nostræ, Pastor, princeps Pastorum, Episcopus animarum, ille denique in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, Col.2.

IAM vt ad rationem & modum muneris Prophetici hujus accedamus, ante omnia illud seriò perpendendum est, quod docet Apostolus,

Hebr.1.1. Deum olim πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως loquutum esse patribus per Prophetas, vltimis autem hisce diebus loquutum fuisse per Christum. Quibus verbis ostenditur vnum quidem eundemque Deum omnia, & sub Veteri Testamento, & sub Nouo ad salutem Ecclesiæ suæ dispensasse, sed variam tamen fuisse vtrobique dispensationis rationem, tum quia olim Patribus tantùm, id est, Iudæorum majoribus sese patefacere dignatus est. Ex quo verò Christus in mundum venit gratiæ suæ thesauros Gentibus apperuit, tum præsertim quia olim multifariam, & per Prophetas multis modis loquebatur. Nunc per filium apertè & sine figuris & inuolucris nos alloquitur. Videndum igitur qua ratione Deus mysteria sua Prophetis reuelauerit, nempe, inquit Apostolus, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, id est, multis partibus & modis: Atque ita tum partes, siue gradus; tum modos, siue formas reuelationis designat. Gradus quidem & partes, vt doceat non simul & semel totum salutis mysterium olim reuelatum fuisse, sed per partes & incrementa varia, sicut Vet. Testamenti libros percurrentibus patere potest. Primùm enim Adamum erigit promissione seminis, quod conterere debeat caput serpentis, Genes.3. Inde Abrahamo reuelatur aliquid vlterius, quod scilicet semen illud ex ipso sit oriturum, Gen.12.3. & 15.5. Postea Iacobo manifestatur tempus aduentus, appariturum nempe Mediatorem sub finem politiæ Iudaicæ, Genes.49.10. Mosi deinde declaratur futurum illum Prophetam, quem omnes audire debeant, Deut.18.18. Deinde Iosue exhibetur vt Rex & princeps exercitus Iehouæ, Ios.14.15. Tum Dauidi vt Sacerdos secundùm ordinem Melchisedecis, Psalm.110.4. Adjicit Esaias ipsius natiuitatem ex Virgine, Es.7. nec non gloriam, Es.53. Micheas insuper locum natiuitatis declarat, Mich.5.2. Daniel tempus aduentus supputat, & varia, quæ allaturus sit Christus, beneficia commemorat, Dan.9.24.27. Malachias de ipsius præcursore vaticinatur, Malach.4.5.6. Ita quemadmodum sol variis gradibus pertingit ad meridiem. Sic & cœlestis reuelatio variis incrementis sese produxit, vt quòd priores Prophetæ non docuerant, posteriores exequerentur. Atque ita ex variis illis partibus in vnum conjunctis compaginaretur tandem velut corpus aliquod salutaris de Christo doctrinæ: Neque tamen est quod putemus priorum fidem in iis defecisse, quæ ipsis necessaria erant ad salutem: Etenim cùm tota fidei ratio pendeat ex modo mensuraque reuelationis satis erat sine dubio priscis illis fidelibus ad justam fidei rationem ea distinctè nouisse, quæ placuerat Deo ipsis reuelando manifestare: Non enim in arcana Dei penetrat fides, sed in reuelatis acquiescit, Deut.29.29. & parata est semper ad pluta sese extendere, si quando ea Deus reuelare voluerit, vt cum Samuele dicat, loquere Domine, quoniam audit seruus tuus, 1.Sam.3.10. Itaque sicut, veteres illi explicitè credebant, quæ ipsis reuelatio patefaciebat. Ita haud abs re dicere possumus eos reliqua suis postea temporibus reuelanda implicita quadam ratione credidisse.

Quod ad formas & modos reuelationis attinet, erant illæ variæ, prout ait Apostolus, Deum loquutum πολυμερῶς. Et Oseas 12.11. In genere

nere modus ille duplex est fiebant enim reuelationes, vel per ecstasim, vel citra ecstasim: Ecstaseως enim ἀπὸ τοῦ ἐξίστασθαι est, quòd propriè significat dimotionem rei à loco, vel statu, in quo antea erat. Ecstasim autem multiplicem Scriptura memorat. Aliquando eo nomine delirium, insaniam, & furorem designat: Sic Deut. 28. 28. percutiet te Iehoua stupore cordis, LXX. habent ἐκπάσει διανοίας. Sic Marc. 3. ℣. 21. & 2. Corinth. 5. 13. 2. Ecstasis significat repentinum inopinatum pauorem, Gen. 27. 33. Contremuit Isaac tremore magno. LXX. habent ἔκστασιν ἔκστασαν μεγάλῳ σφόδρα. 3. Significat admirationis excessum, qui homines reddit attonitos, vt Marc. 5. 31. 4. significat altum soporem: Nam quod Gen. 2. 21. dicitur injecisse soporem altum in Adamo, LXX. vertunt ἔκστασιν ἔκστασον: quo sensu dici possunt Prophetæ ἔκστασιν pati, quoties ipsis somnia diuinitus committebantur. Sed nos his significationibus omissis ἔκστασιν hîc accipimus pro extraordinario illo motu, quo mens diuinitus afflata corripitur, atque impletur, & velut extra sese ad tempus constituitur, vt de Petro dicitur Act. 10. 10. Sic Act. 22. 17. dicit Paulus se cùm oraret in templo γενέσθαι ἐν ἐκστάσει, id est, in ecstasi extra sese raptum. Nam ἔκστασιν raptum vocat idem Apostolus, 1. Corinth. 12. 2. Ecstasis est facta diuinitus eleuatio mentis ad aliquòd mysterium aut spirituale contemplandum adjunctum habens abstractionem ab vsu sensuum exteriorum. Dicimus, 1. eleuationem mentis, quia cùm omnis exstasis sit dimotio quædam, à priori statu, necesse est animum in ea conditione non permanere in qua erat ante ἔκστασιν, sed inferiùs deprimi, vel altiùs attolli: Atque in ecstasibus quidem, quas patiuntur, vel phrenetici per morbum, vel phanatici per vim Dæmonis animus de sede sua deturbatus abjicitur, & in peiorem quàm antea statum deprimitur, vnde inconditi motus, gestus, verba phreneticorum, vnde vatum Apollinis furores, & eorum qui in Trophoniis aliorum antris exstasim passi erant, attonita mens nec sui compos, adeò vt inde egressi, vel perpetuo stupore laborarent, vel certè ad tempus ita dispositi essent à ratione, vt neque ipsos, neque circumstantium aliquem cognoscerent. Sed longè aliæ fuerunt Prophetarum exstases, quippè quæ animos ipsorum euehrent, & supra naturæ modulum attollerent, habebant secum adjunctum lumen aliquod mirificum & spirituale quo mens efficacissimè illustrata & roborata ad summum veluti culmen contemplationis euadebat. Atque inde est quòd quorum mens in eiusmodi exstasim abripitur, illi dicuntur attolli inter terram & cœlum, Ezech. 8. 3. Imò rapi in tertium cœlum, 2. Cor. 12. 2. vt scilicet intelligamus euectam fuisse ipsorum mentem supra communem naturæ conditionem, & captum.

Secundò dicimus eleuationem illam diuinitus factam vt distinguatur exstasis Prophetica ab illo furore, quo Diabolus aliquando vates suos corripit, quique propterea dicuntur νυμφόληπτοι, arreptitij, lymphatici, phrenetici, qui sui sunt impotes, & furore sedato quid dixerint, aut quid fecerint, nequaquam meminerunt. Tales olim Sacerdotes & Phœbades quæ in templis Apollini dicatis scisscitantibus oracula reddebant, & qui-

bus vt ait Poëta. Non vultus, non color vnus, non comptæ mansêre comæ, sed pectus anhelum, & rabie fera corda tument, quæque illa carmina pronuntiabant, quæ nisi subitò memoria, vel tabellis exciperent adstantes, effluebant in auras & rapidis ludibria ventis: At verò ecstasis, quam immittebat Deus in Prophetas, quanquam exteriorum sensuum officia intercipiebat, & mentem supra modum, vt vocant, connaturalem eleuabat non tamen ita rationem præpediebat, vt quæ fierent, aut quæ dicerentur Prophetæ non intelligerent, sicut latè docet Basil. Prou. in Ierem. Epiph. hær. 48. & Hier. præf. comm. in Es. Propheta, inquit Epiph. constanti ratione ac intelligenria loquebatur, ac dicebat ex Spiritu S. omnia sana mente ac corpore. Et Hieron. Prophetæ non sunt in ecstasi ita locuti, vt nescirent, quid loquerentur, neque ex iis erant de quibus Apostolus ait nescientes, de quibus loquantur, nequè de quibus affirment. Et verò hujus sententiæ probationes apud ipsos sunt manifestæ. 1. Sapiens intelligit, quæ profert 6.23. Et Prophetæ vt Moses, Daniel, &c. Sapientes erant, imò sapientissimi, nemo enim sapientior Daniele, Ezech. 28.3. 2. Qui norunt, quando loquendum, quando tacendum, ij non patiuntur alienationem mentis: At Prophetas, quibus Deus Spiritum suum communicabat nouisse quando loquendum, quando tacendum satis significat Apostolus, 1. Corinth. 14.29. 3. Qui post ecstasim ad alios digreditur, & eis explicat, quid viderit, & quid audierit in ecstasi, illius procul dubio mens sibi per ecstasim constitit: Atqui post ecstasim Prophetæ digrediebantur ad populum & visa, auditaque eis enarrare iubebantur, Es. 6. 4. Qui per ecstasim cum Deo colloquuntur, & rationibus agunt, illi non sunt mente capti: At Prophetæ & Apostoli in ecstasi rationibus agebant cum Deo, vt patet Ezech. 4.12.13.14. Actor. 10.13. 14.15.

Tertiò dicimus eleuationem istam fieri solitam ad supernaturalia, & mystica contemplanda. In quo rursus discrimen obseruare possumus excitatorum diuinitus Prophetarum & vatum Ethnicorum, quos captabat Spiritus Pythonicus: Nam seruis Dei ecstasis semper aliquid præmonstrabat, quod pietatem, & mysteria regni cœlorum saperet, adeóque ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem referretur. Vnde dicitur Deus non tantùm in Prophetarum suorum ore ponere sua verba, Deut. 18.18. sed etiam in eis mysteria sua reuelare Daniel. 2.28. Et cùm irruit altus sopor in homines, tum eis vellicare aurem, & eruditionem obsignare, Iob. 33.15.16. At vero Ethnicorum vates ea vt plurimùm enuntiabant à Dæmone ipsis suggesta, quæ vel res nihili essent, & nullius momenti, vel absurda quædam, & horrida, atque impia, vel superstitiosa, & ad stabiliendam augendamq; idololatriam tendentia, vel rectè res tantùm externas, & politicas tantùm spectarent, dixi, vt plurimùm, qui notum est eis nonnunquam diuina dispensatione mystica & supernaturalia reuelata fuisse, quæ illi non in causis suis præuidebant, non autem ex Iudæorum Prophetis, aut scriptis desumebant, sed ex sola Dei declaratione hauriebant, tum vt confunderetur Diabolus ipsis suorum vaticiniis, tum vt essent hæc

veluti

veluti pignora spargendæ olim inter Gentes veræ Prophetiæ, prout factum est postea, non tantùm Apostolorum temporibus, verùm & sequentibus quibusdam sæculis docente Iustino Martyre, Apolog. prima etiam suis temporibus fuisse Propheticos Spiritus & χαείσματα.

Eivs rei varia suppetunt in scripturis exempla, primò Prophetia Balaami Scripturis consignata extat Num.23.7.8.9.10. & 24.16.17. Et tamen fuisse Balaamum magnum, & Prophetam Dæmonum (etsi Tertull. inter veteres, & inter recentiores Eugubinus reclament) omnia confirmant, & crebra sunt in hanc rem Veterum testimonia. Orig. Greg. Nyss. Cyrill. Ambr. Aug. Theod. &c. Certè cogitauit auguria & siue Incantationes adeóque magiam exercuit, Num.24.1. Et in eum finem dicitur 7. aras extruxisse Num.23.1. Quidquid voluit populo Dei maledicere, & corruptus pecuniis eo fine in castra Regis Moabitarum venit. Itaque dicitur amasse iniquitatis mercedem, & redargutionem suæ transgressionis sustinuisse, 2.Pet.2.16. Imò & ejus doctrina damnatur, Apoc.2.14. quippe qui docuerit objicere offendiculum coram filiis Israel, vt ederent ex idolotypis & scortarentur, quæ omnia sanè in vero Propheta locum habere non possunt. Neque obstat quod dicit Balaam se abire, vt consulat Iehouam, eaque dicturum quæ Iehoua præceperit: Abutitur enim impiè nomine Iehouæ, eamque appellationem tribuit diuinis suis, id est, dæmonibus, quos percontaturus adibat. Quod autem Deus ejus ore vsus est, vt & Israeli benediceret, & ea proferret, ac prædiceret, quæ vera essent, & in eo demonstratum esse voluit summam illam potentiam, cui cedunt omnia, quæque in gloriam suam, & Ecclesiæ bonum pessimis etiam instrumentis aliquando vti solet.

Sic & Ioh.11.50.51. Occurrit exemplum memorabile Caiphæ prophetantis de Christo, quòd scilicet necessarium esset, vt vnus homo moreretur pro populo, ne tota gens periret. Quod docet Euangelista non dixisse illum ex semetipso quatenus quæ verba proferebat præter sensum, quem Caiphas intendebat, alium reddebant sublimiorem de necessitate & fructu mortis Christi. Quod verò additur prophetasse illum, quoniam erat Pontifex illius anni, non designat annexum fuisse summo Sacerdotio prophetandi χαείσμα: Nam certum est paucos admodum fuisse ex Sacerdotibus qui dono isto præditi fuerint. Et verò si fuisset omnibus prophetandi gratia collata, non opus fuisset subindè Prophetas in medio Israele ad instaurandum Dei cultum, aut futura prædicenda excitari, cùm ei præstando sufficere posset summus Sacerdos, imò quibus temporibus perseuerabat summum Sacerdotium, dicitur tamen nullus ampliùs fuisse Propheta, 1.Maccab.9.27. Illis igitur verbis illud tantùm insinuatur voluisse Deum insigne de Christo vaticinium illius ore pronuntiari, qui primas in Ecclesia Iudaica teneret, & eorum numero censeretur. De quibus dictum fuit labia Sacerdotis custodire scientiam, & legem, atque doctrinam & ejus ore requiri, Malach.2.7. Vt ita principalium magistrorum suorum testimonio Iudæi confunderentur.

Sic denique, Act.16.17. Ancilla Spiritum Pythonis habens ea de

Paulo dixit, & ejus sociis, quæ vera essent nimirum compulsus à Spiritu sancto Dæmon in obsessa veritati patrocinari coactus est.

Addamvs etiam exemplum Sybillarum, ex quibus nullus ignorat, quàm multa desumant Veteres oracula de Christo doctrinæque Christianæ mysteriis, adeò vt Christiani propter hoc citandarum Sybillarum studium, à Gentibus olim fuerint dicti Sybillistæ, vt notat Orig.lib.5. contra Celsum, imò & à Sybillorum librorum mentione mortis interminatione prohibiti fuerint à Iustino Apol.2. Neque tamen is sum qui habenda pro legitimis Sybillarum fœtibus arbiter quæcunque sub earum nominibus obstrusa sunt: Sicut enim commonefecit olim Tyberius senatum sub celebri Sybillarum nomine multa vana vulgari, quo factum est, vt ea vaticinia Imperator Augustus rescindenda & repurganda curauerit: Ita & quæ Christianorum manibus trita sunt Sybillarum scripta non fuerunt omnia γνήσια & germana. Certè multi eis fidem olim abrogarunt, vt innuit Euseb. de vita Const. cap.19. Nec diffitetur August. posse putari ea à Christianis esse confecta lib.18. de Ciuit. Dei cap.47. & verò si hæc omnia de Christo & fidei variis capitibus vaticinia extiterunt inter Gentes ante Christi aduentum, quomodo dicit Apostolus, tacitum fuisse à temporibus æternis mysterium Christi, Rom.16.25. Præterea *quis in animum inducat potiori conditione fuisse olim Sybillas*, quàm veros Dei Prophetas, ita vt quæ seruis suis obscuriùs reuelata voluit, ea longè euidentiùs exteris & hostibus declarauit. Certè quæ habent Prophetæ nostri de Christo & mysterio Redemptionis, meræ videri possent tenebræ præ illa luce, quæ micat in oraculis Sybillinis: Ita non historiam modò narrant, sed circumstantias omnes sic examinatè sæpius proponunt, vt vix ipsi Euangelistæ diligentiùs. Adde quod manifesta patet in oraculorum istorum authore, linguæ historiæque Iudaicæ ignorantia. Nam vocem Hebr. Adam, dicit esse tetragrammaton quæ tamen tribus tantùm literis in Hebr. constat. Et Sabahot esse nomen Dei, qui tamen non Sabahot, id est, exercitus, sed Dominus Sabahot vocatur. Sic dicunt oracula illa Adamum esse primum hominem qui mortuus fuerit, qui tamen non Adamus fuit, sed Abel. Dicunt quoque Noachum mansisse in arca 41. diebus, qui tamen plus anno ibi fuit. Atque hæc quidem ita habent, sed non obstat illud quò minus credamus nonnulla de Christo vaticinatas esse Sybillas, quatenus postea præposterus quorundam zelus alia sub eodem nomine adjecerint: Nam Cic.lib.2.de Diuinit. Oraculum recitat de rege venturo, eiusque interpretatione quòd aliter homines salui esse non possent, nisi eundem regem exciperent. Et Virg.Egl.4. ex Sybillæ Cumeæ carminibus plura producit, quæ Salomino Pollionis filio ignarus ipse veritatis attribuit, illæ tamen quadrant in Christum, vt docet Euseb. de vita Const. vbi & Maroniana carmina Græcis versibus redduntur, & notum est ex Iosepho, lib.7. de bello Iud.cap.12. & Tacito hist.lib.5. & Sueton. Vespas. cap.4. vulgatum fuisse ex libris Sybillinis venturum ex Iudæa Regem, qui vniuerso orbi dominaretur, quin & apud Clem. Alexand.lib. Strom. dicitur Paulus relegasse Gentiles ad

librum.

librum Sibyllarum suarum, docebit hoc ipsum Paulus inquiens sumite vobis in manus Græcorum libros, sumite Sybillam & intelligetis, quomodo illæ manifestent vnum Deum. Ex his manifestum est Deum aliquando eam falsorum Prophetarum mentem ad supernaturalia contemplanda eleuauisse, vt nimirum inter Gentes extarent publica nonnulla pro doctrinæ Christianæ veritate testimonia.

VLTIMÒ dicimus eam eleuationem fuisse conjunctam cum abstractione ab vsu sensuum externorum: Nam cùm Deus per ecstasim voces, vel imagines, & spectra quædam objiceret interiùs, Prophetarum phantasia ita erat occupata, vt externa minimè attenderent, neque foris aduenientia audirent, neque nosset Propheta per illud tempus quo loco, quaue conditione ageret. Hoc Paulus quidem significat, cùm ait se raptum quidem fuisse in tertium cœlum, sed nescire tamen animo-ne, an corpore, 2. Corinth. 12. 2. Enimuero si actum suum exercuissent eo tempore sensus externi, modum & rationem raptus illius obseruare potuisset, jam non quæramus, quomodo raptus fuerit Paulus: Nam quod ipse ignorauit, quis explicare potest, hoc tamen ex ipsis verbis docemur raptum dupliciter fieri posse, nempe corpore simul aliquando & animo. Quomodo Act. 28, 40. Philippum subitò raptum ex conspectu Eunuchi, & à Spiritu in Asotum vrbem fuisse deportatum, vt ex tam mirabili dispensatione Eunuchus agnosceret Philippum esse virum Dei, qui ad ipsum specialiter missus esset, vt eum viam salutis edoceret: Aliquando verò solo spiritu. Nam & hoc Apostoli significant verba: Alioqui enim nulla fuisset causa illi dubitandi spiritu-ne, an corpore raptus fuisset. Cæterum quomodo fieret raptus ille in spiritu vix satis intelligere possumus. Sunt qui aiunt spiritum Prophetæ manente integra vnione personali, sunt tamen quasi dissoluta extra corpus abreptum fuisse secundùm mutationem loci, quomodo aiunt raptum Ezechielem, Ezech. 8. 3. Et fortassis Paulus, sed non video quomodo rapi possit extra corpus spiritus hominis, & tamen non omnino dissolui vnio personalis, quæ consistit in habitantis animæ informatione: Neque enim putandum est spiritum, id est, facultatem rationalem, & intelligentem rapi manente sensitiua & vegetatiua, quandoquidem non multiplex est anima hominis, sed vna induisibilis, & à se indistracta. Tolerabilius dicetur spiritum ad aliquod breuissimum tempus excedere corpore, adeóque dissolui vnionem, sed quæ statim redeunte Spiritu redintegretur ab eo qui jus omne habet in creaturam suam. Alij malunt raptum in Spiritu non fieri per vllam mutationem loci, id est, per egressum ipsius animi è corpore, sed per altissimam & supremam abstractionem à sensibus corporeis, quæ per tempus Ecstaseos idem propemodum efficit quod efficeret ipsa dissolutio vnionis, cùm ab officiis suis ferientur omnes sensus, & fortassis omnes facultates, non sensitiuæ modò, sed & vegetatiuæ. Sed quomodo Paulus fuit raptus in tertium cœlum, si locum non mutauit ejus spiritus. *Resp.* Paulum raptum fuisse tertium cœlum, non animi translatione in ipsum cœlum supra mundanum, sed interna & admirabili ex-

hibitione totius gloriæ cœlestis, qualem eam animæ beatæ & Angeli contemplantur, potest siquidem Deus quoties libuerit menti homini etiam corpore inclusæ essentiam suam, vt totum admirandæ illius gloriæ pondus spectandum exhibere.

Ex his omnibus consequitur ad ecstasim esse referendas omnes illas visiones, quibus Deus vigilantium Prophetarum phantasiam occupabat, non autem propriè illas, quas corporeis oculis exhibebat : Nam cùm in ecstasi sensus exteriores ab officio suo ferientur, & cessent non potuerunt dici Prophetæ propriè in ecstasim rapi, cùm ipsorum oculi munere suo in oblatarum specierum contemplatione fungebantur. Quanquam autem sæpius accidit in visionibus Prophetarum vt satis intelligere non possimus, an ipsorum oculis imagines exteriùs fuerint objectæ, an verò in sola phantasia receptæ, est tamen cùm valeamus illud facilè satis ex circumstantiarum consideratione diiudicare : Ita Ierem. 13. Prophetæ mandatur vt cingulum lineum accipiat & imponat lumbis suis, & ad fluuium Euphratem deferat, & abscondat illud in projectum petra. Atque tunc obsessis Hierosolymis non potuit Propheta tunc egredi ciuitate, vt ad Euphratem se conferret. Erat igitur visio phantasiæ proposita, sed ad visionem imaginariam referendum quod narratur Ezech. 4. de cubatione continua super vnum latus per 390. dies, & de pane hordeaceo parato : Neque enim patitur, vel honestas, vel humanæ naturæ conditio, vt credantur ista reapse fuisse gesta. Sic Daniel. 8. dicitur Daniel fuisse Susis inter Persas juxta fluuium Hulaim, cùm ipsi oblata est arietis & hirci visio, hæc imaginariè tantùm accidisse videntur: Neque enim ita liber erat Daniel, vt extra Babyl. apud Persas hostes habitare, atque inde cùm vellet Babylonem remigrare liceret, & generatim hæc regula inseruire potest distinguendis visionum modis : Nam si aliquid visione fit, vel dicitur, quòd aut honestas non patiatur, aut naturæ humanæ conditio non bene ferat, & circumstantiarum rationi non sit consentaneum, deputanda est visio phantasiæ, secus si accidat nihil est incommodi. Si dicamus verè oblatam corporeis obtutibus visionem. Ita Mosi Deus apparuit in rubo : Ita colluctatus est de nocte Angelus Domini id est Filius Dei cum Iacobo. Porrò quia Deus frequentissimè visionibus vtebatur ad reuelandos Prophetis voluntatis vel prouidentiæ suæ thesauros. Hinc factum, vt Prophetæ vulgò videntes in Israele dicerentur, etiam antequam Prophetarum nomine insigniti essent. Vt patet ex 1. Sam. 9. 9. Vnde & prædictiones & scripta Prophetica visionum nomine sæpe veniunt, Esa. 1. Abdiæ 1. Nah. 1. etsi hujus appellationis alia est ratio, desumi potest ex propheticorum oraculorum certitudine: Cùm enim sensuum omnium certissimus visus meritò habeatur, vnde illud Comici, pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem, haud ab re visionis nomen obtinet, vt ejus infallibilis & immota certitudo notetur.

Citra ecstasim etiam Deus suos edocebat in V. Testam. Idque variis reuelationum modis. Hebræi doctores quatuor solent enumerare, nempe

nempe Prophetiam Spiritus Sanctitatis, Vrim & Thummim, & denique filium vocis, quàm *Bat-kol* siue *Beracala* vocant. Ad Prophetiam referunt, tum illas visiones, & ecstasim de qua diximus, tum etiam somnia per quæ Deus Prophetis declarare solebat. Vnde & Numer. 12.6. dicit Deus se Prophetas suos alloqui per visiones & somnia. Quamuis autem visio fuerit distinctus à somniis reuelationis modus, quia visiones Prophetis vigilantibus exhibebantur; somnia verò in altum soporem demissis, quia tamen inter illa somnia species quædam spectandæ, vel voces audiendæ proponebantur. Vnde factum, vt & somnia sæpius visionum appellatione significarentur, Iob. 33.15. Esa. 29.7. Dan. 4.6.7. & 7.1.2. Vbi etiam visionis nomen exprimitur & explicatur per vocem somnij. Sunt autem somnia trium in vniuersum generum, naturalia, Diabolica, & diuina. Naturalia quidem quæ causas habent Physicas, putà temperamentum, humores, vapores, receptorum ciborum conditionem vitæ occupationes, humanorumque negotiorum redeuntes imagines juxta illud Poëtæ.

Omnia quæ sensis voluuntur vota diurnis.
Pectore sopito reddit amica quies.

Diabolica sunt ea quæ habent Diabolum authorem & conciliatorem. Quæ rursus in duas veluti species distribui possunt: Sunt enim alia αἰτητικά, quæ scilicet sollicitè petebantur olim & quærebantur ab hominibus, neque haberi solebant, nisi post pacta vota & sacrificia ritéque varios, neque objici, nisi illis qui priùs solemniter lustrati fuerant, eorúmque excipiendorum causa ad aras & delubra dæmoniorum decubuerant. Talibus olim somniis celebria fuêre templa partim Æsculapij, Trophonij, & Amphiarij: Nam in quibusdam Æsculapij templis, qui ab ægrotis remedij quærendi causa mittebantur, dicuntur per somnium admoniti fuisse de remediis, quorum vsu ægrotus facilè conualescere posset apud Trophonium, qui oraculi captandi causa adibat in cauernam vndoso vertice abreptus de futuris ibi per somnium edocebatur, tum edoctus seu flatu aliquo vehementi excutiebatur, & prorumpebat foris attonitus & stupens, neque vel seipsum agnoscens, vel adstantium aliquem in Amphiarai æde mactato ariete pellis substernebatur, cui incubantes somnia captabant, & ex iis futura prænoscere credebantur, sed aliud etiam est eorum somniorum genus, quod ἀπροσδόκητον siue inexpectatum appellare possumus, quod scilicet ex inopinato, neque quæsitum captatúmque somnium Diaboli monitu & operatione aduenit, Talia sunt illa quibus Dæmon olim Montanistarum & Manichæorum ludificauit, & quæ illi postea Prophetiæ titulo venditabant; Talia recentium Anabaptistarum, qui somniis suis curiosis tanquam diuinis reuelationibus eam fidem habent, vt ad horrendas cædes & homicidia patranda seipsos parent; Talia denique veneficarum & mancipiorum Satanæ, quæ nocturnis somniis mirè dementantur, vt videantur sibi, vel delitiis omnigenis frui, vel carceribus, quibus inclusæ detinentur, elabi, vel horribilem de hostibus suis vindictam sumere. Hæc omnia totidem sunt

laqueï, quibus diabolus infames suos ministros miserè tenet irretitos.

Sed nos hîc diuina tantùm seu ἐνθουσιαστικὰ somnia spectamus: Nam & iis solis fides adhibenda, cùm per ea Deus aliquid insinuet, quod ad hominum bonum & institutionem refertur, de reliquis illud tenendum; quæ naturalia diximus nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio non esse dandum insomniis cor nostrum, Eccl.34.6. Sin autem à diabolo immittantur ad alienandos à Dei Cultu, & veritate cœlestis doctrinæ homines illud putandum quod dicitur, Deut.13.1.2.3. Somniatorem qui populum eo prætextu velit, à Deo sequendo auertere, non modò fugiendum esse à fidelibus, tanquàm Deo inimicum & Satanæ mancipatum, sed & id promeritum esse, vt capitali supplicio afficiatur.

Sæpius igitur fuit cùm Deus Prophetarum corpore in somnum demerso imagines quasdam & species ipsorum mentibus obiceret, vnde voluntatem Dei possent cognoscere, duo quippe in illa per somnium reuelatione concurrebant, repræsentatio, inquam, rei, & repræsentatæ rei dijudicatio, & posterius sine dubio præcipuum erat, quia reuelatio dirigebatur ad cognitionem. Cognitio autem non oblatione aut repræsentatione rei, sed eius dijudicatione perficitur, & completur. Itaque quamuis Pharaoni & Nebucadnetzari quædam ad futurum spectantia per somnium à Deo repræsentata fuerint, Gen.41.1.2. Dan.2. Non ideò tamen dicendi fuerunt Prophetæ, quoniam repræsentatio sola fuit, nec accessit repræsentatæ rei judicium, & intelligentia, sed Ioseph, & Daniel, quorum alter imaginariam illam repræsentationem sibi à Pharaone propositam sigillatim exposuit: Alter etiam elapsam rei repræsentatæ imaginem in memoriam Nebucadnetzari reuocauit, & reuocatam interpretatus est, verè Prophetæ fuerunt, si quidem cujus intellectus diuinitus illustratur ad ea dijudicanda, quæ vel sibi, vel aliis fuerunt à Deo extraordinariè repræsentata, ille demum in Prophetis censendus est.

Notiora sunt in Scrip. Veteribus & Nouis harum per somnia reuelationum exempla, quàm vt ea cumulare sit necessarium. Videantur somnia Iosephi, Gen.37.5. Salomonis, 1.Reg.3.6. Iosephi viri beatæ Mariæ, Matth.1.20. & 2.10. Pauli Actor.16.9. & 18.9.10. Quin & in historia Ecclesiastica non infrequenter exempla occurrunt; Sic Euseb.lib.6.hist. Eccl.cap.4. narrat Potamienam virginem martyrij gloria insignem Alexandriæ per quietem pluribus apparuisse, eosque ad Christianæ animum amplexandum ita efficaciter promouisse, vt somno excitati relinquerent idola, & ad religionem Christianam transirent; Idem in Chronico narrat Arnobium Rhetorem immissi diuinitus somnij beneficio fuisse ad fidem Christi conuersum, sed & Nazian. oratione 21. testatur se per nocturnas visiones à Basilio iam defuncto moueri, & castigari solitum, si quando ab officio discederet. Vbi non est quod existimemus Potamienam & Basilium administrandis illis admonitionibus, vel de cœlesti gloria reuera descendisse, vel in hominum mentes illapsos fuisse. Nullum est ampliùs mortuorum cum viuis commercium, Eccl.9.5.6. & mortui requiescunt ab omni labore, Apoc.14.13. Neque adeò viuis vnquam in

propria

propria persona apparent, sicut ex Luc.16.30.31. Colligunt, antiqui Tertull.Athan.Chrys.Isid. fatente ipso Maldonato in eum locum. Angelos igitur potiùs fuisse existimandum est, qui specie Potamianæ atque Basilij (vt eorum pietas & actiones testatior fieret) illos monitos dispensarint, sicut & eorum ministerio nouimus Deum in apparitionibus suis frequenter vsum fuisse. Interea docent ista omnia absurdè olim Aristoteles, & Epicurus negauerint vlla esse somnia, quæ diuinitus immittantur, & quàm meritò in contrariam sententiam discesserint, Hypocrates, Plato & Gens Stoicorum, qui non tantùm diuina somnia agnouerunt, sed & ea definierunt vim cernentem & explanantem ea, quæ à numine significantur hominibus.

Qvæstiones hîc nonnullæ sunt explanandæ, prima est quâ ratione possunt Prophetæ somnia diuina ab aliis discernere? *Resp.* eorum discernendorum rationem esse variam, eamque partim communem, partim singularem. Communem dico, quâ Prophetæ de somniis istis judicabant ex consensu eorum, quæ somniis mandabantur, aut docebantur, cum lege Dei & voluntate ipsius in Scripturis patefacta. Item ex ipsorum fine, cùm diuina omnia sine exceptione ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem referrentur, sed & singulari ratione discernere potuerunt: Nam, 1. Deo faciente firmissimè concipiebant vlteriùs certitudinem rerum somniis, vel alio modo exhibitarum. Fecit ea certitudo, vt Abraham filium sacrificare à Deo jussus, statim se ad mandati executionem accinxerit, non sanè facturus, nisi certò nouisset Deum ipsum esse, qui præciperet. Itaque non tantùm in visione Iohannes audiuit Angelum dicentem, Apoc.19.9. Hæc verba Dei vera sunt, sed Ierem. de reuelatione diuina sibi facta ita certus fuit, vt diceret, Ier.2.25. In veritate Deus misit me ad vos, & Dan.10.1. Vbi dixit Dei verbum fuisse ipsi reuelatum, subjicit statim, verbum illud esse veritatem, id est, immotæ certitudinis.

2. Idem nouerant Prophetæ per vim quandam & corroborationem internam, quam (vt vt primo Spiritus occursu commoti & pauefacti) præsentiscebant, sicut videre est Dan.10.18.19. Atque hic est quod scriptura contractum Dei, vel Angeli vocat, id est, potentissimam efficaciam ad confirmandas Prophetarum mentes, 1.Reg.19.5.7. Es.6.7.Dan.9.21. tertiò per internam conscientiæ pacem, animique tranquillitatem, quæ somnia illa consequi solebat, vt & alias visiones. Atque huc referre possumus, quod Angeli post longam cum Daniele colloquutionem sub visionis finem jubet eum quiescere, & stare in sorte sua ad finem dierum, Daniel.12.13. quartò per crebram cum Deo colloquutionem: Nam etsi fortasse in principio cùm Deus sese, 1. iis reuelabat præsentem illum, aut loquentem ita facilè dignoscere non possent, quomodo legimus Samuelem non potuisse sub initio vocationis suæ vocem Dei, à voce Pontificis Heli discernere, quia nondum cognouerat Iehouam, id est, rationem & modum, quibus Deus sese Prophetis suis patefaciebat, 1.Sam.3.7. Frequenti tamen cum diuinitate commercio, non difficile ipsis postea erat Deum loquentem vel apparentem dignoscere. Ita testatur August.lib.6.

confess.cap.13. Matrem suam Monicam, cùm Deum sæpe rogasset, vt de filij nuptiis aliquid sibi reuelaret, diuina tandem gratia gustum quendam esse consecutam, quo discerneret, quæ per somnium ex seipsa videbat, ab eis quæ Deo suggerente monstrarentur.

QVÆRITVR hîc primò, An in dispensandis iis quæ diximus visionibus & somniis Deus ipse Prophetis apparuit, an verò solùm Angeli essent, qui nomine Dei cum Prophetis agerent & loquerentur. *Resp.* Angelos quidem apparuisse sæpius, sed & Deum ipsum non infrequenter, quod ex multis confirmari potest: Nam. 1. Ad apparitionem Dei in nube, & vocem consequentem Moses pronus in terram procidit eumque qui apparebat, adorauit, Exod.34.5.6.7.8. Ergo ipsum Deum verè apparuisse oportuit: Angelum enim creatum minimè Moses adorasset, etsi fortasse aliquid ejusmodi tentasset, quis dubitat quin cohibitus fuisset ab Angelo, quomodo & Ioh.Apoc.19.10. & 22.8.9. 2. Exod.33. Cùm Deus populo iratus diceret se quidem missurum Angelum ad expellendos ex terra Canaam Israelitarum hostes, ducatumque populo præstandum, sed negaret se ascensurum in medio populi flectitur postea precibus Mosis negantis se iturum, nisi facies Iehouæ præcederet, eique respondit in hæc verba hanc rem, quam dixisti faciam, quia inuenisti gratiam in oculis meis. Atque ita testificatur non modò Angelum, sed & ipsum ducem Israëlis futurum. 3. In plerisq; apparitionibus distinguitur manifestè Deus ab Angelis, Gen.28.12.13. Iacobus videt Angelos ascendentes, & descendentes per Schalam, Deum autem sedentem in summitate Schalæ, 1. Reg.22.19. Micheas videt Deum sedentem in solio suo, & adstantem totum cœlorum exercitum, Es.6.1.2. Apparet Esaiæ Iehoua throno considens, & Seraphim eum circumstant, Daniel.7. Propheta videt antiquum dierum sedentem, & filium hominis venientem ad eum, & infinitam Angelorum multitudinem ministrantem. Non est igitur dubium, quin Deus, prout ipsi libitum est, modò per se, modò per Angelos Antiquis apparuerit.

QVÆRITVR deinde quales essent illæ, siue Dei, siue Angelorum apparitiones an scilicet in veris corporibus exhiberentur. An verò illa tantùm simulachra quædam inania essent. *Resp.* 1. Quæ apparitiones somniantibus Prophetis obueniebant, vel etiam vigilantibus (sed in Ecstasim raptis) eas procul dubio non fuisse in veris corporibus administratas: Soli enim phantasiæ objiciebantur, quò non possunt vera corpora penetrare. Erant igitur simulachra tantùm corporum, non corpora sic etiam loquutiones Dei & Angelorum non fiebant per voces quasdam exteriùs in aëre sonantes, sed per vocum duntaxat simulachra in phantasia efformata, sed quæ tantùm memoriæ Prophetarum firmiter inhærebant, vt euigilantes, & excitati, & ad se redeuntes ab Ecstasi, ea facilè possent, & populo enarrare & Scriptis in Ecclesiæ vsum consignare. 2. De visionibus aut locutionibus externis aliter statuendum esse videtur, fuisse nimirum quæ apparebant corpora verè materiata & veras voces quæ audiebantur. Potuerunt autem vtraque tam ex nihilo à Deo creari, quàm

ex rebus

ex rebus jam creatis desumi, nimirum ex speciali collisione aëris vox articulata efformari potuit, & ex nonnullis, vel omnibus elementis corpus in eam qua conspiciebatur speciem effingi, sed ita vt breui tempore perdurarent, finitaque dispensatione diffluerent statim, & in principia sua soluerentur, quomodo legimus Iud.6.21. Angelum qui humana specie Gedeoni apparuerat, postquam eum de necessariis commonuit, euanuisse de conspectu ejus. Cæterum verum illud corpus non tantum humanum fuit, i. e. anima sua interiùs efformatum, & carne vera constans, & ossium compagine; itaque Christus, Luc.24.39. discipulis suis post resurrectionem sese exhibens, vt veritatem humanitatis suæ distingueret ab ejusmodi diuinis, vel Angelicis apparitionibus palpandum se præbet ipsis vt nimirum noscent hanc non esse Angeli visionem, sed verè humani corporis manifestationem, Luc.24.39,

QVÆRITVR denique qua ratione factum, vt ad illas Dei apparitiones tantopere expauescerent homines, & mortem sibi præsentaneam augurarentur. Atq; illud vulgò jactarent, moriemur, quia Deum vidimus Iudi.6.21. & 13.22. *Resp.* Dei præsentiam & communionem, si in se spectetur, eamque ex rei natura meriamur, non mortem, aut terrorem injicere, sed vitam potius & gaudium afferre, Ps.16.11. Sic etiam ex Angelorum præsentia atque consortio amplissimam hauriri consolationem vt notat Apostolus, Heb.12.22. Vbi maximi beneficij loco ponit, quod ad Angelorum myriadas peruenerimus. Per accidens igitur fit, vt ejusmodi præsentia in terrificam & mortiferam euadat; Idque duabus præcipuè de causis. 1. Quia nemo certus esse potest se ad Dei præsentiam satis præstare reuerentiæ. Certè magis affecti fuerunt suppliciis, qui irreuerenter & profanè coram Deo apparuerunt, aut cum eo egerunt, vt Scriptura ostendit in exemplis Nadab & Abihu, Leuit.10.1.2. Vsæ, 1.Chron.13.9.10. Et notanda est illa Dei comminatio, Leuit.10.3. Sanctificabor in in iis, qui appropinquant mihi, &c. id est, sanctum me atque glorioſum, adeóque sanctitatis & gloriæ meæ amantem & vindicem demonstrabo, dum sanctitatem violantes, gloriamque meam proculcantes debitis suppliciis afficiam. Est enim, inquit Hieron. sanctificatio Dei pœna peccantium. Haud immeritò igitur fuit, quod ad Dei præsentiam ita toti contremiscebant homines.

SECVNDÒ quia notum est piis quàm execrabile sit coram Deo peccatum, & quàm vehementer sordes illæ spirituales Deum offendant, Ps. 45.8. Vnde significat Esai. cùm Deus sibi appareret, terrorem suum inde præsertim processisse, quòd esset homo pollutus labiis, & habitaret cum populo peccatore, Es.6.5. Sed postquam diuini carbonis attactu purificatus est, consistit intrepidus, & mandata Dei capessit ibidem, v.6.7.8. Ita & fideles Christi sanguine justificati non tanquam mortificam cohorrescunt, sed tanquam viuificam exhilarantur, Ps.16.8.9. & 64.11. Et in cœlis vbi nulla erit amplius peccati labes, nullum vestigium, fœlicitas nostra in eo præsertim constituetur, quòd perpetua Dei præsentia fruemur, Psal.17.15. 1.Ioh.3.2. Ergo iterum haud immeritò fuit, quod ex

sensu peccati ad Dei conspectum totis artubus contremerentur sancti Dei homines.

ALTERAM reuelationis speciem vocant Hebræi רוח חקדש, id est, Spiritum sanctitatis, quo significant patefactionem illam quam solent Scholastici intellectualem dicere, quæ scilicet fit per lumen internum in mente accensum citra omnem visionem & somnium, id est sine vllis imaginibus, siue phantasiæ oblatis, siue visui, & auditui, & per efficacissimam Spiritus sancti irradiationem, & inspirationem immediatam, quâ Deus in animum Prophetæ altissimè penetrabat, eumque supra naturæ modulum eleuabat, vt tanti illapsus & tantæ lucis beneficio ea perciperet, de quibus ipsum Deus edoceri volebat, eo modo volunt Hebræi Deum singulariter egisse cum Iobo, Dauide & Salomone, adeoque hæc ratio est, cur ipsorum scripta vocent כתובים, quia Græci verterunt Ἀγιόγραφα, quia scilicet ipsis dictata sunt immediatè à Spiritu sancto citra rationem illam visionum & somniorum, quâ sese Deus aliis Prophetis communicauit, quanquam non simpliciter negandum etiam istos aliquando eiusmodi imaginibus & speciebus institutos fuisse: nam & Deus dicitur ex turbine Iobum alloquutus, Iob.38.1. & 40.1. & in somniis Salomonem, 1.Reg.3.5. Et videtur Dauid aliquid ejusmodi innuere velle, cùm ait Psalm.62.12. Deum semel loquutum esse, & se bis idem audiuisse.

Porrò de immediata hac inspiratione frequentia occurrunt in Scripturis testimonia. Propterea enim dicitur tota Scriptura diuinitus inspirata, 2.Tim.3.16. & prophetia non esse ἰδίας θελήσεως, id est impulsus & motus humani, quippe cùm non fuerit libidine hominis allata, sed Prophetæ locati sunt afflati à Spiritu sancto, 2.Petr.1.21. Huc spectat quod ait Dauid, 2.Sam.23.2. Spiritus Dei loquutus est in me, & verbum ejus in lingua mea. Vnde se Amanuensi comparat omnia scribenti, prout à Domino suo dictata fuerint, Psalm.45.2. quod & de reliquis Prophetis similiter est intelligendum, qui ne verbulum quidem libris Canonicis consignarunt, quod non fuerit à Deo ipsis inspiratum. Vnde & ex vno Vet.Scripturæ verbo argumentum ducit Apostolus, Gal.3.16. Imò & si quid sancti illi viri siluerunt, quo fit etiam vt ex Scripturæ silentio Apostolus doctrinam colligat maximi momenti, Hebr.7.3. Sic Apostolus testatur Christum in se loqui, 2.Corinth.13.3. & Christus ad Euangelij prædicationem discipulos suos præparans docet, non eos loquuturos, sed spiritum cœlestis Patris in iis loquuturum, Matth.10.20.

EX QVIBVS patet inspirationem haud fuisse Prophetarum & Apostolorum singulare priuilegium, quodque adeò reliquis hominibus minimè fuerit concessum: Quanquam hic distinguenda venit inspiratio diuina, propter quam homines dicuntur θεόπνευστοι & θεόπνευσοι. Nam, 1. generaliori quodam significatu dicere possumus etiam impios & infideles aliquando à Deo inspirari, sicut exemplis Balaami, Caiphæ, & Sybillarum supra ostendimus. Enimuero inspiratio illa à Prophetica valdè distat. Inspirabantur Prophetæ per intimam & viuificam mentis illu-

minatio-

rminationem, ita vt quæ efflarentur, ea nequaquam perciperent : Neque enim Caiph. interiori luce perfunditur, vt intelligat in vna Christi morte repositam esse hominibus salutis æternæ rationem : Neque Sybillæ Christi salutarem gratiam & electorum redemptionem olim apparituram inferiori animi collustratione percipiebant, cùm mysteria Christi ejusmodi sint, vt nemo principum hujus seculi ea intellexerit, 1.Corinth.2.6.7.8.Huc pertinet illud Bedæ præf.in expos.Psalm. Inspiratio per dicta fit duobus modis,aut gratia, aut permissione. Gratia, vt in Mose, & in cæteris bonis; permissione,vt in Sybillis, vatibus & infidelibus Prophetis,qui multa diuino instinctu de Christo prædixerunt. Sic Thom. in 1.Corinth.12. docet dupliciter dici posse aliquem loqui in Spiritu Sancto,nempe vel in Spiritu mouente,& non habito,vt factum est Caiaphæ & Balaamo,vel in spiritu mouente simul & habito,quomodo censendum est loquutos fuisse Prophetas Domini, quippe qui non tantùm loquerentur à Spiritu, sed eum haberent salutariter in cordibus suis habitantem.

Secvndò est inspiratio quædam communis, quâ donantur fideles, quorum corda lumine spirituali Deus illustrat ad cœlestium doctrinæ salutaris mysteriorum cognitionem. De hac extant frequentia in Scripturis testimonia : Deus autem aperit oculos nostros vt legis ipsius mirabilia videamus,Psal.119.18. & Spiritum largitur qui ex Deo est vt norimus, quæ nobis est ipse gratificatus, 1.Corint.2.12. Quem etiam Spiritum sapientiæ & reuelationis vocat Apostolus, quo faciente oculi mentis nostræ illuminentur, vt sciamus quæ sit spes vocationis nostræ,Eph.1.17.18. Certè mysteria Euangelica, non caro, & sanguis reuelat, sed Pater ille cœlestis,Matth.16.17. Neque potest aliquis dicere Iesum esse Dominum, nisi per Spiritum sanctum, 1.Corint.12.3. quatenus Christum nemo verè cognoscere potest, ita vt in eum corde credat, eum confiteatur ore,& ei tanquam Domino præstet obsequium, nisi habeat mouentem, agentem, & firmiter insidentem animo Spiritum sanctum, quæ vnctio est, quam habemus à sancto,vt omnia ad salutem necessaria cognoscamus,1.Ioh.2. 20. Vnde fides vocatur opus & donum Dei,Ioh.6.29.Ephes.2.8. Philip.1. 29. & fideles διδακτοὶ θεοῦ, 1.Thessal.4.9. Esa.54.13. Ioh.6.45. & θεοδίδακτοι, 1.Thessal.4.9. Sunt autem de hac inspiratione tria obseruanda. 1. Quod nemini contingat, nisi per seriam Scripturæ meditationem & Euangelicæ prædicationis vsum, quippe quæ ordinaria sunt fidei & illuminationis nostræ media,Rom.10.14.17. Vnde dicitur Scriptura diuinitus inspirata,vt nos doceat & instruat,&c. 2.Tim.3.15.16. Itaque cùm sit hæc inspiratio verbo diuino consentanea, & eo tanquam instrumento propagetur, nihil potest habere commune cum Enthusiasmis illis, quos sibi extra, & contra Scripturam fingere solent homines phanatici. 2. Quod hujus inspirationis varij sunt gradus pro varia mensura, quam Deus vnicuique admetitur. Est enim in aliis major & efficacior, in aliis leuiùs atque debiliùs sese exerit. Propter hanc inspirationum differentiam factum est, vt quemadmodum factum est inter oratores excellen-

tissimi Oratores antonomasticè dici solent: Ita qui præstantiori diuinorum cognitione præditi essent, eamque scriptis suis illustriùs & potentiam declararent, dicerentur apud antiquos per ἔκχυσιν quandam diuinitus inspirati. Ita Cyrill.lib.1.de Trinit. Concilij primi Decreta vocat diuina, & sanctissima oracula. Et Nicolaus primus Epist. ad Mich. diuinitus inspiratas sententias. Et in Conc.Nic. 2. Præcedentium Conciliorum generaliter statuta dicuntur à Deo esse inspirata dogmata. In eundem sensum Patres solent aliquando libros Apocryph. Tobiam, Iudithum &c. vocare scripta diuinitus inspirata, non vt libris Propheticis adæquent, sed vt significent inter Ecclesiastica humanaque scripta eminentem illis gradum meritò attribui. Quin & Orig.lib.1. in Epist. ad Rom. non dubitauit libris Hermæ, siue pastoris diuinæ inspirationis insignem appellationem tribuere. Et Ambr.Epist.21.lib.10. Librum quartum Esdræ asserit non esse sine diuina inspiratione conscriptum, quos tamen non ideò Ecclesia inter verè Propheticos & Canonicos enumerat. 3. Quòd inspiratio ista communis etiam quę superioris est, & altioris gradus non constituat hominem extra omnem errroris aleam, quippe quæ detur quidem ad salutem propriam, vel ad ædificationem alienam, non autem ad priuilegium non errandi: Neque enim necessarium est, vt sit ab omni erroris periculo immunis, qui vel ad salutem æternam suo tempore peruenturus est, vel qui aliorum docendorum munere fungitur, cùm sit omnis homo mendax, id est, in errorem pronus, Ps.116.11. Nullus esset omnino inter homines ad instituendos alios in via salutis idoneus. Certè in iis scriptis, quæ Antiqui diuinitus inspirata vocarunt, sunt tamen inter sparsa non pauca erroris humani vestigia, sicut ex libris Apocryph. patet.

At verò Inspiratio Prophetica longè sublimiori ordine collocanda est. Nam, 1. Etsi Prophetæ Scripturarum meditationi, atque lectioni sine dubio incumberent, vt de Daniele liquet, Dan.9.2. Illa tamen meditatio non erat instrumentum, quo Deus vteretur ad declaranda ipsis futura: Citra enim omne ejusmodi medium eos intus alloquebatur & illuminabat, sed ita tamen vt nihil edocerentur, quod à traditis priùs Scripturis vel tantillum dissideret: atqui vt illud etiam fidelibus eorum temporum manifestum fieret, vbi Deus semel legem suam ministerio Mosis tradidit, & Vrim & Thummim pectorali summi Sacerdotis indidit, qui consequuti Prophetæ concionum suarum summam templis valuis affixam proponere solebant, vt à Sacerdotibus per Vrim & Thummim, vel ab aliis Prophetis per Spiritum ex Scripturis explorarentur. Atque ita exploratæ Scripturæ in Ecclesiæ Sacrarium inferrentur, sicut ex Hebræorum monumentis patet, & ejusmodi aliquid significari videtur, Es.8.1.2. Vbi jubetur Propheta grande volumen accipere, & in eo scribere stylo hominis, id est, clarè vt ab omnibus legi posset & assumere sibi testes fideles. Et Habac.2.2. Deus Prophetæ imperat, vt scribat visionem perspicuè in tabulis, vt quilibet lecturus eam possit percurrere. 2. Prophetæ & Apostoli ita extraordinariè iuspirabantur, vt iis præsertim quæ scribe-

scribebant in perpetuum Ecclesiæ vsum sanctificarent, & extra omne mendacij, erroris que periculum collocarentur, sicut patet. 1. Quia debet Canon & regula fidei nostræ esse penitus ἀψευδὴς. Ergo & Prophetæ & Apostoli qui normam istam in scriptis suis tradituri erant, supra omnem erroris aleam atque suspicionem constitui debuerunt. 2. Deus cùm sit prima & indeficiens veritas mentiri non potest, Heb.6.18. Et est omnino ἀψευδὴς, Tit.1.2. Et cùm testis fidelis non mentiatur, Prou.14.5. Sit autem Christus testis fidelis & verax, Apoc.3.14. Est sanè extra omnem mendacij suspicionem positus. Iam autem testantur sancti illi viri se non alia tradidisse, quàm quæ receperunt à Domino, 1.Cor.11.23. Et quam annuntiarunt doctrinam eam non esse secundùm hominem, id est, humanitus excogitatam, sed acceptam ex reuelatione Iesu Christi, Gal.1.12.

TERTIVM reuelationis genus est *Vrim & Thummim*, de quibus frequens est in Scripturis mentio; & copulantur quidem hæc duo nomina, vt plurimùm, sed & aliquod alterum nominatur, nempe *Vrim*, Numer.27.21. 1.Sam.28.6. Vnde conjici potest non fuisse res duas distinctas, sed rem vnam sub duobus nominibus de illis tria præsertim quæruntur, nomen, res, & vsus rei quòd ad primum Hebræa illa vocabula LXX. Interp. Græcè vertunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν: Sicut & Philo lib.3. de vita Mosis aliquando LXX. verterunt φωτίζοντας καὶ τελείους, aliquando φωτισμὸς καὶ τελείωσις, Neh.7.65. Quanquàm alia editio habet tantùm vocem φωτίσεων, vt quod dicitur Hebr. Sacerdos in Vrim & Thummim sit Græcè ἱερεὺς φωτίσεων, Latina versio reddit per vocem doctrinæ, & veritatis. Quam interpretationem vocum non aliter præstare potest Bellarm. lib.4. de Pont.cap.3. Quam nouam & adhuc omnibus Hebræ. grammaticis inauditam originationem fingendo, dum אורים vult esse à ירה docuit תמים ab אמן, id est, credidit, quia nimirum verbum vtrumque habet eandem literam vnam cum literis earum vocum: Alius sensus Cornel. à Lapide, qui vulgatum Interpretem censet hic magis sensum quàm verba spectasse Comm. in Exod.28.30. Et verò non tantùm omnes Hebr. sed & ipsi Pontificij Galatinus, Pagninus, Montanus, Oleastius, Barradius, Cornelius, &c. Longè aliud etymon quærunt, vt nimirum אורים sit ab אור, quod lucendi significationem habet תמים verò à תמם, quod perfectionem significat. Neque hoc ignorarunt LXX. cùm Græcas voces reddiderunt per φωτισμὸν καὶ τελείωσιν: At ridiculus sit Bellar. qui in Iudaizantium numero habet illos, quibus hæc vocum illarum etyma corrident.

QVÆRITVR 2. quidnam essent Vrim & Thummim, quia non explicatur in Scriptura, idcirco in varias abitum est sententias, quidam ita dictum voluerunt pectoralis 12. lapides, Vrim quidem quòd essent Fulgentissimi; Thummim verò quòd perfectissimi & præstantissimi essent. Opinionem non probo, quia Scriptura Exod.29. Vrim & Thummim satis apertè distinguit à duodecim lapidibus. Vbi enim 1. iubentur inseri pectorali 12. lapides, vers.17. tum jubetur Moses ponere in pectorali Vrim & Thummim, vers.30. Quidam volunt ea nihil aliud esse quàm nomen

יהוה inscriptum pectorali, vt per illud tanquam medium daretur sciscitantibus responsio. Neque hoc probamus: Neque enim ad responsionem opus fuisset inscribi nomen Iehouæ pectorali, cùm illud nomen aureæ laminæ inscriptum ferret Sacerdos in fronte, Exod.28.36.37.38. Aliis placet hæc duo vocabula fuisse literis quæ duodecim האורים והתמים inscripta in pectorali, verùm cùm de literis apponendis Scriptura loquitur, illæ inscribi, vel insculpi, Exod.28.36. autem Vrim & Thummim non scribi, sed dari dicuntur in pectorali, Exod 28.30. Sunt qui putent his verbis non aliud significari quàm cognitionem spiritualem, quæ assumpto pectorali cor Sacerdotis ingrediebatur. Sed hoc satis scriptura refutat, quæ testatur illa verè fuisse in pectorali, eique adhæsisse. Cognitio autem spiritualis non in pectorali erat, sed in mente Sacerdotis, & cùm Moses dicatur illa posuisse in pectorali, non tamen, nisi absurdè, dicetur posuisse in pectore Sacerdotis cognitionem. Nobis arridet Montani sententia hoc opus, non humanum, sed diuinum fuisse, & ex incognita materia. Et verò cùm de aliis ornamentis testetur scriptura ea fuisse facta, vel scripta, vel insculpta, de his locis dicitur Mosi pones, vel dabis ea, non autem facies, inscribes, Exod.28.30. Leu.8.8. Hanc rem, inquit Montanus cujuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam, aut comparatam non fuisse sed diuinitus datam Mosi, vel eo tempore, quo lex & tabulæ, vel eò quo perfectum fuit opus arbitramur, eamque fuisse multiplici figurâ distinctam simul claram speculique instar tersam, ex nominum figura & numero etiam multitudinis intelligimus.

QVÆRITVR 3. Quomodo consuletur per Vrim & Thummim, neque hoc etiam satis constat, cùm ea de re nullam habeamus scripturæ institutionem: Id quidem videtur non fuisse consultum hoc oraculum ab omnibus promiscuè, sed tantùm à capitibus populi, vt de Iosua legitur Num.27.21. de Saule, 1.Sam.28.6. de Dauide, 1.Sam.30.7.8. Et docent Hebræi doctores non alij quàm Regi & supremo Iudici, quem Patrem domus Iudicij vocant, fuisse licitum hoc oraculum sciscitari. Sciscitabantur autem in re graui tantùm & magni momenti, putà cùm ageretur de Rege, regno, Sacerdotio, Prophetia, bello, & aliis ejusmodi arduis negotiis. Quomodo enim Nehem.7.65. Sacerdotibus quibusdam qui non potuerant iudicare familiam majorum suorum interdictum est ne Sancta Sanctorum comederent, dum respondisset Sacerdos in Vrim & Thummim, dicitur & ille qui interrogabat obuertisse faciem ad Sacerdotem, & interrogasse voce submissa, sed tamen quæ à Sacerdote percipi posset: Sic etiam docent Sacerdotem ad Vrim & Thummim obtutu affixissimo respexisse, ex quibus literæ quædam apparerent prominentes, ex quibus inter se conjunctis emergebat diuina responsio; Quanquam aliis magis placeat non per externam aliquam certarum literarum combinationem, sed per lapidum pectorali intextorum splendorem data fuisse responsa, etsi quidem lapides candidissimo fulgore micuissent res prosperas designatas, sin obscuriùs intuissent res aduersas, quod tamen non

non ſatis conſiſtere videtur cum iis, quæ ſcriptura narrat de Dauide, quippe cùm interroganti reſponſum fuiſſe dicatur conceptis quibuſdam vocibus, 1.Sam.23.11.12. & 30.8.& 2.Sam.2.1. Probabile mihi videtur, vbi Sacerdotem Ephod induiſſet, & applicuiſſet, diuino Spiritu affatum reſponſa dediſſe. Nam cùm Exod.28. iubeatur Ephod ſupra cor ſuum ponere, videtur eo ſignificatum cor Sacerdotis diuinitus tactum, vt ad interrogata infallibili ratione reſponderet, adeò vt fuerint Vrim & Thummim non ipſum oraculum, ſed ſignum diuinitus inſtitutum, ad cujus applicationem oraculum redderetur. Hæc puto pertinere quod Hebræo eſt, Neh.7.65. donec exiſteret Sacerdos עומד לאורים, id eſt, qui reuelet, quid facto ſit opus.

DENIQVE ſicut omnia quæ diſpenſata fuerunt in lege, reſpexerunt ad Chriſtum qui propterea finis legis dicitur, Rom.10.4. Ita Vrim & Thummim deſignarunt radiantiſſimam illam lucem, quâ Chriſtus in æternum lucet, quippe hominum formoſiſſimus & vnctus oleo lætitiæ, &c.Pſ.45.3.8. Deinde ſignificata eſt etiam illuminatio ſpiritualis, quâ Deus fidelium mentes colluſtrat, & ſinceritas illa, integritaſque juſtitiæ, quam ipſorum cordibus Spiritus ſui virtute ingenerat, nominatim deſignabatur officium Sacerdotum, ſeu Miniſtrorum Eccleſiæ, eos nimirum qui ad Eccleſiaſticum vocantur officium, non modò rerum cœleſtium cognitione pollere, ſed & vitæ ſanctitate, morumque ſimplicitate præditos eſſe debere, & commiſſum ſibi Gregem, tum verbi diuini ſalutari cibo paſcere, tum ſanctitatis vitæ exemplis ædificare valeant.

QVARTVM & vltimum reuelationis genus illud eſt, quod vocant, Hebr. בתקוי id eſt, filiam vocis, de qua ita dicere ſolent in templo poſteriore, quod poſt reditum ex captiuitate Babyl. denuo extructum eſt Zorobabele. Hæc defuiſſe narrant, quæ in priore extiterant, nempe. 1. Arcam cum propitiatorio, & Cherubini, & alia quæ arcâ condebantur. 2. Ignem ואש תמיד, quo ſolebant holocautomata conſumi. 3. Spiritum Prophetiæ, quem in Iſraële defeciſſe dicunt anno ſecundo Darij. Et verò ex 1.Maccab.4.46.& 9.27.& 14.41. Patet iis temporibus nullum fuiſſe in Iſraële Prophetam. 4. Eam quam vocarunt שכינה habitationem, quo nomine ſignificant diuinam majeſtatem, quatenus viſibilibus quibuſdam ſignis puta nube perpetua propitiatorium obumbrante, præſentiam ſuam Iſraelitis exhibebat, juxta illud habitabo in medio filiorum Iſrael. Exodi 29.45. 5. Denique Vrim & Thummim, per quæ ſolitus erat Deus oracula reddere, vt modò diximus. Quinque autem res iſtas ſub templo defeciſſe ſecundo volunt, Hebr. ſignificari per defectum ה ſanctæ Alphab. literæ, in voce אכבר, quæ legitur Aggeæ.1.8. Pro אכבוד id eſt, glorificabor. Hos defectus igitur ac nominatim Prophetiæ ac vrimorum ſuppletos eſſe volunt, per nouam ſpeciem vocabuli, quâ Deus templum hoc poſterius dignatus eſt, quæque cœlitus audiebatur & futura præmonebat, de quo ita in tract. Sanedrin cap.10. in Gemara 5.13. pag. 156. Tradunt Magiſtri, ex quo mortui ſunt Prophetæ poſteriores Aggæus, Zachar. Malach. ablatum eſſe Spiritum ex Iſraele, nihilo tamen

minus usi sunt filia vocis. Quare autem filia vocis diceretur, diuersæ rationes redduntur. 1. Quia ex cœlo audita fuit, non ipsa vox, sed vocis illius Echo, sicut euenit, si quis fortiter ferit rem aliquam duram secundùm sonum eminus percipi. 2. Quia distincto & articulato sono Dei voluntatem disertè atque perspicuè declararet, quia videlicet verba, quæ proferebantur essent velut partus ab illa voce cœli efformati. 3. Quod ipsa non esset vera vox cœli, sed typus, præludium, testimonium, & significatio veræ illius vocis quæ Christus est Verbum, & sapientia Patris. Atque inde factum volunt, quòd illa בת־קול aliquando testimoninm Christo perhibuisse dicatur. 1. In Baptismo, Matth.3.17. tum in transfiguratione, Matth.17.5. cùm in illo Christi angore, de quo Ioh.12.28.

QVANQVAM autem potest in hac narratione, vel rejicienda, vel recipienda frui quisque suo judicio, nondum tamen à me obtinere potui, vt ei firmum sensum accommodem. 1. Quia video non aliunde quàm ex Rabinorum traditionibus originem habere, neque est cur verius illud putemus, quàm quod Maccab. author. lib. 2. cap. 2. narrat in contrarium ante captam à Chaldæis vrbem absconditam fuisse à Propheta arcam, & tentorium, & altare suffitus, & incognitum debuisse manere locum, vbi condiderat, cùm Deus congregaret populum facta misericordia, quo demum tempore demonstraturus esset illa diuinitus & appariturа gloria Domini, & nubes, sicut Mosis tempore, quæ tamen quàm fluxa sunt fidei fundamenta, vel ex eo patet, quod 2. Chron. 36. 18. 19. dicitur Nebuzardum combussisse domum Dei, & abstulisse omnia ejus vasa, magna, & parua, & thesauros. Et Ierem. 31. 19. Dicuntur asportata fuisse quæcunque ibi erant aurea & argentea: Nemo autem nescit arcam fuisse totam auro intus obductam, quin & author lib. 4. Esdræ cap. 10. docet arcam Testamenti fuisse direptam, & Sancta Domini contaminata. Sic & Conc. Nic. 2. art. 5. Et Cyrill. catech. 2. Illum Regem Babil. τὰ χρυσᾶ σωτηρίας, καὶ τὸ ἱλαστήριον καταπατῆσαι, contriuisse Cherubim, & propitiatorium conculcasse. 2. Quia cùm extet hist. templi secundi, id est, eorum quæ ab ipso constructo, vsque ad Christi aduentum, adeóque vltimam Ierosolym. vastationem gesta sunt, nusquam tamen redditi acceptiue illius oraculi exempla proponuntur: Nam quòd semel legimus apud Iosephum ante captam à Tito vrbem auditas voces ex sanctuario *migremus hinc*, non videtur deputandum speciali cuidam Iudæorum prærogatiuæ, cùm vocum ejusmodi auditarum multa extent in aliorum populorum hystoriis exempla: Ita enim cùm moueret Attila in Italiam, dicitur audita *Caue tibi Italia*, & cùm missus ab Imperatore Basilio Adrianus Patricius, vt Siculis contra Barbarorum impetum suppetias ferret, & in Peloponeso moras traheret, dicuntur pastores vocem audiisse sæpius ingeminatam, quæ diceret captas esse à Barbaris Syracusas, & apud Mexicam metropolim Americæ, cùm captiuus Dæmonibus ex Barbaro more paulò post sacrificandus miseriam suam deploraret, audiuisse vocem dicitur quæ diceret, non esse quod ita se angeret, statim

enim

enim futurum vt aduentante extera natione genus illud sacrificij cessaret. Sic neque voces è cœlo auditæ, & testimonium Christo perhibentes huc faciunt, quippe quæ non ad oracula Veteris Testamenti referenda sunt, sed & Euangelij gratiam spectant, non minùs quàm illæ quas Paulus, Act.9.3.4.5.6. & Actor.10.13.14.15. audiuisse leguntur. Denique parui momenti est, quod ex Aggæi 1.8. colligunt ex defectu literæ ה cùm obseruatio ejusmodi artis Cabalisticæ tantùm veritatem redoleat, & ejusmodi defectus literulæ illius sæpius occurrat alibi, vt videre est Rhuti.1.9.12.20. Etsi minutiis illis hærendum est, magis probaretur defecisse illas res sub finem tantùm templi secundi, cùm litera illa deficiat sub finem vocabuli. 3. Quia quod de defectu Vrim & Thummim dicitur, refutari videtur à Iosepho lib.3. antiq.cap.12. Vbi docet τὸ λόγιον, quem ipse vocat ἐφοδια, ab Hebræo חשן, id est, pectorale judicij, vnde oracula sua reddere solebat, defecisse tantùm 200. ante ipsum annis, Irato Deo propter legum suarum præuaricationem. Iam autem scribebat Iosephus suos hosce libros post vastationem secundi templi, & ab illo extructo vsque ad dirutum anni sunt ad minus 500. Baron.630. & vltra enumerat. Itaque si Iosephus audiatur 300. vel 400. annis sub templo secundo oraculum illud perseuerauerit, Neque illud silentio prætereundum, quod Esdr.2.62.63. dicitur eos Sacerdotes, quod genus suum iudicare non potuerant, depulsos fuisse à Sacerdotio, & abstinere iussos ab vsu rerum sanctarum, donec existeret Sacerdos eum Vrim & Thummim, id est, donec recomposita Eccl. politia, & omnibus ritè paratis Sacerdos summus Deum per Vrim & Thummim consulere posset, vt ita innotesceret quid hac in re facto opus esset, quæ verba insinuare videntur etiam sub posteriori templo frequentatum Vrim & Thummim oraculum. Sed hactenus ista.

Ex iis quæ diximus satis patere potest, quomodo Deus loquutus fuerit Patribus per Prophetas; Nunc ad illud accedamus, quod nostri præcipuè instituti est, & quod explicat Apostolus ibidem, Heb.1.v.1. dum subjungit Deum postremis hisce diebus loquutum fuisse nobis per filium. Quibus verbis de doctrina Euang. quatuor explicat, à quo, per quem, quibus, & quando ea promulgata fuerint. 1. Si authorem quæris, is est Deus, cui vt τὸ πνεῦμα θεῖον solet Scriptura sæpius opera, tum naturæ, tum gratiæ tribuere, nimirum vt ordo personarum insinuetur, non autem vt excludantur reliquæ personæ. Nam & Paulus doctrinam Euangelij à Christo & à Patre accepisse se testatur, Galat.1.1. Et Christus promittit Apostolis Spiritum sanctum à quo ducantur in omnem veritatem, Ioh. 16.13. 2. Ille per quem Deus locutus est, est filius Dei, loquutus, inquam, per eum non simpliciter, vt ministrum & instrumentum exterius, quomodo Prophetis & Apostolis vsus est, in docendis ac tradendis Euangelij mysteriis, sed vt verum authorem & ipsum Euangelicæ gratiæ doctrinæque doctorem. Atq; hæc ratio est, quare Filium Dei eum vocet Apostolus, & sequentibus verbis notis suis ac proprietatibus commendet, vt hæredem mundi, creatorem sæculi, splendorem gloriæ paternæ, vt nori-

mus de ipso agi, tanquam vero Deo, atq; non vt simplici ministro voluntatis diuinæ, & esse ipsum hoc prophetico munere perfectum, non quà hominem modò, sed & quà Deum. 3. Ostendit Apostolus ad quos pertineat Euangelij doctrina, cùm ait Deum esse loquutum nobis. Nos autem opponit Patribus, i.e. Ecclesiæ Iudaicæ, quam per antiquos Prophetas alloquutus est. Itaq; illa voce nobis non solos Apostolos designari putandum est, quibus Christus ea reuelauit, quæ audiuit à Patre, Ioh. 15. 15. non solos Iudæos, ad quos se speciatim missum docet Christus, quatenus ipsis per sese Euangelium prædicauerit, Matth. 15. 24. sed totum corpus Ecclesiæ Christianæ, adeóque tum illos, qui Christi & Apostolorum tempore vixerunt tum quicunque ad finem vsque sæculorum in Christum crediturí sunt. Nam propterea testatur Christus qui dixerit Apostolis ea se dicere omnibus, Marc. 13. 37. Et Apostolus ea omnia quæ scripta sunt in sacris codicibus ad consolationem & institutionem nostram esse scripta, Rom. 15. 4. 4. Docet Apostolus quando fuerit doctrina ista à filio promulgata, nempe postremis diebus, non quod à Christo ad finem vsque sæculorum non deberent multæ armorum centuriæ decurrere, sed quia tota mundi duratio tribus maximis periodis continetur, quæ vocantur tempora naturæ, legis, & gratiæ. Tempus naturæ ab Adamo extenditur vsque ad Mosem, per quem tradita est lex, Iohan. 1. 17. Tempus legis à Mose vsque ad *Iohannis prædicationem* & *Christi aduentum* excurrit, Matth. 11. 13. Vltimum igitur est gratiæ tempus, quod propterea dicitur hora vltima, siue nouissima, 1. Iohan. 2. 18. Id est postrema mundanæ durationis periodus, quâ peractâ finis sæculorum aduenier. Quanquam autem circumfertur Prophetia quædam Eliæ nomine, quæ tria hæc tempora in æquales partes ita distribuit, vt vnicuique duo annorum millia assignet, adeóque mundi durationem sex annorum millibus complectatur. Vnde sequeretur ad finem sæculorum superesse nobis tantùm 300. annos, nihili tamen est Iudaicum commentum, tum quia falsitatis arguit dictum Christi, neminem nouisse diem Iudicij, ac ne Angeli quidem, Marc. 13. 32. Tum quia ex Chronologia maximorum supputatione conuertitur, cùm vt videre est apud Functium ab Adamo vsque ad legislatorem Mosem effluxerint anni 2460. A Mose verò ad Christum numerandi sunt tantùm 1566. Itaque in periodorum supputatione ingens est error annorum ferè 400. Illud ergo nobis potiùs obseruandum cum priora illa duo tempora notabilem status mutationem passa fuit, quatenus naturæ lex cessit, & deinde legem excepit gratia. Haud immeritò esse quòd tempus gratiæ vocatur postremum, quippe quod nulli ejusmodi mutationi futurum sit obnoxium, neque id ante finem mundi alia quæpiam doctrina à Deo, vel authoritate Dei promulganda est, quæ doctrinam Euangelicam expungat, aut mutet, aut ei aliquid addat, nimirum perseuerabit Euangelium Christi constantissimè, neque nouis dogmatibus in vera Christi Ecclesia vspiam erit locus, regetur ea Verbo Dei ab Euang. & Apostolis in Sacra Scriptura comprehenso, vt vel hinc pateat, quid conentur, qui præter & extra verbum Dei scriptum traditionum

tionum pullitiem excludunt, aut fouent. Sed imprimis, hinc euidentiùs liquet, quàm impiè fecerint & Antichristianè, qui sese religiosorum nomine venditantes sub annum Christi 1250. abominandum Scrip. ausi sunt Christianis obtrudere, cui nomen præscripserant Euangelium æternum, siue Euang. Spiritus Sancti, quòd nimirum legis quidem promulgatæ fuisset Deus Pater author, Euangelij Filius Dei, sed supereſſet aliquid eminentius nimirum Euangelium æternum authorem habens Spiritum Sanctum, quodque æternum ideò dicebant. Quia nulla post illud noua doctrina esset expectanda, ideò insumpserant illi has blasphemias successurum esse sacerdotio Christi sacerdotium illud, euacuandum N. Patrum. Sicut vetus euacuatum est, Euangelium Christi non posse nos ad perfectionem deducere, adeoque non rectè dici Euangelij regnum, esse itaque necessarium, vt melius & perfectius Euang. ipsi succedat, & quæ alia dogmatum portenta sunt, Quod videre est apud Vsserium lib. de Christianarum Ecclesiarum successione & statu cap. 9.

Verùm vt de officio Christi Prophetico specialiùs agamus; neque jam de causa ipsius efficiente, aut finali dicamus, quippe quæ satis patere possunt ex iis quæ jam supra hujus lib. cap. 2. docuimus: Duo nobis expedienda veniunt, necessitas & ratio Prophetiæ Christi. Ac, 1. quidem necessarium fuisse, vt Christus hoc officio Prophetico defungeretur; præterquam quòd iis argumentis euinci potest, quibus supra triplicis officij necessitate demonstrabamus. Tria sunt præcipuè, ex quibus id confirmari potest, nimirum reuelationis necessitas, salutis ratio, Scripturæ veritas. De necessitate reuelationis diximus, nempe nulla salutaris esse potest Dei rerumque diuinarum cognitio sine reuelatione, nec vlla est vera reuelatio, nisi per Christum, Iohan. 1. 18. Ergo Christum rerum diuinarum reuelatorem, adeoque Prophetam esse oportet. 2. Idem conficitur ex ratione salutis: Nam certum est Christi officia dirigi ad salutem electorum, vt suo loco dictum est fusiùs. Iam autem Deo visum est, non omnes homines promiscuè, nulloque delectu ad salutem proueheré, sed tantùm saluos facere credentes, 1. Corinth. 1. 21. & vita æterna eos donare qui credunt, Iohan. 3. 15. 16. Nam cùm salus sacerdotio Christi nobis parta fuerit, & per Christum vt regem spiritualem dispensetur, æquum est vt illi tantùm salutem obtineant, qui Christum tanquam Sacerdotem & Regem suum vera fide agnoscunt & amplectuntur. Atque fides non aliter ingignitur cordibus nostris quàm per verbi diuini prædicationem, Rom. 10. 17. Et per efficacem operationem Spiritus Dei, Eph. 1. 17. 18. 19. 20. Verbi autem prædicatio & interna Spiritus illuminatio pertinent ad officium Christi Propheticum. Itaque Prophetam esse Christum necessitas & ratio salutis nostræ exigit. 3. Illud idem colligitur ex oraculorum diuinorum veritate, quæ necessariò impleri oportet, cùm Scriptura non possit solui, Iohan. 10. 35. neque debeat vllus illius apex præterire, vsque dum facta fuerint omnia, Matth. 5. 17. Extant autem plurima de Christi Prophetico officio vaticinia, quorum nonnulla proposuisse sufficiet.

EXIMIVM illud est quod primum occurrit apud Mosem, Deut.18. 16.18.19. Prophetam suscitabit tibi Iehoua,&c. De quo loco etsi quædam sit Controuersia inter doctores, dum alij hæc verba de omnibus Prophetis, quos Deus post Mosem excitauit in Israele intelligenda volunt, sed eximia quâdam ratione de Christo qui Prophetarum omnium caput est: Alij vers.15.de Christo. At 18.19. de aliis Prophetis, vel contra 15.de Prophetis, & 18.19. de solo Christo exponendum putant nobis tamen tutissimum videtur,si simpliciter ei expositioni adhæreamus, quam proponit Spiritus Sanctus per Sanctum Petrum,Act.3.22.23. Et sanctum Stephanum, Act.7.37.Hinc enim satis euidenter colligimus hæc verba de solo Christo fuisse dicta. 1. Quia sanctus Petrus hunc Prophetam de quo loquitur Moses, distinguit ab omnibus Prophetis, qui vnquam fuerunt, Act.3.21.24. 2. Quia eum designat per nomen demonstratiuum, cùm vocat προφήτην ἐκεῖνον, v.23. Atque ita ostendit verba Mosis non per enallagem numeri ad omnes Prophetas,sed singulariter ad principem Prophetarum referenda. 3. Quia Petrus vaticinium Mosis præcisè restringit ad Messiæ tempora,vers.21.adeóque significat Mosem loqui de illo Propheta,qui Messias esse debebat. 4. Cùm sanctus Petrus æqualiter ad Christum referat,quæ habentur, Deut.18. tum vers.15. tum vers.18. & 19. frustrà sunt illi qui diuersis versibus de diuersis Prophetis agi arbitrantur. 5. Alij hanc etiam rationem addunt ex Mosis verbis quòd promittatur ejusmodi Propheta, qui sit sicut Moses, vel similis Mosi: Atqui in toto Prophetarum subsequentium cœtu nemo fuit similis Mosi,vt docetur Num.12.6.7.Deut.34.10.Vnus est Propheta nimirum Christus,& Mose major,Hebr.3.3.5.6. Et tamen in pluribus Mosi similis: Nam & Christus & Moses statim ab ortu malè habentur. Moses in arca juncea. Christus in præsepi reponitur. Mosem Pharao, Christum Herodes prosequitur, Moses populum ex Ægypto, Christus ex peccato liberat, Moses legem, Christus Euangelium dat, Moses internuntius est inter Deum & populum. Christus Mediator inter Deum & homines. Moses in Canaanem Israelitas; Christus in cœlum fideles deducit. Moses 12. exploratores in Canaam,Christus 12. Apostolos in mundum emittit.Moses 70.seniores constituit.Christus 70.discipulos. Vterque doctrinam suam miraculis confirmauit,Vterque 40. dies jejunauit, & alimenta in deserto populo præbuit, & sicco vestigio per mare ingressus est, & faciem diuino splendore illuminatam habuit. Hæc & alia latiùs prosequitur Euseb.lib.2.demonst. cap.3.

SIC ESAIÆ 42.1.2.3. &c. de Prophetis Christi manifestum extat oraculum,vt dicitur Christo inditus à Patre Spiritus,vt Iudicium Gentibus proferat,id est,Prophetam agat inter Gentes, & per justas Euangelij leges justumque Dei cultum eas ad veram justitiam adducat, & fore vt in doctrina ejus regiones spectationem habeant,nempe quæcunque ad Euangelij vocatæ fuerint cognitionem. Igitur eum dandum in fœdus populi & in lumen Gentium ad aperiendos oculos cæcorum, id est, futurum illum verum Angelum fœderis, qui accensa passim per ministros

Euan-

Euangelij luce, Gentes ad notitiam salutaris suæ doctrinæ dispulsis ignorantiæ tenebris sit vocaturus. Hoc autem oraculum non ad Iacobum aut Israëlem pertinere, quantumuis eò trahant LXX. Interpretes, ejti propterea nomina illa inseruerunt verbis Esaiæ, sed ad solum Christum esse referenda non aliunde meliùs doceri possumus, quàm ex Matth.12. 17.18. Vbi cùm docuisset Euangelista omnes curauisse, qui malè habentes eum sequebantur, & jussisse ne manifestum eum facerent, vtriusque rationem reddit ex testimonio isto Prophetico, curasse nimirum omnes, quia prædixerat Esaias eum ita misericordem & benignum fore, vt lenitate sua suorum infirmitates esset leuaturus, neminem læsurus, ac ne arundinem quidem quassatam confracturus. Iussisse autem ne manifestum facerent eum, quia prædixerat Propheta eum ita humilem & mansuetum futurum, vt nemo in plateis vocem ejus auditurus esset, neque adeò ipse permissurus, vt intempestiuo clamore, ac sui nominis prædicatione, vel dignitas personæ, vel amplitudo beneficiorum suorum publicaretur, cùm maluerit sensim in mentes hominum veritatem suam instillare, quàm ejusmodi clamoribus se notum facere.

ILLVSTRISSIMVS etiam est locus, Esa.61.1.2. Spiritus Domini super me, quia vnxit me Dominus ad euangelizandum mansuetis: Quanquam enim ferri posset eorum explicatio qui verba volunt esse ad Esaiam, & alios Dei Prophetas spectare, quatenus singuli suas partes egerunt in publicandis Christi beneficiis, ita vt fuerint ministri & præcones ejus gratiæ, quæ à ~~solo~~ Christo reipsa præstanda Ecclesiæ, & sub N. Testamento complenda fuit, non est tamen quòd in alio, quàm in Christo ejus oraculi complementum quæramus, qui Christum habemus in ejusmodi expositione ducem, Luc.4.17.18. Vbi testatur in se completam hanc Prophetiam. Hodie completa est in auribus vestris hæc Scriptura, q.d. hoc ipso tempore eum videtis & auditis, de quo tanta loquutus est olim Deus per Esaiam loco quem vobis prælegi. Et verò cùm idem qui loquitur, Esa.61.1. loquatur etiam cap.præcedenti, dicatur vers.9. insulas se expectaturas, quod de nullo Propheta præter Christum intelligi potest, satis inde conficitur ad solum Christum ista etiam pertinere. Quidquid hoc hic iisdem fermè verbis vtitur Spiritus Sanctus, Esa.42.7. Vbi dicitur Messias aperturus oculos cæcorum, & eductus vinctos è carcere, vt intelligamus hic non minùs quàm ibi de vno Propheta Christo agi. Itaque verba illa, Esa.61.vers.1.2.3.&c. non sunt intelligenda, de quacunque vnctione, aut donatione Spiritus quæ in Prophetas & alios fideles cadere potest, sed de plenitudine spiritus & gratiarum spiritualium, quæ in neminem præter Christum competit, Ps.45.8. Ioh.3.34. Neque de quocunque prædicationis ministerio, sed de efficaci illa operatione, quâ verbum in corde potenter penetrat, & animus interius illuminatur & homo reapse conuertitur, quod non hominum, sed vnius Christi beneficium esse nouimus.

OCCVRRVNT & alia passim de hoc officio testimonia, sed hæc pauca sufficiunt, præcipuè cùm certum sit fuisse Iudæis omnibus hanc

veritatem cognitissimam, quod Messias futurus esset populi sui Propheta: Quanquam enim videtur ea sententia vulgò apud Iudæos inualuisse, quòd Christum processurus esset eximius aliquis Propheta, & reliquis longè excellentior, sicut ex eo colligitur, quòd Pharisæi per legatos interrogant Ioh.Baptistam,an esset Christus,an Elias,an verò ille Propheta, Iohan.1.20.21.25. Vbi manifestè distinguunt Christum non ab Elia tantùm,sed & ab illo Propheta,& Ioh.7.40.41. cùm populus Christum audiuisset prædicantem in diuersas sententias abijt, vt alij dicant illum esse Propheram illum,alij verò esse ipsum Christum,tamen etiam Christus officio Prophetico defunctutus apud ipsos extra dubitationem positum fuit,vt vel ex illis in Christ. ludibriis patet,Matth.26.67.68. Nam cùm se confessus esset Christus Filium Dei, abominando risu à Iudæis conspurus in faciem, & colaphis atque bacillis cæsus est, addito insuper sarcasmo,vaticinare nobis Christe,quis sit,qui te percusserit, quasi dicerent,Christus prophetare debet.Ergo & tu,siquidem Christus es, facilè vaticinari potes,à quonam cæsus fueris. Itaque Simeon,cui reuelatum fuerat,se non moriturum priusquam Christum vidisset,cùm eum brachiis amplecteretur,agnouit futurum lumen Gentium,Luc.2.26.32. Et Nathanael cùm propheticam Christi sapientiam ipso cognouisset experimento,concluſit statim eum esse Filium Dei,& Regem Israelis,id est,verum Messiam,Iohan.1.48.49. Imò tam altè omnium animis infederat ista veritas, vt eam penes ipsos Samaritanos inuiolatè permanserit, qui cùm alioqui in profundissimis tenebris jacerent, jamdiu, non tamen omnem de futuro Messia fidem excusserunt, sed eum venturum crediderunt,& omnia ipsis reuelaturum, vt patet ex verbis Samaritanæ, Ioh.4.25.29. vt reliquorum Sycharis incholarum, Ioh.4.42.

SEQVITVR jam vt de officij Christi Prophetici ratione agamus quam quatuor capitibus concludimus,materia,forma,objecto, & modo. Materia spectatur in duabus partibus integralibus muneris Prophetici, nimirum doctrina Christi,& rerum futurarum prædicatione:Nam & totum illud officium ad quod excitati sub V. Testamento Prophetæ vocabantur,duobus illis capitibus continebatur. 1. Siquidem docebant populum,quatenus legis Mosaicæ præcepta vrgebant,inculcabant, explicabant, & applicabant pro ratione locorum, temporum, atque personarum, & ita in vero Dei cultu populum instituebant, etsi quando ab illo discessum fuerat, in superstitionem & idololatriam, vt sæpe factum à Iudæis,reducere conabantur in viam,Deique cultum instaurabant,& ad primam sinceritatem atque institutionem omnia reuocabant, & transgressorem populum sæuiter arguebant, nulloque Regum, Magnatum, vel plebis discrimine, sontibus quibuscunque diuinæ indignationis æstum ingerebant,& promissionibus bonos inuitabant,& malos terrificis minis quatiebant. Docebant item quatenus populum ad Christi aduentum disponebant, fideliumque corda ad ejus receptionem præparabant. Quanquam enim id muneris in Ioh.Baptistam nominatim incubuit,Malach.3.1.& 4.5.6.Luc.1.76.77.Quatenus scilicet non venturum præmonstrauit,

strauit, vt priores Prophetæ, sed venientem & iam in tertis agentem intento quasi digito ostendit, Ioh. 4. 29. non tamen eò minus verum est hanc omnibus Prophetis injunctam fuisse curam, vt hortationibus & doctrina sua totidem essent ad Christum pædagogi, quo titulo lex insignitur, Gal. 3. 24.

Sed extat nominatim hac de re locus insignis, Ioh. 4. 37. 38. Vbi Christus in hæc verba loquitur, alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos ad id metendum in quo vos non laborastis, alij laborarunt, & vos in eorum labores introistis, nempe sicut, Gal. 3. 23. 24. Tempus Veteris Testamenti comparatur infantiæ, tempus autem Euangelij ætati adultæ; Ita hîc propheticum tempus sationi & Apostolicum Messi confertur. Iam verò labor qui circa agros occupatur, & opportunè institutа sementes disponit, & viam, quæ facit ad futuram messem. Ergo significat Christus Prophetarum ibidem prædicationem corda præparasse, & viam perstruxisse ad recipiendum Christum. Interim ad justam loci intelligentiam duo veniunt obseruanda. 1. Christum agere de prædicatione Apostolica, non inter Gentes, sed inter Iudæos tantummodo: Nam certè in Messe illa, quam ex Gentilibus collegerunt Apostoli, nemo ex Prophetis ante illos laborauerat, cùm Prophetæ si vnum Ionam excipias, non solerent ad exteras & alienas à fœdere nationes emitti, neque verò est quòd aliquis dicat laborasse tamen in ea messe Prophetas antiquos hominesque ad recipiendam fidem præparasse, quatenus multa docuerunt Christianæ veritati conformia de Dei vnitate, prouidentia, Iustitia, animorum immortalitate, futuræ vitæ præmiis & suppliciis, &c. Quanquam enim in eam sententiam discesserint veteres nonnulli, Atque in iis nominatim Clem. Alex. lib. 1. Strom. & lib. pædagogi neque diffiteatur Aug. lib. 7. Confess. cap. 9. Se librorum Platonicorum lectione ad fidem Christi amplectendam fuisse commotum, non tamen pauca suppetunt ei subuertendæ argumenta. 1. Quia Apostolus ad Galat. 3. 24. Inter legis μεσότοιχα hoc enumerat, quòd fuerit Pædagogus ad Christum. Atque hoc ipso significat nullam esse aliam doctrinam, cui debeat hæc tituli tanti prærogatiua concedi. 2. Quia de hac satione & messe loquens Christus Ioh. 4. 37. docet tam eum qui seminat, quàm qui metit simul gaudere. At quis dixerit gauisos fuisse Prophetas cum Apostolis de prædicationis fructu Apostolicæ. 3. Quia nulla ratio fert, vt sationem religionis Christianæ vocemus eam doctrinam, quæ infinitis erroribus, putridissimis mendaciis, portentosissimis dogmatibus corrupta est, & tamen non obrupta. 4. Quia apud quos nihil vnquam dictum, prædicatum, auditum fuerat de Christo, durum est, vt credamus eos viam ad salutarem Christi receptionem prostrauisse, alioquin sicut dicitur is esse Christus, de quo Moses & Prophetæ loquuti sunt, Ioh. 1. 43. Ita dici potest esse is de quo Prophetæ docuerunt. 5. Si doctrina Philosophorum Gentiles præparauit ad Christum, qui factum est, vt ad prædicationem doctrinæ Christianæ Philosophi omnes Ethnici ita impotenter per se commouerint, & omnibus modis eam subuersam voluerint; Certè non Epi-

curei modò, sed & Stoici, quorum tamen doctrinam religioni Christianæ magis affinem esse volunt, vbi Paulus Iesum, & resurrectionem annuntiat, conflictantur cum eo contumaciter, & eum σπερμόλογον & nugatorem traducunt; Act.17.18. Hæc sequentibus seculis nemo nescit, quas continuò turbas Philosophi mouerint aduersus Christianos qui eo nomine pessimè audirent apud Patres antiquos tanquam hæreticorum Patriarchas, qui de doctrina sua omnes hæreses animauerint, vnde Tertull. nihil esse commune Athenis & Ierosolymis Academiæ, & Ecclesiæ, Porticui, Zenonis & Salomonis. 2. Obseruandum est quod significare videtur Christus Prophetas laborasse in excolendos apud Iudæos Domini agros, neque tamen messuisse. Et è contrà Apostolos non laborasse, & tamen messuisse. Illud non est simpliciter & absolutè intelligendum, cùm certum sit Prophetas laborum suorum fructum messuisse, neque in cassum abiisse sua opera. Dicuntur enim plantasse, & eradicasse, ædificasse & diruisse, Ier.1.10. Cùm item certum sit Apostolos multum laborem impendisse in conuertendis non modò Gentibus, sed & Iudæis, vt est testis historia Apostolica, Actor.2. v.3.4.5. Et docet Apostolus, Rom.11.14. 1.Cor.9.20. &c. Est igitur illud intelligendum comparatè, nempe quatenus Prophetas quidem per multas annorum centurias laborauerunt alij super alios. Apostolorum autem labor paucos annos perdurauit, & tamen Prophetarum labor non eum fructum habuit, quem Apostolorum, qui vel vna prædicatione quinque hominum millia conuertisse leguntur, Act.4.4. & longè abundantiorem postea messem collegerunt, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus.

IIDEM Prophetæ qui circa doctrinam, tum legis, tum Euangelij suam occupabant operam. Erant etiam futurorum ex inspiratione diuina prænuntij, cœlestiumque decretorum conscij, quæ nondum euentum consequuta erant; Neq; inde factum est, vt consuli solerent de quæstionibus, aut rebus diuinis, grauibus, aut momentosis, vel obscuris & difficilibus, siue ille ad religionem spectarent, siue pertinerent ad Remp. siue singulorum salutem ac necessitatem respicerent, adeóque ad publicam concionem, siue concilium non minùs quàm Sacerdotes admittebantur, vt in commune consulerent, sicut patet ex Ier.26.11. Ita Ioseph Prophetiæ Spiritu donatus rationem ostendit, quâ posset Ægyptus tempore famis conseruari, Gen.41.33.34. Ita Dauid Nathanem consulebat de ædificatione templi, quam pro sua in Deum pietate meditabatur, 2.Sam.7. Cui cùm respondisset initio Nathan, non ex reuelatione diuina sed ex proprio suo sensu, quippe qui judicaret esse laude dignum in se Dauidis votum eumque in tam pia cogitatione à Spiritu Dei dirigi. Opus humanum à Deo moueri, & ex ipsius jussu rediit ad Dauidem impediturus ab hoc cœpto, cùm Deus vellet ædificari sibi domum non à Dauide, qui hostium sanguine, quasi respersus erat, sed à Salomone, qui pacis, & nomine, & amore futurus erat celeberrimus, vt verò hinc discamus non semper ad manum & in promptu fuisse Prophetis inspirationem diuinam, ita vt pro libitu futura prædicere, & ad quæsita certò respondere possent. Ita consuluit

ſuluit Ioſaphat Michæam de bello in Syros, 1.Reg.22.9. Et Ioſias Vldam Prophetiſſam de reformatione Eccleſiæ, 2.Reg.22.23.24. Huc etiam referunt multi quod de Rebecca dicitur, Gen.25.22. nempe quòd cùm intra viſcera duo filij ejus ſeſe colliderent, conſuluerit Iehouam, nimirum de adeundo aliquem ex Prophetis, ſiue ille Sem fuerit, ſiue Heber, ſiue potiùs ſocer Rebeccæ Abraham, qui Propheta dicitur, Gen.20. 7. Quanquam alij non minùs probabiliter conjiciunt hoc eſſe referendum ad ſanctas Rebeccæ preces, quibus obtinuerit Reſponſionem Domini, vel per viſionem in ſomniis, vel per Angeli alicujus miſſionem. Porro illorum Prophetiæ duorum erant generum: Aliæ quippe vniuerſales, quales in quolibet modo & tempore contumaces in Deum & obfirmatos in peccatis ſuis prænuntiantur, Leuit.26. & alibi paſſim. Et qualis illa eſt quam ex Enochi Apocryphis recitat Iudas Epiſt.ſuæ 14. Aliæ vero particulares, & in certas Gentes, aut perſonas directæ, quales habentur, apud Eſaiam & alios Prophetas plurimæ, ſed & Prophetiarum aliæ promiſſiones continent futurorum bonorum, ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium; Aliæ verò minas complectuntur, & impendentia mala præſagiunt. Atque hæ ſunt quæ ſpecialiter nomine משא, ſiue oneris veniunt, 2. Reg.9.25. Eſ.13.1.& 15.1. Ier.23.33. Quanquam non ita dici poteſt quælibet Prophetia, quatenus hoc nomine deſignatur officium atque miniſterium, quod Prophetæ committitur, adeóque doctrina, quæ ipſi reuelatur, vt ad Eccleſiam deferat, & fidelibus exponat, quo ſenſu hoc nomen vſurpat Scriptura, Prou.30.1. & 31.1. Quo factum etiam vt ſeptuaginta Græcè hoc nomen reddant per vocem λέμματος, id eſt, aſſumptionis quia ſcilicet Prophetia mandatum eſt Dei, quod Propheta aure, vel mente aſſumit, ſiue excipit, vt ad eos perferat, ad quos dirigitur; Singulari tamen quadam ratione ſic dicitur Prophetia minas continens, & futura Dei judicia variaſque calamitates prænuntians, tum quia Prophetæ non niſi cum quadam moleſtia Prophetias ejuſmodi, qui onera quædam leuant, & in os tollunt, id eſt, enuntiant auditoribus ſuis, quos ſaluos mallent, quàm in miſeram ruinam detruſos, tum præſertim quia ejuſmodi Prophetiæ ſunt quaſi totidem oneroſæ, atque ἀβάστακτοι ſarcinæ humeris eorum impoſitæ in quos tamen proferuntur, tum denique quia hoc vocabulo nos monitos voluit Deus, quidquid aduerſi nobis accidit, eſſe graue onus à Deo impoſitum, ſed quod patienter portandum, Mich.7.9. non ſeria pœnitentia excutiatur.

PRIMA igitur pars officij Prophetici quo Chriſtus defunctus eſt, conſiſtit in ipſius doctrina externaque illius promulgatione. Quam iterum ad duo capita reuocare poſſumus legis explicationem, & Euangelij declarationem. Legis autem nomine hic non intelligimus vniuerſam religionis œconomiam, qualis fuit ante Chriſti exhibitionem, id eſt, totum illud corpus doctrinæ, quod lib.Canon.Vet. Scripturæ continetur, quomodo ſumitur, Luc.16.16. Matth.11.13. Ioh.11.34. Rom.3.19. Neque nomine Euangelij quidquid documentorum comprehendit, lib.N. fœderis. Certum eſt enim & in libris veteribus multa haberi, quæ ſunt Euangeli-

ca, & in Codice Noui Testamenti multa contineri, quæ sunt legalia, Vnde tritum illud apud Theologos, legem & Euangelium non distingui voluminibus. Sed legis appellatione contractiùs vtimur, vt significemus legem moralem, id est, eam doctrinam, quæ operum justitiam explicat, quæque perfectè præstita vitam æternam pollicetur, sed vel tantillum in eam peccanti exitium interminatur, adeóque habet promissiones & minas conditionales; illas sub conditione obseruationis exactissimæ; has sub conditione trangressionis cujuscunque, hoc sensu accipitur lex Act. 13.39. Rom.3.20.Gal.3.21. Euangelium autem hic vocamus tum doctrinam gratiæ & remissionis peccatorum in sanguine Christi, vt Luc.4.18. Gal.3.21. Euangelium autem hic vocamus tum doctrinam gratiæ & remissionis peccatorum in sanguine Christi, vt Luc.4.18.Rom.1.17.& 10. 15. quæ propriissima est, & strictissima vocis significatio, & etymologiæ respondet, cùm Euangelium idem sonet ac bonum nuntium, quia scilicet annuntiat nobis esse reconciliatum Deum in Christo, neque vel credentibus imputare peccata, sed eos absoluere, & in æternam salutem deducere, tum etiam latiori acceptione doctrinam resipiscentiæ nouæ obedientiæ, quo sensu sumitur, Rom.1.1.& 2.16.& 1.Cor.9.14. Christus enim & Apostoli Euangelium prædicantes resipiscentiam postularunt, non minùs quàm fidem, Marc.1.15. quippe sine qua nulla potest haberi peccatorum remissio, Luc.13.3. tum nouam vitam & obedientiam, Act. 5.19. Rom.6.4. Habet porrò Euang. suas, tum comminationes adjectas, easque conditionales, non enim absolutè promittitur peccatorum remissio, sed sub conditione pœnitentiæ, ac fidei, Luc.24.47. Act.11.18. & 13. 39. Et Deus à gratia remissionis peccatorum excludit impœnitentes & infideles, Luc.13.3. Ioh.3.30. Sed tamen in ratione conditionum longè differunt lex & Euangelium: Nam, 1. Lex conditiones requirit,Matt. 19.17. Sed quæ ab ipso homine præstentur, id est, ex viribus propriis,& ex ipsa natura nulla facta mentione gratiæ vel Spiritus Christi, quippe cùm hæc ad Euang. non ad legem pertineant, ideóque non promittit Deus in lege se vires homini daturum, quibus ad culmen illud justitiæ legalis pertingere possit. Euang. verò conditiones postulat, nempe pœnitentiam & fidem, Marc.1.15. Sed non quæ ab ipso homine præstentur; Considerat enim hominem in peccatis mortuum, quique adeò ex sese non valeat emergere, inde, & ad veram pœnitentiam atque fidem assurgere. Itaque quas conditiones, eas in cordibus electorum vi Spiritus sancti efficiendas promittit,Ier.31.33.& 32.39. 4. Vnde & pœnitentiam & fidem,& nouam obedientiam ex fide consequentem passim vocat domum Dei, Act.11.18. Phil.1.29.& 2.13. 2. Lex non acquiescit in qualibet justitia etiamsi sincera sit, sed præter sinceritatem exigit ab homine perfectionem absolutam, etsi quidem vel in re minima discesserit à tramite sanctitatis & justitiæ condemnationem & maledictionem ei denuntiat, Deut.27.26. Euang. autem in conditionibus implendis, non tam quantitatem spectat, quam qualitatem, etsi perfectio non adsit, imò quia perfectio nunquam adest, sinceritate contentum est, & hypocrisim d testatur: Co-

tur : Conatuum verò tenuitatem non despicit, neque Lychnum fumigans extinguit, aut arundinem quassatam confringit, Esa. 42.3. Sed fidem veram, quantumuis debilem accipit, neque quantulacunque sit, ἀζρεῖβουτον abire sinit, Matth.17.29. Marc.9.23.24. adeoque infirmorum fidem æque pretiosam habet, ac robustiorum, 2.Petr.1.1. quia si discrimen sit in quantitate perfectionis, æqualitas tamen est in ratione sinceritatis, ex qua fidem & pœnitentiam metitur Euangelium. 3. Legis conditiones omnes sunt antecedentes, id est, vitam Deus proponit in lege sub conditione justitiæ, Matth.19.17. non quæ sequatur donationem vitæ, sed quæ illam antecedat : Nisi enim præcesserit reapse, & in ordine temporis atque naturæ, justitia operum & factorum nunquam dabitur vita ex sententia legis. Euangelij verò conditiones non omnes antecedunt remissionem peccatorum, sed quædam illam sequuntur. Certè Euangelium à nobis exigit nouam obedientiam, non tamen quæ præcedat donationem gratiæ Euangelicæ, id est, justificationem & remissionem peccatorum, sed quæ eam consequatur, tanquam officium gratitudinis à fructuosa justificatione promanans, Ps.130.4. Quin & de fide ita sentiunt doctissimi esse ipsam instrumentum, non quo efficiatur, aut obtineatur justificatio, sed quo percipiatur sensus justificationis, & remissionis peccatorum, sed de his aliàs.

Primvm ergo Christus in explicanda & inculcanda lege morali operam suam diligenter occupauit, quámque exactam ex partibus omnibus & gradibus absolutam perfectionem ab homine postulet, seriò declarauit, tum alibi, tum nominatim, Matth.5.17. & sequentibus. Ideoque, 1. vt homo requisitam à lege perfectionem animo expendens, & se ipsum excutiens, & quantum absit ab illa perfectione humiliter agnoscens, ad propositam à Christo & in Christo gratiam, vel ad sacram anchoram confugiat, atque à legis terroribus ad dulcissimas Euangelij promissiones gradum moliatur. 2. Vt ab iniquissimis Pharisæorum sui temporis explicationibus legem vindicet, suúmque ipsi sensum à Deo legislatore intentum restituat. Pharisæi siquidem justitiam tantùm externam illam vrgebant, quæ sese visibili opere conspiciendam præbet, quod sola exigeretur in præceptis legis moralis, & ad perfectam ejus obseruationem sufficeret, neque de motuum & cogitationum interna puritate solliciti erant, imò etsi quis pura legis mandata externè seruaret, etsi in quibusdam transgrederetur, nihilo tamen minùs eum justum esse coram Deo docebant, vt ex Burgensi notat Drusius lib.2. de tribus Iudæorum sectis, pag.72. Ne quis ergo huic sibi blanditias faceret, adeoque gratiam Euangelicam respueret, quòd ea nullius sit vsus cum externa legis justitia, quam homo satis facilè præstare potest, ad Dei benedictionem & vitam æternam consequendam sufficiat, in id sedulò Christus incumbit, vt doceat legem non externis tantùm actibus, sed & interioribus animi motibus fines suos præscribere, quos si transiliat mortis æternæ sit reus. Ante omnia igitur Christus id præfatur, & vult esse omnibus testatissimum, non venisse se, vt legem solueret, id est, ejus

authoritatem abrogaret, aut eam doceret, vel falsam, vel inutilem, aut doctrinam ei contrariam proponeret; sed venisse, vt eam adimpleret. Quanquam enim Christus legem abrogauit, non modò ceremonialem, antiquando legalem cultum, & doctrinam Euangelicam substituendo, quæ in toto mundo prædicaretur vsque ad finem sæculi, verùm etiam moralem, non respectu quidem obedientiæ, sed ratione maledictionis, quam sustulit, & ratione τῆς ἀκριβοδικαίας, quod sub Euangelio non exigit sæuiter ac rigidè à fidelibus suis; Quo sensu dicitur lex & Prophetæ fuisse vsque ad Iohannem, & ab eo tempore regnum Dei annuntiari, Luc.16.16. Non abrogauit tamen damnando, aut conuertendo illam, sed perficiendo, & implendo. Impleuit autem, 1. Ea perficiendo & exequendo, quæ Ceremoniis Mosaicis repræsentata, & Prophetarum vaticiniis de futuro Messia promissa fuerant, Luc.24.44. 2. Omnibus legis præceptis perfectissimum obsequium præstando, Psalm.40.8.9.Ioh. 8.29. adeoque jus legis & promissionem de danda vita eam implentibus instaurando in sese pro tota Ecclesia. 3. Implet eam in suis fidelibus quotidie, quatenus corda ipsorum Spiritu suo in voluntariam legis obedientiam flectit, quæ hic sua habent initia & progressus in futuro sæculo complementum & perfectionem absolutam consequetur. 4. Denique implet eam, quatenus verum legis sensum, & rectam interpretationem ostendit, absque qua foret vt verè lex dissolueretur, & supra legis humanæ conditionem parum omnino emineret.

Sed non leuis hîc nobis intercedit controuersia cum Aduersariis pluribus. Vtrum scilicet Christus tractatione illa sua, Matth.5. ad legem veterem præcepta moralia continentem aliquid addiderit, quod ipsa suo sensu ex legislatoris Dei mente non complecteretur; An verò tantùm eam interpretatus fuerit, rectam illius intelligentiam, sensúmque declarando. Agitata enim fuit quæstio inter Catholicos & Manichæos, vt videre est apud August. lib.19. contra faustum Manichæum: Docebant enim Manichæi Christum legem moralem additis illis præceptis quæ habentur Matth.5. partim adimpleuisse, partim destruxisse, quod toto illo libro refutat August. Ex illis & Manichæorum lacunis hausisse videntur Mahumetistæ doctrinam propositam in Alchor. Azoar. 12. Mosem tulisse legem nimirum perfectam: Christum verò perfectionem dedisse, cui postea blasphemiam Turcicam addunt, Mahumetis legem esse omnium perfectissimam. Eodem prolapsi sunt Anabaptistæ: Docent enim legem & Euangelium, non in fide modò, sed in vitæ operúmque doctrina multum differre, ideóque Matth.5. institutam à Christo grauissimam vtriusque antithesim, accedunt ad eandem opinionem Sociniani, quorum illud dogma est in Catechesi Racon. pag.164. non venisse Christum vt legem pro nobis impleret, sed vt noua præcepta legi adderet. Eadem mens Pontificiis Bellarm. lib.4.de Iustif. cap.3. docet Christum reddidisse legem ex imperfecta perfectam, vel certè ex perfecta perfectiorem, & inter legem & Euang. illud ipsum interesse, quod inter doctrinam inchoatam & perfectam. Et Maldonato qui Comm. in Matth.

Matth.5. quæstionem fusè disputat, & obstinatè contendit à Christo legem ipsam veterem esse correctam adjunctis iis, quæ ad perfectionem Euangelicam desiderabantur. Nobis contra illud certissimum est Christum non ipsam legem, sed additam legis à Pharisæis falsam interpretationem correxisse fuisque illis expositionibus non nouum sensum, sed nouam lucem intulisse legi, adeóque non fuisse hanc adjectionem alicujus, quod antea legi non inesset, sed ejus quod in lege lateret, & à Pharisæis non obseruabatur euolutionem, cujus sententiæ varia sunt firmamenta.

Primò quod ita perfectum vt ei nihil addi aut detrahi debeat, illud quoad rem & substantiam nouis quibusdam additionibus locupletari & perfici non potest. Atqui lex moralis non tantùm est perfecta, Psal. 19.8. id est, explicante Genebrardo continet omnia facienda, & Lorino ita est integra, perfecta & absoluta, vt ei nihil desit, verùm etiam ipsi nihil quicquam addi debet, aut detrahi, Deut.4.2. Atque illud mihi confiteri videtur Maldonatus imprudens, dum ait legem moralem esse in suo genere perfectam, sed minùs perfectam quàm Euangelium: Nam sane nemo dubitat Euangelium esse quid perfectius lege, quatenus scilicet gratiosas promissiones exhibet, quas lex non habet de Dei misericordia in Christo ad obtinendam remissionem peccatorum, & æternam vitam, sed hoc satis est ad institutum nostrum, si dicatur lex esse perfecta in suo genere, id est, quatenus est lex moralis siue quatenus præcepta morum continet: Nam inde per se consequitur ad illam legem quoad morum & vitæ institutionem pertinet, nihil adjici posse, ac proinde cùm ad mores & vitam spectent, quæ docentur Matth.5. Illa omnia etiam legis moralis veteris ambitu sensúque contineri.

Secundò ea lex perfectissima est, neque aliis perfectioribus præceptis opus habet, cujus mandatis si perfectam obedientiam eis præstet homo vitam æternam absque dubio consequuturus est; neque enim imperfecta & in aliquo deficientia mandata perfectam & indeficientem vitam æternam præparat hominibus. Nam homo qui fecerit ea viuet in eis, Leuit.18.5. Hoc non potest intelligi simpliciter de vita temporali, sed ad æternam præcipuè referendum est, vt patet, 1. ex Chaldæo Interprete, qui locum vertit in hunc sensum, quæ si fecerit homo, viuet in eis vita sempiterna, & Chaldæum interpretem sequuntur Rabbini, ac nominatim Salomo Iarchi. 2. Ex Gal.3.12. Vbi Paulus de justificatione agens, adeoque de salute æterna, hunc locum laudat, vt ex eo conficiat neminem operibus suis justificationem & salutem posse consequi. 3. Ex Matth.19.16.17. Vbi Christus juueni quærenti quid faciendo posset obtinere vitam æternam, Respondet ad istum locum alludens, si vis in vitam ingredi, serua mandata.

Tertiò nulla potest esse major in vitæ transigendæ perfectio quod mores attinet, quàm si quis Deum diligat toto corde, & proximum, sicut seipsum: Atqui lex moralis eam ab homine perfectionem, etiam sub Vet. Testamento exigebat, Deut.6.5. Et ad hæc duo præcepta tota lex

& Prophetæ, id est, vniuersa morum doctrina reuocatur, Matth. 22. 37. 38. 39. 40. Et omnia præcepta secundæ tabulæ ad charitatem proximi reducuntur, Roman. 13. 9. 10. Et ludibrium nobis debet Maldonatus, cùm aliquam esse majorem perfectionem ait eâ, quæ consistit in Deo toto corde diligendo, nimirum si quis magis Deum, quàm toto corde diligat, cùm illud toto corde, perfectionem significet per omnes gradus, vt sit & valdè, & magis, & maximè Deum diligere. Et verò potest-ne esse major perfectio, quàm illa, quæ tanta est, vt nullus homo eam vnquam consequatur in seculo? Atque præceptum de diligendo Deo toto corde, nemo potest, vel potuit in hac vita vnquam adimplere, vt docet Aug. lib. de perfect. Iustitiæ. Et Bernardus serm. 5. in Cantico.

QVARTÒ ipsa Christi verba, Matth. 5. satis docent ipsum, non legem à Deo traditam corrigere, sed peruersas Pharisæorum glossas & traditiones redarguere. Nam, 1. Quid est quod Matth. 5. 20. testatur Christus, nisi abundauerit plusquàm Pharisæorum, &c. Cur non dicit justitiam legis, vel legem moraliter scriptam, sed justitiam Pharisæorum, nisi vt significet se non tam reddere velle ad onera præceptorum legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarum & Pharisæorum, quemadmodum agnoscit etiam Bellarm. lib. 4. de Iustif. cap. 4. 2. Cùm ait Christus, Matth. 5. 43. Audiistis dictum, diliges proximum & odio habebis inimicum. Putamus-ne id esse præceptum legis, an prauam traditionem majorum, quam Christus corrigat. Certè lex quæ amorem cuiuscunque proximi imperat, eadem etiam opera odium ipsius interdicit, & inimicos nostros beneficiis prosequendos docet, Exod. 23. 4. 5. Prouerb. 25. 21. Neque est vt dicat Maldonatus hæc mandata restringi ad solos Iudæos, ita vt Iudæi exceptis fratribus suis, reliquos inimicos odisse possent, imò & delere iubentur, Deuter. 25. 19. Nam quæ generaliter enuntiantur non debent absque certo testimonio restringi ad particulares quasdam circumstantias præcipuè cùm sapientia cœlestis in lib. Prou. non Iudæis modò, sed omnibus hominibus præcepta sua tradat vt patet ex Prouerb. 8. 1. 2. 3. Quod autem hostes suos delere jubentur, non generatim ad omnes omnino Gentiles ab Israele Repub. alienos, sed ad solos Cananæos pertinet, quos Deus ob ipsorum abominationes internecioni deuouerat, neque Israelitæ illos ex priuata justitia, sed ex publica Dei authoritate, non vt inimicos suos, sed vt Dei hostes insequi & exterminari iubebantur.

QVINTO Christus cùm præcepta de non occidendo, non mœchando, non peierando perducit, non modò non occidendum, mœchandum, peierandum, sed nequidem irascendum, aut concupiscendam alienam vxorem, aut jurandum per cœlum & terram. Quod si hæ sunt non explicationes legis moralis, sed nouæ ad illam accessiones, sequitur iram, concupiscentiam & iuramenta per cœlum & terram non fuisse sub Vetere Testamento peccata, quia nulla erat lex, quæ ipsa interdiceret. Quis autem hoc dicere sustinet, imò quis ignorare potest ea fuisse antiquitus prohibita? Nam de concupiscentia vxoris, & rerum alienarum Deus expressum

preſſum mandatum dedit in Decalogo. De ira ſubinde loquitur Salomo Prouerb.14.17. & 10.19. & 22.24. Eccl.7.9. Iuramenta verò per creaturas ſi ſpectemus, Deus Ierem.5.8. Vetat jurare per eos, qui dij non ſunt, adeoque & per cœlum, & terram, & cùm Chriſtus non omnia omnino juramenta damnet, alioqui quomodo à graui peccato excuſaretur Paulus jurans, Rom.9.1.2. Cor.1.23. Et quomodo ſtatueret jurandum eſſe per majorem, vt juramentum ſit finis contentionis cujuſlibet, Heb.6.16.) ſed temeraria tantùm & vana. Nihil ſanè docuit aliud quàm quod lege morali præſcribitur, quæ Dei nomen in vanum aſſumere prohibet.

VLTIMÒ eadem eſt doctrina Irenæj lib.4.cap.26. Conſummatæ vitæ præcepta in vtroque Teſtamento ſunt eadem, & eundem oſtendunt Deum, quæ particularia quidem præcepta apta vtríſque præceptis, ſed eminentiora & ſumma, ſine quibus ſaluari non poteſt. In vtroque eadem ſuaſit Aug.toto lib.19. contra Fauſtum Manichæum idem oſtendit cap.20. Docet antiquos juſtos idem docuiſſe & feciſſe, quod docuit Chriſtus de non iraſcendo. Vnde concludit aduerſus Fauſtum, Nondum inuehiſti, cuinam legi hæc aliquando defuerint, quibus nunc additis eam Chriſtus implerit; Et cap.26. Expoſuit Dominus quid lex voluerit, cùm paſſim dimittendi vxorem libellum repudij dederit, & poſtea Chriſtus vbi quibuſdam antiquis ſententiis propoſitis adjunxit, Ego autem dico vobis neque priorum hominum legem hoc verborum additamento implerit, neque illam quæ per Moſem data eſt quaſi contrariorum oppoſitione deſtruxit, ſed potiùs omnia ex Hebræorum lege commemorata ita commendauit, vt quidquam ex perſona ſua inſuper loqueretur, vel ad poſitionem requirendam valeret, ſi quid illa obſcurè poſuiſſet, vel ad tutius conſeruandum quod illa voluiſſet; Et cap.27. Vides illud quàm ſit intelligendum, quod ait Chriſtus, non veniſſe ſe legem ſoluere, ſed adimplere, ſcilicet vt non ſemiplena lex iſtis verbis integraretur, ſed vt quod litera iubente, propter ſuperborum præſumptionem non poterat, ſuadente gratia propter humilium confeſſionem impleretur opere factorum, non adjectione verborum. Vnde concludit cap.28. omnia vel pene omnia, quæ monuit ſeu præcepit Chriſtus, vbi adjungebat; ego autem dico vobis inueniri in illis veteribus libris; Quod verò dicit, vel pene omnia, non eo fine dicit, vt ſignificet ſaltem aliquid eſſe additum quod ad rem legi morali à Chriſto, ſed vt oſtendat in legis explicatione à Chriſto facta quæ dam occurrere, quæ iiſdem verbis explicata in ſcripturis veteribus non inueniantur, etſi mens & ſenſus ibi contineantur. Chriſtus hîc etiam non legem corrigere, ſed falſas Iudæorum Interpretationes agnoſcit gloſſa ordinaria, & Emanuel Sa in Matth.5. & Thom. ac Bonau. apud Bell.lib. de Laicis cap.13. Et denique Catechiſmus Trident.part.3.cap. 3.§.18. & cap.6. §.11. Vnde etiam cap.1. §.3. Non dicit legem Moſis eſſe a Chriſto correctam, aut perfectam, ſed explicatam & confirmatam.

SED Maldonatus obnititur, & vt legem à Chriſto correctam & perfectam fuiſſe oſtendat, profert ante omnia Veterum authoritatem magno numero docentium à Chriſto perfectiora tradita fuiſſe, quàm lex vetus

proponeret. Sed ne jam dicam non posse iis omnibus Veterum sententiis veritati præjudicari, videntur eorum dicta mihi cum nostra sententia facilè conciliari posse. 1. Ex allata iam Augustini expositione, si nempe intelligatur Christus perfecisse legem, non quòd semiplenam verbis suis integrarit, sed quia gratiam dat, quâ legis litera impleatur. 2. Ex illis Hieron. verbis aduersus Pelagium, Tu nos Manichæos vocas, quòd legi Euangelium præferentes in illa vmbram, in hoc veritatem esse dicamus & non intelligis stultitiam tuam impudentiæ copulatam, aliud est damnare legem, quod Manichæus facit, aliud legi præferre Euangelium, quæ Apostoli doctrina est: In illa enim serui, In hoc præsens loquitur Dominus. Ibi promittitur, hîc impletur. Ibi initia, hîc perfectio est. In illa operum fundamenta jaciuntur, hîc fidei & gratiæ culmen imponitur nimirum Hieron. & Veteres, qui legem & Euangelium compararunt, vt imperfectum & perfectum, non de lege morali speciatim loquuti sunt, sed latiore significatu legem & Euangelium dixerunt pro Vetere & Nouo fœdere, quæ ita distingui non negamus, quòd ibi vmbra, promissiones, initia, & quæ fundamenta fuerint, Hic veritas, complementum, perfectio; & quasi culmen additum fuerit, sed nihil hoc ad causam nostram, vt satis consideranti patere potest.

ADIVNGIT deinde Maldonatus varias rationes, sed quæ ad duo capita referri possunt. Nam. 1. Si Christus inquit, de solis Pharisæorum interpretationibus loqueretur, non percepisset eorum nominibus eos reprehendens, sed dixisset, audistis dictum esse à Pharisæis, neque eos vocasset antiquos, cùm non multùm ante Christi tempora extitissent, vt ex Iosepho colligitur. *Resp.* in scripturis multos sæpius tacitis ipsorum nominibus reprehendit. Deinde Christum non pepercisse Pharisæorum & scribarum nominibus, cùm eos reprehendens expressè nominet, Matth. 5.20. 3. Cùm non de Pharisæis modò, sed & de Scribis Christus loquatur, etsi fatemur Pharisæos non diu ante Christum extitisse, tamen haud immeritò esset, qòud antiquos memoret, cùm certum sit scribas, quos vocant Hebræi ספרים longè antè Christi tempora in Israele notos fuisse, vt patet ex 2.Reg.22.8.9. Denique illud verum est Pharisæos non potuisse vocari antiquos, cùm Ioseph. Antiq.lib.18.cap.2. doceat ipsos extitisse ἐκ τοῦ αἰῶ ἀρχαίου, quod Interpres vertit iam inde à multis retrò sæculis. Et verò cùm Ionathanis fratris Iudæ Maccabæi tempore, iam non essent tantùm, sed & florerent inter Iudæos vt idem docet Antiq.lib.13.cap.8. Ionatham autem vixerit 200. ante Christum docentem annis, Quis non fateatur eos à Christo antiquos vocari, quin imò tres illæ Iudæorum sectæ, Pharisæi, Esseni, & Sadducæi iam tempore Zachariæ Prophetæ fuerunt, si viros doctos audias, qui verba Christi de excidendis tribus pastoribus, Zach.11.8. interpretantur de perdendis tribus illis sectis: Nam & seuerè reprehensos esse à Christo, tum Pharisæos, tum Sadducæos, Euangelistæ passim testantur.

SECVNDA ratio circa legem de repudio Pharisæi nihil corruperant, & tamen Christus non eam legem corrigit. Sic neque illam legem, non peierabis:

peierabis Phariſæi corrumpebant. Ergo Chriſtus non eorum Interpretationes explodit, ſed & veterem legem, aliquid perfectius adjecit. Denique lex nullibi docet ſi quis nos in vnam maxillam percutiat, alteram vertendam eſſe. Non ergo tantùm legem moralem Chriſtus interpretatur, ſed nouam legem doctrinamque adfert. *Reſp.* ad ſingula. 1. Ad legem repudij quod attinet quid hîc nobis Maldonatus: Idem enim Manichæi olim Catholicis objiciebant. *Reſp.* Aug.lib.19. contra Fauſtum cap.26. Chriſtus vbi quibuſdam antiquis ſententiis propoſitis adjunxit, ego autem dico vobis, neque priorum hominum legem hoc additamento verborum adimpleuiſſe, neque illam quæ per Moſem data eſt, quaſi contrariorum oppoſitione deſtruxiſſe, ſed potiùs omnia ex Hebræorum lege commemorata ita commendauiſſe, vt quidquid ex perſona ſua inſuper loqueretur, vel ad expoſitionem requirendam valeret ſi quid illa obſcurè poſuiſſet, vel ad tutiùs conſeruandum quod illa voluiſſet. Notat deinde circa legem de repudio Deum non dixiſſe antiquitus qui voluerit dimittat vxorem ſuam, ſed juſſiſſe libellum repudij dari, vt hâc interpoſita mora in diſſidium animus præceps libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorem dimittere cogitaret, & à prudentibus ſcribis, quibus ſolis illa repudij literas exarare fas erat, ad bonam mentem reuocaretur, & vxori ſuæ reconciliaretur. 2. Lex iſta de repudio non pertinet ad caúſam quam agimus: Nos enim de lege morali loquimur: Atqui lex illa de repudio non moralis erat, ſed conceſſio tantùm politica. Non fuiſſe moralem inde patet, quòd lex moralis nulla ratione naturæ repugnet, imò potiùs præcepta illius omnia excepta tantùm in quarto mandato determinatione ſeptimæ diei, ita ſunt de jure naturali, vt nihil contineant, quod non à recta ratione doceri poſſit, & quod non pertineat ad omnes gentes omni tempore, & quod non faciat ad bonum humani generis in hac vita: Atqui per legem iſtam inducitur repudij polygamia quam vocant ſimultaneam, vno eodémque tempore: Nam vxor viro quamdiu viuit obligata eſt per legem, Rom.7.2. Neque poteſt homo ſeparare quod Deus conjunxit, Matth.19.6. Atque adeò repudium à marito factum reuera conjugium antea vnitum ſoluere non poterat. Iam verò ejuſmodi polygamia eatenus contra legem naturæ eſt, quatenus eſt contra finem matrimonij, quod eſt de jure naturali. Nam etſi forte in primarium illum finem matrimonij non impingit, qui eſt procreatio ſobolis, ineſt tamen ſecundariò valdè leuis putà prolis educationem, mutuum obſequium viri & fœminæ, & remedium concupiſcentiæ, vt obſeruat etiam Becanus Analogiæ cap.21.concl.2.

OBIICIES ex ſanctis viris multos fuiſſe antiquitus polygamos, putà Abrah. Iacob. Dauidem, imò & in polygamia mortuos eſſe, neque eo nomine pœnitentiam egiſſe. Vnde ſequi videtur in eo non peccaſſe contra legem moralem, cùm abſurdum ſit dicere in peccato mortuos eſſe, adeoque vitam æternam minimè conſecutos. *Reſp.* haud abſurdam eſſe illorum ſententiam, qui Deum docent circa iſtam legem diſpenſatione vſum fuiſſe, eamque inſpiratione peculiari notam feciſſe Patriarchis il-

lis; Quia enim volebat Abrahæ semen multiplicari, ideò potuit à legis, quæ vnius cum vna conjunctionem instituit, obligatione illos absoluere, & plurium vxorum simul habendarum licentiam facere. Verùm tutiùs est, si missa ejusmodi dispensatione, quippe de qua nihil ex Scripturis haberi possit, dicamus polygamiam istam næuum fuisse in illis Patriarchis, & peccatum contra primam conjugij institutionem, quam sancti illi viri non satis attenderunt, imò abrepti, partim publica consuetudine, quæ vulgò tum obtinebat, partim desiderio multiplicandæ sobolis, de qua dictum fuerat Abrahamo, semen ejus futurum instar arenæ maris, obliuione sepelierunt primæuam illam legem, ideóque ignorantia peccarunt, non malitia destinata, vnde colligimus hoc peccatum non fuisse ipsis imputatum, quippe de quo pœnitentiam egerint, si non specialem, vt nominatim peterent sibi illud dimitti, saltem generalem, quatenus ex vera fide à Deo petierunt occulta delicta & peccata ignorantiæ sibi propter Mediatorem remitti, Ps.19.13. Concludamus ergo legem fuisse à Deo datam, sed tolerantiam quandam, & permissionem, siue concessionem politicam quæ neque factum illud repudiandi vxorem simpliciter probabat, neque indifferens, aut licitum reddebat, sed tantùm immune relinquebat à pœna exteriore & legali, ita vt qui vxore repudiata aliam duxisset, non plecteretur aliquo supplicio corporali, & si de cætero, non careret actio ista peccato, quod & Deut.24.4. Deus innuit cùm eam quæ repudiata nupsisset alteri, vocat pollutam, quod simpliciter dici non posset, si repudio illi moralis inesset justitia, aut si esset illud à Deo institutum, adeoque dimissio vxoris legitima, & justam partem faciens aliarum nuptiarum. Sed & Christus, Matth.19.8. Docet illud concessum fuisse Iudæis propter eorum σκληροκαρδίαν ad grauiora peccata euitanda illud in gubernatione politica tolerari oportuit. Itaque sensum diuinæ legis in hoc artitulo Pharisæi verè deprauabant, quemadmodum Bellarm. agnoscit lib.4. de Iustif. cap.3. dum libellum diuortij, vt rem moraliter legitimam obtrudebant, & ipsi pro libitu exercebant, quo fit vt Christus eos ad primam matrimonij institutionem reuocet, doceatque non ita fuisse ab initio, Matth.19.8.

Ad legem de perjurio falsum est, quod Pharisæi nihil hîc deprauarint. Imò, inquit Bellar. lib.4. de Iustif. cap.3. Pharisæi docebant quidem non esse peierandum, tamen frequentare juramenta etiam leui de causa nullum peccatum esse ducebant. Contra Dominus docet non esse jurandum omnino scilicet nisi subsit iurandi necessitas, nimirum duplex circa hoc caput erat traditio Pharisæorum; Altera quidem est, quòd in rebus etiam leuis momenti communibusque negotiis, & communi sermone posset absque peccato Dei nomen ad juramentum assumi: Altera verò quòd per Deum directè non juraret, sed indirectè per aliquam creaturam juramentum illud impunè posset violare. Certè in Thalmude tract. de Iuram. cap.4. notante Drusio, lib.2. de tribus sectis, cap.16. Iudæi negant jusiurandum esse, si quis per cœlum & terram deieret, nisi addatur nomen Dei, quod qui non addiderit, dicunt eum non esse exe-

crationi

cationi obnoxium. Illis falsis persuasionibus doctrinam Christus opponit, non nouam, sed veterem, & lege morali comprehensam, nempe quòd 1. non sit omnino jurandum, id est, in vanum assumendum Dei nomen, nec in quibusuis casibus interponendum juramentum, Exod. 20.7. 2. Non jurandum per aliquam creaturam: Vetat enim Deus jurare per eos, qui dij non sunt, adeoque, & per cœlum & terram, Ier. 5.8.

Ad Christi doctrinam de obuertenda altera maxilla, & dimittendo pallio. *Resp.* cum Bellarmino, vbi supra, corrupisse Pharisæos legem illam Talionis oculum pro oculo, dentem pro dente: Nam cùm non animaduerterent eam legem constitutam fuisse ad justitiam conseruandam, non ad appetitum vindictæ saturandum, docebant licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur monet vindictam non esse appetendam, nec malum pro malo reddendum, sed potiùs paratum debere esse hominem probum, si opus sit percutienti maxillam vnam, præbere etiam alteram. Atque adeò, ipse Maldonatus in hunc locum docet iis verbis nos moneri, vt antequam vindictam quæramus, potiùs alteram accipiamus injuriam, & animo parati simus ad remittendum de jure nostro quodcunque charitas & gloria Dei videbitur, id postulare. Iam autem quis dixerit in ista Christi doctrina esse aliquid, quod lex vetus non doceat. Certè Leuit. 19.18. jubemur non vlcisci neque seruare inimicitiam, quod præceptum cùm sit à Deo est necessariò executioni mandandum & omnia quæ sine peccato fieri possunt, potiùs facienda quàm illud violetur. Ergo & ex vi illius potiùs est obuertenda percutienti maxilla altera, quàm quærenda nobis priuata illatæ injuriæ vltio. Vltimo illud addo doctrinam quæ à Christo traditur & explicatur, Matth. 5. non fuisse incognitam Talmudis authoribus, qui tamen non ex Euangelio, sed ex lege sapuerunt, imò qui Christi & Euangelicæ doctrinæ jurati fuerunt hostes. Vnde concludi facilè potest, eam igitur doctrinam pertinere ad sensum legis, neque aliunde fuisse haustum ex lege aliqua quæ sit morali perfectior. Certè ex Talmude hæc proferuntur à doctis viris minimè consentientia cum eis quæ habentur, Matth. 5. Nam sicut Matth. 5. 29. dicitur, satius est vt pereat vnum ex membris tuis, quàm vt totum corpus conjiciatur in Gehennam. Ita in Nidda fol. 13. Satius est, vt findatur venter hominis quàm vt descendat in puteum corruptionis. Sicut Matth. 5. 28. Qui aspexit mulierem, &c. Ita in Kella initio. Quicunque aspicit mulierem cum intentione, perinde est ac si cum ea concubuisset. Sicut Matth. 5. 39. 40. 41. docet Christus percutienti obuertendam alteram maxillam, &c. Ita in Saua Cama fol. 92. Socius tuus si vocet te asinum, etiam Sellam asini super te admoue; quo Prouerbio monebant patienter esse ferendas injurias aut calumnias, & quasi confessione in se potiùs suscipiendas, quàm vt amplior litibus aut pugnis aperiatur Ianua.

Secvnda pars doctrinæ Christi instituta est in prædicatione Euangelij. Euangelij autem nomine vt supra notauimus tria comprehenduntur, nimirum doctrinæ, pœnitentiæ, fidei, & nouæ obedientiæ. Hæc tria sunt capita ad quæ Christi Euangelica prædicatio reuocari potest.

1. Igitur Euangelij pars est doctrina de pœnitentia, non quacunque, sed salutari tantùm : Nam pœnitentiæ nomine aliquando significatur illa compunctio, displicentia & contritio, quâ peccator interiùs post peccatum commissum lancinatur, propter imminentem sibi maledictionem seueriſsimásque pœnas, quas Dei judicio peccatoribus nouit esse repositas, sed ejusmodi pœnitentia de se salutaris non est, adeóque 2.Cor.7.10. vocatur tristitia, siue dolor mundi, quia hominum mundanorum propria est eorúmque quibus cum Christo nullum est commercium, & mortem efficere dicitur: Est enim quoddam interni, quasi προσπύλαιον, & atrium, quippe quæ reprobos ita torqueat, ac perturbet, vt se explicare nunquam valeant, sed certa sit ipsis ad mortem æternam via, & desperationis πρόξενεια, vt patet in Caino, Genes.4.13. & Iuda, Matth.7.45. Interim tamen ex gratioso Dei consilio, & per accidens propter nimirum superuenientem Dei gratiam electis præparatio est ad resipiscentiam, & initialis quidam & seruilis timor, quo Deus ipsos ad filialem & Euangelicum timorem disponit. Hæc est quam vocant pœnitentiam pœnæ, siue amissi, vel etiam legalem, quia scilicet ingrediatur per prædicationem legis, ex qua est cognitio, adeóque accusatio peccati, Rom.3.20. Sed est alia pœnitentia, quâ peccator agnitis peccatis, & miseria, in qua jacet, non modò gemit ac dolet, & profunda humilitate dejicitur, sed etiam oblati in Christo remedij expectatione sese rursus erigit, vnde ab Apostolo vocatur dolor secundùm Deum, quia à Deo in Deum tendit & à viuifico Dei Spiritu est, neque tam ex pœnæ à Deo offerendæ, quàm ex offensæ in Deum illatæ consideratione exoritur, cùm etiam testetur Apostolus, 2.Corinth.7.10. Efficere pœnitentiam ἀμεταμέλητον, neque prior vt illa pœnitentia stimulum quem infixerat animo reuincit, sed eximere docet & excutere, & ad salutem perducit æternam, hanc vocant pœnitentiam culpæ, & admissi, & Euangelicam, quia Euangelicæ prædicationis opus est. Certè vt ait Ambros. nemo veram agit pœnitentiam qui non sperat indulgentiam. Sicut ergo indulgentia, ita & pœnitentia, quum ad eam spirat, Euangelij est, vt cùm Iohan. Matth.3.2. & Christus, Marc.1.15. dicantur pœnitentiam eo nomine prædicasse, quod tempus esset impletum. 1. Quòd aduenisse terminus ille quem Deus aduentui Messiæ præstituerat, & quòd regnum Dei appropinquaret, id est, occasio salutis per Christum afferretur, & adesset regnum gratiæ & misericordiæ, & Messias exhibitus Dei beneuolentiam secum apportaret, satis inde declaratum est veram & salutarem resipiscentiam ad Euangelij doctrinam spectare. Talis fuit eorum pœnitentia qui ad prædicationem Petri corde compuncto quærunt remedium peccati sui, Actor.2.37.38. Talis pœnitentia Petri, qui cùm ter Dominum abnegasset, foras egressus amare plorauit protinus vt Christus in ipsum conuertit oculos, Luc.22.61. quæ oculorum conuersio dulcissimus fuit Petro Euangelismus, nempe, inquit Beda, respicere, misereri est, quia non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam, vt agatur Dei misericordia necessaria est, iuxta illud Psalm.80.8. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Fuit igitur ille Christi

aspectus,

aſpectus,ſicut loquitur Leo ſerm.3.de paſſione, quaſi quædam vox Petri auribus inſonans, & dicens, quid habes Petre quod in tuam conſcientiam reſedit,ad me conuerte, in me confide, me ſequere, meæ paſſionis hoc tempus eſt,nondum tui venit hora ſupplicij,quid metuis? quod ipſe etiam ſuperabis, non te confundat infirmitas quod reſedit, ego de tuo fui trepidus, tu de meo eſto ſecurus. Ad hanc igitur Euangelij partem pertinent ea omnia Scripturæ dicta,quæ de circumcidendo corde,mortificanda carne,ſpoliando exteriori,& veteri homine,crucifigendis membris terrenis,adeoque de reſurrectione à peccatis,conuerſione ad Deum paſſim in Scriptura docentur.

ALTERA doctrinæ Chriſti pars conſiſtit in annuntiatione gratiæ per Chriſtum allatæ. Atque in hoc conſiſtit præcipuum & maximè proprium Euangelij officium,quod notat etiam Iohan.1.17. dum ait,legem per Moſem datam,& gratiam,& veritatem per Chriſtum factam. Ideoque dicitur vnctus à Spiritu Sancto, vt Euangelium annuntiaret humilibus, Eſa.61.1. Inde fit vt Euangelium vocetur doctrina Domini, & doctrina Chriſti,Actor.13.12.& Chriſti teſtimonium,1.Corinth.1.6.Apocal.1.2. non tantùm, quia Chriſtus proprium eſt iſtius doctrinæ objectum, 1.Corinth.2.2. Sed etiam quia in ejus prædicatione diligentia Chriſti in terris agentis occupata fuit præcipuè. Certè ſicut Chriſtus venit,non vt mundum condemnaret,ſed vt mundus per eum ſaluaretur, Iohan.3.17. Ita non venit præcipuè vt legem legíſque minas inculcaret, quippe qui miniſterium ſit condemnationis & mortis,1.Corinth.3.7.Sed vt gratuitas Euangelij promiſſiones annuntiaret, quod miniſterium eſt Spiritus vitæ atque Iuſtitiæ, 2.Corinth.3.6.9. Et cùm quædam ſit pœnitentiæ pars, quæ ad legale miniſterium pertinet, vt diximus, cùm etiam quidquid ad opera ſanctificationis pertinet ſuum habeat ad legem moralem reſpectum, vt poſtea dicetur, ſola eſt gratia in Chriſto & juſtitia fidei,ſeu remiſſio peccatorum,quæ nullomodo à lege morali prædicatur, ſed Euangelium ſolum prædicationis materia eſt.Docet Apoſtolus duobus inter alia teſtimoniis illuſtribus, Rom.1.verſ.17. Iuſtitia ex fide in fidem in Euangelio reuelatur. Vbi juſtitiam Dei vocat,tum bonitatem, tum miſericordiam illam ſingularem & ſalutiferam, quâ Deus propter præſtitam à Chriſto ſatisfactionem nobis peccata pœnásque peccatorum remittit, tum juſtitiam Chriſti, quàm Deus peccatoribus ad juſtitiam gratis imputat,quámque vocat juſtitiam Dei,non quaſi juſtitia legis moralis non ſit juſtitia Dei, id eſt, à Deo præſcripta Deóque grata, ſed quia hæc juſtitia N.fœderis non tantùm habet Deum ſupremum,authorem, ſed etiam quia Deus eam voluit à Chriſto vero Deo impleri, & à nobis acquiri,& quia eam ex mera gratia fidelibus largitur. & quia ad eorum juſtificationem eam ſolam accipit, & quia denique ſola in diuino judicio ſubſiſtere valet. Eam ergo juſtitiam dicit non modò reuelari per Euang. ſed addit etiam ex fide in fidem,quibus verbis,tum argumentum,tum miniſterium fidei deſignat: Nam ex fide in fidem idem eſt, ac ſi diceret, 1. Ex fide quæ quotidiana incrementa ſuſcipiat, quæque

cùm 1. sit infirmior mox robustior euadit, nósque adeò de hac justitia Dei certiores efficit, illis suis progressibus cùm certum sit quantò magis augetur fides, tantò nos fortiùs ac firmiùs Dei gratiam in Christo apprehendere. 2. His verbis ministerium solius Dei designat in causa justificationis. Docet enim hanc justitiam Dei reuelari non ex fide in legem, vel in opera, quasi justificatio nostra, partim fide, partim operibus obtineretur, sed ex fide in fidem, ita vt ad hanc justitiam obtinendam ex parte nostra nihil accedat præter fidem in Christi merita recumbentem. Alterum testimonium est, Rom. 3. 21. Vbi dicit absque lege justitiam Dei manifestari comprobatam testimonio legis, & Prophetarum: Nam libri quidem Mosis & Prophetarum de hac justitia adeoque remissione peccatorum in Christo sermonem instituunt, Actor. 16. 43. Sed ea tamen justitia est absque lege, id est, per solum Euangelium manifestatur. Negat igitur Apostolus eam esse ex lege, quia neque doctrina legis moralis eam docet, neque ex operibus legis aliquis eam obtinere valet, neque denique lex circa eam vlla propria ratione occupatur.

Ad hanc igitur maximè propriè dicti Euangelij doctrinam multa in sacris libris à Christo Prophetis & Apostolis declarata pertinent, quippe. 1. quicunque de gratia salutari & misericordia speciali loquuntur, quam non lex promittat, sed solum Christi Euangelium exhibeat, Ioh. 1. 17. Nam quod in ipso decalogo testatur Deus, se misericordiam exerciturum in mille generationes obseruantibus legis mandata, Exod. 20. 6. non ad misericordiam pertinet propriè dictam, id est, eam quæ erga miseros peccatores exercetur, sed ad eam Dei benignitatem, quæ, Kesed, ibidem dicitur, quæq; legem perfectè adeóq; simpliciter & absolutè justis præmia veniâ quadam sua impertitur; Sed impertitur non tam ex debito quàm ex mera liberalitate, Luc. 17. 10. Deinde benignitas eo loco, non tam spectatur, vt præuium obedientiæ fundamentum & causa, quam vt consequens ejus fructus & præmium. Gratia igitur illa, quâ miseros curat, & peccatores erigit, & lapsantes sustinet & infirmos tolerat, & cujusque doni mater est, ac largitrix, neque modò præmia gratuitò distribuit, sed fidem & opera bona in suis efficit, tota Euangelica est. 2. Vitam agunt, quippe quæ sit beneficiorum omnium spiritualium, adeoque totius Euangelij fundamentum, quæ item & de electionis executione tractant, putà de gratia euocante homines à statu naturæ ad communionem regni Christi de vocatione Gentium ab erroribus & idololatria ad verũ de Deo sensum, & verum Dei cultum, de liberatione à peccato, & à maledictione legis, reconciliatione per Christum, Iustificatione, & remissione peccatorum, de vniuerso Redemptionis negotio, de persona, justitia, officiis, obedientia Christi; Lex siquidem nostram ipsorum justitiam & obedientiam exigit, & non præstantibus interminatur judiciũ, Deut. 27. 26. Ezec. 18. 20. Quæ igitur doctrina alienam obedientiam & satisfactionem pro nobis præstitam proponit ac prædicat, non legalis est, sed Euangelica. 3. Quæcunque de vera & salutifica fide dicuntur, ejusque natura, objecto, actu, proprietatibus non tam legalia sunt, quàm Euangelica. Quamuis enim

fides

fides, sicut & spes lege morali impleretur, quatenus scilicet est quædam obedientiæ species, quam Deo præstare tenentur homines, cùm lex præcipiat Deo morem in omnibus gerere, quo nomine & Theologi vulgò fidem & spem ad primum Decalogi præceptum referunt, vbi tamen fides non generatim, & materialiter sub ratione obsequij Deo debiti consideratur, sed speciatim & formaliter, quatenus scilicet occupatur circa Christum ejusque gratiam & spectatur sub ratione instrumenti justitiam Christi percipientis & in eum plena fide recumbentis, non ad legem, sed ad Euangelium pertinere putanda est, nimirum sicut docet Apostolus, Gal.3.12. Legem non esse ex fide, quatenus lex justum pronuntiat non eum qui tantùm crediderit, sed eum qui mandata obseruauerit. Ita haud absurdè dixerimus fidem non esse ex lege morali, non præcisè docemur apprehendere fide justitiam & obedientiam Christi ad Iustificationem. 4. Quæ de Sacramentis Ecclesiæ, eorumque institutione, fine & vsu loquuntur, ad Euangelij doctrinam pertinent. Non loquor autem de Sacramentis illis, quæ primitus & ante peccatum à Deo fuerunt instituta, qualis fuit arbor scientiæ boni & mali, quæ Adamo in obedientiæ symbolum & experimentum data fuit, & arbor vitæ quæ beatæ immortalitatis mysterium complectebatur: Nam cùm istorum ordinatio omnem Euangelicæ gratiæ non prædicationem modò, sed & cognitionem præcesserit (siquidem ante lapsum suum & casum ignorabat Adamus, & casus remedium) certum est non esse illa ad Euangelij doctrinam referenda, adeóque fuisse tantùm appendices quasdam primæui præcepti & legis à Deo in cordibus hominum per creationem insculpta quædam subsidia, quibus docebatur homo, quid à Deo, & præmij habiturus esset, si permaneret in præscriptæ justitiæ obseruatione, & supplicij habiturus si obedientia debita excideret, Sed de Sacramentis hic sermo est quæ Deus post peccatum in gratiam Ecclesiæ suæ sub V. & N. Testamento instituit: Cùm sint enim illa ex vi & ratione institutionis suæ symbola gratiæ promissionis πραγμάτων & Redemptionis à Christo partæ dulcissima μνημόσυνα fœderis gratuiti signa, Gen.17.10. Iustitiæ per fidem sigilla, Rom.4.11. Nemo facilè negauerit esse illa connumeranda inter doctrinæ Euangelicæ partes: Quanquam hic in Sacramentis ac Ceremoniis Israeliticis duo distingui oportet, quorum scilicet alterum vetusto illi tempori congruebat; alterum ad Christi regnum, & præparandam ab eo salutem spectabat. Priori ergo respectu ceremoniæ erant legis moralis appendices quædam, in quibus quod exterius agebatur non aliud per se ferebat, quam χειρόγραφον, seu obligationem adversus Iudæos, Coloss.2.14. Nam & ablutiones legales, & circumcisio erant illis sordium suarum spiritualium testimonium, & in victimis earumque effuso sanguine commeritæ mortis imaginem intueri poterant. Denique quatenus illic ritus totidem erant confessiones reatus. Itaq; hoc modo spectata ad legem pertinebant, non ad Euangelium; sed posteriori respectu quædam erant Euangelici præconij appendices, quatenus scilicet significabant venturum suo tempore Messiam, qui omnia instauraret in melius, & plenam præstaret pro electis sa-

tisfactionem eosque Deo reconciliaret & ad veram peccatorum remissionem adduceret, sed quia id tanquam futurum repræsentabat ideò vbi res ipsa exhibita fuit, eas omnes figuras & vmbras euanescere oportuit. 5. Cùm Eccl. quæ societas est sanctorum & fidelium à Deo ex statu naturæ ad statum gratiæ conuocatorum ea sit cui destinata sunt omnia mysteria quæ diximus & beneficia, haud dubium est, quin ad hanc Euangelij partem referantur quæ in scripturas de Ecclesia ejusque fundamento, capite, & sponso, nec non & de ipsius propagatione, stabilitate, perpetuitate, hostibus, præliis, victoriis atque triumphis docentur. 6. Quia contrariorum est eadem scientia ad Euangelij doctrinam referuntur etiam per accidens, quæ contra impœnitentiam, incredulitatem mysterij Redemptionis & Sacramentorum, & profanationem atque contemptum in Scripturis dicuntur.

Tertia pars doctrinæ Christi Euangelicæ sita est in expositione nouæ illius obedientiæ quam Deo fideles omnes exhibere tenentur. Christus certè non modò pœnitentiam & fidem à suis exigit, sed mansuetudidinem, humilitatem & charitatem, & quæ alia sunt pietatis opera passim inculcat, Matth. 11. 29 Ioh. 13. 34. Et post Christus Apostoli prædicationis suæ partem non minimam in exponendis istis obedientiæ officiis occupare sunt soliti. Imò Paulus totius Christianæ doctrinæ pulcherrimam ideam exhibens in Epist. ad Romanos non modò prædicatione legis defungitur, totúmque genus hominum docet propter omnigena peccata judicio Dei atque condemnationi obnoxium per tria priora capita, nec modò præcipuam Euangelij partem seq. cap. exequitur de justificatione agens, & gratuita peccatorum remissione, adeóque ad primum Euangelicæ gratiæ caput atque originem conscendens. Electionem, inquam, de qua cap. 9. 11. Sed & multa præscribit de vitæ humanæ officiis fideique fructibus vt videre est cap. 6. 7. 8. 12. & sequentibus, vsque ad finem. Vnde doctissimi Theologi suam illam Theologiæ definitionem hauserunt in partes tres, quarum 1. παθολογικὴ peccatum & miseriam hominis explicat. 2. θεραπευτικὴ medelam in remissione peccatorum & gratiam Christi ostendit. 3. προφυλακτικὴ gratitudinis nouæque obedientiæ præceptis exponendis incumbit. Iam autem dubium non est, quin pars ista tertia quæ docet Dei mandatis religiosum præstare obsequium ad legem moralem pertineat, quippe quam certum est duo capita continere præsertim obedientiæ scilicet officium continuum & nusquam interruptum, & officium illud præstantibus benedictionem & vitam, sicut è contra transgredientibus maledictionem & exitium, neque tamen illud obstat quò minus multis nominibus obedientiæ præcepta ad Euangelij doctrinam referri possint & debeant. 1. quatenus obedientia illa libera nunc est ab adjecto ceremoniarum onere, quo antiquitus apud Israelitas grauabantur. 2. quatenus non ampliùs vrgetur à Deo rigida illa & omnibus partibus, gradibus numerisque absoluta omnium & singulorum præceptorum obseruatio sub interminatione maledictionis æternæ, sed adjectum est per Christi gratiam illud Euangeli-

cæ ἐπι-

cæ ὑπακοῆς temperamentum, quo fit vt Deus debiles, ac velut infantiles suorum conatus, & pietatem, quamuis multis imperfectionibus laborantem, dummodo sinceram & ἀνυπόκριτον non dedignetur. Delectatur enim veritate in præcordiis, id est, vera & sincera voluntate sequendorum suorum mandatorum, Ps.51.8. 3. Obedientia est fructus Spiritus sancti: Sicut enim donatio Spiritus non est per legem, sed per gratiam Euangelij, quod propterea dicitur ministerium Spiritus, 2.Cor.3.8. quia & Spiritum & Spiritus efficaciam habet adjectam: Ita eòdem pertinere putandi sunt fructus Spiritus, quos vbi enumerauit Apostolus, Gal.5.22.23. Subjungit legem non esse κατὰ τῶν τοιούτων contra tales, id est, eos, qui Spiritu Dei ducuntur quasi dicat legem moralem quæ aduersus peccatores tam rigida est, non ampliùs id rigiditatis officium aduersus illos exercere, qui sunt adoptionis Spiritu donati: Neque enim ampliùs est seueriſſima quædam & inexorabilis forma judicij contra Dei filios, sed velut aureum quoddam & dulciſſimum frænum, quo non inuiti constringantur, sed sponte regantur. 4. Quatenus obedientia consectarium est quoddam per se ac necessariò fluens ex sensu diuinæ gratiæ, atque remissionis peccatorum per fidem impetratæ: Est enim apud Deum condonatio vt reuerenter colatur, Ps.130.4. Et quos Deus justificauit, eos etiam glorificat, nimirum explicante Thoma, tum per profectum virtutis & gratiæ, quæ regeneratio est, tum per exaltationem gloriæ quæ cœlestis beatitudo est Rom.8.29. Et fides dicitur operari per charitatem, Gal.5.6. quia per nouæ obedientiæ fructus sese veram viuamque demonstrat. 5. Quatenus obedientia testimonium est gratitudinis & quoddam velut Eucharisticum sacrificium, quo Deo gratias agimus, non verbis tantùm, sed & opere pro communicato redemptionis beneficio.

ATQVE hinc jam patet quæ causa fuerit Theologis vt obedientiam istam quam Deo fideles exhibent sub N. fœdere nouam dicant: Neque enim eo nomine propterea insignitur, quasi obedientia illa nihil ad legem veterem & moralem pertineret, sed quia ad illam præstandam præter legis moralis mandatum etiam ij respectus accedunt, quos exposuimus & quia libenter vsurparunt phrasim, quâ Christus vtitur dum mandatum charitatis in qua potissima pars obedientiæ consistit, nouum appellat, Ioh.13.34. adeóque, 1.Ioh.2.7.8. Idem charitatis præceptum & nouum dicitur, & vetus diuerso respectu vetus, quia veteris legis præscriptum Num.19.18. Et quia vt statim subjicitur fuit à principio, Principio, inquam, tum dispensationis legalis, cùm tota legis ratio amore Dei contineatur, & proximi, tum prædicationis Euangelicæ: Nam ex quo Christus doctrinam suam promulgauit, fuit hoc præceptum fidelibus omnibus commendatum. Nouum autem vocatur variis de causis: Nam, 1. nouum est idem quod aliud, Exod.1.8. Surrexit nouus, Rex, id est, ἕτερος vt vertunt septuaginta & Marc.16.17. Loquentur nouis linguis, id est, aliis, siue diuersis a lingua sua materna, & Matth.26.29. non bibam ex hoc germine vitis, dum bibam nouum in regno Patris mei, id est, bibam aliud & longè diuersum vinum, delitias illas spiritua-

les & æternas intelligens, quibus Christus cum suis electis fruitur in gloria cœlesti. 2. Nouum dicitur, quia à Christo repetitum & reuocatum est illud præceptum, quomodo, scilicet apud Iurisconsultos dicitur obligatio pristina nouari, cùm in secundam posteriorem reducitur. 3. Nouum etiam est illud quod vbi diu mansit reconditum, & quasi tenebris obuolutum, postea rursus emergit in lucem, & pristino suo nitori redditur. Cùm ergo præceptum hoc de dilectione proximi, parum hactenus curassent Iudæi doctores, idque peruersis suis glossis corrupissent, Matth.5.43. Neque nossent, quis esset ille proximus, quem amare lex jubet, Luc.10.29. Haud immeritò nouum d. disse dicitur Christus, qui illud noua repetitione explicuit, & confirmauit. 4. Quæ dignitate præstant & nobilitate, noua dicuntur, vt Cantium nouum Ps.33.3. & apud Virg.Egl.3.

Pollio & ipse facit noua carmina.

Idem ait Seruius magna, & miranda. Meritò igitur nouum charitatis mandatum, quod ita eximium est vt ei legis impletio deputetur, Roman.13.10. Denique nouum est ratione tum Christi, tum fidelium: Christi quidem quatenus ipse legem renouans nouam lucem, nouasque vires per spiritum suum animis fidelium indit, quibus possunt hoc & alia præcepta exequutioni mandare, & quatenus pro fidelibus moriens excellentissimæ charitatis nouum planè, ac mirabile in ipso exemplum demonstrauit, Iohan.13.34. fidelium verò quatenus per Christum nouam compararunt qualitatem, nouaque adoptionis gratia donati sunt ad Patrem suum cœlestem amandum fratresque suos vera dilectione persequendos.

Ita liquet Christum duplici illo munere diligentissimè defunctum fuisse declarandæ legis, & Euangelij docendi. Hic autem quæsitum est vtrum propter ejusmodi muneris defunctionem Christus legislator dici debeat. Hoc enim protestantibus dicam scribunt Pontificij Valentianus tom.4.in Thom.disp.1.quæst.22.puncto 7. Lutherum impudentiæ accusat quòd Christus velit tantùm esse consolatorem & auxiliatorem, sed legislatorem esse negat, & peculiares aliquas leges Christianas propriè sanciuisse inficietur. Et Bellarm. lib.4.de Iustif.cap.5. multis probare nititur Christum habendum pro legislatore & in nostros insurgit, qui negent Legislatorem esse, & doceant Mosem cum suo decalogo nihil ad nos pertinere. Atque hoc quidem posterius quàm sit calumniosum nemo potest ignorare qui scripta nostrorum legit de vsu Decalogi ad fideles spectante multa passim docentium, vt videre est apud Caluin. lib.2. Inst.cap.7. Bezam confess. cap.4. sect.22.23. Vrsin.tract. Theol.tom.1. in loco de lege, quæst.3. Prius verò quòd spectat Christum Legislatorem esse, nostri absolutè non negant. Certè qui cùm authoritate summa & cum mutandi puniendique potestate leges fert subditis suis Legislator est. Atqui Christus Filius Dei vnà cum Patre & Spiritu Sancto legem αὐτοκρατορικὴν primo homini dedit in creatione, eámque postea repetiuit in monte Sinaï: Ipse enim est verus Legislator, qui perdere & ser-

uare potest, Iac. 4. 12. Sed & quia caput est, & Rex Ecclesiæ suæ, adeóque ratione officij sui Mediatorij Legislator jure dici potest. Regum enim est leges condere. Ideóque Scriptura eum non modò judicem & Regem, sed & מחקק siue Legislatorem vocat, Esa. 33. 22. Quod vocabulum LXX. reddunt Græcè aliquando ἡγούμενον, Genes. 49. 10. aliquando βασιλέα, Numer. 21. 18. Psalm. 108. 9. Aliquando ἄρχοντα, Deut. 33. 21. Esa. 33. 22. Qui etiam nomen חק vertunt δικαίωμα & δόγμα θέσεως νόμου. Et cùm Euangelium & doctrina quam prædicauit Christus haud rarò lex dicatur, aut lex fidei & Christi, Esa. 2. 3. Rom. 3. 27. Gal. 6. 2. Quidni qui ad ejus doctrinæ obedientiam nos vocat Legislatoris appellatione mereatur. Quando igitur negant nostri Christum esse Legislatorem, intelligendum illud eo sensu, quo Pontificij Legislatorem vocant, quasi scilicet legem moralem nouam & priùs inauditam veteri lege præstantiorem & perfectiorem sub N. Testamento condiderit. Hoc enim sensu Legislatorem Christum non debere dici ex superiùs disputatis fieri potest clarum.

HACTENVS de Christi doctrina; sequitur vt de ipsius prædictionibus non nihil dicamus, quæ est altera pars materiæ officij Christi Prophetici. Et sanè Propheta, si rationem etymi attendamus, ille propriè dicitur, qui futura dicit antequam eueniant, vel qui futura προφαίνει prænonstrat, & palàm facit, quem olim videntem in Israële dicebant, quòd animo præuideret, quæ nondum essent in re, neque ab hac significatione abludit Hebr. נביא quod cognationem habet cum בוא, id est venit, quòd scilicet prædicat, quæ in posterum suo tempore veniunt. Hoc sensu Christus Propheta fuit, quippe qui de futuris plurima vaticinatus est, quorum bonam partem Euang. scriptis mandarunt. Fuerunt autem Christi prædictiones, aliæ quidem generales, aliæ verò speciales. Inter generales est primùm illa quæ habetur Matth. 24. quam alij ad excidium Ierosolymitanum pertinere. Alij ad sæculi consummationem spectare contendunt. Nos de vtroque intelligendam scisimus. Cùm enim Christus à discipulis de duobus illis interrogatus fuerit, quando scilicet hæc futura essent, quod de templo euertendo dixisset, & quodnam signum aduentus sui consummationis sæculi, Matth. 24. 3, *Resp.* Christus ad vtrumque caput. At 1. quidem de Ierosolymorum excidio agit vsque ad vers. 29. Signa proponens, quæ varia illam vastationem essent præcessura, nimirum quòd seductores multi à Satana submittendi bella gerenda, pestis & fames grassatura, terræ motus accessuri, persequutiones fidelium aduenturæ, prædictiones & varia scandala euenturæ, Pseudoprophetæ serendis mendaciis incubituri, maxima morum corruptela sequuntura, & tamen inter hæc omnia prosperaturum Euang. Deinde vers. 32. 33. 34. de consummationis mundi signis dicere incipit, ita tamen vt quædam interserat de vltima vrbis vastatione in horrenda illa ruina quoddam veluti præludium præcessi eorum quæ in fine mundi euentura sunt, nec obstat quod vers. 29. dicitur statim post oppressionem illorum dierum solem obscurandum, &c. Cùm tamen inter Ierosolymitanum excidium, & mundi finem tanta sit intercapedo temporis. Nam, 1. Si sub

illa Iudæorum afflictione, tanquam sub typo quodam dicamus etiam comprehendi persecutiones Ecclesiæ Christianæ, quas nouimus vsque ad sæculi finem esse duraturas, haud abs re dictum fuerit statim post hujusmodi afflictiones mundi finem aduenturum. 2. Cùm ex omnibus, quas vnquam, vel passi, vel passuri sunt Iudæi calamitatibus ea procul dubio purissima fuerit, quam Christus hoc loco describit, non immeritò dici potest statim post illam esse mundi finem, quatenus illa, vel major vel æqualis interjicienda est inter illud vrbis excidium, & sæculi consummationem. 3. Neque illud silentio prætereundum, quòd alij notant hoc statim non respectu hominum dici, qui multas annorum centurias numerant ab excidio illo vsque ad tempora, & plures fortasse computabunt vsque ad vltimum judicium, sed respectu Dei, quippe ad quem mille anni sunt instar diei vnius, Psalm.90.4. 2.Petr.3.8.9. In generalibus & vaticiniis illud reponendum, quod de Euangelij prædicatione habetur, Matth.24.14. Vbi testatur Christus quantacunque fidelibus aduentura sit afflictio, prædicandum tamen Euangelium regni in vniuersa terra in testimonium omnibus Gentibus. Ita scilicet vt Gentiles non minùs quàm Iudæi illud audiant, sitq; ipsis, tum electis odor vitæ ad vitam, tum impiis odor mortis ad mortem, 2.Corint.2.2.16. Huc spectant etiam quæ de Gentium vocatione Christus vaticinatus est, vt Iohan.4.21. venit hora quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem, id est, abolebitur omnis illa distinctio locorum, quæ valuit hactenus, sed & personarum non erit illud discrimen, quod hactenus fuit, eodem Euang. glutine Israelitæ ac Gentiles in vnum Ecclesiæ corpus coalescent, neque permanebit ea Iudæorum ac Samaritarum discordia, quæ efficit vt auulsi à Iudaica religione Samaritæ iam pridem peculiarem cultum in monte Garizim instituerint, sicut videri potest apud Iosephum lib.1.archeologiæ Iudaicæ cap.7.8. Sed vt additur vers.23. à veris adorabitur Pater in spiritu & veritate. In spiritu quidem juxta formam & rationem illam cultus spiritualem, quæ instituta est in N. Testamento. In veritate autem, id est, ex vera cordis sinceritate, veróque justitiæ ordine citra omnem veterum ceremoniarum vsurpationem puras ad Deum manus attollendo, id est, Sanctam & innocentem vitam afferendo, 1.Timoth.2.8. Sic Iohan.10.16. Dicit se præter Iudæorum electos habere, & aliud ouile nimirum prædestinatos ex Gentibus quos suo tempore vi Spiritus, & ministerio Euangelij sui ex erroribus in quibus antea jacebant adducturus in vitæ lucem, vt sub vno animarum pastore Christo fieret vna Ecclesia vnúsque grex vocationis, spei & fidei vnitate. Huc etiam pertinet, quod de futuris persecutionibus & de perpetua ferè in mundo cruce fidelium dicitur à Christo, Matth.24. Iohan.15.20. & 16. 20.22. quæ tamen Prophetiæ dulcissimis promissionibus temperantur de gratiosa Christi, & Spiritus Sancti præsentia in mediis calamitatibus, Ioh.14.18.& 17.7. de beato afflictionum exitu, cùm tristitia omnis in plenissimum gaudium tandem abitura sit, Iohan.16.20.22. de vberrimo fructu è cruce consequuturo; Nam vt dicitur Matth.10.39. Sicut qui inue-

nerit

nerit animam suam perdet eam, id est, qui speraverit se præviturum optimè saluti suæ, si Christi gratiam, & professionem veritatis abjiciat, incidet in æternæ mortis barathrum: Ita qui perdiderit animam suam propter Christum saluam faciet eam, id est, qui Christi nomine opes, & vitam, & quæcunque habet charissima amiserit, multò magis recipiet à Christo, & vita tandem æterna donabitur.

Multa sunt alia & specialia Christi vaticinia de se, de discipulis, de alienis. De se antequam in manus iniquorum traderetur totum ordinem suæ passionis suis discipulis explicatum voluit, Matth. 16.21. & 26.23. adeóque cùm Christum hæc infausta prædicentem audiuisset Petrus, & pro suo in Christum amore, sed terrestri nimium, & carnali, & pro innató suo impetu ac feruore in temeritatem ac præsumptionem nonnunquam vergens, imò & ex opinione illa praua, quâ decepti primùm discipuli de mundano quodam Christi regno sibi delitias faciebant, reprehendisset, Atque ad mentionem crucis exhorrescens negasset, ita futurum increpatur à Christo seueriſsimè, & Satanas etiam vocatur, non conuitij quidem causa, sed quia illa prouerbiali loquutione Hebræi solebant vti, vt eum designarent, qui alium ad malum sollicitaret, aut alioqui peruersum consilium ingereret, siue instrumentum Diaboli quodammodo sese præstaret, 2. Sam. 19.22. Sic & discipulis qui essent in Euangelij prædicatione ventura prædixit, nempe tum & eorum defectus & infirmitates, ut quod in ejus morte omnes essent scandalum passuri, Matth. 26.31. Ideſt, aliquam futuram fidei & conscientiæ jacturam propter ingruens in Christum malum, tum nominatim trinam Petri abnegationem quâ defecit eum confessio in ore, cùm tamen non omnino deficeret fides in corde Christo scilicet orante ne deficeret fides ipsius, Matth. 29.34. Luc. 22.32. cùm etiam varias afflictiones, adeoque Mortem ipsam, quâ essent propter Christi nomen & Euangelij causa afficiendi, Ioh. 15.18.19. 20.21. & 16.2.3. &c. Nominatim verò martyrium Petri, de quo ait, Ioh. 21.18. Petrum cùm esset iunior cinxisse se & profectum fuisse quò volebat, id est, pro libertate, vel pro varia ratione affectuum, modò huc, modò illuc raptum fuisse, respiciens scilicet ad illum morem orientalium, qui cum longis vterentur vestibus, siue iter facturi, siue opus aliquod aggressuri vestes succingebant, ne impedimento essent. At verò cùm senuerit extensurus manus suas & ab alio cingendum, & transferendum quò nollet, id est, non staturum jam arbitrio suo, sed futurum, vt ab aliorum voluntate pendeat, qui sint ipsum loco mancipij habituri, & morte indignissima affecturi: Alludit enim ad crudelem illum Romanorum morem, qui mancipia sua morte damnata, non modò ad ferenda mortis instrumenta cogebant, sed manus quoque ipsorum transuersario crucis ligno affigebant, & deinde in loco supplicij erecto stipite miseros illos cingulo circa lumbos ad lignum arrectarium alligabant;

Denique & de alienis multa Christus prædixit. Inter alienos autem computo Iudam Iscariotem, qui Apostoli & discipuli dignitate excidens, in execrandum proditorem degenerauit, verùm non inscio Chri-

sto, qui tum ejus proditionem prædixit, tum meritam proditionis pœnam, quæ tanta futura erat, vt dicat Christus præstare Iudæ, si nunquam natus fuisset, Matth.26.23.24. Nam, 1. postquam Christum tradere decreuit & antequam scelus executioni mandasset, post acceptam à Christo buccellam panis intrauit in eum Satan, Ioh.13.27. non quasi destinatum illud scelus non esset ex motu agentis iam in Iuda Satanæ: Nam & propterea Iudas jam ante Diabolus à Christo vocatus est, Ioh.6.70. quòd Satan jam ejus animum tentaret, & fraudibus Diabolicis oppleret, sed quia tum demum cùm ab vltima Christi cœna exiit de Christo tradendo pactum initurum cum Sacerdotibus totum se in Diaboli potestatem tradit, & Diabolus plenè eum possedit. 2. Post Christum traditum pœnitens & tristis, sed tristitia illa mortifera, de qua, 2.Cor.7.10. abiit & seipsum strangulauit, Matth.27.5. Quod cùm plurimi docti de suspendio intelligant, tamen nonnulli potiùs intelligi volunt de illo extremo mœrore animi, qui quoddam est inferni atrium, cùm nimirum aliquis angustia, & desperatione ita corripitur, vt obstricto Spiritus meatu dissiliat & moriatur: Non putant enim si verbum Matth. de vero suspendio intelligatur, posse concordiam ipsius iniri cum Luca, qui Act.1. 18. dicit Iudam pronum atque præcipitem factum fuisse & crepuisse medium, & effusa fuisse ejus viscera, quæ sanè non accedunt iis, qui strangulantur, sed qui mœrorem illum patitur & animo deficit, solet in terram pronus cadere, & aliquando etiam præcluso Spiritu rumpi vsque ad effusionem viscerum, sed tamen nihil cogere videtur, vt à communi sententia recedamus, cùm facilè fieri potuerit vt Iudas suspensus & jam suspendio præfocatus in terram abrupto fune tunc pronus ceciderit & ex casus impetu crepuerit, & effuderit viscera. 3. Quoad miserrimum animæ statum dicitur iisse in suum locum, Act.18. id est, in inferos raptatus fuisse, qui locus est iis omnibus destinatus, qui sunt, vt loquitur Iudas, ad æternam damnationem τετηρημένου: Deinde alieni illi, de quibus Christus vaticinatus est in triplici sunt genere. 1. ji qui populum miserè seducentes arrogarunt sibi Christi nomen & sese pro Christo venditarunt, Matth.24.5. Qualis fuit ille BENCOSBA ipsius Rabbi Achibe præconio commendatus, tanquam verus Rex Messias, qui postea à Romanis fusus est, & meritas dedit imposturæ suæ pœnas. 2. Antichristus ille magnus qui Christum quidem exteriùs, & nomine tenus confessurus erat, sed reapse tamen abnegaturus & omnes quantumpote Christo Christianæque religionis puritate obducturus, de quo veteres plerique illud intelligunt, Ioh.5.43. Si alius venerit in nomine suo recipietis eum: Alius enim dicitur ἀλλότριος καὶ πολέμιος, alienus & inimicus, & dicitur venire non sicut Christus in nomine Patris, id est, ex mandato & authoritate Patris cœlestis, sed in nomine suo, id est, ex motu proprio, nullâque Dei vocatione instructus, verùm propriam authoritatem jactans, cœli & terræ potestatem se habere prætendens, imò & supra omne id sese efferens quod dicitur Deus, 2.Thes.2.4. 3. Hæretici & impostores quos Christus, Matth.24.24. Pseudoprophetas, & PseudoChristos vocat, id est,

Anti-

Antichristos qui doctrinam Euangelio contrariam sub nomine Christianæ doctrinæ in Ecclesia inducere conantur, aut etiam regnum magni Antichristi totis viribus confirmare & amplificare satagent. Quæritur denique hic an propter illam futurorum prædictionem Christo propriè competat Prophetæ nomen. Negant nonnulli eo quod ad propriè dictæ Prophetiæ rationem pertineat vt res occultæ futuræ cognoscantur futura notitiâ obscurâ & ineuidenti, vnde dicuntur Prophetiæ cessaturæ in cœlesti gloria vbi euidens erit omnium rerum cognitio, 1. Cor. 13. 8. Christus autem quæ cognouit, cognouit perspicuè & euidenter sed nihil impedit, quò minus dicamus Christum propriè Prophetam fuisse, eoque perfectiùs, quàm reliquos Prophetas, quòd alij vaticinandi donum habuerunt per modum actus transeuntis, non autem per modum habitus. Vnde factum vt res futuras, aut procul à se dissitas non cognouerint, quoties luberet. Fuit ergo lumen Propheticum in eis, sicut lumen in ære, modò accedens, modò recedens: At verò Christus donum illud habuerit per modum habitus permanentis, quo vti potuerit ad libitum, vt fuerit in eo Prophetia, sicut lux in sole stabiliter perseuerans. Porrò ad veram Prophetiæ rationem illud satis est, si quis inter homines agens annuntiet ea, quæ vel nondum existunt in rerum natura, qualia sunt futura, vel si existunt, ita tamen occulta sunt, vel locis ita distantibus fiunt, vt naturali modo, & ratione cognosci non valeant. Cognitionem verò obscuram, seu ineuidentem esse de necessaria Prophetiæ propriè dictæ ratione non concedimus, qui nouimus Angelos cœlesti gloria fruentes aliquando futura prænuntiare, Dan. 9. 24. 25. &c. Neque id ex Apostolo conficitur, qui cùm docet euacuandas esse Prophetias, non de annuntiatione futurorum loquitur, sed omnem illam exteriorem œconomiam intelligit, quæ consistit in docendis, consolandis in Ecclesia militante fidelibus quæque nullius vsus futura est in cœlesti gloria, vbi Christus erit lumen nostrum, Apoc. 21. 23. & 22. 5. Et Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28.

De Materia dictum; Nunc ad formam accedamus Prophetiæ Christi officij, Eam constituimus in doctrinæ à Christo prædicatæ efficacia longè maxima, qua quibuscunque verbi diuini ministris Prophetis, Euangelistis, Apostolis longè superior extitit. Ac Dei verbum quidem in ore ministrorum Euangelij efficax est instrumentum, quo Deus vtitur ad conuertendos homines, non quasi vis quædam physica ipsis ministrorum verbis, aut syllabarum combinationibus inesse putanda sit, sed quia Deus in verbo bonam suam voluntatem nobis proponens, vult mediatè nos per illius prædicationem ad sese pertrahere, gratiæque suæ participes efficere, vnde tam multa passim legere est de verbi meditati, aut prædicati efficacia & dignitate, Psal. 19. 89. & 119. 92. Es. 55. 10. Ier. 23. 29. Rom. 1. 16. 1. Cor. 1. 21. Heb. 4. 12. Iac. 1. 21. &c. Sed non est tamen dubium quin in prædicationis Euangelicæ causa inter Christum reliquosque doctores maximum discrimen intercedat, nimirum reliqui ministerium externum exercent, sed ex sese non possunt efficaciam addere. Iohannes Baptizat aqua, & quod in Sacramentis externum est, præstat, sed Bap-

tizare Spiritu gratiamque ipsam exhibere Sacramento designatam, alterius est, Matth.3.11. Ac veluti in agricolatione homines quidem semina jaciunt, plantas serunt, pastinant, sarriunt, riuos ducunt, rigant hortos, ac prata, sed vegetatio, incrementum, & fructificatio ipsa non aliunde est, quàm à Dei benedictione, qui cœlos exaudit, vt cœlum, & terram, & terra triticum, Os.2.21. Ita Paulus ministros Euangelij agricolis comparans dicit illos plantare quidem, ac rigare, sed ab vno Deo dari incrementum, adeóque ipsos, & in seipsis, & secluſa interna efficaciáque Dei operatione nihil esse, 1.Cor.3.6.7. Nam per ipsos quidem, id est, eorum operâ & ministerio credimus, verùm ne quis putet ab ipsis fidem ingenerari, eos esse tanti muneris largitores addit Apostolus id esse prout vnicuique Dominus dedit, ibidem ℣.5. quia scilicet non ex ipsis sed ex Spiritus diuini dono est, quod credimus: At verò Christus non externam tantùm doctrinam præstitit, neque tantùm auribus exteriùs insonuit, sed quoties voluit altè penetrauit, ad animi vsque adita & mentes interiùs illuminauit, & in cordibus ipsis efficaciter operatus est: Nam ipse est, qui Baptizat Spiritu & igne, Matth.3.11. Ideſt, inspirat inter efficaciam & intus operatur per Spiritum suum habentem instar ignis, cujus proprium est non modò purgare sordes, sed & ad intima penetrare, cum aqua tantùm exteriùs superficiem lauet, propterea testatur ipsemet, Ioh.6.63. verba sua esse Spiritum & vitam. Illud enim ad intellectum quidem verborum pertinet quasi diceret, quæ de suæ carnis manducatione docuerat, non esse ad literam, & carnaliter intelligenda, quasi loquutus esset de corporali aliqua manducatione, quâ caro ipsius ore nostro percipiatur, & in stomachum demittatur, sed sumenda spiritualiter, quam mystica communione, quam per Spiritum & fidem cum ipso habemus, tamen ad efficaciam quoque verborum Christi spectare putandum est, vt significetur ejus verba esse spiritualia & viuifica, non carnalia, sed diuinitus potentia, vt dicitur, 2.Cor.10.4. & penetrantia, sicut Spiritum cui nihil resistere potest, & fidem ac vitam diuinam & spiritualem operantia.

IESTIVS efficaciæ proponuntur exempla in scripturis non pauca simul. certè atque comparuit Christus in templo, quanquam duodennis adhuc tamen inter hæc prædicationis suæ rudimenta tantum vim & efficaciam exhibuit responsionum suarum, quibus, turbæ doctorum Iudæorum satisfaciebat, vt omnes sapientiam ipsius admirarentur, Luc.2.46.47. Ita cùm accedentem ad se multitudinem de rebus sacris & spiritualibus edoceret percellebatur turba super doctrina ipsius, quia docebat eos vt habens authoritatem, & non vt Scribæ, Matth.7.28.29. id est, non frigide neque remisse, neque verbis affectatis & ad ostentationem compositis, quemadmodum scribis & doctoribus in more erat positum, qui & sæpius ipsi immorabantur in Sacrarum διατρίβαις & traditionum vanitatibus, & Grammaticarum sæpe obseruatiuncularum subtilitates, & πλατύσματα vel caballæ nugosa mysteria persequebantur, sed Christi verba majestatem diuinam spirabant, & erant mirifica virtute prædita, quæ potenter in corda sese insinuare, & animos miris modis afficere solebant, hos

hos conuertendo, illos conuincendo, & in omnes cœlestem humanaque longè superiorem efficaciam exercendo, quo factum est vt cùm eam docendi rationem & efficaciam hactenus inauditam turbæ obseruarent, facilè in eam sententiam deuenirent esse Christum Messiam, siue illum Prophetam expectatum, Ioh.7.40.41. de cujus potentissimo sceptro, id est, prædicationis efficacia fideles jam antea Dauid commonefecerat, Ps.110. 2. Quin & ipsi Pontificum & Pharisęorum ministri, qui ad Christum comprehendendi ejus causa accesserant, non priùs ejus orationem audiuerunt, quàm protinus in nouos homines mutati sint, Ioh.7.46. Christi hostes aduenerant, reuertuntur præcones illius & patroni, & intrepidè atque confidenter apud Dominos suos testantur quod audierant Nunquam ita locutus est homo, sicut hic homo, quasi dicerent id à nobis obtinere non potuimus vt Christo manus inferremus, habet quo se tueatur, ita vt nec armis ipsi opus sit: Ea enim pollet efficacia verborum, quæ vel obstinatissima corda frangat, animos denique ita penetrat, vt non modò ipse non trahatur, sed conscientias auditorum captiuas trahat, ac sibi deuinciat, illius etiam efficaciæ illustre dedit exemplum in discipulis Emmaunticis, qui cùm nuper à mortuis excitatum, sed adhuc incognitum verba facientem audiissent, ista sunt interius commoti, ut cor ipsis arsisse fateantur, dum Christus in via ipsis loqueretur, & aperiret scripturas, Luc.24.32. Hunc enim cordis ardorem non interpretor, cum quibusdam de stupore & bruta hebetudine discipulorum illorum, quasi significent ad verba Christi se non attendisse, mentesque sibi hactenus à tenebris & caligine oppressas stupuisse, sed refero ad motum illum internum, quem loquente Christo in via persenserant, ardebant, scilicet juxta solem illum positi, sed nondum apertis oculis eum ignorabant. Nunc vbi Christus se manifestum fecit, causam percipiunt illius ardoris, & ab eo experimento colligunt hunc verè Christum esse, cùm nullus sit alius, qui animos ita inflammare valeat, senserunt & eam vim Apostoli, quibus dicitur Christus apperuisse mentes, vt intelligerent scripturas, Luc.24.45. Nempe mentis fores pulsat Dei verbum externum, verùm frustrà, nisi quis aperiat: Obductus est enim pessulus incredulitatis, ignorantiæ, & obstinationis. Accedit ergo Christus & amouet impedimenta & portas pandit, i.e. discussis tenebris dat intelligendi facultatem. Denique eadem efficacia sese mirabili modo in Saulem Ecclesiæ persecutorem se exeruit, Act.9.4.5.6.7. Itaque verba quibus Christus ad se conuertit dicit August. fuisse sagittam illam acutam, de qua Psal.45.6. Sagittæ tuæ acutæ, &c. De cœlo inquit, emissa est sagitta, corde perculsus est Saulus, nondum Paulus, adhuc erectus nondum prostratus accepit sagittam, ea cecidit, in corde, non quod prostratus est in faciem ibi cecidit in corde, sed vbi ait, Domine quid me vis facere, modò ibas ad Christianos alligandos & producendos ad pœnam, & modò dicit Christo quid me jubes facere, ô sagitram acutam & potentissimam, quâ acceptâ cecidit Saulus, vt esset Paulus.

SEQVITVR objectum, illi nempe propter officium Christus Pro-

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOU

pheticum, & assumpsit, & exercuit, quósque adeò in salutis via, vel per se, vel per alios dignatus est instituere, ac sub Vetere quidem Testamento non alia gens fuit hujus beneficij communiter particeps, quàm Iudaica: Hujus enim erant fœdera, & legis constitutio & promissiones, Rom. 9.4. Cui soli indicabantur verba & statuta Domini, Ps.147.19.20. Non enim alibi tum Deus cognitus, quàm in Iudæa, Ps.76.2. Sed subinde tamen in futuræ suæ gratiæ tempore testimonium atq; præsidium ex media Gentium idololatria quidam ad veram Dei cognitionem vocabantur, nec deficiunt in scripturis exempla: Nam ne hic Melchisedechum proponam, quem vel Semum fuisse, vel oriundum à Semo plerique Interpretes consentiunt. Memoratur in scriptura Getro Sephoræ Pater Mosis Socer Sacerdos Madianita, adeóque Gentilis, quem inter proselytos commemorandum satis ea docent, quæ de eo dicuntur, Exod.18.5.6. Nam, 3. Lætatur super omnibus beneficiis quibus Iehoua affecerat Israelem. Iam autem piorum est, vt Ecclesiæ malis ingemiscere, ita de bonis ipsius lætari. 2. Confessionem edit luculentam, & agnoscit Deum Israëlis esse magnum Dominum super omnes Deos, id est, vnum verum Deum, eundemque justissimum & potentissimum. 3. Accepit à Mose hostias, quas vbi vero Deo obtulisset, Moses & Aaron cum eo panem comedunt coram Deo prout scilicet hostiæ in gratiarum actione oblatæ magna parte in epulum solemne cedebant, quod quia juxta altare celebrari solebat, in quo factum fuerat sacrificium propterea dicebantur conuiuæ coram Deo comedere. Quis autem putet voluisse Mosem & Aaronem epulis viri Ethnici præsertim coram altari celebratis interesse. 4. Consilium dedit Mosi in re magni momenti, vbi scilicet ageretur de Iudiciorum publicorum ratione, ac acquieuit ejus consilio Moses. Quis autem sentiat Mosem ab homine Gentili & inimico Dei accepturum rationem, & modum regendæ politiæ Israeliticæ. Itaque qui ab eo traxerunt originem Sinæi, siue Recabitæ pietatem Getronis imitati vixerunt inter Israelitas, & in proselytis computati sunt. Vnde, 1.Chron.2.55. vocantur Sinæj הַמָּתִים id est, proselyti, siue aduenæ, quorum peculiaria statuta recitantur, Ierem.35. & præcipuè inter eos Ionadabi zelus, 2.Reg. 10.15.16. & Iaelis factum heroicum, Iudic.4.11.

Secvndvm exemplum est Rahabæ meretricis, Ios.2.1. Quæ cùm speculatores Israeliticos in ædes suas recepisset miram fidem & pietatem testata est, quippe beneficium illud donatæ Iudæis à Deo Cananitidos tanta animæ firmitudine complexa, quanta vix ipsimet Israelitæ potuerunt. Itaque quæ se jam tum animo Iudæis conjunxit, post etiam inter Iericontis ruinas sola seruata accessit ad externum Gentis Iudaicæ cultum, & Salomoni ex tribu Iudæ oriundo nupta inter Christi progenitrices numeratur, Matth.1.5. Sed dicitur hîc ejus pietati derogare quòd & mendacij culpa & proditionis crimine sese commaculasse videtur, sed mendacium quod attinet ea de re ita sentit Augustinus lib. de mendacio cap. 15. de Hebræis obstetricibus & Rahaba loquens quillam, Vtrum sit aliquando pro cujusdam salute mentiendum, longè illarum mulierculârum

in illis

in illis populis degentium, & illis moribus assuetarum excessisse ingenij modum. Itaque ait, hanc earum ignorantiam Dei patientia sustinebat, neque Rahab, cùm illud officium pro ejus vitæ conditione laudabile exploratoribus præstabat, adhuc erat talis, vt ad ea exigeretur, illud sit sermo vester est, est, non, non. Interim neque obstetrices neque Rahaba, quia mentitæ essent, ideò beneficiis sunt affectæ à Deo, sed quia in Dei seruos fuissent misericordes, neque fallacia, sed benignitas est mercede compensata. Proditionem verò quod spectat rectè docent Magni viri Rahabam non esse proditionis accusandam. Illa enim quos exceperat hospites sibi dimittendos statuit, non vt Patriæ per injuriam nocerent, sed ne vt Regi Iericontis dederentur, verùm salui ad suos reuerterentur, intelligebat, quippe eorum neque vitam exitio, neque mortem saluti futuram Iericontinis suis cùm cœlitus instituta esset de Patriæ excidio, quidquid tandem istis hominibus fieret, quin potiùs si exploratores indicasset, Regíque furiis objecisset, vero sese proditionis crimine deuinxisset: Cùm enim certa esset Gentem suam à Deo esse præscriptam & Israeli cum suis possessionibus debitam, nec debuit, nec nisi improbè potuit, vel justæ causæ aduersari, vel injustæ patrocinari.

Tertivm exemplum habemus in Rutha & Moabitide, cujus etiam inter Christi majores fit mentio, Matth. 1.5. quæ cùm de regione Moabitarum in Iudæam cum socru sua proficisceretur, testata est se non alium, quàm Israëlis Deum, aut cognituram, aut culturam, Ruth. 1.16.

Qvartvm exemplum multi quærunt in Celethæis illis & Peletæis, de quibus sæpius agitur in lib. Sam. & Regum, vt videre est, 2. Sam. 8.18. & 15.18. & 20.7. 1. Reg. 1.38. & 1. Chron. 18.17. Quanquam enim non est ignotum quàm variæ sint, apud Interpretes de illis sententiæ ea tamen præferenda mihi videtur, quæ docet eos origine fuisse Philistæos, qui deinde transierint ad professionem religionis Iudaicæ. Certè Philistæi Celethæorum nomine appellantur, 1. Sam. 30.14. & vnà cùm Peletæis junguntur Gittæi, 2. Sam. 15.18. Gittæos autem & Philistæos esse nemo dubitat. Fuerunt ergo præsidiarij milites, & prætoria Dauidis cohors, qui cùm valido essent robustóque corpore ad Regis custodiam eligebantur, cùm jam ante abdicato Gentilismo ad veri Dei cultum accessissent, & inter proselytos nomina sua essent professi, alioqui ad Iudæi Regis custodiam minimè admittendi.

Alivd etiam exemplum exhibent in Nebucadnetzare illo, qui cùm ex bestiali & fera viuendi ratione in sedem regiam diuina benignitate restitutus esset, excellentem illam confessionem edidit, quæ habetur Dan. 4. Et ex qua non improbabiliter colligunt fuisse ipsum ad Deum verè conuersum, præsertim cùm post egregium illius factum, nihil de ipso Scriptura doceat, vnde contrarium possit elici. Quod idem eadem ratione de Dario docent & Cyro, quorum pias actiones Daniel & Esdras memorant, sed quidquid sit, de istis certè haud abs re est quòd verorum Dei cultorum numero habentur illi Niniuitæ, quibus Ionas ex Dei mandato pœnitentiam prædicauit, dicitur quippe Ionas 3.6.9.11.

credidisse Deo, conuersi fuisse à via sua pessima, & conuersionem illam testificati Bonis operibus; nempe silicium accipiendo, jejuniis corpus macerando, Deum fortiter clamando, Quibus signis & indiciis in verbo Dei vera & salutaris pœnitentia sæpius explicatur, sed pietas ea nequaquam in posteros transiit, qui rursus impietatis & idololatriæ omni genere sese polluentes tremendum Dei judicium in se conuocarunt, vnde consequuta est miseranda Niniuæ destructio, sic neque de Iobo vllum dubium est, quin ad Deum verè vocatus fuerit, quanquam Gente non Israelita, sed Idumæus. Et verò Scriptura ipsi eximium justitiæ sanctitatisque testimonium perhibet, Ioh.1.1.8.Ezech.14.14. Et pœnitentiam ipsius in exemplum fidelibus proponit, Iacob.5.11. Neque à Dei cognitione alieni fuerunt illi Iobi amici, quorum eximia & pietatem spirantia plurima dicta toti libro Iobi legere est. Iob antiquissimum fuisse & temporibus Patriarcharum ante Mosem vixisse quidam volunt. Alij satis diu post introductos in Canaanem Israelitas ex eo quod dicitur Iob.15 18.19. quòd sapientes renuntiauerunt à patribus suis neque absconderunt, quibus solis data est terra, nec transiuit alienus per medium earum. Nobile quoque est in Syro Nahamane exemplum, 2.Reg.5. Ille enim cùm Elizæi ministerio mirabiliter curatus esset à lepra transit ad religionem Iudaicam vera illa confessione, ecce nunc noui nullum esse Deum in tota terra, nisi in Israele, 2.Reg.5.15. Vnde se negat alteri in posterum sacrificaturum, vers.17. verùm quòd inter initia fidei fieri solet, laborat ipsius pietas magnis infirmitatibus, quas etiam silentio Scriptura non præterit, duas præcipuè; Altera est quòd abiens ab Elizæo petit dari sibi è terra Israëlis mulorum onus, partim scilicet vt esset illud sibi pignus suæ cum Dei populo communionis, partim verò vt ex ea terra conficeret altare, cui suas posset victimas imponere, Qua in re zelum quidem suum testatus est, sed illum vera carentem scientia, cùm cultus sanctitas non terræ illi atque solo adjaceret, sed ab obseruatione diuini mandati penderet, quo Deus sacrificiis sibi faciendis non totam Iudæam, sed solum Ierosolymorum templum destinauerat: Altera est quòd condonari petit sibi à Iehoua si regi suo præstans obsequium sese cum eo in æde Rhimmonis coram idolo incuruauerit, quæ veniæ petitio satis indicat, non ignotum fuisse Nahamani in ea incuruatione peccatum à se committi. Et verò quando sacris impiorum aliquando leguntur interfuisse Dei serui, sese tamen incuruasse coram idolis non legimus. Baalitarum sacris Elias adfuit, sed vt Baalem & ejus Pseudoprophetas irrideret; Adstitit vir Dei coram altari Ieroboamo, sed vt in illud diras & maledicta diuina ingereret. In campo Dura adfuerunt Danielis socij, sed adorationem omnem obstirmatè recusarunt. Paulus sacra Athenienſium contemplatus est, sed non vt idololatricum cultum approbaret, verùm potiùs vt confutandæ idololatriæ ansam inde arriperet. Malè igitur Nahaman qui quæ Deus conjunxit, separare voluit, & dissidium quoddam instituere inter animi sensum, & corporis actum, vt mente quidem vni Deo adhæreret: Corpus verò coram idolo incuruaret, cùm Deus non animam modò, sed

dò, sed & corpus sibi velit vni in viuens sanctumque sacrificium offerri, Rom.12.1. Dices Elizæam nulla speciali addita correctione, vel limitatione ablegasse Nahamanem his verbis, *Abi in pace.* *Resp.* cùm ex Naham. verbis satis præcepisset Propheta non esse sibi ignotum quo numero habenda esset ejusmodi incarnatio, peccatum esse scilicet veri nominis, non videbatur opus ampliori rei declaratione. Itaque satis fuit Prophetæ ipsum consolari, & in spe diuini auxilij confirmare. Illis igitur verbis non eum simpliciter dimittit, sed futurum significat, vt Deus precibus rogatus eum pace sua impertiatur, neque ad internam opem deneget, quâ valeat à tam graui lapsu conseruare. Nec verò dubitandum est præter illa exempla multos alios fuisse in Israele proselytas & aduenas, qui cultum idololatricum execrati, ad Dei populum vera fidei professione sese aggregarent: Quorum etiam fuisse duo genera docent Hebræi Doctores. Alios nimirum qui ita ad Iudaismum accederent, vt & circumciderentur, & totam legem ceremonialem non minùs diligenter obseruarent, quam ipsi Iudæi, quos ideò dixerunt Proselytas justitiæ & filios fœderis, & eodem numero habuerunt, quo ipsos Israelitas: Alios verò qui abdicatâ quidem idololatriâ verum Deum Israelis agnoscerent & colerent, verumtamen, neque circumcisionem acciperent in carne neque in aliarum ceremoniarum præcisam & perpetuam obseruantiam sese obstringerent, quos vocarunt proselytas commiserationis, siue habitationis, quòd eis fas esset in terra Israelis sedes aq domicilium figere.

Iam verò sub Nouo Testamento Christus doctrinam suam omnibus nationibus indiscriminatim, nullaque habita Iudæorum, aut Gentium ratione annuntiatam voluit, adeoque objectum Propherici muneris longè ampliùs est hodie, quàm fuit olim sub lege Mosaica, quod & pluribus Prophetarum vaticiniis declaratum antiquitus fuerat, Psalm.110. 2.Esa.42.6.& 49.6. Denique huc pertinent quæcunque in veteribus & Nouis Scripturis habentur de vocatione Gentium, quam definio beneficam Christi actionem qua nouissimis temporibus per Apostolos & consequentes Ecclesiæ Doctores Euang. Gentib. annuntiauit, gratiæque suæ patefactione inuitauit, atque pertraxit ad salutarem Dei cognitionem. Ea igitur vocatio, 1. Complectitur sua latitudine, tum externam inuitationem, quâ homines ad Christum vocantur, tum internam & efficacem persuasionem, quâ electi reapse perducuntur ad Christum. 2. Non est ita restringenda ad tempus prædicationis Apostolorum, vt non etiam ad posteriora, adeoque nostra sæcula putetur pertinere: Debuit enim fieri nouissimis temporibus, Esa.2.2.3.Mich.4.1. At Scriptura vocat vltimos dies, totum illud tempus quod à nato Christo effluxit, vel effluxurum est, vsq; ad finem sæculi. 3. Vnde semper etiam post Apostolos in eo laboratum est, vt Ethnici ad Christum conuerterentur, & conuersionis exempla passim videre est in Eccl.hist.Eusebij, Theodoreti, Socratis, & aliorum, quomodo & variæ Gentes, variis sæculis in partibus Septentrionalibus conuersæ fuerint diligenter explicat Iohannes Papus in Epitome historicæ Eccl. Vbi notat vltimos conuersos fuisse Lithuanos circa an-

num Christi 1387. 4. Ab eo tempore 100. circiter annis detectus est nouus orbis, eoque deductæ Hispanorum & Lusitanorum Coloniæ, quas comitati sunt Presbyteri nonnulli ac Monachi Indis conuertendis destinati, adeoque nonnulli de procuranda Iudæorum salute libros ediderunt. Omnes autem suam in hac re diligentiam & consequutum inde fructum plenis buccis detonant, neque tantùm primam Indorum conuersionem sibi tribuunt, sed & nostris hominibus eo nomine mirum quantum insultent, quippe qui nihil hactenus tentauerint, & Ecclesiæ suæ multitudinem siue amplitudinem hac occasione jactant, quòd Eccl. habeant in quatuor partibus mundi ad Orientem Indiis, ad Occidentem in America, ad Meridiem in Brasilia, in Septentrionem in Iaponia, vt ait Bellarm. lib. 4. de Eccl. cap. 7.

Ea de re ita habendum, 1. Antequam Lusitani Monachi in Nouum orbem peruenissent fuisse ab aliis, idque diuerso tempore apud eas nationes laboratum, vt Christiana doctrina reciperetur. In Indos enim interiores ab Ædisio & Frumentio fuisse Athanasij tempore conuertos notum est ex Ruffino hist. lib. 1. cap. 9. 10. & Theod. lib. 1. hist. cap. 22. 23. & Socrate lib. 1. cap. 19. 20. Neque diffitentur ipsi Monachi, qui ea loca propagarunt multa se inuenisse ibi Christianismi vestigia Xauerius lib. 3. hist. Inuenta esse in India quædam hominum Christianorum millia. 2. Quòd nostri homines eò non penetrarunt, debetur Hispanorum insatiabili dominandi cupiditati, qui ne pares haberent in illis regionibus quoslibet aduentantes summis viribus ab ingressu prohibuerunt: Quanquam id obtinere non potuerunt, vt non aliquæ plagæ illius orbis aliquando perlustrarentur, & Euangelij luce perfunderentur à nostris hominibus, & hodie florere incipit per Hollandos reformatos Euangelium in Brasilia ad Fernambucum, vbi constituuntur Ecclesiæ & instituuntur Barbari in salutari Christi cognitione. 3. Si quæratur, quid de illo Monachorum studio circa Indorum conuersionem judicari debeat. *Resp.* distinguendam esse rem à modo rei: Rem enim & substantiam propositi quòd attinet, non potest non laudari conatus in feris illis & Barbaris populis ad Christianam fidem adducendis. Sed & modus ille laudabilis fuit, quem sibi & quibusdam aliis suo tempore vsurpatum narrat, Montius Iesuita in epistola ad Michaelem Turrensem anno 1564. conscripta, & quem sequitur etiam Posseuinus Bibliothecæ selectæ, lib. 10. 11. 1. Docebantur Iapponici, aut pereundum, aut abdicandam veterem religionem. 2. Capita Christianæ Catecheseos ipsis vera fide tenenda proponebantur ista de Deo vno, de Trinitate, Creatione mundi, Prouidentia diuina, formatione, & lapsu hominis, Redemptione per Christum bonorum operum necessitate, baptismi doctrina, tum horum capitum cognitione imbuti baptismi administratione inter Christianos cooptabantur, verùm non est in ea catechizandi ratione fideliter perseueratum: Adjunctæ sunt humanarum traditionum quisquiliæ, & cultui diuino commixta sanctorum inuocatio & præsidium. Multa igitur sunt vituperio digna. 1. Quòd immanis feritas in miseros illos exercebatur, ita vt

in cu-

in Cuba & aliis Insulis ex 600. hominum millibus vix 15. superfuerint, in semen ex Lypsio lib.2. de constantia cap.22. & inaudita feritate, vt ait Bartolomæus de cæsis bis mille myriades hominum intra paucos annos fuerint delectos. Itaque quæri potest à Bellarmino vbinam sit infinita illa, quam jactat hominum in nouo orbe multitudo inde implacabile nominis Christiani odium apud Barbaros illos excitatum fuisse testatur Acosta de Indorum salute, lib.2.cap.4. 2. Modus conuersionis tyrannicus fuit, vi enim potius quàm Euangelio actum est inquit Possevinus, lib.9. cap.20. & multi contra ipsorum voluntates baptizati fuerunt, inquit Acosta, lib.6.cap.3. Atqui fides non cogitur, sed suadetur in causa religionis res verbis, non flagris agenda est. 3. Indi ad baptismum venientes indiscriminatim admittebantur, nulla facta inquisitione de vita & moribus, imò iis pene tradita nulla doctrina, atque ita juxta Christi dictum, dabatur sanctum canibus, vt queritur Vega opusculo de Fide, & operibus, quæst.3. & totam Indos catechizandi rationem vmbratilem fuisse, & ludicræ similem fatetur Acosta, lib.4.c.3. adeóque simulatoriam sanctitatis speciem prætulisse Indos illos, non autem coluisse Deum seriò, neque credidisse ad justitiam: idem lib.2.c.2. 4. In Indis docendis miscebant pretiosum conuiuium & cum tritico seminabant zizaniam. Itaq; quanquam fortasse aliqui per spiritum discretionis à Deo datum potuerunt Apostolicam doctrinam à Pseudo-Apostolica discernere, & habuerũt instar agri in quo triticum zizania vincit, & in nihilum redigit: Verendũ tamen ne per docentium supinitatem, superstitionem, vel prauam doctrinam illud plerisque omnibus Indis acciderit, quod Proselytis, quos Pharisæi faciebant filios gehennæ duplo peiores, quàm ipsi essent, Matth.23.15.

Porrò quamuis ad objectum istud Prophetici Christi muneris pertineant omnes homines communiter, Christus tamen Iudaicam nationem singulariter selegit, quam ipse terris agens immediatè ac per se doceret, prout, Matth.15.24. testatur se non esse missum, nisi ad oues perditas Israelis, id est, quæ erant in via perditionis & reapse perdendæ, tum per miseram in qua jacebant, ignorantiam, tum per falsam & peruersam suorum ductorum, vel potiùs seductorum institutionem, nisi Christus ad eas ab impendente malo liberandas accessisse. Ea est ratio, quare minister circumcisionis dicatur, Rom.15.8. Non enim ita vocatur, quod ipse circumcisionem aliis ministrauerit, qui ipse ne baptismum quidem, quem instituerat, per se dispensauit, sed Apostolorum tantùm ministerio, Ioh.4.2. Neque quòd ipsi administrata fuerit circumcisio, cùm minister alicujus actionis dicatur, qui ministrat ipse, non autem qui recipit actionem, neque quòd legem ceremonialem, quæ sæpius circumcisionis nomine venit, dispensauerit ipse, aut ad procurandam ejus obseruationem venerit, quippe qui aduentu suo eam potiùs antiquare debuerit, Dan.9.27. Col.2.14. Sed minister circumcisionis nominatur, id est, doctor, qui nationi circumcisæ, nempe Iudæis Euang. ministerio suo prædicauerit, quin & priorem Apostolorum missionem solis Iudæis destinatam voluit, Matth.10.6. Quo fit vt Paulus, Act.13.46. Declaret

oportuisse. 1. Prædicari Iudæis Euangelium, antequam ad nationes veniretur imò ne prædicari quidem Gentibus debuisse, nisi post illud à Iudæis recusatum. Cur autem Iudæis primùm annuntiatum fuerit. Euangelium, variæ sunt rationes. 1. Vt veteres Prophetiæ implerentur, quæ prædixerant exiturum verbum de Sione in vniuersum terrarum orbem, Ps.110.2. Es.2.3. Deinde cùm promissiones gratiæ primùm factæ fuissent Iudæis oportuit etiam ipsis proponi earum complementum in Christo & per Christum. 3. Legem Iudæis primò dederat, quæ pædagogus est ad Christum, quam ipsi variis modis violauerant. Ergo & eis. 1. Prædicatum est Euangelium, ut illum nossent ad quem ducebantur per legem & in eo remedium haberent malorum, quæ præuaricatio legis in eos inuehebat. 4. Debuit Christus inter Iudæos mori, antequam ejus fama in Gentibus innotesceret. Itaque par fuit vt Iudæorum auribus ante mortem insonaret Euangelij doctrina, vt per ipsam scandalum futuræ mortis tolleretur, ejusque necessitas, ac fructus demonstraretur. 5. Sua erant Iudæis non leuia supra reliquas nationes priuilegia, quibus & illi mirum in modum gloriabantur. Ergo ne quererentur ea fuisse à Christo contempta, sequitur neglectui habitos neve Christum calumniis incesserent, aut odio prosequerentur, quasi Gentes aut pertulisset, aut æquasset Abrahæ filiis, ideò voluit apud ipsos tantùm exercere ministerium suum externum. Interea ne putarent Iudæi jus adoptionis & gratiæ potiùs in circumcisionis prærogatiua consistere, quàm in fidei veritate, Christus eos ita curauit, vt tamen pro derelictis non omnino habuerit, vel Samaritanos quos inuisere, & doctrina sua collustrare dignatus est, Ioh.4. Vel Canaanæos quos se non omnino despuere ostendit illo beneficio, quo fœminam Canaanæam affecit, Matth.15.22.23. ne jam dicam quod quidam pro certo habent Christum ingressum in regionem istam Gentilium, nimirum in parte Sydonis & Tyri, Matth.15.21. id est, venisse vsque ad illius extremitatem regionis, quâ Iudæa jungitur, quod si est, non debet dubitari, quin Christus ibi agens, vel miraculis, vel doctrinæ suæ declaratione inter eas Gentes se conspicuum fecerit.

Svperest vt modum Prophetici officij exponamus, rationem nempe qua in ejusmodi functione progressus est Christus, & Christum quidem Prophetam esse sub vtroque Testamento certum est neque eum minùs pro summo doctore suo habuit Ecclesia Iudaica, quàm nunc habet Ecclesia Christiana: Est enim Christus idem heri, & hodie, & in sæcula, Heb.13.18. Idem putà personâ, officio, doctrina: Eadem enim semper persona fuit, idem semper objit officium, eadem Spiritus doctrina mentes fidelium imbuit, & Deum nemo vidit vnquam aut salutariter cognouit ex sese, adeóque oportuit primùm vt filius nobis eum declararet, Ioh.18. Ergo cùm & sub Nouo Testamento Deus cognoscatur, atque in ea cognitione sita sit salutis summa, Iohan.17.3. Et sub Veteri fœdere Israelitæ Deum salutariter cognouerint. Ps.76.2.& 147.19.20. Atque in ea cognitione fœlicitatem collocarent, Ierem.9.24. Manifestè patet esse Christum vtriusque Ecclesiæ summum doctorem & Prophetam, à quo

fideles

fideles quocunque tempore viuificam Dei cognitionem hauſerint; Sed hic tamen aliquod diſcrimen obſeruandum eſt. Nam in Veteri Teſtamento Chriſtus hoc officium exequutus eſt tantùm in diuina natura ſuo tempore incarnanda, in qua Patriarchas & veteres Prophetas immediata vocatione inſtructos ad inſtitutionem fidelium variis illis modis edocuit, quos expoſuimus antea nimirum per ſomnia, viſiones, oracula, internam inſpirationem, vt cùm ita Prophetæ à Deo tradita percepiſſent accedebant ad populum & ſibi reuelata prædicabant, & ſcriptis mandabant ad inſtitutionem populi, adeóque Prophetis immediatè populum mediatè ſummus Propheta Chriſtus edocebat.

Svb Nouo Teſtamento Chriſtus aſſumpta in vnitatem perſonæ humana natura, quod aliorum antea miniſterio effectum dederat voluit ipſe in primis immediatè facere, & officium docendi exercere, tum deinde inſtituendorum per totum orbem hominum curam & officium in Apoſtolos ſuos transferre. Vnde fit vt modus duplex officij Prophetici conſtituatur; Immediatus & mediatus. Immediatus eſt quem ipſe Chriſtus vſurpauit, dum in terris ageret, externum prædicandi munus ipſe objit, juxta Prophetiam, Eſ.61.12. quam de ſua prædicatione dictam fuiſſe docet Chriſtus, Luc.4.18.19. Modum autem, quo Chriſtus doctrinam ſuam propoſuit, ita explico. 1. non quæſiuit receſſus & ſecreta, ſed in propatulo & in luce publica: Nam cùm eſſet lux mundi, Ioh.8.12. Non debuit in tenebris deliteſcere, & cùm bene ageret veniebat ad lucem, vt manifeſta eſſent ipſius opera, quippe Dei voluntati exactè conformia, Ioh. 3.20.21. Itaque feſtis temporibus aſcendebat in vrbem, & omnes ad participationem ſuæ gratiæ vocabat, Ioh.7.37.38. & teſtatur ipſe ſe ſemper docuiſſe in Synagoga, & in templo, & in occulto nihil dixiſſe, Ioh.18.20. Quanquam enim multa dixit Apoſtolis in tenebris & in aurem, id eſt, priuatim, ita, vt tunc temporis alij non eſſent illorum myſteriorum conſcij, Matth.10.27. Tamen eo fine dixit vt omnia in publicam lucem Apoſtolico miniſterio poſtea producerentur. 2. Maximam conſtantiam in ſua prædicatione exhibuit adeò vt nullo metu, nullis periculis, nullis Phariſæorum minis, aut odiis ad hujus muneris exercitia fuerit uſquam abſterritus: Nam & cùm Pilato ſiſteretur, profeſſus eſt ſe in hoc natum eſſe, & ad hoc veniſſe in mundum, vt teſtimonium daret veritati, Ioh. 18.37. Probè noſſet ſe repulſam indigniſſimè paſſurum, & rejiciendam à pleriſque omnibus doctrinam ſuam, prout à Prophetis iam antea declaratum fuerat, Pſ.118.22. Eſ.49.4. Perrexit tamen in officium & opus ſuum eſſe penes Iehouam, Eſ.49.4. id eſt, Deo ſatis cognitum eſſe, quàm ſincere in hac ſua adminiſtratione progrederetur, qui etiam ipſum poſt obitum munus æterna gloria coronaturus eſſet. 3. Ardentiſſimum zelum exhibuit, tum ad Patris cœleſtis gloriam manifeſtandam, Ioh.4.49. 50. Tum ad hominum ſalutem procurandam, Vnde gemitus illi ac lachrymæ, quas effudiſſe legitur ſuper Ieruſalem, Luc.19.42. Eo quod in hoc ſaltem die ſuo, quo ſcilicet Chriſtus eam amiciſſimè inuitabat ad communionem ſuæ gratiæ cognoſcere dedignaretur, quæ ad ſuam pacem, id

est, spiritualem securitatem, atque tranquillitatem conscientiæ, verámque in hoc & in futuro sæculo fœlicitatem spectare. Atque ille zelus innotuit, tum ex precibus, quas Christus subinde in loca solitaria secedens ad Deum effudit atdentissimas noctes aliquot integras precando consumens, Luc.6.12. Vt scilicet & suum, & suorum Apostolorum ministerium ad Dei gloriam & electorum salutem esset efficax, tum ex mira illa patientia, quam in præstando suo munere exhibuit, calumniis undique lacessitus & impetitus opprobriis, quasi turbas seduceret, & secretum foueret cum Diabolis consortium, cùm tamen eo fine venisse, vt voluntatem Patris annuntiaret & opera Diaboli destrueret. 4. Admirandam suam sapientiam patefecit, tantam certè vt nemo posset ipsi resistere, sed omnes eam suspicerent & fateri cogerentur neminem vnquam ita mirabiliter fuisse locutum, Ioh.7.46. Cùm sapientia conjungi debet infinita illa, veréque diuina scientia, cujus complurima dedit testimonia, tum duo illa præcipuè quod & se futurorum omnium conscium sua rerum venturarum vaticinatione sæpius declarauit, & intimarum cogitationum inspectorem, adeoque verum καρδιογνώστην declarauit Ioh.2.24.25. 5. Admirabilem etiam potentiam Christus declarauit illa doctrinæ suæ confirmatione per varia quæ patrauit miracula, nempe quomodo solent principum edicta regiaque diplomata appositione sigillorum confirmari. Ac de miraculis quidem Christi supra diximus, quibus hæc jam subjungere visum est.

Primò Christus per doctrinæ prædicationem priùs innotuit, quàm per miracula inclarescceret: neque enim moramur, quæ de miraculis infantiæ Christi prædixerunt in medium fabulosarum traditionum Hamaxarij. {Certè principium signorum dicitur Ioh.2.11. Christus fecisse in nuptiis Canæ. Atque jam ante per doctrinæ promulgationem, adeoque vocationem nonnullorum discipulorem innotuerat, vt dicitur, Ioh.1. & cùm in causa beneficiorum corporalium Deus sæpe miracula permiserit liberationi, Exod.4.2.3. Iudic.6.17.21.37. quia scilicet frustrà confirmandis fidelibus adjecta fuissent miracula post beneficium acceptum. E contra in doctrinæ cœlestis negotio ordinem eum seruauit, vt doctrina primùm prædicaretur, tum consequerentur miracula. Poterat enim dubitari essetne doctrina illa de cœlo, an ex hominibus veritate fulgeret, an falsitate laboraret. Itaque ad ejus veritatem ad diuinitatem confirmandam, vel potiùs ad homines in ea veritate confirmandos adjecta sunt miracula, 1.Reg.17.24. Ioh.3.2. Marc.12.20. Nempe miraculis excitatur admiratio & stupor quidam in animis hominum, Matth.8.27. ex admiratione timor nascitur, quæ homines ad Deum glorificandum compellit, Matth.9.8.

Secundò cùm miraculorum varia sint genera: Nam alia sunt admiranda ob ipsam operis subsistentiam, cui scilicet non potest simile in rerum natura reperiri, vt cùm Iosuæ temporibus sol & luna in medio cursu subsisterunt, Iosu.10.12.13. Alia verò admirationem habent in modo & ratione productionis, quomodo scilicet quæ possunt alioqui per

causas

causas naturales fieri tempore, & modo à natura præscripto, extra tamen actionem omnem, & rationem causarum naturalium vel momento, vel breuissimo tempore fiunt, vt cùm virga Aaronis flores produxit & fructus, Num.17.8. 2. Alia nullo adhibito externo medio producuntur, vt nubes & columna duces Israelitarum in deserto: Alia verò adhibitione fiunt externi cujuspiam medij, quanquam ipsum nihil habeat per se medium ad aliquod effectum miraculosum producendum vt cùm ex contactu ossium Elizæi mortuus excitatur ad vitam, 2.Reg.13.22. 3. Alia ad declarationem diuinæ benignitatis, aut patefactionis exhibentur, vt cùm manna pluit in deserto: Alia in testificatione iræ atque indignationis diuinæ præstantur, vt cùm ignis cœlestis quinquagenarios Ochoziæ consumit. Denique alia in cœlis fiunt, vt solis statio; Alia in terris dispensantur, vt aquarum ex petra baculo percussa largus effluxus; Alia in mari demonstrantur, vt æquoris Erythræi diuisio. Cùm inquam varia sint miraculorum genera, haud dubium est, quin eorum omnium exempla vel Christus, vel post ipsum Apostoli exhibuerint. Nam, 1. Christus cæco nato visum restituit, Ioh.9. Quod opus est subsistentia miraculorum, & longissimè naturæ vires superans, & aquam in vinum conuertit Ioh.2. Quod tamen breui tempore, & extra matricem propriam natura nequit efficere, Adeóque est ratione modi miraculosum. 2. Sine medio externo jussu Christus dæmonia ejicit, paralyticum sanat, Lazarum excitat, sed & adhibito luto saliuaque visu cæcum natum impertitur, & Apostoli sudariorum appositione vmbræ interuentu vestium contactu morbos curant insanabiles. 3. Quia Christus non Iudex, sed Redemptor aduenit, ideò omnia fermè miracula sua direxit ad testificandam erga homines benignitatem, solis infesta fuit ejus virtus Diabolis, quos gemebundos & inuitissimos corporibus hominum dejectos in immunda porcorum corpora detrusit, semel tamē legitur in homines miraculosum indignationis specimen edidisse, cùm accedentes ad se Sacerdotum ministros vno verbo, tanquam fulmine prostratos in terram abjicit, Ioh.18. 6. Vt norimus volentem in impiorum manus incidisse, qui vel vnius syllabæ potuit ipsos confundere. Apostoli verò ad asserendam sæpiusculè Euangelij authoritatem exercuisse leguntur vindictam erga impios, Act. 5.5.& 13.11. 1.Cor.5.3. 1.Tim.1.20. 4. Propter miracula, quæ passim in terris exhibuit apud homines, quæque in ipso corpore terræ demonstrauit eam horrendo motu concutiens, & petras diffindens, Mat. 7.51. etiam vt se cœli non minùs quàm terræ Dominum declararet, in media mortis ignominia cœlesti faci præter omnem naturæ ordinem eclipsim intulit, & imperium aëris, & maris se habere declarauit, cùm silere ventos & aquas conquiescere jussit.

Tertiò miraculorum exhibitione significatum voluit quantas & quàm eximias gratias in electos suos conferat, nempe aperuit cæcorum oculos vt pateat eum esse, qui insipientium & ignorantiæ tenebris obscuratos animos luce diuinæ sapientiæ atque veritatis effundit, linguas eruditorum soluit in vocem, vt significaret se eum esse qui det suis linguam

eruditorum ad veritatem laudésque Domini deprædicandas, aures surdorum patefecit, vt diceret se eum esse qui cordis aures peccato, & obstinatione duratas aperiat, vel in corde potiùs aures efficiat ad percipiendam & intelligendam Dei vocem. Si Dæmones ex corporibus pellit etiam vitia de animis expectorat, si plantas ad gressum reformat, & animos corroborat, vt ab erroribus vitæ ad salutem gradus generosè moliantur. Si leprosos mundat, etiam à lepra peccatorum miserè laborantes purificat suo sanguine & ad spiritualem sanitatem reuocat. Si corpora mortuorum excitat, etiam à morte peccati ad vitæ cœlestis fruitionem efficaciter transfert atque perducit.

Modvs denique mediatus hujus Christi muneris in eo positus est. 1. Quòd Apostolos suos, & Euangelistas instituit, vt non modò verbi prædicatione mysteria salutis nota facerent hominibus, sed & totum Dei consilium in scripturis sacris exponerent, quæ propterea dicuntur nos σοφίσαι instituere, edocere, sapientes reddere, 2.Tim.3.15. Nam etsi semel legitur Christus digito nonnihil in terra scripsisse, Ioh.8.6. quo significatum volunt multi Pharisæos illos, qui mulierem adulteram accusatum venerant, ex eorum numero esse, quos recedentes à Deo dicit Propheta in terra esse scribendos, Ierem.17.11. id est, perituros in terra, cui cor & affectus suos affixerunt; nullumque in cœlo locum habituros, vbi scripta sunt Iustorum nomina, tamen nihil quidquam manu sua dicitur Christus aliquid chartis commendasse: Nam Epistolam illam Christi ad Regem Abgarum, de qua Euseb. lib.1. histor. Eccles. cap.15. Diu est cùm viri docti abdicarunt, & Gelasius dist.15. inter Apocrypha scripta connumerauit. Et verò vt Christus prædicatam à se doctrinam literis ipse consignaret, nihil opus fuit, qui prophetas olim habuit gratiæ suæ venturæ præcones, & sicut ait Augustinus quidquid de factis dictisque suis nos legere voluit, Apostolis tanquam manibus suis præscribendum imperauit, ipse per se hoc exequutus est, & porrò vsque ad finem sæculorum exequetur in electis suis, vt doctrinam cœlestem non atramento, sed Spiritu, non in chartaceis, sed in carneis cordis tabulis indelebili stylo conscribat, 2.Cor.3.3. 2. Quòd Pastores & doctores verbi, atque Sacramentorum administros ordinauit ad coagmentationem Sanctorum, & corporis sui ædificationem, donec euadamus omnes in vnitatem fidei, Eph.4.11.12. &c. Et accedat beatum illud tempus, quo peritura est externa hæc doctrinæ administratio, vt Christus Propheta noster ipse lumine suo collustret in æternum, Apoc.22.5. Et sit Deus omnia in omnibus, 1.Cor.15.28.

CAPVT VII.

De Christi Sacerdotio.

DE PROPHETICO Christi officio diximus, Sequitur explicandum Sacerdotale; Idque duobus capitibus, quorum primum de nomine erit: Posterius de re ipsa: quem Hebræi כהן, Græci ἱερέα, eum Latini Sacerdotem dicunt: Et Hebræis quidem latiùs patet vocabulum נגיד, princeps, siue præfectus, quàm vt ad Ecclesiasticum ministerium perpetuò referatur: Nam & quicumque honorifico ministerio funguntur, etiam in politicis quales sunt præsides, & præfecti Prouinciarum, vel vrbium Iudices superiores, Consiliarij, vel Secretarij Regum, vel Principum hoc aliquando nomine insigniuntur in Scripturis. Ita, Gen.41.45. Potiphar dicitur fuisse Oniorum, siue Eliopolitarum, vt vertunt septuaginta כהן. Et Exod.3.1. Ietro Madianitarum כהן, princeps: Quanquam potuit etiam vterque apud suos Sacerdotio fungi, prout nouimus etiam apud Ethnicos vnum eundemque hominem & principatu, & Sacerdotio conspicuum fuisse, qualis est apud Virg.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.

SED & filij Dauidis dicitur כהנים 1.Sam.8.19. quod est vertentibus septuaginta ἀνταρχαὶ, aulæ præfecti, quod etiam 1.Chron.18.17. explicatur, cùm dicuntur primi fuisse ad manum Regis, quia scilicet eorum opera & ministerio Rex in præcipuis negotiis vti soleret, & ex ratione honorabilis illius officij Regem comitari, eique jugiter adhærere solebant. Nam alioqui filios Dauidis Sacerdotio fuisse functos nemo dixerit, qui non Iudæ, sed Leui familiam ad Sacerdotij munus à Deo fuisse vocatam non ignorauerit. Sic & 2.Sam.20.26. Hira Iahirites dicitur fuisse Dauidi כהן id est, minister, nempe Consiliarius, vel à Secretis etiam vt Sacerdos Dauidis dicatur, nulla ratio patitur, cùm Sacerdotes non vni Dauidi particulares, sed toti populo ex diuina institutione communes fuerint. Itaque supra dictis locis כהן explicat Paraphrastes Chaldæus per nomen רבא, quod nomen primorem seu principem significat & Hebr. רב רבים שלים וגדולים Principes, & magnos. Sed hæc generalior est nominis acceptio, Magis propria & scripturis frequentior, imò propemodum vbique vsitata est, vt Sacerdotem scilicet, id est, ministrum Ecclesiæ sacris procurandis præfectum. Notant quidam vocis cognationem cùm radice כון quod est firmare, parare, stabilire, non tantùm quia hoc ministerium à Deo sacra institutione firmatum est, sed etiam quia nemo potest eo munere probè fungi, nisi qui paratus & vocatus fuerit à Domino, Heb.5.4.

GRÆCI ἱερέα dixerunt, vel παρὰ τὸ ἵημι, id est, mitto, ὅτι πὰς θυσίας ἀναπέμπει τῷ θεῷ, quod victimas ad Deum mittat, id est, Deo offerat, vel potiùs à nomine ἱερὸς, quo docent Grammatici non modò id significari,

quod sacrum est, sed & alia quædam dicuntur. 1. In genere τὰ τῦ φυλακτικὸν, quidquid homini rebus humanis seruandis commodum est, ac vtile: Ita vocari dicunt farinam, seu panem ἄζυμον ἱερὸν, quòd in vita conseruet, qui eo vescuntur: Ita dici vrbem ἱερὰν, muros ἱερὰς, & qui vrbium custodiæ præferuntur ἱερεῖς, quòd ciues à vi hostium & impressione tutos præstent. 2. Quidquid eximia quapiam, siue molis, siue virtutis magnitudine præcellit: Ita βοῦς ἱερὸς, & ἰχθὺς ἱερὸς, bos, vel piscis vasta corporis mole. Ita ἱερὸν κνήφας, magna quædam & profunda caligo, dicitur; neque ab jis significationibus abhorret ratio, nominis ἱερεῖς scilicet propter excellentiam muneris Ecclesiastici ejusque necessitatis ad procurandum & conseruandum inter homines Dei cultum, qui olim res sacras curabant, & offerendis sacrificiis operam dabant ἱερεῖς. 1. Dicti sunt, eorumque munus ἱερατεία. Atque hic pertinere possunt, quod obseruarunt nonnulli Mercurium Ægyptium Trismegisti, siue ter maximi nomine fuisse insignitum propter excellentiam triplicem sapientiæ, principatus, & Sacerdotij.

Evndem Latini vocant Sacerdotem, quam vocem à Sacris deductam nemo non videt, sed notationem distraxit in etyma quinque anxia Scholaticorum satagentia hoc expressa disticho.

Sacris dotatus, vel sacris deditus, atque
Sacra docens, sacra dans, & dux sacer esto Sacerdos.

Apvd latinos nomen est generale, quod varias olim sub se species complectebatur, *Flaminus, Salios, Aruspices, Augures, Pontifices*, &c. Sed à reliquis ferè nominibus desitum est. Duo retinuit vsus Sacerdotis, scilicet & Pontificis, nec de Pontificis voce omnes sentiunt idem: Aliis dictum placet à ponte faciendo, quia scilicet Romæ Pontificum cura, 1. constructus est pons ligneus Tyberi suppositus, quem sublitium dixerunt, & ab eis postea restitutus sæpius: Aliis placet ab eo dici, quòd sit Sacerdos potens facere, id est, sacrificare: Id enim vocis in eo sensu apud Latinos non infrequens apud Virg.

Cùm faciam vitulum pro frugibus ipse venito.

Nvnc à nomine ad rem transeamus. Sacerdotium est officium Sacrorum administrandorum, ac præsertim offerendorũ Deo sacrificiorum: Est enim inter Sacerdotem, & Sacrificium respectus quidam & mutua relatio, vt nec Sacerdos dici possit, nisi qui jus habet offerendi Deo sacrificij, neque sacrificium nisi quod à Sacerdote diuinitati offertur, adeóque ex sacrificiorum qualitate Sacerdotij ratio dignoscitur. Itaque de sacrificiis hîc aliquid dicendum, antequam vlteriùs progrediamur.

Sacrificivm ex ratione etymi est, quasi sacrum factum, id est, aliquid diuinæ majestati consecratum, siue opus ad diuinam gloriam quouis modo relatum Augustin. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 6. sacrificium definit esse omne *opus quod agitur, vt sancta societate Deo inhæreamus relatum ad illum bonum finem, quo beati esse possimus.* Aliis dicitur *oblatio facta Deo in recognitionem supremi dominij.* Hîc duo generaliter obseruari oportet, 1. Sacrificandi morem non à sapientibus primò introductum,

vt mo-

vt mobile vulgus in officio faciliùs retineretur, quæ fuit ſententia Ethnicorum quàm plurium Ciceronis nominatim apud Lactantium lib.2.Inſt. cap.3. & Senecæ apud Aug.lib.5.de Ciuit.Dei, cap.6. ſed ab ipſa natura, authoreque naturæ Deo dictatum. Vnde ſub ipſo ſtatim mundi exordio ante omnem legis poſitæ conditionem dicuntur Abel & Cain pertuliſſe Deo ſua ſacrificia,Gen.4.34.Et ſanè cùm Gentes omnes communiſſimo quodam conſenſu ſemper deuotionem, reuerentiam, & ſubjectionem ſuam erga illud, quod colebant numen per quaſdam ſacrificiorum ſpecies teſtatæ fuerint : Eo ipſo ſatis docuerunt non hominum inuentum, ſed naturæ inſtitutum eſſe ſacrificandi religionem, quo fit, vt Auguſt. epiſt.49.quæſt.3. palam profiteatur neminem eorum,qui Chriſtianas literas ſciunt, hoc culpare in ritibus Paganorum, quod conſtruant templa & inſtituant Sacerdotia, & faciant quædam ſacrificia, ſed quòd hæc idolis & dæmoniis exhibeant. Iam autem ſicut ſacrificandi mos in genere eſt de jure naturali, ſi non vt principium naturale ſtatim omnibus notum, ſaltem concluſio quæ ex principiis naturalibus extruitur facilè atq; deducitur. Ita quænam ſacrificia definitè atque determinatè facienda ſint & offerenda,non jus naturæ ſed lex poſitiua ſtatuit: Neque enim conſtitutiones Moſaicæ de Sacrificiis ad jus naturæ, ſed ad legem diuinam referendæ ſunt, vt quilibet ſæpe poteſt. 2. Sacrificium non niſi vni Deo eſſe offerendum:Eſt enim proprius & præcipuus religionis quidam actus quo teſtatur homo reuerentiam ſuam atque ſubmiſſionem animi erga Deum tanquam primum creationis principium & vltimam beatitudinis finem:Itaque Exod.22.20. occidi jubetur quicunque alteri, quàm Deo ſoli ſacrificauerit, & Iudic.13.16. Iubet Angelus Manoham, vt ſi offerat ſacrificium, Deo illud offerat. Et verò inquit Auguſt.lib.10. de Ciuit.Dei, cap.4. Sacrificium nullus hominum eſt qui audeat dicere deberi, niſi Deo ſoli : Quis enim ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum, aut ſciuit, aut putauit,aut finxit, & lib.8.cap. vltimo non conſtituimus Sacerdotes,non offerimus ſacrificia martyribus noſtris, quia incongruum,indebitum,illicitum eſt,atque vni Deo tantum debitum.

Sacrificiorvm generalem diſtributionem inſtituere ſi placeat, dicemus alia Deum habere authorem,alia hamano arbitratu introducta, vel potiùs ad authorem Diabolum eſſe referenda : Ad poſterius hoc genus pertinent quæcunque circa ſacrificia & ſacrificiorum ritus in ſpecie, vel feciſſe, vel ſapuiſſe legitur Ethnica ſuperſtitio, quæque poſſunt ad tria capita reuocari. 1. Quidam inter Ethnicos fuerunt, quo numero habentur vetuſtiores Ægyptij, qui cùm ab omnium animalium mactatione,ſibi abſtinendum putarent, & inuiſam Diis arbitrarentur effuſionem ſanguinis, ſuffitibus tantùm oblatis numina ſua placabant, & colebant. Atque inde quòd quidam θυσίαν dictam volunt ἀπὸ τῆς θυμιάζεως, id eſt, ſuffumigationem, eo quòd antiqui ex arboribus combuſtis ſuffimentum Diis ſuis impenderent, quomodo dicunt Orpheum hymnos ſuos cum thymiamate ac ſuffitu ceciniſſe. 2. Longè frequentior fuit vſus ſacrificiorum ex pecudibus, aut aliis animantibus, quæ quòd vincta du-

cerentur ad altare, ducerentur victimæ, & quòd offerri solerent antequam in hostes expeditio susciperetur, hostiarum nomen obtinuerunt. Erant autem ejusmodi sacrificia variorum generum: Alia publica, quæ ad popularia sacra, quæ scilicet pro toto populo offerebantur: Alia priuata, quæ pro singulis hominibus & familiis, Vnde familiaria & Gentilia sacra vocabantur. Item alia stata quæ singulis diebus: Alia solemnia, siue anniuersaria (Virg. annua sacra vocat) quæ singulis annis certo tempore recurrebant, ac præstabantur. Item alia vbi vnum, aut pauciora animalia mactabantur: Alia vbi magnus cadebat animalium ejusdem speciei numerus, quas propterea dixerunt Hecatombas, vel etiam Myriombas. 3. Nonnulli vlteriùs progressi, nec ab humanis quidem victimis abstinuerunt, quid nonnullos dico, imò paucas inter Ethnicos Gentes omnino reperias, quæ non aliquando, præsertim in magnis calamitatibus & impendente aliquo grauiore periculo, vel ex more, vel ex oraculorum monitu hostiis humanis sese suasque aras crudeliter inquinauerint. Ita soliti Scythæ, Thraces, Gothi, Cymbri, Germani, Galli, Britanni, Celtæ, Phœnices: Carthaginenses, quorum nota sunt infanda sacra, quibus aliquando ducentos & vltra impuberes nobilissimos, & primariorum filios Saturno mactasse leguntur. Sed neque cultiores populi Græci & Romani sacrificia ejusmodi refugerunt. Themistocles jussu vatis in prætoria noui tres Iuuenes captiuos, (vt docet Plutarchus) immolauit Baccho, quem propterea ὠμηστὴν crudiuorum, vel crudelem nominarunt. Inter Bæotos liberum mactari solitum puerum jam pubescentem, testis est Pausanias, Rhodij & Cretenses quoque ex Curetum instituto festis diebus pubes & impuberes Saturno immolarunt. Sic Titus Liuius, lib. 22. narrat ex fatalibus liberis sacrificia aliquot extraordinaria facta Romæ post cædem Cannensem, inter quæ Gallus, & Galla, Græcus & Græca in foro Boario in terram vi demissi sunt in locum saxo conseptum. Hunc infandum morem in Gentibus Plerique Gentiles Plato, Eurypus, Lucretius, Ouidius, Plutarchus, Seneca, ex quibus cor sapuit, execrati sunt. Spiritus verò Sanctus disertissimo præcepto ab ejusmodi victimis populum suum abhorrere jussit, Deut. 12. 31. Atque adeò cùm omnes primogenitos sibi consecrari jussisset, noluit tamen eos in sacrificium offerri, sed jussit pretio redimi, Numer. 18. 15. vt vel inde appareat quantum Deus oderit humanarum victimarum oblationem.

Sed hîc occurrit nec silentio prætereunda est quæstio de filia Iephte, cui dicitur Pater ex bello rediens victor fecisse juxta votum, quod vouerat, Iudic. 11. 31. Vouerat autem in hæc verba, quodcunque primum egredietur foribus domus meæ obuium mei erit Iehouæ, & offeram in holocaustum, Iudic. 11. 33. Vnde colligi videtur oblatam à Iephte filiam in holocaustum Domino; atque adeò habere nos à viro, cui testimonium perhibet Scriptura, Hebr. 11. 32. Et super quem Spiritus Domini fuisse dicitur, Iudic. 11. 31. oblati sacrificij humani exemplum. Verùm in hac causa non eadem omnibus doctis est sententia: Sunt enim quamplurimi, qui reapse immolatam à Iephte filiam pertendunt, quomodo-

ferè veteres omnes Iustin. Tertull. Orig. Nazian. Chrysost. Ambr. August. Hieron. Theod. &c. Sed omnes illi tamen de ratione sacrificij non idem docent. Aliis enim placet simpliciter illicitum fuisse & fecisse impiè Iephte quod fecit. Sic August. quæst. 49. in lib. Iudicum, & Scholastici vulgò, à quibus etiam facit Petrus Martyr. Alij immolationem ipsam quidem non laudant, sed animum & zelum laudant immolantis. Sic Ambr. lib. 3. de off. cap. 12. non possum accusare virum, quia necesse habuit soluere, quod vouerat, sed miserabilis est necessitas, quæ soluitur parricidio cap. 15. factum non probatur, sed perseuerantia fidei profertur in exemplum: Denique in illo facto pium Iephte timorem agnoscit Amb. Aliis magis arridet factum deputare speciali cuidam Spiritus Sancti impulsui, adeoque Iephtem absoluere ab omni peccati suspicione. Alij denique quanquam in voti conceptione parum cautum fuisse Iephtem agnoscunt, in voti tamen solutione ab eo nihil factum, ad quod ipsa Dei lege non adigeretur, Quia scilicet quanquam votum simplex & quæ eo voto consecrabantur possent secundùm æstimationem Sacerdotis numerato pretio redimi, vt patet ex Leuit. 27. quæ tamen per votum, quòd חרם, siue anathema dicebatur Domino consecrata fuerat, siue ex hominibus, siue ex bestiis non poterant vendi, neque redimi sed morte debebant affici, Leu. 27. 28. 29. Sed & altera est sententia, quæ magnos habet authores, non modò Lyranum, & ex Hebræis Camim & Leui filium Gersonis, sed & ex nostris Pelicanum, Iunium, Piscatorem, Perkinsum, & alios, qui cùm ferre non possint tam ferum & crudele facinus à viro sancto perpetratum, negant immolatam à Iephte filiam, & tantùm pertendunt separatam ab hominum commercio, atque frequentia vt solitariam vitam in perpetua virginitate ageret, quam sententiam Azorius lib. 11. Inst. moralium cap. 14. non improbabilem judicat, cùm fateatur ex Hebraica lectione elici euidenter non posse Iephtem filiam immolasse, vnde & subdit si Patrum in hac parte sensus minimè obstaret, mihi sanè, vt verum fatear, Lyrani sententia probaretur, qui tanti viri votum, & à temeritate stultitiaque, & ab impietate, crudelitatéque liberum defendit.

Inter magnorum virorum discrepantes sententias difficilè videri posset eligere, quid sequamur, cùm nulla sit quæ non suis quibusdam nitatur rationibus. Nos quod probabilius nobis videbitur, explicabimus. 1. Ambrosio neque Martyr accedit neque nos accedere possumus, ille cùm factum ipsum laudandum neget, atque vitio disputet, in hoc tamen Iephte parricidio: Sic enim vocat pium timorem, constantem zelum, & fidem perseuerantem agnoscit. Enimuero sicut in bonis factis & actionibus diuinæ legi consentientibus timor pius & laudabilis esse potest: Ita cùm actui vitioso timor inseruit, & accommodatur ad factum aliquod lege interdictum: Nam tam pietatem, quàm impietatem sapere videtur. Certè idololatræ in cultibus suis magnum timorem aliquando præstant, neque tamen propterea dixerit aliquis esse in ejusmodi cultibus timorem pium & laudabilem: Neque enim vel timor vel reueren-

tia, vel in rebus per se malis bona intentio acceptatur à Deo : Nam illa via est, de qua Prouerb. 16.25. quæ recta quidem videtur in conspectu virorum, sed cujus tamen finis est via multiplex ad mortem. Sic neque vera fides vlla esse potest in re illaudabili, quæque adeò per se Domino non est grata, verbum siquidem Dei fidem nostram, vt producit, ita etiam dirigit, Rom. 10.17. Itaque quod verbo contrarium est, id fidei nomine laudari nequaquam potest, neq; solemus eum seruum fidelitatis titulo celebrare, qui quæ justus & sciens Dominus disertè vetuerat, ea præstitit quocunque demum fine præstiterit.

SECVNDÒ non iudicamus verisimilem illam doctissimorum virorum sententiam, qui quod votum חרם fecisset Iephte de filia, quæ in ipsius potestate erat, putant ex lege debuisse illud ita præstare, vt filia morte afficeretur : Nos enim persuaderi non possumus fuisse aliquam, Dei legem, quæ juberet, aut ferret hominem, non hostem Dei neque à Deo jam exitio deuotum occidi propter liberandam deuouentis fidem : Nam 1. in votis id requiritur, vt sint de rebus non modò possibilibus, sed etiam licitis. Res enim illicitæ, neque voueri, neque si voueantur, præstari debent : Sic pecus quæ membra haberet, vel perlonga, vel curta non potuit pro voto accepta esse, Leu. 22.23. Reuocari non præstari debet, quod illicitum est, juxta illud Augustini, *Magnæ sapientiæ est reuocare hominem, quod male loquutus*, & Isidori, in *malis promissis rescinde fidem, In turpi voto muta decretum*, quod *cautè vouisti ne facias, Impia est promissio quæ scelere adimpletur.* Itaque præstari non debuit impium illud Iudæorum votum, qui facta conuentione deuouerant sese, dicentes, neque esuros se, neque bibituros, vsque quo interemissent Paulum, Act. 23. 12. Iam autem occidere hominem, siue tui sit, siue alieni juris illicitum est, & contra legem moralem, quippe diserto ipsius mandato prohibitum Exod. 20.13. Quod autem moraliter malum est, non potest per accedentem aliquam ceremoniam, quale votum est, fieri bonum & legitimum. 2. Deus non minus abhorruit ab hominis mactatione, quàm à sacrificio bestiæ alicujus immundæ, Imò multò magis cùm inter præcipuas Gentium impietates referatur, quòd immolarent Filios Diis suis, quod sibi imprimis odiosum testatur Deus, Deut. 12.31. Et inter infandas Israelitarum abominationes, hanc scriptura non tacet, quòd filios & filias suas mactarent Dæmoniis, Ps. 106.37.38. At qui vouerat se Deo sacrificaturum pecudem immundam, non debuit tamen sacrificium illud exhibere, Neque enim Deo fuisset acceptum, Es. 66.3. multò igitur minùs debuit ex voto occidi, aut sacrificari homo. 3. Lex Ceremonialis nihil constituit, aut jubet, quod sit contra dictamen rectæ rationis : Atque extra causam vindictæ publicæ, quam ex legitima vocatione Magistratus exercet, Rom. 13.14. Occidere hominem, ac præsertim filium suum est contra dictamen justæ rationis ; & semper communi populorum consensu fuit execrabile habitum. Itaque Israelitæ occidentes, Kyrareseet Moabitarum, cùm vidissent Moabitarum Regem desperatis rebus ita confugientem ad Deos suos, vt eis super murum vrbis primogenitum filium

suum

ſuum immolarent, ob facti crudelitatem ita commoti ſunt, vt ſoluta obſidione receſſerint, 2. Reg. 3. 27. An eos, putà in Iephte, paſſuros ut filiam occideret. Ita cùm Idomeneus Rex Cretenſium in reditu à Troia naufragium paſſus ex voto ſceleratо, quo ſcilicet obſtrinxerat filium ſibi obuiam factum immolare diis vellet à Cretenſibus tam nefarium facinus deteſtantibus regno pulſus, & patria ejectus eſt. 4. Quod in eam ſententiam deueniunt illi quoque, qui hoc de Iephte ex voto filiam mactante docent. Nam locum illum difficilem explicantes, Matth. 15. 5. Vbi agitur de iis, qui poſt votum conceptum de non benefaciendo parentibus ſuis putabant ex ratione voti non poſſe ſe ampliùs vllo beneficio, aut dono parentes afficere illud rectiſſimè docet fuiſſe impiam traditionem, quæ id juberet, quantumvis eam Phariſæi docerent, & defenderent ſtudij & zeli erga legem obtentu. Dicebant enim peccare hominem ejuſmodi votorum conceptione, & nuncupatione: at non peccare cùm poſt emiſſum votum parentibus benefacere renuebant, imò peccare ſi illis benefacerent, eo quòd ſic votum violarent. Hoc docti illi viri rectè refutant, & friuolum meritò vocant ac putridam ejuſmodi exceptionem, quia ſcilicet quanquam in re adiaphora, quæq; in noſtra poteſtate eſt, votum ſanctè & legitimè Deo nuncupatum religiosè ſervandum ſit, cùm tamen id vouetur, quod impium & injuſtum eſt, vel quod non eſt noſtri juris, tunc tam in voti nuncupatione, quàm in ejus obſervatione peccatur, vt addunt id quod injuſtum & impium eſt, quale ſanè eſt parricidium, id noſtrûm non eſſe, neque poſſe vera ratione fieri noſtri juris & arbitrij, adeóque nullo voto liberum nobis & licitum fieri poſſe. Hæc ſi vera ſunt, concluditur nullo voto potuiſſe licitam fieri occiſionem filiæ Iephte.

ATQVI, inquies, in contrarium eſt lex illa Leuit. 27. 29. omne חרם, quod anathemate deuouebitur מן האדם, non redimetur morte morietur. Vnde ſequitur ſi Iephte filiam ſuam deuouerit, debuiſſe illam ex voto morte affici. *Reſp.* non eſſe neceſſariam illam concluſionem, 1. Quia etſi particulam Hebræam, מן, materiæ ſignificatione hîc accipiamus, & vertamus ex homine non tamen ſequitur id referendum ad quorumcumque hominum conſervationem, cùm Scripturæ conſentaneum, ſi reſtringamus ad populos illos, quos Deus ipſe, & ex Dei voluntate Iſrael ita exitio deuouerat, vt ex eis neminem ſervari vellet, ſed omnes ad vnum interimi, Numer. 21. 2. 3. & 24. 34. 35. Ioſ. 6. 17. 18. 1. Sam. 15. 3. Non autem extendamus ad pios & fideles Iſraelitas, quos Deus exitio deuouere noluit, ſed potiùs ſalutaribus ſuis beneficiis cumulare: Ita notæ Gallicæ Caietanus & Borraus, qui etiam indicat filiam ſuam Iephten occidiſſe, quod iſta verba intelligeret de voto deſtructionis realis; idq; perperam, cùm tale votum non ſit licitum, niſi quando homo eſt hoſtis diuini populi, aut maleficus, aut blaſphemus. 2. Cùm vocula מן variis gaudeat ſignificationibus in Scripturis, neque materiam tantùm, aut partem, ſed etiam cauſam efficientem ſæpe denotet, & ſic etiam aliquando particula exceptiua, nihil cogit, vt intelligamus de hominibus

de hominibus deuotis. Potest enim facilè intelligi de hominibus deuouentibus, ut significetur quidquid homo deuouerit voto חרם, id est, non posse redimi, sed morte afficiendum esse. Hoc enim etsi vsu præcedenti dictum fuerat, repetitur tamen ad majorem emphasim ex vsu Scripturæ, imò & additur, quod morte affici deberet, cùm versu superiori dictum esset sanctissimum fuisse Domino, in hunc sensum reddiderunt Montanus, Pagninus, Iunius, sicut etiam vetus Interpres, adeóque ipsi LXX. Seniores, qui cùm Iudæi essent, & sacrorum votorumque rationem satis nouissent, nihil tamen hîc exprimi putauerint de morte afficiendis Israelitis ex aliquo voto, nec refert quod præcedenti versu מן exponi debet per particulam materialem (ex) cùm nihil impediat, quò minus pro ratione rei subjectæ variari possit alicujus vocis in eodem loco significatio. 3. Quod hic Oleastrius non absurdam opinionem refert eorum, qui putant hîc non modò non mandari, sed etiam prorsus inhiberi votum de homine occidendo. Ita scilicet vt מן האדם non sit ex homine per hominem, sed propter hominem, siue excepto homine, quomodo מן aliquando accipi notum est, vt cùm Iud. 11. 34. dicitur Iephte habuisse filiam vnicam, neque fuisse illi filium ממנו, propter eam, pro ממנה. Nam cùm superiore versu 28. dictum esset, omne quod Domino consecratur voto חרם, siue homo fuerit, siue bestia sanctissimum fore. Domino nempe posse vendi, aut redimi explicatur, quomodo sit sanctissimum, nempe vt consecretur Domino per occisionem, excepto tamen homine, quem ad imaginem suam creatum manere quidem vult Deus consecratum sibi, sed non propterea morte perire. Hic sensus opinionem de hominibus ex voto mactandis funditus euertit.

Tertiò non accedimus etiam illis qui vt Iephtem culpa eximant filiam sacrificantem, nulla quidem legis constitutione nituntur, sed ad extraordinarium motum Spiritus sancti confugiunt, quasi filiam immolauerit Iephte ex inspiratione diuina: Arbitramur enim in re tanti momenti non esse agendum, nisi consignatis tabulis; alioqui non impedit quòminus facta quælibet ejusmodi vel similia possimus hoc prætextu non excusare modò, sed & in laudem ponere putà Noachi ebrietatem, Incestum Lothi & Iudæ, &c. Certè cùm narrat Scriptura Isaacum à Patre deductum in montem, vt sacrificaretur, id simul commemorat totum hoc ex Dei imperio præstitum; Quidni & in Iephte idem obseruatura esset, si motus iste diuinus fuisset, præcipuè cùm Iephten velint, non animum modò sacrificandi habuisse, sed reapse obtulisse in holocaustum filiam. Concludimus ergo cum Augustino in lib. Iudic. quæst. 99. distare hoc quòd Iephte fecit à facto Abrahæ, quoniam ille Iussus obtulit filium. Iste autem fecit quod & lege vetabatur, & nullo speciali iubebatur imperio.

Obiicitvr ex fide laudari, Heb. 11. 32. & Spiritu donatum fuisse Iudic. 11. 31. *Resp.* & Gedeonem & Dauidem filium numero haberi, Heb. 11. 32. & vtrique adfuisse Spiritum Dei, Iud. 6. 34. Ps. 55. 13. Nec tamen ideo lau-

laudandus Gedeon in contexendo Ephod. Iudic.8.17. vel Dauidem in cæde Vriæ & Beersabeæ adulterio, 2.Sam.11.4. scilicet fideles, & regenerati non semper agunt ex principio regenerationis, sed sæpius ex inhabitantis corruptionis motu, nec quicunque particeps est Spiritus, Ideò semper ductum Spiritus sequitur, Gal.5.17.

RESTAT vltima opinio eorum qui putant sacrificasse quidem Iephte filiam, sed in eo grauiter peccasse & feciſſe impiè. Quæ sententia cùm ex lege illa nitatur, quæ docet execrari Deum sacrificia humana, Deut. 12.31. & grauissimi authores magno numero eam sequantur, faciliùs sanè ad illam accesserim, quàm ad præcedentem vllam, neque moror objectionem illam in hoc facto latere mysterium mortis Christi, qui vnicus Patris est & sanctitatis perfectissimæ, & à Patre deuotus, & vltrò sese voluntati paternæ submisit, & morte sua nobis peperit victoriam & ab hostium jugo liberationem sicut illa Iephtes filia vnigenita erat, & virginitatis illibatæ, & à Patre votiuo anathemate Deo sacrata & sponte mortem amplexa est, & illo quasi pretio victoriam, & ab hostium jugo liberationem videtur acquisiuisse Patri. An autem Deus voluisset mysterium tantum constitutum in facto impio? Etenim ne jam dicam hunc typum magis confici ex Interpretum ingenio, quàm ex aliqua scripturæ authoritate vnde etiam alij aliter figuram illam accommodant, vt videre est apud Aug. vbi supra, Quo loco docet Iephtem significasse Christum; filiam verò Iephtes Ecclesiam, illud quoque considerari velim etiam in factis injustis & legi diuinæ repugnantibus latere posse mysterium aliquod: Ita enim ex veteribus nonnulli in Iuda incestante Thamarem quærunt mysterium Christi sese conjungentis cum Gentilibus. Et Aug. vbi supra fatetur Gedeonem peccasse, quandò signum in vellere modò irrorato, modò sicco, & quærit tum ibi mysterium nempe primò significationem populi Israelitici, qui Dei cognitione irroratus fuit, cùm reliquæ Gentes siccescerent. Denique Christianorum toto orbe cœlestibus gratiis irrigatorum, cùm illis careret Israël.

NON diffiteor tamen me in eorum sententiam proniorem esse qui non oblatum in holocaustum, sed tantùm alia quadam ratione consecratam ex voto filiam Iepthe voluit, vt in perpetua virginitate reliquum vitæ transmitteret. Certè nihil est in textu Hebræo, vt supra dicebat Azorius, vnde possit euidenter colligi filiam reuera immolatam, & verba hæc in quæ votum suum Iephte concepit *erit Iehouæ, & offeram illud in holocaustum.* Ita ex frequenti vsu scripturæ explicari possint, vt illud *& offeram*, non conjunctiuè accipiantur, sed disiunctiuè, quasi diceret, vel offeram, nimirum id significauit Iephte se immolaturum quidquid primùm occurreret, siquidem id tale sit, vt legitimè immolari valeat: Sin autem immolari licitè nequeat, consecraturum saltem vt sit Domini. Cùm ergo ex Deo non possint immolari hostiæ humanæ. Consequens est vt alia ratione filiam suam Iephte Deo consecrarit. Adde quod etsi res in Israele turbidæ satis videntur fuisse, vt nimirum vnusquisque faceret, quod sibi rectum videretur, Iudic.17.6. Verisimile tamen est non passuros Sacer-

dotes,& alios in Israele,vt lex diuina tam horrendo facinore violaretur, præcipuè cùm duo menses filiæ datæ fuerint ad deflendan virginitatem, quo temporis spatio potuit facilè omnibus innotescere Iephtes propositum, vt & ipse à variis variè commoueri de officio suo, quod si Oziæ Regi suffitum oblaturo generosè restitisse leguntur Sacerdotes juris sui violationem causati, 2.Chron.26.18. Quis credat ex toto Leuitarum & Sacerdotum genere non fuisse aliquos, qui zelo diuinæ legis perciti, tantæ immanitati sese opposuerint. Dices si non debuit immolari filia nullam fuisse causam cur Pater ita miserè conquereretur, vestesque discerperet. *Resp.* cùm liberis carere probrosum esset in Israele. Haberet autem Iephte vnicam filiam ex qua prolem longamque nepotum seriem sperauerat, nihil mirum si hac spe excidens in querimonias & luctus se se effudit. Dices item si perpetuæ virginitati deuota est filia, hinc proditurum non leue causæ Pontificiæ subsidium pro votis monasticis, quibus perpetua continentia vouetur. *Resp.* non esse quòd timeamus hinc veritatis causæ præjudicium aliquod fore, tum quia acta singularia in exemplum rapi non possunt, tum quia argumentum duci non potest ex ceremoniis legalibus,quas Christi morte nouimus penitus fuisse abolitas, tum denique quia non erat apud Mosem aliqua lex expressa, quâ juberetur Iephte hac singulari consecrationis specie filiam suam Deo vouere.

De Hvmanis sacrificiis hactenus satis pro instituti ratione. Nunc ad ea quæ Deum habent authorem accessus nobis est. Ea omnia hac generali distributione complecti possumus,vt alia dicantur communia esse:alia verò singularia. Communia dico quæ ex institutione diuina promanantia offeruntur Deo ab Ecclesia, & singulis in Ecclesia fidelibus. Illa iterum distinguuntur in εὐχαειστικὰ & ἱλαστικὰ. Eucharisticorum ratio latissimè patet. Nam eo nomine veniunt, 1. Gratiarum actiones, diuinique nominis justa celebratio post impetrata quæcunque beneficia, vel animum, vel corpus spectantia. Quo sensu laudem Deo sacrificare jubemur, Psal.50.14. Heb.13.15. Quod & spondet Propheta fideliter se præstiturum, Psal.116.17. Decet enim pios Domini laudatio, Ps.33.1.2. vniuersum studium & exercitium bonorum operum totáque adeò veræ pietatis in factis, dictis, & cogitationibus nostris ratio. Itaque Apostolus sacrificia vocat beneficentiam, quâ communicamus necessitatibus sanctorum, Heb.13.16. Et dona quæ conferuntur in vsum sacri ministerij, Phil.4.16.18. 3. Scriptura non opera tantùm bona sacrificij appellatione designat, sed & personas piorum Deo jubet offerri, & sacrificari. Sistenda enim sunt corpora nostra in hostiam Deo, Rom.12.1. Vbi corpora cùm dicit Apostolus non est putandus de ea solùm nostri parte loqui quæ sensibus patet & ab anima contradistinguitur, quasi Deus de anima parum sollicitus, tantùm corpus sibi deposceret: Vult enim vt vnusquisque nostrum bene agendo commendet animam Deo, tanquam fideli conditori, 1.Pet.4.19. Sed corporum nomine personas integras intelligit, vt alibi non rarò, Rom.6.12. 2.Cor.5.10. Et verò quod nomine corporis

poris intelligat, satis explicat, 1. Thess. 5. 23. Vbi jubet nos Spiritum, & animam, & corpus inculpatè conseruare in aduentum Domini. Corpus igitur in hostiam offerre debemus, id est, nos ipsos in perpetuum obsequium consecrare Deo: Apostolus enim hoc loco totam sanctificationis nostræ rationem breuiter explicat, Cujus prima pars nempe mortificatio veteris hominis designatur ab Apostolo nomine τῆς θυσίας: Cùm enim θύειν sit mactare, significat in hoc spirituali sacrificio esse aliquid, quod spiritualiter occidi debeat, caro scilicet nostra & carnales concupiscentiæ, & quidquid non ex Deo est, sed ex mundo: Altera verò sanctificationis pars quam vocat scriptura viuificationem noui hominis quatuor epithetis illustratur ab Apostolo, cùm sacrificium istud vocat, 1. *viuum*: Nam cùm in sacrificiis animalium vitam mors sequitur, hîc è contra vitam mors excipit, Rom. 6. 13. Moriamur enim primùm peccato, sed vt postea viuamus justitiæ, viuit hæc hostia Deo, Gal. 2. 20. neque viuit tantùm, sed abundantiùs viuit, id est, in vita hac spirituali continuò proficit, Ioh. 10. 10. 2. *Sanctum*, quia vni Deo dicatum: Nam quæ Deo consecrabantur sancta dici solebant, sanctum quia sicut diuina authoritate sancitum est, ita cùm Deus jubet & vocat proprio sanguine sanciendum, siue obligandum est, sanctum quia à terrenis sordibus magis ac magis expurgandum: Nam & ἅγιον dicitur, quasi ἀΐδιον τῆς γῆς, defæcatum ab immunditie terræ, scilicet quemadmodum Deus olim mundorum tantùm animalium oblationem accipiebat: Sic corporis animíque nostri sacrificium non accipit, nisi ei, ejusque obsequio in vera puritate sinceraque deuotione mancipatum. 3. δεκτὸν, siue *acceptum*, vt piorum studium ab hypocritarum operibus distinguatur: Isti enim quanquam sibi cum externa suorum operum pompa blanditias faciunt, nihil tamen producunt, quod Deo sit acceptum, quod Deo non sit exosum: At verò piorum hostiæ sunt acceptabiles per Christum & quomodo Deus olim in sacrificiis, quæ sincero corde rituque legitimo offerebantur, odorem quietis odorabat, Gen. 8. 21. id est, testificabatur se placabilem & propitium esse offerenti: Ita in sacrificiis spiritualibus intentionis piæ rectitudo Deo gratissima est & persona in Christo acceptissima, Eph. 1. 6. 4. λογικὴ λατρεία, *cultus rationalis*: Cultus quidem, quia non in externo ceremoniarum, aut gestuum apparatu, sed in interno animi sensu puráque & casta conscientia Dei cultus consistit, Rom. 14. 17. *Rationalis* vero. 1. Vt opponatur sacrificiis pecudum, quæ sunt ἄλογα ζῶα. Istud verò est creaturæ rationalis: Deinde vt ostendatur hoc sacrificium ex præscripto rectæ rationis à Deo illustratæ moderatè prudentérque ad Dei gloriam offerri, prout nouimus bonas & laudabiles actiones certa cum ratione judicióque faciendas esse. Denique vt significetur esse rem animi, siue spiritualem, nempe quomodo, 1. Pet. 2. 2. Doctrina pietatis quæ bonos mores & officia renatorum spectat, dicitur ac rationale, quia est aliquid verè spirituale, non ad carnem, sed ad mentem respiciens. Certè in hoc sacrificio spirituali templum est & altare, nempe pectus & conscientia hominis, spiritualis victima, nimirum affectus cordis sanctificati, & inde promanan-

tes actiones Spiritualis ignis accedens & comburens victimam, nimirum sinceræ charitatis feruor. De hoc etiam sacrificio loquitur Paulus, Rom. 15.16. Vbi dicit, se sacrificare Euangelium, id est, doctrinam veritatis rem sanctissimam & sacratissimam prædicare, vt oblatio Gentium sit accepta Deo: Nam vt Sacerdotes & Leuitæ parabant olim hostias & consecrabant, earumque partes præscripto ritu offerebant: Ita Paulus quasi Sacerdos, aut Leuita Noui Testamenti per Euangelij doctrinam quasi gladio dicit se mactare Gentes, quasi hostias, eas ad Christum vocando & ab idolis ad verum Deum conuertendo vt ipsæ ita conuersæ per totum deinceps vitæ curriculum Deo sese offerant. Itaque Gentes hostiæ sunt, tum passiuè, quia conuersæ ministerio Pauli, tum actiuè, quia ex fide opera bona Deo offerentes vita & moribus suam professionem exornant. Eodem respicit illud Pauli, Phil.2.17. Vbi dicit gaudere se, siquidem prolibamento offerebatur super hostia sacrificióque fidei Philippensium: Ita enim Philippenses qui ex Euangelij ab Apostolis prædicati auditu finem conceperant, proponit tanquam hostiam, & victimam quandam spiritualem: Euangelij verò prædicationem quasi sacrificandi actionem, & quia olim victimæ ad quandam perfectionem sacrificij, addi solebat liberatio, id est, vini, aut olei effusio, quo victima aspergebatur; Ideò addit Apostolus sibi gratissimum fore si pro defensione Philippensium occumbere debeat, quippe cùm futura sit ejusmodi mors, quasi libamen, quo ipsorum fidei victima conspergatur.

Hæc omnia sacrificia, si in se consideres variis appellationibus insigniuntur in scripturis: Dicuntur enim sacrificia justitiæ, Ps.4.6. quasi in eis consistit verus religionis Christianæ nucleus, magis quàm in pompa ceremoniarum externarum. Vocantur sacrificia Dei, Psal.50.19. non modò quia Deus sibi mandat offerri, sed quia illa habet acceptissima & sacrificiis animalium longè præfert, Oseæ 6.6. Matt.9.13. vocantur oblatio munda, Malach.1.11. quia licèt ex carnis contagione semper aliquid impuritatis operibus nostris sanctis adhæreat, obtegitur tamen illud velo misericordiæ diuinæ propter Christum, in quo Deus nos habet gratiosos, Eph.1.6. 1.Pet.3.5. Vbi etiam Petrus vocat ejusmodi sacrificia hostias spirituales vt distinguat à corporeis illis & externis, quæ sub Vetere Testamento ex præscripto legis Mosaicæ offerebantur, & vt significet non alium cultum, aut alia opera esse Deo accepta, quàm quæ ex intimo cordis affectu procedunt, Ioh.4.14.

Si autem sacrificia ista relatè consideres, & per comparationem ad sacrificia externa, hilastica, & cruenta, quæ sub Vetere fœdere solebant offerri, dico priora esse ordine, tum temporis, tum etiam dignitatis: Temporis quidem, Nam sacrificia ex pecudibus, & oblationes ex rebus quæ oblatæ destruebantur & consumptione peribant, erant sine dubio peccatorum confessiones, quibus docebatur homo esse se dignissimum, qui misera morte periret, deinique judicij flammis absumeretur, adeóque locum habere non potuerunt, nisi post introductum in orbem creaturarum peccatum: At vero sacrificia spiritualia pleraque omnia ab ipsa

hominis

hominis creatione diuinitus instituta sunt. Pleraque omnia dico, quia quædam esse fateor quæ peccatum supponunt, qualis mactatio concupiscentiarum, & abnegatio carnis & conuersio ad Deum quæ propterea vsum nullum habere possunt, nisi in natura lapsa & peccato deformata: At verò cætera, putà exercitia sanctarum cogitationum, & bonorum operum laudes & celebrationes nominis diuini, & studium illud quo homo se totum Deo in perpetuam obedientiam offerre debet, locum habuerunt in primæuo integritatis & innocentiæ statu; Cùm enim Deus hominem crearet ad imaginem suam, fœdus cum ipso injit duabus partibus constans, nempe promissione beneficientiæ ex parte Dei, & restipulatione obedientiæ atque gratitudinis respectu hominis. Deus ergo prior pro infinita sua bonitate & beneuolentia hominibus ad hoc sese gratiosè obstrinxit, fore se homini Deum ac regem munificentissimum, & omnia regia beneficientiæ munia cumulatè præstiturum: Sed illud etiam ab homine vicissim stipulatus est, vt ex Dei præscripto vitam instituens obsequium ipsi continuum exhiberet, & perpetua gratiarum actione atque orationibus Deum religiosè adiret, atque coleret. Ita intercessit inter Deum & hominem mutua quædam obligatio atque debitum, vnum ex parte Dei, erat illud tamen debitum fidelitatis, quod ex diuina tantùm promissione ortum habebat, quodque diuinæ naturæ neutiquam repugnat, quia quisque donare potest & promittere, cùm vtrumque sit actus liberalitatis; Vnde illud Augustini Deus promittendo se nostrum facit debitorem: At verò ex parte hominis fuit hoc debitum religionis & subjectionis, quod fundamentum habuit in conditione hominis, tanquam inferioris ad Deum tanquam superiorem: Enimuerò relatio ista Dei ad hominem, & hominis ad Deum fuit duplex: Deus enim erga hominem se habebat, 1. tanquam Dominus erga subditos, 2. tanquam εὐεργέτης erga beneficiarios: Sic & homo 1. Deo subditus erat. 2. Dei Sacerdos erat: Quà subditus debuit obsequium conditori suo & supremo Domino; quà Sacerdos debuit sacrificia laudis & gratitudinis Deo tanquam benefactori suo. Atque ita constitutus est ad vota precesque & benedictiones munifico suo creatori jugiter offerendas, Nequaquam autem ad mactandas victimas pro peccato, quippe quòd in primæua creatione nullum esset. Itaque totum hominis sacrificium Eucharistici solius sacrificij ratione primitus continebatur. 2. Est prius etiam ordine dignitatis: Nam cùm religionis, qui vni Deo debentur, actus, Alij sint interiores; alij exteriores, ea est inter illos ratio, vt externi ordinentur ad internos, tanquam præcipuos, putà anima scilicet præstantior est corpore, & intellectualia sensibilibus, sicut Christus significat, Matth. 10.28. & Apostolus docet, 2. Cor. 4.18. Atqui sacrificia pecudum erant actus externi religionis: Sacrificia verò spiritualia pertinent ad actus interiores, adeóque per externos illos significabantur; Nam externa sacrificia signa erant, & testimonia, quibus fideles declarabant se animam suam Deo in humile obsequium offerre tanquam in sacrificium spirituale. Sunt igitur sine dubio spiritualia sacrificia præstantiora corporalibus, sicut antea docebamus ex Oseæ 6.6. Matth. 9.13.

EXCVTIAMVS jam ea quæ ſpectant ad ſacrificia Veteris Teſtamenti exteriora, quæ & typica dicuntur, quatenus aliquid ſpirituale ſignificabant, ac præſertim, quatenus referebant ad Chriſtum. Eorum conſideranda diuiſio, fines & effecta. Apud Suidam hanc ſacrificiorum diuiſionem legimus θυσιῶν αἱ μὲν δωροφορικαὶ, αἱ ἀπολυτρωτικαὶ, αἱ δὲ διαλλακτικαὶ. (Ita enim legendum non διαλακτικαὶ, vt eſt in editione Frobeniana) αἱ δὲ ἀπολυστικαὶ, id eſt ſacrificiorum. Alia ſunt quæ munus aliquod offerunt Deo, alia quæ redimunt, alia quæ reconciliant, alia quæ vota implent. Quanquam autem omnes illæ ſpecies oblationis neceſſe contineri poſſunt, cùm nullum ſit ſacrificium in quo non aliquod diuino numini, vel in ipſius honorem offeratur factum tamen propter defectum vocabulorum, vt prima ſpecies nominatim προσφορὰ ſiue oblatio dicatur Hebræis קרבן, ſiue תודאה, voce ſcilicet generali ad ſpecialem ſignificationem tranſlata. Reliquæ verò ſpecies זבח, id eſt θυσίας, & ſacrificij nomine veniant,

SACRIFICIA δεοφορικὰ, ſiue oblationes dicebantur, in quibus non mactabantur animalia, neque ſanguis effundebatur, ſed vel aridæ, vel liquidæ ſpecies ex fructibus offerebantur. Erant autem oblationes illæ, vel ſtatæ, quæ ſcilicet certis temporibus dabantur, vel interpolatis vicibus Deo dicatæ, prout ſcilicet occaſio, aut voluntas offerentis poſtulabat. Statæ rurſum triplices erant: Nam Iſraelitæ 1. Iubebantur dare primitias frugum jam maturescentium, ſed in agro tamen adhuc ſtantium Leu.2.14. Et dicuntur primitiæ meſſis, Leu.23.10. quia offerebantur ex meſſe mox futura vel ſequutura. 2. Vbi fructus jam elaborati erant, & frumentum vanno expurgatum rurſus oblatio dabatur תדומה dicta, Exod. 25.2. & 30.14. Et de hac agitur, Leuit.23.15.16. Priores primitiæ circa decimum quintum Martij tempore paſchatis: Poſteriores verè in feſto Pentecoſtes offerebantur. Harum autem oblationum quantitatem lex non determinabat, ſed largiebatur cuilibet pro libitu, putà liberaliores tertiam, aut quartam prouentuum partem; Qui verò pauciores quintam aut ſextam. 3. His ex prouentu delibatis ſolui debebant decimæ, quæ triplices erant: Nam & tres nominantur, Tobi 1.7.8. 1. Dabantur Leuitis à populo. 2. Dabantur familiæ Sacerdotum à Leuitis, nempe decimæ decimarum, Deut.18.26.27. Sed erant & tertiæ decimæ, quæ ſcilicet quolibet anno ſeponebantur, velut in communem ciſtam, tertio vero anno quæ computabantur, ſcilicet ab anno remiſſionis, ſiue anno Sabbathario proferebantur in vſum communem, ita vt ex iis comederent & ſaturarentur Leuitæ, Peregrini, orphani, & viduæ, Deut.14.28. Sed de fructibus oblatis non ſatis conuenit inter Interpretes: Quidam enim ex legis præſcripto oblatas tantùm volunt decimas frumenti, olei, & muſti, quæ tres ſpecies nominantur, Deut.14.23. Adeoque olerum & aliorum fructuum decimationem deputant, inter ἐτελοθρησκείας, & ſuperſtitiones Phariſæorum, qui ſcilicet operibus his ſupererogatoriis putarint acceſſuram ſibi mercedem à Deo majorem: Aliis magis placet ſolui debuiſſe ſecundùm legem decimas etiam ex oleribus & fructibus arborum omnium

nium, cui sententiæ confirmandæ faciunt varia Scripturæ loca. Certè Leuit.27.30. docetur omnes decimas ex semine terræ & ex fructu arborum esse Iehouæ: Quod cùm ita generaliter enuntietur, non videtur esse restringendum ad speciem aliquam seminis, putà frumentum, aut arboris putà vitem & oleam, præcipuè cùm 2.Chron.31.5. inter primitias præter frumentum, oleum & mustum nominetur etiam דבש, siue dactylos palmarum, intelligas ea voce, siue fructum quemcunque dulcedine præditum, imò & addatur ex omni prouentu agri solutas primitias, quin imò si oblationes olerum fuissent præter legem ex traditionibus Pharisaicis, Iesus Christus ejusmodi decimationes non approbasset suo calculo, Matth.23.23. quippe qui traditionibus Deum coli debere negauerit, Matth.15.9. Præter eas oblationes fuerunt etiam multæ aliæ, quæ pro re nata, & prout ferebat occasio solebant à populo fieri, vt passim videre est in lib.Leuitic.& alibi. Illæ si ex rebus aridis erant, putà farina, pane, frumento, thure, dicebantur מנחות. Sin ex liquidis, putà vino, aut oleo נסך, siue libamenta. Cæterum quæcunque essent oblationes nullus esse poterat in eis fermenti vel mellis vsus, Leuit.2.11. Sed erat necessarius in omnibus vsus salis, Leuit.2.11.13. Marc.9.49.

SACRIFICIA quod attinet speciatim dicta; oblationes, inquam, & mactationes animalium, eas in triplici genere Suidas statuit, primum est sacrificiorum ἀπολυτρωτικῶν, id est, quæ offerebantur ad Redemptionem primogenitorum. Etenim & primitias frugum & animalium primogenita Dei esse jam ab initio mundi notum fuerat Abeli & Caino, Gen.4.3. 4. Sed accessit postea consecrationis primogenitorum noua ratio, quàm Deus explicat, Exod.13.2. & Numer.8.13. Cùm enim in exitu populi ex Ægypto Deus primogenitum omne Ægyptiorum, tum ex pecoribus, tum ex hominibus Angeli ministerio occidisset. Quidquid autem inter Israelitas primogenitum erat saluum esse voluisset, significauit omne primogenitum esse sibi sacrum, adeóque sanctificandum, id est, separandum ab vsu communi, vt vsibus tantùm sacris inseruiret. Ac pecora quidem quod attinet, cùm ex legis ceremonialis instituto essent, alia munda, quæ Deo poterant offerri, alia immunda, adeóque sacrificiis inepta. Deus immundorum quidem primogenita jussit redimi, id est, mutari agnino, aut caprino sacrificio, vel si non redimerentur, decollari, Exod. 13.13. ne scilicet quod Domini erat transferretur ad vsum aliquem communem, aut profanum. Pecora item munda si vitium aliquod in se haberent, offerri Deo non potuerunt, Luc.22.20.21.22. Et si quis offerret, in graue crimen incurrebat, Malach.1.8. Sin autem integra essent nulloque vitio laborarent, non potuerunt redimi, aut alia re mutari sed ipsamet offerri Deo in sacrificium debuerant, & carnes eorum in vsum Sacerdotum cedere, Num.18.17. Sed quod ad primogenitos hominum attinet, ex quo Deus eorum permutationem fecit, & primogenitorum omnium Israelis loco Leuiticam tribum sibi consecrauit, Numer.3.12.& 8.16. Voluit primogenitos redimi numerato in vsum Leuitarum pretio, nimirum quinque ciclis argenteis, Num.18.16. qui dicuntur cicli ad mensu-

ram ſanctuarij, qui nimirum duplo majores erant ciclis communibus, quorum vſus erat in negotiis politicis, & quia politiæ Rex præſidebat, propterea 2.Sam.14.26. dicuntur cicli ponderis Regij. Verùm non eſt hic ſilentio prætereundum præter hanc primogenitorum redemptionem, aliam quoque nominari, Exod.30.12. Vbi quoties recenſebitur ſumma filiorum Iſrael, jubetur quiſquis annum ſecundum attigerat, dare dimidium cicli ſecundùm menſuram ſanctuarij ad redemptionem vitæ ſuæ, id eſt, ad effugiendam cladem, quæ in hujus ſtatuti violatores ingruitura erat: Vnde notant etiam Hebræi incubuiſſe iram Dei in totum Iſraelem tempore Dauidis, propterea quòd Ioabus populum numerans legem iſtam non obſeruaſſet, neque dimidium cicli à numeratis colligi curaſſet, 2.Sam.24. Itaque Nehemias reuocato ex captiuitate populo trientem impoſuit cicli, vt ſingula virorum capita ad cultum domus Dei, Neh.10.33. Et eò pertinere videtur illa didrachmatis ſolutio, de quo Matth.17.24. Quanquam enim Romani rerum potientes in Iudæa didrachma illud conuertiſſent in vſu Capitolij ſui, qui tamen ex Iudæis religioſores erant, non eo minus aliud didrachma in vſum templi, & rerum ſacratum pia liberalitate conferebant. Sacrificia ἱλαστικὰ, expiatoria, quæ ſcilicet expiationis gratia fiebant, ad capita tria reducuntur, nempe חטאה עולה & חולה אשם. Græcis ὁλόκαυστον, ὁλοκαύτωμα, & ὁλοκάυτωσις dicitur, propterea quòd in hoc ſacrificio totum animal excepta pelle cremabatur in altare, neque aliquid ex eo reliquum fiebat, quòd cederet in vſum Sacerdotum. Vnde & Hebræi אשה dictum eſt, quaſi ignitum, & eadem ratione ὁλοκάρπωμα, vel ὁλοκαρπωσις, quaſi dicas, ὅλον καρπὸν, quòd totius ejus fructus perciperetur à Deo, ſiue quòd totum adoleretur. Dictum autem eſt עולה à עלה, quòd eſt aſcendere, tum quia totius animalis fumus in altum aſcendebat, tum quia ſupra reliqua ſacrificia aſcendebat, id eſt, reliquis omnibus præſtantius erat, vnde etiam dictum fuit כליל, quaſi conſummatum, ſiue perfectum. Erat autem aliud ordinarium; aliud extraordinarium. Et ordinarium rurſum multiplex, nempe, 1. diurnum, ſiue juge, quod ſingulis diebus mane & veſperi offerebatur, ita vt matutinum præcedens omnia illius diei ſacrificia, veſpertinum autem omnia clauderet, de hoc Exod.29.38. & Numer.28.3.4. 2. Sabbathiſmum, quod per ſingula Sabbatha immolabatur, Numer.28.9.10. 3. Menſtruum, quod per ſingulas neomenias, id eſt, initio cujuſque menſis, quem inchoabant Hebræi à nouilunio, mactari ſolebat, Numer.28.11. Denique annuum, quod ſingulis annis in magnis illis Iudæorum feſtiuitatibus peragebatur, Num.28.19.26.27. & Num.29. per totum caput. Extraordinarium verò holocauſtum erat quod pro re nata, & incidentibus neceſſitatibus mactabatur; Tale fuit quod in Sacerdotis ordinatione & conſecratione offerebatur, Leuit.8.21.22. Vbi vocatur etiam victima מלאים, id eſt, plenitudinem, ſiue perfectionem, quòd nimirum Sacerdotes hoc ſacrificio complerentur & perficerentur in ſuo Sacerdotio, tale quod Sam.in pugna Philiſtæorum aduerſus Iſraelitas, 1.Sam.7.9. Et Dauid ad peſtis diuinitus immiſſæ ceſſationem obtulit, 2.Sam.24.24.25.

24.23. At verò חטאת dicebatur Sacrificium περὶ ἁμαρτίας, putà pro peccato ignorantiæ & erroris, quod scilicet ignoranter commissum fuerat ab aliquo. In hoc sacrificio victima tota cremari solebat, pars quidem super altare, pars verò extra castra, Leu.4.4.11. Siquidem officium offertur, vel pro toto populo, Leuit.4.3. vel pro Sacerdote, vt Leuit.16.6.12. Sed quod pro principe, aut priuato immolabatur, cremabatur tantùm ex parte, nempe pinguedo cum renibus. Caput autem & caro non cremabatur, sed Sacerdoti cedebat, Leuit.4.22.23. Denique אשם dictum est Sacrificium Græci verterunt θυσίαν περὶ τῆς μιαρίας, pro peccatis, inquam, quæ scienter & ex deliberato animi proposito perpetrata fuerant. In his Sacrificiis renes quidem, & reticulum jecoris, & cauda, & omnis adeps Deo adolebatur in altari, reliquæ carnes Sacerdotibus cedebant, Leuit.6.6. Cæterum ejusmodi Sacrificium non tantùm pro tempore quo peccabatur peragi solitum fuit, sed etiam in Nouiluniis singulis, Numer. 28.15. Et in festis Paschatis, & Pentecostes, Num.28.22.30.

SACRIFICIA denique ἀποτροπαϊκὰ illa dici videntur à Suida, quæ Græcis θυσίας σωτηρίας, vel αἰτήσεως, sacrificia salutis & laudis dicuntur Hebræis זבח שלמים, sacrificia pacificorum, siue prosperitatis, quæ erant alia quidem spontanea, quæ scilicet ex animi deuotione absque vlla necessitate offerebantur; Alia votiua, quæ ex promissione Deo facta. Vide Exod.24.5. & Leu.22.29. Vbi hoc sacrificium vocatur מורה. Hæc sola fuerunt sacrificia ex quibus partem capere licuit offerentibus: Pars enim Deo consecrata cremabatur, pars in vsum Sacerdotum cedebat, pars ad offerentem redibat, qui ex ea cum familia sua vescebatur, Leuit.7.15.16. Offerebantur autem ejusmodi sacrificia, tum vt Deo gratiæ agerentur pro beneficiis acceptis, tum vt noua beneficia peterentur à Deo, tum denique vt agnosceretur Deus creator, & conseruator omnium, & cujuscunque bonæ donationis largitor.

Hæ sunt Sacrificiorum sub Veteri Testamento species inter quas cùm agnum Paschalem minimè connumerauerimus, haud immeritò quæritur vtrum fuerit agnus ille sacrificium verè dictum. Asserunt multi, ac Pontificij nominatim, quibus placet Paschalis agni mactationem fuisse figuram Eucharistiæ, vt inde conficiant missam esse verum & reale sacrificium, cujus argumentationis εὐθυνία suo loco detegetur.

QVÆSTIONEM quod attinet, certum est agno Paschali suum esse locum inter Sacramenta vetera, quibus Deus populo Iudaico beneficia spiritualia sacrificata, & obsignata voluit, sed & agnum Paschalem in eo fatemur ad rationem sacrificiorum accessisse, quòd certis ritibus mactaretur, non minùs quàm sacrificia: Cui si addas in festiuitate Paschali oblata fuisse Domino varia sacrificia boum & vitulorum, Leuit.23.8. Num.18.19. Deut.16.2. non miraberis agnum istum victimam dici, & sacrificium, & immolationem, Exod.12.27. Num.9.7.13. Marc.14.12. 1.Cor. 5.7. Attamen si rem libeat ἐξονυχίζεσθαι, non videtur inter sacrificia verè propriéque dicta computandus Paschalis agnus. 1. Quia sacrificium quodcunque verè dictum ad aliquam suprà dictarum specierum reduci

poteſt. Atqui Paſcha nulla eſt ex eis ſpeciebus ſacrificij, quas enumerauimus, vt percurrenti patebit. 2. Quia de ſacrificiis propriè dictis aliqua ſemper portio Deo reſeruabatur. Certè renes & adeps omnium victimarum Deo in altari adoleri debuit: At Paſchalis agni nulla pars legitur in hunc vſum ſepoſita, vt cremaretur in altari, quin è contra totum Agnum comedere jubentur Hebræi, nec ex eo aliquid reſiduum facere, Exod. 12. 9. 10. 3. Iſraelitis nominatim interdicitur ne qua ſacrificia offerant in Ægypto, Exod. 8. 25. 26. 27. Atqui nemo dubitare poteſt, quin primum Paſcha in Ægypto ſeparatum, mactatum, manducatum fuerit, Exod. 12. 1. 2. &c. 4. Quia ſacrificij & Sacerdotis neceſſaria eſt relatio, adeóque ſicut non eſt verè Sacerdos, niſi qui verè & propriè dictum ſacrificium offert: Ita non eſt verè ſacrificium, niſi quod à verè dicto Sacerdote offertur: Atqui agnus Paſchalis non à ſolis Sacerdotibus, ſed à Patribusfamiliis in vnaquaque tribu mactabatur. Quod quanquam negant Serarius & Lorinus, tamen euidentiſſimè docetur, Exod. 12. 2. 6. Vbi vnuſquiſque ex congregatione Iſraëlis jubetur agnum immaculatum ſeparare & 14. die immolare. Atque adeò id ipſum fatetur Bellarm. lib. 1. de miſſa, cap. 7. 5. Denique quod clarius: Neque objiciendum eſt Paſcha fieri ſolùm debuiſſe in loco, vbi eſſet tabernaculum, aut templum, id eſt, vbi ſacrificia offerri debebant, Deut. 16. 5. 6. Neque illud item quòd 2. Chr. 35. 12. dicitur Leuitas nudaſſe pellem agnorum Paſchalium, & Sacerdotes ſparſiſſe ſanguinem effuſum: Nam quòd Paſcha immolabatur ad locum tabernaculi, aut templi, factum eſt, non quia Paſcha verum eſſet ſacrificium, ſed quia magnæ feſtiuitates, qualis erat Paſchalis, ad ea loca debebant ex lege celebrari. Quod autem Paſchata mactata fuerint à Leuitis & ſanguis eorum ſparſus à Sacerdotibus, intelligendum, non tam de agno Paſchali, quàm de ſacrificiis boum & vitulorum, quæ in eo feſto fiebant quæque fatente Serario, ipſa Paſchata dicta ſunt. Sed Bellarm. lib. 1. de miſſa, cap. 7. 5. Denique quod clarius? fatetur quidem omnibus Patribus familiarum datam fuiſſe facultatem agni Paſchalis immolandi, ſed ad argumentum noſtrum reſpondet Sacrificium Paſchatis fuiſſe inſtitutum antequam familia Aaronis determinaretur ad ſacrificia, & ideò quantum ad hoc ſacrificium manſiſſe antiquum priuilegium, vt omnes Patresfamilias Sacerdotio fungerentur, & laudat in eam rem Philonem lib. 3. de vita Moſis. *Reſp.* Bellarm. non reſpondere, ſed ſua ſomnia ingerere: Nam ſi quid valeat ejus reſponſio, concluſerit aliquis eadem ratione alia ſacrificia potuiſſe à Patribusfamilias offerri, quippe cùm eorum inſtitutio longè ſit antiquior determinatione familiæ Aaronis ad adminiſtranda ſacra: Deinde ſi verè Sacerdotes in hac cauſa fuerunt Patresfam. vbi eſt quæſo altare, in quo ſacrificium illud obtulerunt? Nemo enim neſcit eſſe de ratione Sacrificij verè dicti. Philonem quod attinet dicit ille quidem vnumquemque Iſraëlitam offerre νομίζοντα ἱερατικὴν τετιμῆσθαι putantem ſe Sacerdotio honorari, ſed præterquam quod non dicit Iudæos verè Sacerdotes fuiſſe, ſed exiſtimaſſe ſe quaſi Sacerdotio fungi, id eſt, ita ſe geſſiſſe varios ritus peragendo: Quomodo in ſacrificiis ſolebant Sacerdotes

notes. Illud etiam addi potest Philonem, & sacrificij, & Sacerdotis nomine vsum fuisse in latiori quadam significatione, ad quam si respiciatur, facilè concedimus agnum Paschalem sacrificij nomine venire posse.

ANTEQVAM vlteriùs progrediatur, quædam occurrunt de sacrificiis in genere notanda. 1. Quædam sacrificia dicta fuisse קדשי קדשים, id est, Sancta Sanctorum, vel Sancta Sanctissima, nempe quæ mactari solebant tantummodo in latere altaris Aquilonaris, Leuit. 1. 11. Qualia erant holocausta, & sacrificia pro peccato, vel delicto, & oblatio quæ dicebatur מנחה de quibus scilicet vesci non erat licitum, nisi Sacerdotibus; Alia verò vocabantur קדשים קלים. Sancta Leuia, siue vulgaria, quæ nimirum offerebantur in quouis atrij loco, ex quibus vesci licebat, non Sacerdotibus modò, sed & omnibus offerentibus, qualis erat oblatio primitiarum & decimarum, & quæque dicebantur sacrificia prosperitatis. 2. Quæ victimæ offerebantur Deo, eas oportuit non modò mundas esse ex legis præscripto, verùm etiam integras, neque vlla sui parte mutilas, aut aliquo vitio deformatas. Hæc tamen lex aliquam exceptionem passa est, siquidem in sacrificiis prosperitatis, quæ spontanea, non votiua erant, licuit offerre bouem, aut ouem, etsi perlonga, vel curta membra haberet, Leu. 22. 23. Quem locum quamuis ita explicent Rabbini, & nonnulli alij, quasi significetur tantùm potuisse ejusmodi animalia offerri ad vsum sanctuarij, non autem ad vsum sacrificij, id est, non potuisse quidem illa sacrificari, sed potuisse tamen Sacerdotibus offerri pro voluntario munere, vt scilicet venderentur, & pretium eorum conuerteretur in vsum sanctuarij: Textus tamen Mosaicus euidenter aliud sonat: Opponit enim sacrificium spontaneum votiuo, & docet in isto quidem non potuisse offerri animalia vitium habentia, sed in eo non esse illicitum. 3. Animalia, vel terrestria, vel aërea, id est, pecudes, vel aues sacrificari sibi voluit Deus de aquatilibus, siue piscibus nullum dedit præceptum. Quanquam multos ex eis declarauerit mundos esse, id est, ad vsum ejus populi idoneos. Quare verò ex piscibus non fieret sacrificium causas has Interpretes reddunt. 1. Quòd pisces non ita sint in potestate hominum, sicut animalia terrestria, neque sic vsu communi possideantur. 2. quod si curari non valeat, adeoque mansuetudini, quæ in offerentibus requiritur, significandæ minimè sint apti. 3. quòd non facilè viui adduci possent ad locum sacrificij. Sed & inter Ethnicos rara fuerunt ex piscibus sacrificia, quæ causa fuit etiam, vt in Symposiacis Plutarchi Sylla contendat ἰχθύων θυσίμων οὐδένα, οὐδὲ ἱερεύσιμον εἶναι, nullum piscem ad sacrificia, vel ad sacra esse aptum: Legitur tamen apud Athenæum quædam deuotiorum sacrificia fuisse ex anguillis, & thynnis. 4. Ex terrestribus animalibus tres tantùm species selegit Dominus ex bouino scilicet, & ouino, & caprino genere. Tres item ex auibus, nempe columbas, turtures, & passeres. Ratio redditur ab Interpretibus, quòd ista animalia munda sint, & mansueta, & quòd humanis maximè commoda; Quòd in columbis conjugalis castitas, in turturibus vidualis continentia repræsentetur. Passeres autem sint columbis similes habitatione, pastu, & vo-

latu gregali. Quod boues, oues, & capræ totum quot sunt & vitiunt necessitati hominum sint & viuant, victum & vestitum suppeditent, mundissimis pascuis victitent, facilè reperiantur, cùm domi mutari soleant. Denique non ferocia sint, sed mansueta & facilè nulloque hominum periculo mortem sustineant, quippe cùm iis ad alios vsus occidendis homines assueti sunt. 5. Ad sacrificia vt plurimum adjecta fuit oblatio aliqua & libatio ex pane, thure, oleo, musto vt esset veluti quædam appendix & ὀπτανμα sacrificij Num.15.4.6.9. 6. Ignis quo sacrificia comburi debebant non fuit communis qui de domiciliis Israelitarum afferri posset in altare diebus singulis, sed particularis, & in eam rem Dei jussu destinatus, nec tamen talem qualem Hebræi fabulantur docentes ignem illum ita fuisse mirabilem vt etiam amotis ab altari lignis omnibus arderet, atque vigesceret: Nam si ita res habuisset ei sanè conseruando nihil fuisset opus cura illa Sacerdotum sollicita, ad quam Deus ipsos obstringit; Leuit.6.12.13. Nihil etiam opus festiuitate illa, quam Iosephus commemorat, & ξυλοφορίαν vocat, quæ scilicet in eum finem instituta instituta fuerat apud Iudæos vt populus singulis annis certo quodam tempore ligna comportaret in templum ad illius ignis conseruationem. Cæterum arbitrantur multi ignem illum, 1. De cœlo descendisse, tum deinde perpetuò conseruatum in tabernaculo, donec ædificato templo dimissus est cœlitus alius ignis, 2.Chron.7.1. qui & ipse perduratsse creditur vsque ad captiuitatem Babylonicam, sed res non videtur ita certa ex scripturis: Nam Leu.9.24. Legimus quidem Aarone ministrante ignem descendisse de cœlo, qui consumpserit holocaustum, sed cùm superioribus cap. nominatim, Leuit.8.16.17.18. mentio fiat ignis consumentis sacrificia non videtur hunc ignem eundem fuisse cùm illo qui Aarone sacrificante cœlitus decidit, sed quidquid illud est, hoc sanè constat noluisse Deum vt alieno igni comburerentur sacrificia in altari, & qui in alienum introduxisset haud impunè tulisset, sicut manifestum fuit in exemplo Nadab, & Abihu, Leuit.10.1.2. Sæpius tamen factum est, vt extra ordinem ignis de cœlo missus victimas absumeret, vt scilicet hac ratione certiores fierent offerentes acceptas esse Domino suas oblationes. Itaque cùm, Gen.4.4. Dicitur Deus respexisse ad sacrificium Abelis sacrificia consumpsisse; Vnde quod Hebraicè est, Deus respexit ad sacrificium Abel. Theodot. vertit ἐνεπύρισε, id est, Inflammauit super sacrificium Abelis idem testatur histor. factum sacrificio Gedeonis, Iud.6. 21. & Dauidis 1.Chron.25.26. Et Eliæ 1.Reg.18.38. Et Nehemiæ, 1.Mac. 22.32. Atque hoc idem Diabolus inter Ethnicorum sacrificia imitari conatus est: Narrat enim Solinus cap.11. polyhist. In colle vulcanio sarmenta viridia super aras structa ignem sponte concepisse, & nullo inflagrante à citato numine fieri incendium. Neque ignotum est quanta cura variis locis ignem suum sacrum Ethnici conseruarint; Apud Persas templum fuit, ubi Magi perpetuum ignem foucbant. In templo Delphico eadem cura mulieribus quibusdam matrimonio solutis commendabatur. Athenis Palladium cum lanspade ignis perpetui custodiebatur à virginibus.

bus. Denique Vestales Romanæ præcipuam curam in ignis sui æterni conseruatione occupabant, qui si quando extinctus esset non aliter reparari poterat, ut purus & cœlestis crederetur, quàm ex solis radiis in fomite accensis.

SEQVVNTVR sacrificiorum fines, quos non dubium est eosdem esse qui & veterum omnium Ceremoniarum fuerunt, quas notum est omnes in Christum respexisse, Rom.10.4. Coll.2.17. Et vmbras fuisse futurorum bonorum, Heb.11.1. Primùm igitur in veteribus sacrificiis hilasticis præmonstratum est Christi sacrificium sicut fusiùs exequitur Apostolus in Epist. ad Hebr. Hinc est quòd scriptura noua Christum appellatione agni toties designat, Ioh.1.29. 1.Pet.1.18.19. Et in Apoc. frequentissimè: Illud enim nomen Christo fuisse tributum, partim allusione ad veteres Prophetias, partim declaratione inhærentium in Christo virtutum, partim repræsentatione veterum sacrificiorum, dictum est supra cùm de Christi appellationibus ageremus. Et verò quamuis sacrificia boum, vitulorum, caprarum, columbarum quoque & turturum Christum sine dubio præfigurarunt, quia tamen longè frequentissimus fuit vsus agnorum tum in sacrificio illo continuo quod singulis diebus manè vesperique agni mactatione peragebatur, tum in celebritate Paschali per singulas Israëlitarum familias immolabatur agnus, & comedebatur: Et quia Christi innocentia, humilitas, aliæque virtutes hoc agni symbolo euidentiùs repræsentantur, propterea factum est, vt agni appellatione Christus insigniatur, potiùs quàm alicujus ex iis animalibus, quæ sacrificiis veteribus idonea fuerunt. Porrò quemadmodum fuit iste præcipuus sacrificiorum finis. Ita fides offerentium non in externa illa sacrificiorum specie hærerere debuit, Sed attolli sublimiùs & in futuro Christi sacrificio suæ contemplationis oculos defigere. Hoc certè qui minimè dederunt effectum ij sua sacrificiorum multitudine operum perfecerunt omnino prout sæpius ingeminatur apud Prophetas; Es.1.11.12.13. & Es.66.3. Amos 5.21. 22. Prou.21.27. &c. Neque alia ratione gratum fuit Domino sacrificium Abelis nisi quòd per fidem oblatum fuit, Heb.11.4. Fidem inquam, quia in scriptura dicitur fides Christi, quia recumbit in Christum extra quem non est salus, Act.4.12. Et qui est agnus occisus ab origine mundi, Apoc.13.8.

AT VERÒ Eucharistica sacrificia, quæ prosperitatis dicta sunt fidelium mentes eò dirigebant, vt docerentur Deum agnoscere ac celebrare tanquam conseruatorem omnium, maximèque fidelium, & omnis bonæ donationis largitorem; Atque ita in eum esse recumbendum eique accepto ferendum quidquid nobis contingit, ab eo vno petendum & ab vno expectandum quidquid vel hujus vitæ vsibus, vel animæ saluti conducibile est. Rectè igitur dixerimus his sacrificiis obsignatam fuisse veritatem eorum omnium quæ scriptura passim docet de datorum bonorum omnium Deo, de agendis Deo gratiis, de celelebranda ipsius bonitate & memori mente retinendis ipsius beneficiis: Breuiter omnia omnino sacrificia, vel picturæ quædam fuerunt passionum Christi, adeóque con-

cionum instar habuerunt, quæ populum de Christo venturo, & corpus animumque suum in victimam pro peccatis nostris exhibituro, atque ita futuris omnibus sæculis pateret quàm diuina, quàm antiqua sit religio Christiana vel publica documenta fuerunt, quibus de sua gratitudine officióque in Deum fideles continuò erudirentur. Itaque horum sacrificiorum fermè totam rationem continet liber Leuitici, ideò non dubitauit Hieron. Epist.103. præclaro hoc elogio librum istum ornare, quòd singulæ pene Leuitici syllabæ cœlestia spirent Sacramenta.

His Finibvs possumus alios adjungere. 1. Deus hac sacrificiorum institutione ac varietate Israelitarum Genti consultum voluit, quæ cùm ad idololatriam maximè prona esset his negotiosis scrupulositatibus, vt eas vocat Tert. opus habuit, vt in illis continuò occupata, & obedientiam suam erga Deum in externo illo cultu exercens, occasionem non sumeret vsurpandorum rituum idololatricorum, aut fingendorum nouorum cultuum, Sicut ostenditur, Deut.12.30.31.32. Et Iust. significat Dial. contra Thyphonem Deus, inquit, hostias, offerre tanquam nomini suo præcepit, vt ne simulacra colerent Iudæi, atque eam ob rem sacrificia & alias ceremonias Apost. Eph.2.14. vocat μεσοτοίχον τοῦ φραγμοῦ, integerrimum parietem septi, propterea quòd diuideret Israëlem à Gentibus, quomodo scilicet domus à domo intermedio muro separatur.

Secvndò Deus hac sacrificiorum varietate & repetitione continua populum admonere voluit, non esse hæc sacrificia ejus virtutis, vt per se & in se continerent veram peccatorum expiationem, quippe si vnum aut alterum eorum verè fuissent expiatorium nihil opus fuisset, vel alia adjungere, vel illud subinde repetere, Heb.10.1.2.3.. Docebatur ergo populus non ad externa isthæc adhærescere, sed ad verum sacrificium expiatorium olim à Christo peragendum fidem suam attollere. 3. Erant sacrificia, quasi nerui *fortissimi*, quibus in *sanctam ejusdem cultus societatem* Israelitæ omnes colligebantur: Nam dum vni Deo sacrificia offerebant, omnes agnoscebant vni se Domino in perpetuum obsequium esse mancipatos. 4. Suus erat sacrificiorum vsus ad ministerij sacri in hoc Populo conseruationem. Sacerdotes enim & Leuitæ, quibus demandata erat sacrorum cura, cùm sortem non accepissent in Canaanitide, hac sacrificiorum oblatione non minùs quàm primitiarum ac decimarum præstatione se suamque familiam sustentabant, Deu.8.1.2.3.4.5.

Addamus hîc etiam in singulis oblationum & sacrificiorum generibus considerationem finium propter quos Deus ea instituit, adeoque in typis illis τὰ τυπικὰ contemplemur. 1. Quod ad primitias attinet, jubebantur Israëlitæ, Leuit.2. Offerre munus primitiarum suarum, aristas scilicet recenter excussas è spicis virentibus & grana inde decussa igne torrere addendo oleum & thus imponendo. Hac ratione primo significatum est beneficium Christi, quem Scriptura primitias dormientium vocat, 1.Cor.15.20. quia sicut in primitiis sanctificabatur tota messis & erant illæ quasi pignora benedictionis diuinæ in totam messem: Ita & in Christo sanctificationem accipiunt fideles, Heb.2.11. & in ejus resurrectione.

ctione futuræ resurrectionis ad vitam pignus habent certissimum. Deinde Christus sese comparat grano tritici, Iohan.12.23.24. Granum igitur illud non sponte de spica sua decidit, id est, non defecit morte naturali, sed excussum est de spica virenti, id est, cùm viribus integer esset, occubuit morte violenta, & contusus est manu diuini Iudicij, & torrefactus igne passionis : Oleum verò & thus quod vnà cùm excussis illis granis cremari & arderi debuit, orationem Christi misericordem designauit, quæ in morte ipsius, tanquam suffitus quidam dignissimus, & odor optimæ fragrantiæ ascendit ad nares Domini. 2. Significatum est officium verè fidelium, qui dum hîc agunt, & sensim adolescunt in virum perfectum ad maturitatem & plenitudinem sanctitatis omnibus votis aspirantes, debent offerre Deo primitias vitæ nouæ, & cordis contritione, quasi granorum concussione & charitatis oleo atque orationis thure sese Deo hominibúsque commendare.

In Decimarvm persolutione varij fines considerandi occurrunt, 1. Deus illas instituit, vt eo sumptu conseruaretur ministerium, ad quod Deus Leuiticam tribum sanctificauerat. Atque ita docuit illud præcipuè curandum fidelibus, vt vigeat in Ecclesia Diuini verbi prædicatio adeoque ministris Euangelicis suppeditentur quæ sunt ad vsus vitæ necessaria, de quo fusè Apostolus, 1.Corinth.9. 2. Hac decimarum protestatione significabatur vtendum esse frumento, vino & aliis ejusmodi speciebus, atque adeò terrenis quibuscunque benedictionibus sanctè & honestè & agnoscendum esse Deum tanquam largitorem eorum omnium quæ nobis, vel terra, vel pecudes, vel victum vestitúmque sufficiunt. 3. Illud quoque demonstratum voluit Deus offerendas sibi esse de donis omnibus salutaribus, quibus nobis assiduè mactat, decimas spirituales, id est, ei tribuenda & referenda ad vnum quæcumque beneficia vera & cœlestia in hac vita possidemus. 4. Hanc considerationem addunt alij hac decimarum institutione significatam perfectionem Dei & indigentiam nostram, scilicet denarius numerus perfectus est, quatenus limes est vltimus numerorum, vltra quem numeri non procedunt, sed cùm eo peruentum est ad vnitatem reditur. Ergo cùm fideles nouem sibi partes consecrabant, decimam Deo consecrabant, tacita quadam confessione significabant ad se pertinere imperfectionem: At verò sufficientiam & perfectionem Dei solius esse, neque aliunde quàm ex Dei gratia per Christum expectandam.

In Oblatione quæ dicta est מנחה offerebatur Deo panis, vinum, oleum, thus, & sal, id est, quæ ex terra nascentia in vsum nostrum veniunt. Ea enim vel sunt in cibum, vt panis, vel in potum, vt vinum, vel in condimentum, vt sal, vel in medicamentum, vt oleum & thus. Hæc igitur omnia aptissima erant ad abundantiam bonorum repræsentandam, quibus donamur in Christo, qui factus est nobis à Patre omnia: Ejus caro nobis est panis, ejus sanguis nobis est potus, ejus gratia condimenti instar, ejus oratio instar medicamenti. Quòd farina Minchæ pura esse debebat, significabat Christi personam esse puram, sanctam, imma-

culatam, neque modò puram in se, sed puritatis causam in aliis : Quòd coquebatur farina illa & panis frigebatur & torrebatur, symbolum erat passionis & mortis, quâ Christus, quasi in iræ diuinæ fornace coctus est, quod non tota farina, vel panis assumebatur ad vrendum, sed eius tantùm particula quædam conjiciebatur in ignem ; Reliquum verò cedebat in vsum Sacerdotum, typus erat Christi passionis, quâ non est totus absumptus, sed fructus ejus ad omnes fideles, quasi totidem spirituales Sacerdotes redundat. Oleo figurabatur diuina misericordia & clementia Patris, quæ ex passione Christi nostram voluit efflorescere peccatorum remissionem. Quòd verò thus adolebatur, denotat dulcissimam & flagrantissimam efficaciam sacrificij Christi Sal quod adjungebatur, Christum etiam designabat, verum illum & cœlestem, quo tum personæ nostræ, tum & opera quasi condiuntur & sapida fiunt vt grata reddantur Deo, & quo credentes in ipsum non modò à putrefactione vitiorum conseruantur, sed & in perpetuam vitam excitandi sunt ex vi fœderis illius æterni, quod Deus nobiscum in Christo pactus est, quodque fœdus salis vocatur, Num. 18. 19. quatenus scilicet sal nota est perpetuitatis & incorruptionis quod abdicabatur ab ista oblatione fermentum & mel significabat Christum longè futurum ab omni fermento impuritatis, malitiæ hypocriseos in vita longè ab omni fermento vanitatis mendaciique in doctrina. Longè denique ab omni melle, id est, dulcedine ac voluntate carnis, quam qui sequuntur, Deo placere non possunt. Denique quòd leuabatur oblatio illa in memoriale Domino significabat extollendum Christum in crucem in memoriale perpetuum coram Deo Patre suo in expiatione peccatorum nostrorum ad sempiternam nostram salutem.

Secvndò potest hæc oblatio referri ad significandum fidelium officium, qui vitam suam Deo consecrare debent, quasi spiritualem quandam oblationem, eamque puram & mundam, vt dicitur Malach. 1. 11. quo scilicet neque fermento impuritatis aut malitiæ contaminetur, neque voluptatum mundanarum melle corrumpatur, sed cœlesti quodam oleo, thure, & sale condiatur, nempe oleum quod membra quibus illinitur agilia reddit, rectè assumptum est ad figurandam illam animi promptitudinem, & obedientiæ facilitatem & hilaritatem quam Deus in cultu suo præcipuè requirit, 2. Corinth. 9. 7. Thuris verò suffitu placidaque exhalatione optimè repræsentata est piæ orationis apud Deum acceptissima fragrantia, Psalm. 141. 2. Sanè denique probè declarata fuit, 1. Prudentia illa pia & religiosa, quæ tum cor, tum linguam Christiani dirigere debet ad loquendum, prout conueniens est, vnde jubet Apostolus sermonem, nimirum gratiæ sale condiri, Colloss. 4. 6. scilicet quemadmodum sal ignea natura pollens, vim habet dissoluendi, purgandi, & exsiccandi noxios humores, arcendique putredinem. Sic religiosa piorum prudentia reprimit in colloquiis sermonem otiosum, proscribit obscœnum & improbum, quem quia non est illo sale conditus Scriptura vocat putrem & corruptum, Ephes. 4. 29. Et sicut sal cibos facit aptiores

ad di-

ad digerendum & vtiliores ad nutriendum. Haud secus Christiana prudentia id efficit, vt aptum sermonem exprimamus & ad ædificandum vtilem. 2. Inuiolata & incorrupta morum sanctitas ad quam Christus respexit cùm diceret, Marc.9.49. omnem hominem esse igne saliendum, & omnem oblationem esse sale saliendam: Quem locum nouimus quàm multis explicationibus vexatus fuerit, sed illi optimè interpretantur qui dicunt his verbis contineri hortationem ad vitam sanctam & incorruptam similitudine à veteribus sacrificiis desumptam, quæ sale conspergebantur, & igne cremabantur. Ita scilicet omnis homo saliendus est igne, id est, diuini Spiritus, quasi ignis cujusdam feruore debet à se abscindere omne malum (quòd Christus versibus præcedentibus dixerat manum, pedem, & oculum eruere, si nos offendat.) Atque ita seipsum quasi sale condire, vt à corruptione ampliùs superuentura vindicetur.

Iam in Sacrificiis ἀπολυτρωτικοῖς, in quibus primogenita redimebantur, non est dubium, quin Deus eligere voluit antiquorum illorum fidem ad spiritualem illam redemptionem, quam Christus suo tempore præstiturus erat, quò alluſit etiam Petrus, 1.Petr.1.18.19. Vbi nos redemptos ait non auro argentóve, aut rebus corruptilibus, nempe sicut olim solebant primogenita pecorum redimi alia pecude oblata, & primogeniti hominum pretio quodam numerato, nempe scilicet cyclis sanctuarij, sed longè præstantiori ratione scilicet Christi sanguine, quod pretium est infiniti valoris cujus aspersione conscientia nostra purgatur, & absque quo certa imminet perditio, prout factum primogenitis Ægyptiorum, quorum postea agni sanguine non fuerunt signati, & verò quam putamus esse Ecclesiam primogenitorum in cœlis, Hebr.12.23. nisi eorum qui, Apoc.5.9. agnoscunt se redemptos à Deo per sanguinem Christi ex omni tribu, lingua, & natione.

Inter Sacrificia διδακτικὰ præcipuum fuit holocaustum, quo scilicet totum animal comburebatur in honorem Dei de illo, quæ vetus Scriptura docet omnia in Christum optimè quadrant: Nam, 1. eiusmodi holocaustum erat multiplex diurnum, Sabbathicum, menstruum, annuum, vt significaretur virtus & efficacia sacrificij Christi qui in omnes dies, menses & annos vitæ fidelium extenditur. 2. Ex lege holocaustorum, quæ habetur Leuit.1. holocaustum offerri non poterat nisi ex masculo, eoque integro & immaculato: Ita repræsentata fuit Christi fortitudo, quam Dauid agnoscit, Psalm.45.4.5.6. & Esa.53.12. eiusque integritas & inuiolata sanctitas, de qua Hebr.7.26. offerebatur holocaustum ad portam tabernaculi, vt scilicet exploraretur à Sacerdotibus & probaretur animal, num esset ad sacrificium idoneum: Ita Christus antequam in crucem cuectus fuerit omnibus experimentis à Deo probatus est, & omnibus testimoniis commendatus, adeoque repertus vnus idoneus, qui expiationem peccatorum nostrorum perficeret Sacerdos holocausto manum imponebat atque ita significabat se in illud peccata sua & populi rejicere. Hac ratione significatum est nos debere nos Christo manum fidei nostræ imponere, tanquam in vadem & sponsorem

noſtrum vnicum mactabatur animal à Sacerdote & pelle nudabatur, Symbolum hoc erat Chriſti à Patre ſuo mactandi & omni gloria atque honore coram hominibus denudandi, omnibúſque humanis auxiliis deſtituendi. Animal holocauſti in fruſta incidebatur, vt grauitas & magnitudo paſſionis Chriſti repræſentaretur, quâ veluti comminutus eſt & ingenti dolorum accumulatione, tanquam in fruſta conſectus. Inteſtina & crura animalis aquâ lauabantur in ſignum puritatis Chriſti, qui nihil immundum ad paſſionem ſuam attulit : Caput & adeps & omnia membra animalis imponebantur altari & igne abſumebantur in cuius flamma fumoque carnium in cœlum aſcendente dicunt Hebræi obſeruatam ſæpius fuiſſe leonis figuram. Ita denotata eſt, 1. Oblationis Chriſti qualitas humanitatem integram, id eſt, corpus & animam Deo in ſacrificium offerentis, & deſignatus verus ille Leo de tribu Iuda, qui moriendo mortem deuicit, ac de poteſtatibus inferni triumphauit, Apocal.5.5. Coll.2.15. Hebr.2.14.15. 2. Totalis holocauſti exuſtio ſignificauit, non modò Chriſtum, id eſt, caput eſſe paſſurum, ſed & omnia corporis Chriſti myſtici membra per paſſiones eſſe Chriſto reddenda conformia, Rom.8.18.28.Col.1.24. Denique ſpargebatur ſanguis holocauſti ſuper altare in circuitu, quod ſymbolum fuit ſanguinis Chriſti non effundendi modò, ſed & per Euangelicam prædicationem in circuitu terrarum totius orbis longè lateque ſpargendi.

In Holocavstis nobiliſſimum fuit ſacrificium vaccæ rufæ, de quo Num.19. Nam & eximium Chriſti typum pertulit, Heb.9.13. ſiue qualitatem ſiue aduſtionem, ſiue cineres victimæ illius reſpicias : Nam qualitatem quod ſpectat primò eligebatur in victimam vitula, ſine Iunix ſcilicet vt ſexu imbecilliore ſignificaretur ſacra illa victima Chriſtus, qui quanquam in ſe fortiſſimus ad extremam tamen infirmitatem ſeſe dejicere voluit, vt ad conſtantem firmitatem nos adduceret eamque partam nobis in æternum conſeruaret, vt ſcilicet omnia poſſimus in eo qui nos corroborat, Phil.4.13. Vitula debuit eſſe rufa : Color enim rufus peccato conuenit, Eſ.1.18. Itaque Chriſtus qui candidis veſtimentis inductus ſæpius deſcribitur, Dan.7.9.Marc.9.3. vt ſcilicet perfectiſſima, quam in ſe poſſidet, puritas deſignetur. Vbi tamen conſideratur, vt ſponſor noſter peccata noſtra in ſe transferens dicitur indutus colore rufo, ſine titulo. Eſ.63.1.2.3. 3. Iuuenca perfecta eſſe debuit & immaculata vt Chriſtum ſignificaret in cujus corde & ore nullus dolus, in cujus vita nihil non inculpatiſſimum fuit & ſanctiſſimum. 4. Vitula eligi debuit quæ jugum nunquam paſſa fuiſſet, nimirum in Symbolum Chriſti, qui peccati Satanæque jugo nulla ratione ſubditus fuit, Ioh.14.30. Quique immolauit ſeipſum, vt grauiſſimo peccati mortisque jugo nos liberaret, Heb.2.14. 15, & nos jugo ſuo ſubmitteret, quod non minus ſuaue quàm leue eſt teſtatur ipſe, Matth.11.30. II. quod ad aduſtionem educebatur junix extra caſtra : Sic & Chriſtus pro nobis maledictum & peccatum factus extra Ieroſolyma immolari debuit, Ioh.19.17.18. Heb.13.11. 2. Sacerdos de ſanguine vitulæ accipiebat digito ſuo ad expiationem populi faciendam:

Sic

Sic Christi digitus est, id est, virtus, quæ auffert malas & noxias potestates, Luc.11.20. 3. Sicut Sacerdos sanguinem illum spargebat septem vicibus versus anteriorem partem tabernaculi: Ita sanguine Christi asperguntur conscientiæ nostræ, non semel sed septem vicibus, id est, continuò: Neque enim semel tantùm, sed toties expiatur peccator à peccatis suis quotidianis quoties expiationem per Christum in fide petierit. 4. Tota Iuuenca cremabatur, pellis, caro, sanguis, fimus: Et Christus victima nostra totum se pro nobis obtulit, vitam pro ouibus suis, carnem in cibum, sanguinem in potum, linguam in doctrinam, ossa in robur nostrum. 5. Sacerdos accipiebat lignũ Cedrinum, Hyssopum, & dibaphum coccineum, quæ omnia projiciebat intra rogum, vbi comburebatur vitula: Sic & dono etiam facultates nostras, vbi res exigit ad Christi gloriam conferre debemus, Neque hoc tantùm, sed & nos ipsi abolito, & quasi cremato veteri homine, debemus in imaginem Christi transformari. III. Quod ad cinerem vitulæ attinet. 1. Colligebatur ille & ponebatur extra castra in loco mundo vt ita denotaretur Christus, vbi pro peccatis nostris mortuus esset, translaturus corpus suum in cœlos locum illum mundissimum & sacratissimum. 2. Ex illo cinere fiebat aqua separationis, siue purificationis, cujus vsu expiabantur immunditiæ legales: Sic & mortis Christi applicatione peccata expiantur & curantur animæ nostræ ab immunditia quacumque spirituali.

SEQVVNTVR sacrificia de quibus, Leuit.4.5.6. Nempe sacrificia propeccato & pro delicto, quæ scilicet committebantur, vel ex errore, vel ex certo & vitioso animi proposito. 1. cùm omne peccatum ad hæc duo genera reuocari possit, ostensum fuit nullum esse peccatum ignorantiæ, negligentiæ, malitiæ, omissionis, commissionis, originale, actuale, cujus fideles non accipiant remissionem à Deo propter sacrificium Christi, 1.Ioh.1.7. 2. In sacrificiis expiabantur peccata omnium Sacerdotis, Principis, priuati, totius Ecclesiæ: Sic & sacrificio Christi expiantur peccata fidelium quorumcunque nulla personarum, sexus, conditionis, aut aliarum circumstantiarum habita ratione, quippe cùm nulla sit apud Deum personarum acceptio, Act.10.34. 3. In his sacrificiis illi quidem qui in re lautiori erant vitulum, agnum, aut capellam offerebant, quibus verò curtior supellex duos turtures aut duos pullos columbarum. Pauperes verò decimam partem farinæ Epha similæ afferebant ad Sacerdotem, omnes tamen æqualiter expiationem suam referebant: Sic eadem promissio remissionis peccatorum per Christum eademque gratia distribuitur pauperibus, quæ diuitibus, neque minùs acceptus est Deo obolus, quem paupercula vidua misit in gazophylacium, quàm multa illa quæ diuites injiciunt, Marc.12.41.42.43. 4. Eorum sacrificiorum adeps, & renes, & fibra jecoris adolebantur super altare in oblationem ignitam Iehouæ, vt significaretur Deum pectora nostra & Interiora præcipuè deposcere, neque aliam esse gratiorem oblationem, quàm quâ animi conscientiæque penetralia in spirituale sacrificium vouentur, juxta illud fili da mihi cor tuum, Prou.21. 5. Partem sacrificiorum quæ ce-

debat Sacerdotibus oportuit in loco sancto, nempe in atrio tabernaculi comedere, signum hoc fuit nos non nisi in Ecclesia fieri posse participes beneficiorum Christi, quod itidem figurabatur eo præcepto, Leuit. 6.27. Quo vestimentum aspersum ex sanguine victimæ non alibi lauare licebat quàm in loco sancto. 6. Vas in quo coctæ fuerant sacrificij carnes, si testaceum erat confringebatur, si æneum defricabatur & lauabatur aquâ: Hac ratione admonebantur fideles qui facta sunt vasa Christi vt ne deinceps præbeant membra sua ad profanam seruitutem peccati, sed ea præbeant ferua justitiæ ad sanctificationem, Rom.6.19.1. Thess.5. 4. Veterem quidem hominem quasi vas testaceum confringant & in nihilum redigant: Nouum autem & interiorem bene defricatum & lotum religiosè conseruent.

In Illis autem sacrificiis eximium est quod pro expiatione populi fiebat, acceptis duobus hircis, super quos missa sorte, alter quidem offerebatur pro peccato ejusque sanguis inferebatur intra velum, & spargebatur vniuersum propitiatorium; Alter verò statuebatur viuus coram Domino, & cùm Sacerdos nitens ambabus manibus super illius caput confessus esset super eum omnes filiorum Israel iniquitates, & imposuisset capiti hirci, emittebat eum per hominem commodum in solitudinem, Inde hircus iste dictus לעזאזל, quasi dicat caprum abeuntem, ἀποπομπαῖον, ἀποπόμπαιον, emissarium, Leu.16. Vtroque illo hirco significabatur Christus sicut & vtroque passere, qui offerebatur in expiatione Leprosi, ita vt alter mactaretur, alter dimitteretur, & euolaret, Leu.14. nempe quia duo figurabantur mors scilicet Christi & ejus resurrectio, atque in cœlum ascensio, quibus repræsentandis animal vnum sufficere non poterat, quia fieri nequit vt animal mactatum reuiuiscat, ideo duobus opus fuit ad duplex illud Christi beneficium denotandum. Hircus qui immolabatur pro peccatis, Christum designabat mortuum propter peccata nostra, & sanguis hirci non modò sparsus in altari holocausti, sed & in sancta sanctorum illàtus vim illam figurabat sanguinis Christi, cujus efficacia salui facti sunt omnes fideles, tum quia in Ecclesia militante, tum quia in triumphante agunt, tanquam in sanctuario sanctissimo, At Hircus לעזאזל, quatenus ei imponebantur peccata omnium electorum, Es.53. 4.5.6.1.Pet.2.24. quatenus verò viuus emittebatur in solitudinem Christum exprimebat qui secundùm humanitatem reuiuiscens in locum hominibus inaccessum in cœlum scilicet ingressus est, vt ibi nobis locum præpararet, & aduocati munere fungeretur apud Patrem, Ioh.14.3.Heb. 6.20. & 9.12. 1.Ioh.2.1.

Denique in sacrificio pacificorum, siue εἰρηνικῶν, de quo Leu. 3.& 7. multa erant, quibus fideles commonefierent, partim de Christi beneficiis, partim de sua erga Deum gratitudine: Nam. 1. cùm in holocausto masculum tantùm offerre liceret, quia scilicet id propriè respiciebat personam Christi. Hic è contra masculus vel femella offerri poterat promiscuè, quia scilicet hæc sacrificij species non modò Christum, sed & ejus corpus mysticum, id est, Ecclesiam spectabat, ad cujus communem

masculi

masculi vocantur & fœminæ, cùm in Christo nec masculus sit, nec fœmina, sed omnes vnum simus in ipso, Gal. 3. 28. 2. Cùm holocaustum mactaretur tantùm in latere altaris Aquilonarij, vt designaretur Christum in vno tantùm loco, nempe Ierosolymis esse passurum. Hoc sacrificij genus licuit in quouis atrij loco mactare, vt ostenderetur vim sacrificij Christi in omnes regiones penetraturam ejusq; fructum in totum terrarum orbem longè lateq; spargendum. 3. Cùm in sacrificiis pro peccato & pro delicto de carnibus victimarum solis sacerdotibus vesci liceret. Partes istius sacrificij diuidebantur inter Sacerdotes & Israelitas offerentes, vt symbolũ esset mortis Christi non modò plebem Christianam, quàm Ecclesiæ præfectos esse participes. 4. In vsum Sacerdotum cedebat speciatim pectus & dexter humerus, vt significaretur Ecclesiæ ministris imprimis necessaria esse duo, nempe sapientiam pectoris ad instituendum rectè populum & fortitudinem atque patientiam, quâ vincat omnia vocationis illius Incommoda & periculis, injuriis variisque tentationibus tolerandis idonei fiant, quò pertinebat dexteri humeri symbolum, cùm humeris imponi soleant onera. 5. Cùm in aliis sacrificiis neque fermentum, neque victimam aliqua ratione mutilam offerre licuit, quia illis significabatur Christus, qui ab omni malitia & imperfectione fuit alienissimus: At verò hic si sacrificium erat spontaneum, victimam etsi aliqua parte mutilam & placentam panis fermentati Deus accipiebat, hoc nimirum sacrificio sacrificia nostra spiritualia designans, In quibus quanquam sit aliquid imperfectum, & nonnullo vitio deformatum, ea tamen Deus acceptare dignatur obtectis & condonatis propter Christum defectibus nostris. 6. De carne victimæ hujus ex voto oblatæ comedere licebat. 1. & secundo die sed tertio non licebat, verùm comburendæ reliquiæ omnes: Nam si quis edisset abominatio erat coram Iehoua, & anima illius hominis portabat peccati sui pœnas, Hoc scilicet symbolo significabatur triplex Ecclesiæ tempus ante legem, sub lege, sub gratia: Nam sub duobus prioribus legitimus fuit sacrificiorum vsus: At sub tertio postquam Christus mortuus est cessare debuit sacrificiorum vsus juxta Prophetiam, Dan. 9. 27. Sed & illud non inconcinnè notatum est ab aliis per primum & secundum diem notari præsens & breue tempus hujus vitæ, quo incumbendum est in bona opera, neque negligenda, vel in futurum tempus differenda occasio salutis nostræ: Tertium enim diem esse diem post mortem in quo nemo potest operari neque vllus relinquitur pœnitentiæ locus, Ioh. 9. 4. Atque hæc de Sacrificiorum fine dicta sunt.

VLTIMO loco dicendum est de effectu veterum sacrificiorum, qui procul dubio idem fuit qui & reliquarum ceremoniarum, atque Sacramentorum sub Vetere Testamento institutorum: Quanquam enim agnoscendum est discrimen sacrificiorum à Sacramentis, quatenus scilicet in Sacramentis populus aliquid à Deo recipiebat. In sacrificiis autem Deo aliquid offerebat, ita vt in Sacramentis Deus cum populo; In sacrificiis verò populus cum Deo ageret. Illud tamen in commune habuerunt, quòd essent vtraque diuinitus instituta ad confirmationem Israelitarum

circa Dei promissiones, spem atque fidem. Dicimus ergo Ceremoniarum & sacrificiorum eandem esse vim & efficaciam quoad rem ipsam attinet, quæ est sub Euangelio ordinatorum à Christo Sacramentorum, nimirum media fuerunt, conferendæ gratiæ atque salutis efficacia, ita vt illorum legitimo sanctoque vsu veteres fideles remissionem peccatorum suorum acciperent sicut & hodie fit Sacramentis Noui fœderis. Neque tamen in modo rei discrimen aliquod esse diffitemur. 1. quòd illa Christum venturum adumbrarent, adeoque obscuriora essent tantæ rei symbola: Nostra verò Christum exhibitum euidentissimè repræsentent. 2. quòd sub Nouo Testamento propter ampliorem reuelationis modum Christus luculentiùs perfectiusque dispensentur, adeoque ex recta Sacramentorum participatione gratia recipiatur vberior & copiosor.

Beneficia & gratiam eandem quæ nobis hodie contingit exhibitam applicatam, obsignatamque fuisse veteribus per sua Sacramenta & sacrificia, variæ rationes confirmant. 1. nullum dubium est quin Euangelicæ promissiones de Christi gratia & beneficiis fuerint olim Israeli factæ, neque Israëli tantùm, verùm ante Israelem fidelibus quibuscunque ab initio sæculi: Hinc enim est quòd Christus dicitur agnus occisus ante fundationem mundi, Apoc. 13.8. Et quòd statim post primum hominis peccatum audita est primordialis illa promissio, quæ totum Euangelium sinu suo continet, de semine mulieris, contriturο caput serpentis, Genes. 3.15. Certè Deus per fidem justificat & circumcisionem & præputium, Rom. 2.30. & veteres Patres per eandem gratiam salui facti sunt per quam & nos, Actor. 15.11. Cùm igitur legimus antiquitus instituta esse in Israële Sacramenta & ante Israëlem sacrificia facilè colligimus ea instituta fuisse ad significandas & obsignandas promissiones illas gratiæ fidem habuerunt antiqui qua ex parte sua beneficia perciperent: quidni & dicamus habuisse Deum ex parte sua verbum & Sacramenta quibus illæ promissiones fidelibus applicarentur. Rectè igitur Gregor. lib. 4. moral. cap. 2. quòd apud nos baptismus hoc apud veteres egit, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant mysterium Circumcisionis.

Secvndò eadem ratio fuit antiquitus circumcisionis & reliquorum Sacramentorum: Iam verò Circumcisio fuit efficax medium applicandæ gratiæ sicut docent veteres Scholastici plerique omnes, & ex recentioribus Pontificiis Scoto, Salmero, & aliis, idque Scripturis conuenientissimè. Paulus enim Rom. 4.11. Circumcisionem non modò signum, verùm etiam sigillum Iustitiæ nominat, quia scilicet justificationem seu remissionem peccatorum per fidem in sanguine Christi obsignabat, Vnde veteres August. Bern. & Greg. vbi supra, Circumcisionem docent datam fuisse in remedium peccati Originalis. Adde quòd Gen. 17.7.8. dicitur Circumcisio signum fœderis illius quod pactus est cum Abrahamo Deus dicens, ero Deus tuus & seminis tui post te, quod est sine dubio promissio Euangelica, sicut patere potest ex collatione illius loci cum loco, 2. Corinth. 6.18. Adeoque gratiam Dei gremio suo continebat fœ-

dus il-

dus illud. Vnde jam procliue est concludere Circumcisioni diuina institutione annexam fuisse gratiæ salutaris & justificantis promissionem; Neque est quòd opponatur cap.4.10. Epistolæ ad Rom. Vbi probat Apostolus Abrahamum non in Circumcisione, sed in præputio fuisse justificatum: Vnde consequi videtur non ideò datam Circumcisionem, vt justificaret, cùm justificatio Abrahæ ipsius Circumcisionem præcesserit: Nam cùm instituerit Paulus eo capite confirmare justificationem hominis ex fide sine operibus legis. Rectè dicitur circumcisionem eam non justificare, putà quatenus opus est: At verò id non obstat quò minùs justificare dici possit, prout signum & sigillum fuit justitiæ fidei. Quod autem ea ratione justificat, potest esse ipsa justificatione posterius: Baptismum enim peccata per modum ἀφαιρέσεως remittit, & tamen Cornelius Centurio priùs accepit remissionem peccatorum à Deo, quàm Baptismum à Petro, vt ex Act.10.patet. Non est etiam quòd objiciantur Apostoli dicta Circumcisionem nihil esse, & nihil valere, 1.Cor.7.19. Gal.6. 15. Quippe qui loquatur de Circumcisione jam per Christum abrogata. Non sequitur autem si nullius efficaciæ fuit post abrogationem. Ergo neque antea valuisse ad significandam & obsignandam remissionem peccatorum.

Tertiò Paulus, 1.Corinth.10.1.2.3. comparationem instituens inter veteræ & noua Sacramenta nubem marisque transitum cum baptismate nostro confert, & manna atque aquam ex petra perfluentem cum Eucharistia nostra confert: Dicit enim Israelitas fuisse baptizatos nube & mari, & eandem escam potumque spiritualem recepisse. Quomodo verò dicuntur baptizati nube & mari, non sanè quod idem signum acceperint, quo nos abluimur sed quòd in alio signo rem eandem significatam habuerunt, nempe remissionem & ablutionem, siue obtectionem peccatorum, quam nos in vsu baptismi percipimus: Sic & manna edendo, & potum ex petra trahendo dicuntur spiritualem escam eandem edisse, & potum eundem bibisse, quem nos hodie bibimus, quemadmodum confirmatur, 1. Ex sequentibus vbi docet Apostolus illam petram ex qua bibebant, fuisse Christum, quatenus scilicet ipsis Sacramentum erat Christi & beneficiorum ejus, non minùs quàm nobis est hodie sacra Cœna. 2. Ex Apostoli scopo: Argumentatur enim à Pari, vt ostendat nihil esse relictum nostræ, qui Christiani sumus, tergiuersationi aut excusationi, quasi hodie propter nouorum Sacramentorum institutionem & vsurpationem potior sit conditio nostra, quàm fuerit olim Iudæorum, ita vt neque timendæ sunt nobis pœnæ, quales veteribus à Deo inflictæ sunt, imò inquit Apostolus Sacramenta eiusdem gratiæ illis data sunt, quæ nobis hodie. Eædem ergo nobis repositæ sunt pœnæ, si ipsorum exemplo Sacramentis indignè abutamur. 3. Accedit Interpretatio Veterum August. nominatim tract.26.in Iohan. Hunc panem significauit manna, hunc panem significat altare Domini (quo nomine designatur Eucharistia) Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt Apostolum audi nolo vos ignorare

fratres quia Patres noſtri ſub nube fuerunt & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moſem baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducarunt ſpiritualem vtique eandem: Nam corporalem alteram, quia illi manna, non aliud; ſpiritualem verò quam nos: Sic Anſelmus in 1.Cor.10. eandem eſcam corporis Chriſti, quam nos in pane manducamus. Ipſi manducarunt in manna, & eundem potum ſanguinis Chriſti quem nos bibimus ex calice, ipſi biberunt ex petra.

QVARTÒ Sacrificia vetera in legitimo ſuo vſu valuerunt ad remiſſionem peccatorum: frequenter enim ipſis peccatorum expiatio tribuitur, Leuit.4.20.35.& Leuit.5.16.18. Et dicuntur eſſe Iehouæ in odorem quietis, ſiue ſuauitatis, id eſt, acceptiſſimum habuiſſe ſacrificium eoque fuiſſe pacatus, Geneſ.8.11. Neque verò alicuius ponderis eſt quòd Bellarm. excipit vetera ſacrificia expiaſſe peccatum, quoad pœnam temporalem & quoad immunditiem legalem: Non autem quoad culpam, & pœnam æternam: Nam, 1. per oblationem illam ſacrificiorum dicitur Deus factus fuiſſe propitius offerentibus, Leuit.4.5. Ergo & ipſa culpa remiſſa eſt: Nam quibus Deus, neque culpam, neque pœnam æternam remittit, iis ſanè non eſt dicendus propitius eſſe: 2. Tam Adverſarij ſacrificia veterum nulla parte velint nouis fuiſſe efficaciora, quomodo dicere poſſunt per vetera ſacrificia remiſſam fuiſſe pœnam temporalem, quam per Euangelica Sacramenta remitti diffitentur. 3. multi ſunt veteres qui ſacrificia legitimè obtulerunt, qui non tantùm propterea fuerunt à temporalibus malis liberati, vt in Abrahamo, Iobo & aliis videre eſt, & multi impij vel non omnino ſacrificarunt, vel irreligiosè ſacrificarunt, qui tamen pœnis temporalibus malis exempti fuerunt, vt patet ex Pſalm.73.1.2. Non igitur eo fine fuerunt inſtituta ſacrificia, vt per ea fieret expiatio peccatorum quoad pœnam temporalem. 4. Nihil eſt etiam quod de immunditia legali ſubjicitur, tum quia non tantùm immundi, ſed & qui legaliter puri erant, ſacrificia offerebant, tum etiam quia ſacrificia à Noacho & Abrahamo facta fieri non potuerunt ad tollendam immunditiem legalem, cùm illa tota pertineant ad legem ceremonialem à Moſe inſtitutam, adeoque non poſſint eos reſpicere, qui multis ante Moſem ſæculis vixerunt.

OBIICITVR multa paſſim occurrere in vtroque Teſtamento loca de inefficacia veterum ſacrificiorum & ceremoniarum: Deus enim ſæpius teſtatur ſe ſacrificiis nequaquam delectari, nec ea velle, Pſalm.40.7. & 51.18.Eſa.1.11.& ſequentibus,& 66.3.Amos 5.21.22.23. Oſeæ 6.6.Matt. 9.13. & 12.7. Deinde Apoſtolus docet ceremonias legales fuiſſe egena tantùm & infirma elementa, Gal.4.9.& legem veterem habuiſſe tantùm vmbras, non ipſam imaginem rerum, nec potuiſſe confirmare, ſeu perficere accedentes, nec peccatum aufferre aut mundare conſcientiam, Heb. 10.2.3.4. quippe quæ fuerint mandata carnalia ſanctificantia inquinatos tantùm quoad emundationem carnis, Hebr.9.10.13. Sed reſponſio non eſt difficilis ſi ſequentia notentur. 1. Enim ceremoniæ conſiderantur, vel in

vel in institutione sua & respectu hominum iis abutentium : quod ad institutionem igitur ex ordine Dei ceremonias dantis in subsidium fidei fuerunt organa & media efficacia conferendæ gratiæ remissionisque peccatorum,vt eis,quæ laudauimus locis patere potest: At verò ex abusu hominum hypocriticè & indignè media illa vsurpantium factum est, vt in ipsorum perniciem cesserint, adeoque in frigidas,& euanidas ceremonias euaserint, quod non in vetera tantùm sacrificia competit, sed & de nouis Sacramentis idem Scripturæ S. docent : Ita enim Paulus, 1.Corinth.11.29. eos qui ad Sacram Cœnam indignè accedunt, testatur sibi judicium & condemnationem edere. Hoc ergo sensu accipiendum est,quod sæpius inculcat Dominus se sacrificia nolle,imò & detestari ea, nempe non quatenus ab ipso instituta sunt : Nullum enim opus suum odit Dominus,Sap.11.25. Sed quatenus homines iis religiosè abutuntur, neque cum cultu ceremoniali moralem & spiritualem compingunt,id est veram fidem & conuersionem cordis. Itaque respectu illius abusus vocat Deus illa sacrificia non jam sua, sed hypocritarum sacrificia, quorsum mihi,inquit,multitudo sacrificiorum vestrorum, Esa.1.11. Vbi illud vestrorum emphaticè ponitur,vt significetur Deum non habere pro suis sacrificia,quæ hypocritæ ei offerunt.

Secvndò ceremoniæ putà Sacramenta & sacrificia considerari possunt,nimirum oppositè,vel compositè. Oppositè nempe prout res rituſque externi opponuntur vel separatim spectantur à rebus internis & sanctificatis,in quibus sine dubio tota illa, quæ ceremoniis tribuitur efficacia spectari debet. Iam autem si hoc modo,& cum ista oppositione Sacramenta vel sacrificia consideres, agnoscendum est non modò veteres ceremonias, sed & Euangelica Sacramenta inefficacia esse, quippe cùm tota eorum rituum vis ostendenda sit in relatione symboli & rei, siue signi & significati : Itaque cùm in baptismo duo illa consideraret sanctus Petrus distinxit inter signa & rem, id est,baptismum interiorem & exteriorem,& docuit baptismum exteriorem,qui consistit in ablutione sordium corporis non illum esse,qui nos saluat, sed baptismum interiorem, qui est interrogatio bonæ conscientiæ, 1.Petr.3.21. Quando itaque veteribus sacrificiis efficacia & vis justificandi & peccata remittendi adimitur, intelligendum est de sacrificiis per se, siue quoad ritus externos consideratis,& à re significata quæ Christus est, Christique beneficium separatis. Atque ideò magis considerandum quod Apostolus in Epistolis ad Gal.Col. & Hebræos. Vbi Circumcisionem & sacrificia inefficacia esse docet, adversus Iudæos illos insurgit, qui circa exteriorem ceremoniarum & sacrificiorum pompam adhærescentes in solis illis ritibus justificationem suam quærebant, nec ad rei significatæ nempe Christi contemplationem fide assurgebant. At verò si sacrificia, vel Sacramenta consideremus compositè, id est, vnà cum re significata, siue ex relatione illa, quam ex Dei instituto habuêre ad Christum & Christi gratiam, dicimus ea ratione illoque respectu fuisse signa verè efficacia in quorum legitima vsurpatione fideles Euangelicæ per Christum gratiæ

facti sunt verè participes. Certè sigillum justitiæ fidei diuinitus institutum fuit efficax ad confirmandam fidelibus eo sigillo religiosè vtentibus justitiam fidei, siue remissionem peccatorum, cùm ea sit sigillorum natura, vt non significent modò, verùm etiam confirment authenticè rem illam, cuius causa vsurpantur. Iam autem inter ejusmodi sigilla numeratur Circumcisio.

TERTIÒ huc addendum ceremonias & sacrificia vetera, sicut etiam de Circumcisione supra notabamus, considerari sub duobus temporibus ante Christi scilicet aduentum & mortem, cùm adhuc vigeret lex Mosaica, & post Christi mortem, cùm iam rerum sub Veteri Testamento, variis ritibus repræsentatarum complementum adfuit, sicut dicit Christus moriens τετέλεσται, Iohan. 19.30. Post Christi mortem nullus fuit ampliùs iis sacrificiis locus: sunt enim expuncta sacrificio crucis adeóque cessare debuerunt juxta Prophetiam, Dan. 9.27. de illo tempore igitur loquuntur Apostoli, cùm ceremonias veteres vocant vacua, infirma, egena elementa quæ nihil valeant & nulla polleant efficacitate, verùm hoc non impedit, quin ante Christi mortem efficacia dixerint organa, quibus ad obsignandam & exhibendam fidelibus peccatorum remissionem Deus vtebatur.

QVARTÒ non est illud etiam omittendum, cùm Deus dicit se velle misericordiam; non sacrificium, Os. 6.6. Matth. 9.13. Non est illud intelligendum absolutè, quasi olim Deus sacrificia omnino repudiauerit, quorum ipse se profitetur authorem, sed comparatè collatione nimirum instituta inter opera misericordiæ & præstationem sacrificiorum, vt significet malle se sacrificiis omissis ab homine cultum moralé exhiberi, quàm si habito insuper cultu morali ad sola sacrificia adhæreatur. Et verò notus est Hebr. idiotismus simpliciter negare videri, quod tantùm per comparationem negari debet. Sic Ioh. 7.16. Doctrina mea inquit Christus, non est mea, sed Patris, id est, non tam mea, quàm Patris à quo accepi. Et Matth. 10.20. non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, id est, non tam vos, quàm Dei Spiritus in vobis. Et Eph. 6.12. Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus imperia, id est, non modò aduersus illa, verùm etiam præcipuè aduersus hæc. Ita igitur Deus vult misericordiam, non sacrificium, quia illam magis, quàm istud, & quia misericordiæ atque charitatis, quàm sacrificiorum cura Iudæis potior esse debuit, quemadmodum ipso illo Oseæ loco explicatur misericordiam volo, non sacrificium: At cognitione mei magis delector quàm holocaustis. Vnde ita vertit etiam Chaldæus Interpres in his qui exercent misericordiam voluntas coram me magis est, quàm in sacrificio, & in operantibus legem Domini quàm in holocausta. Hoc verò vt pleniùs explicetur ita habendum est sacrificiorum oblationem pertinere illam quidem ad priorem legis tabulam, adeoque ad immediatum Dei cultum: Charitatem verò & misericordiam erga proximos ad posteriorem tabulam spectare, quæ nostra erga homines officia præscribit, Vnde posset aliquis colligere Iudæis majorem sacrificiorum curam esse debuisse, quàm miseri-

misericordiæ, cùm certa sit apud Theologos regula, Officia posterioris tabulæ cedere officiis prioris. Verùm hic distinctione opus est, Nam cùm cultus Deo debitus duplex sit; Alter quidem internus & moralis, qui consistit in fide, spe, & charitate erga Deum: Alter verò externus, siue ceremonialis, qui in exterioribus quibusdam ritibus siue actionibus in honorem Dei directè & immediatè relatis constitutus est. Certum est Theologiæ effatum cultui morali primæ tabulæ cedere debere cultum moralem tabulæ posterioris, id est, pietati, Iustitiæ & religioni erga Deum obseruantiam erga homines: Etenim in tota illa obedientiæ ratione, quæ diuinis mandatis præstanda est pietas erga Deum, quæ vno vocabulo θεοσέβεια, seu religio dicitur, Primum locum meritò sibi vendicat. Quo factum est vt Christus charitatem erga Deum quâ tanquam epitome continentur omnia prioris tabulæ præcepta vocauerit primum & maximum mandatum, Matth. 22. 38. Et sanè recta ratio id postulat, vt obsequio, quod Dei præceptionibus exhibetur, initium fiat ab ipso Deo & affectibus aut actibus illis, quibus in ipsum Deum directè ferimur. Itaque Paulus, 2. Cor. 8. 5 Fideles Ecclesiæ Macedonicæ eo nomine laudat, quòd recto iustoque ordine progressi semetipsos dediderunt, 1. Domino deinde fratribus suis per Dei voluntatem: Propterea nulla vera iustitia erga homines præstari potest, nisi vi ac virtute religionis præstetur, id est, ex religioso illo honore, quo Deum prosequimur: Nam quidquid agimus, debemus id facere in Domino, & omnia facere ad Dei gloriam, 1. Cor. 10. 31. & quidquid aggrediamur, debemus id facere in Domino, siue in nomine Domini, & tanquam Domino non hominibus, Col. 3. 27. 13. Atque ita officia erga Deum 1. sunt sine dubio cum ordine, quia in curanda, tum dignitate, quia præcipuè in curanda, si quis amat Patrem aut matrem supra me, non est me dignus, inquit Seruator, Matth, 10. 37. Quo fit vt si officia erga Deum & erga homines præstare simul sit impossibile, hæc omnia omittere debeamus, vt in illis præcipuè occupemur, juxta Apostolicum axioma oportet Deo obedire potiùs quàm hominibus, Act. 5. 29. Iam verò si aliam comparationem instituamus, putà inter cultum ceremonialem & externum primæ tabulæ, & cultum moralem secundæ tabulæ, dicimus opus ceremoniale aliquando posse omitti, vt necessarium opus Iustitiæ, aut misericordiæ impleatur, neque tamen religionem ideò violari, aut cultui, quem Deo ipsi exhibemus, aliquam injuriam inferri, cùm ipse Deus ita fieri jusserit, Oseæ 6. 6. Itaque Christus legem de dilectione proximi docet esse præferendam legi, quæ ab omni opere per diem Sabbathi cessare jubet, Matth. 12. 11. 12. vt cùm lex ceremonialis nollet quemquam præter Sacerdotes de panibus propositionis edere, jis tamen vsus est in magna sui suorumque necessitate Dauid, 1. Sam. 21. 6. quod exemplum in hunc finem laudat Christus, Matth. 12. 3. 4. Sic aduersus hostes justam defensionem opponi posse etiam diebus Sabbathorum justè prudenterque constitutum est à Maccabæis, 1. Maccab. 2. 41.

BELLARMINVS vbi lib. 2. de effectu Sacramentorum cap. 14. varia illa loca ex Scripturis produxit, accumulat, cap. 15. 16. varias rationes ac

testimonia Patrum ex quibus idem confectum vult scriptura scilicet vetera non fuisse efficacia gratiæ Iustificantis media. 1. Eo quòd non haberent annexam promissionem gratiæ cùm in eis promitterentur tantùm res terrenæ sicut in nostris cœlestes ex Aug. in Psal.72. Quod & Heb.8. 6. Significat Apostolus docens Nouum Testamentum melioribus promissionibus sancitum esse quàm vetus. Atque id etiam confirmat Bellar. exemplis variorum Veteris Testamenti Sacramentorum: Nam,inquit,sacrificium Abelis, Iridem, vellus, Gedeonis horologium Achazij. Lutherus Sacramentis veteribus annumerat. Atque illa procul dubio nullam continuerunt promissionem rerum spiritualium, sed tantùm corporalium. 2. Sacramenta vetera erant pars legis Mosaicæ. Lex autem illa in hoc distinguitur à noua quòd data non fuerit ad Iustificandum. Ergo neque Sacramenta ipsi adjecta in eum finem data sunt. 3. Promissio gratiæ Iustificantis impleri non potest, nisi recipiatur fide. At promissiones annexæ Sacramentis veteribus implebantur, etiamsi homines non crederent: Nam Circumcisioni v.g. annexa fuit vt Abraham fieret pater multarum Gentium, & posteris ejus daretur terra promissionis. Ita sacrificiis annexa fuit promissio de Christo venturo,vt morte sua faceret expiationem peccatorum. Hæc autem omnia implenda fuerunt, siue Hebræj crederent siue non. 1. Sacramenta nostra dicuntur saluare, Iustificare, regenerare, Nihil autem tale de veteribus Sacramentis legitur. 5. Patres idem testantur, cùm docent Synagogam carnalia Sacramenta, & vmbras & figuras habuisse: Ecclesiam verò nostram signa, corpora simul & dona spiritualia. Igitur sacramenta Synagogæ medicinam tantùm docuisse: Sacramenta verò Ecclesiæ ipsam medicinam, & remissionem peccatorum, Item tantam esse differentiam inter lauacra veteris & noui, quantum inter somnia & veritatem,inter vmbras, & ea quæ reuera sunt, & Sacramenta vetera promisisse saluatorem, noua dare salutem, Præcepta veterum Sacramentorum non fuisse bona quia eis non justificabantur homines: Sic Circumcisionem non ipsam justificasse, neque ad animæ salutem aliquid effeciisse & signaculum hoc seminis nihil profuisse,& in signum,non in salutem datam fuisse.

Respondeo ad singula primùm ad promissiones gratiæ æternæque salutis annexas fuisse veteribus Sacramentis ex iis satis liquere potest,quæ jam ante docuimus, neque contrarium Aug. docuit, quippe qui cùm promissiones temporales veteribus Sacramentis confirmatas dicit,non negat etiam confirmatas fuisse cœlestes & spirituales, sed vult confirmatas esse mediantibus temporalibus: Nam manifestè scribit eodem loco quæsita fuisse alia promissa, non quæ in illis veteribus Sacramentis non essent, sed,quæ ibi tegerentur figuris,& tanquam in radice occultarentur secretis quibusdam mysteriorum. Itaque discrimen illud statuit inter vetera & noua Sacramenta, quòd in istis promissiones spirituales immediatè exhibeantur: In illis autem objicerentur quidem illæ fidei communicantium,sed promissionum terrenarum figuris quasi vestitæ: Neq; verò sententiæ nostræ præjudicat quod Apostolus ait N.Test. promissis melioribus esse

bus esse sancitum, quàm vetus illud: Notum est enim melius aliquid dici, vel substantia, vel accidente, i. vel ratione materiæ, vel ratione modi, substantia melius est donum spirituale, v.g. beneficio temporali, & æterna caducis. Accidente verò melius dicitur aliquid cùm eadem manente substantia quidpiã accedit ad eam, propter quam dici possit melior: Sic reuelatio quæ facta est Danieli de Christo vẽturo & pro peccatis nostris morituro, Dan. 9. Dici potest melior ea quam habuit Adamus de semine mulieris contrituro caput serpẽtis, Gen. 3. quia scilicet additis variis circumstantiis rem clariùs & euidentiùs enuntiat. Cùm igitur Apostolus veteris illius fœderis, quod Deus pepigit cum Abrahamo & ipsius posteris comparationẽ instituit cum Nouo sub quo viuimus. Haud immerito dicit esse illud melioribus promissis sancitum, non quasi non sit vtriusque eadem substantia, cùm certum sit in vetere propositam esse promissamque salutem ex misericordia diuina juxta illud. Ero Deus tuus & seminis tui. Et verò nisi Deus in Vetere Testamento remissionem peccatorum dederit, nemo veterum vnquam ad salutem pertigit, adeóque irrita fuit spes illa Iacobi dicentis, Expectaui salutem tuam, Gen. 49. 18. Sed meliùs dicitur & meliores ipsius compluribus de causis aliis promissiones. 1. Quia nunc quàm olim plenior Dei cognitio & vberior gratiæ communicatio. 2. Quia cùm promissiones illæ antiquitus ad solas Iudæorum Gentes spectarent: Nunc ad omnes in toto terrarum orbe fideles ex æquo pertinent. Quis autem nescit bona quò sunt communiora & quò latiùs diffunduntur eò meliora haberi. 3. Accedit quòd noui Testamenti promissiones & apertiores sunt & majoribus firmioribúsque præsidiis nixæ, & fidem majori quadam luce perfundunt, & spem magis ac magis erigunt & stabiliunt, quæ verba sunt Iustinian. Iesuitæ in h.l. 4. Quòd sub Vetere Testamento promissiones erant de exhibenda gratia. Nunc autem promissiones sunt de gratia exhibita, & cùm ibi multis declarentur ceremoniis; hic è contra nudè claréque nullo interposito velamine propitiantur. Porrò frustra est Bell. cùm Iridem, vellus Gedeonis, horologium Achazi producit in media, quasi nos ea vellemus fuisse sacramenta remissionis peccatorum: Nos verò cùm hanc quæstionem disputamus, non de re qualibet loquimur, quæ Sacramenti nomine venire queat, sed de propriè dictis Sacramentis quæ Deus ad fœdus suum cum Israelitis adjunxit, siue ordinaria fuerint vt Circumcisio & Pascha, siue extraordinaria, vt manna, & petra in deserto, de quibus Apostolus, 1. Cor. 10. Sed & eodem numero habenda dicimus vetera sacrificia, adeóque illud quod ab Abele peractum est, de quo cùm testetur scriptura, Heb. 11. fuisse illud per fidem oblatum, adeóque gratissimum non dubitamus etiam Abeli fuisse symbolum, quo confirmaretur in fiducia remissionis peccatorum per Christum, verùm vt quæ de promissionibus Ecclesiæ Iudaicæ sub Vetere Testamento factis docentur in scripturis rectiùs percipere valeamus, & vt loca in speciem dissidentia concilientur, notandum est triplex illarum fuisse promissionum genus: Nam, 1. Quædam sunt, quæ spectant ad possessionem terræ Canaanis de qua Deus toties locutus fuerat Patri-

bus & quam jurejurando pollicitus erat se daturum Israëli, ad has promissiones pertinet quod de Abrahamo, Isaaco, Iacobo & reliquis Patriarchis vsque ad Iosuam dicit Apostolus, Heb.11.9.13. Ipsos quidem fuisse cohæredes promissionis, id est, pari fide & constantia recubuisse in promissione de danda terra Canaan, quæ altiùs ad veræ cœlestisque patriæ possessionem animas ipsorum erigebat, sed tamen in fide illa discessisse non adeptos promissa, quatenus ipsi terram illam nunquam possederunt, 2. Aliæ respiciebant aduentum Messiæ, qui suo tempore in carne manifestandus erat, Quarum promissionum administratione fides quidem veterum sustentabatur, verùm tamen Deus illas non ante dedit effectas, quin temporum plenitudo accederet de iis intelligendum quod Heb.11. 39. Negat Apostolus antiquos illos obtinuisse promissum illud ipsum nimirum significans quòd Apostolos suos Christus docebat, Matth.13.17. multos Prophetas & Iustos cupiisse videre quæ viderunt Apostoli, nec vidisse vbi Chrys.in catena Thomæ hæc quæ Apostoli viderunt & audierunt præsentiam suam dicit, miracula, vocem & doctrinam. In hoc autem Apostolos non tantùm malis, sed his etiam qui boni fuerant, proponit. Illi enim fide solùm considerauerunt. Apostoli autem visu & multò manifestiùs, atque inde est quòd Apostolus subjungit, Heb.11.40. Deum de nobis aliquid meliùs prouidisse, quatenus scilicet Redemptorem in carne exhibuit, quod & Prouidentiam Dei specialem refert Apostolus, ne scilicet inquit veteres illi sine nobis perficerentur, vbi perfectionis nomine intelligi potest justificatio & sanctificatio : Nam si antiquis istud exhibitionis Christi beneficium obtigisset, mansissent Gentes à gratiæ diuinæ communione exclusæ : Atque ita fideles illi veteres perfecti, siue sanctificati fuisse sine nobis, id est, soli Dei gratiam possedissent Gentilibus derelictis & ad illud beneficium nunquam peruenturis, Alij tamen cum August.quæst.99. in Exod. τελειώσεως, seu perfectionis nomine plenam consummatamque intelligunt corporis & animi beatitudinem, quæ demum futura est in sæculorum consummatione, q.d. Apostolus Deum postremis temporibus misisse filium suum quem Dominum fecit totius Ecclesiæ, & vniuersorum caput, vt sub illo vno totum corpus Ecclesiæ & Veteris & nouæ ἀθανάτῳ perfectè tandem animo & corpore consummetur, atque ita fideles antiqui plena beatitudine non perficiantur, nisi cum fidelibus N. Testamenti. 3. Aliæ demum sunt promissiones quæ ad benedictionem, justificationem & salutem in Christo referebantur ejusmodi sine dubio promissorum fuerunt participes veteres, quippe eadem gratia saluati per quam hodie fidelium vnusquisque saluatur, Act. 15.11. Nam eadem omnino præmia illos manebant, quæ hodie debentur justis, inquit Iustin. in Hebr.8.6. de his promissionibus cùm loquitur Paulus dicit, Hebr.11.33. illos adeptos fuisse promissa. Quanquam enim ea verba multi haud absurdè referunt ad promissiones particulares, quæ variis fidelibus factæ sunt de certis victoriis & successibus per ipsos obtinendis, tamen vt præcipuè ad promissionem salutis & gratiæ referatur id dictum. Ratio postulare videtur, cùm de promissionibus loquatur

Apostolus

Apostolus in quas tanquam proprium obiectum salutaris fides recumbit,& quibus tanquam cibo suo peculiari pascitur, cuiusmodi sanè sunt promissiones non tam de futuris quibusdam effectibus miraculosis, quàm de diuina in Christo gratia siue remissione peccatorum, quæ fidei est proprium obiectum & præcipuum, Act.10.43. & 26.18. Gal.2.20. & 3.22.

Ad secundum dico legis nomen bifariam sumi: Aliquando enim totam veterem Dei œconomiam erga populum suum significatione continet. Quo sensu non modò legem moralem judicialem & ceremonialem comprehendit, sed fœdus illud etiam gratiosum complectitur, quod pepigit Deus cum Abrahamo & semine ipsius: Aliquando verò restringitur ad legem latam in Sina, cuius sequester & internuntius fuit Moses; si ad posteriorem legis significatum respiciamus, prout scilicet sanctificatur lex moralis duabus tabulis breuiter comprehensa, certum est appositam fuisse plenè perfecteq; ipsius obseruationi hanc promissionem, Qui fecerit, hæc homo viuet in eis Leu.18.5. Quod ne quis de sola vita temporali dictum putet, Christus ad æternam referendum docet Matth.19.16. 17. Vnde consequitur si quis eam legem in omnibus perfectè obseruaret justificationem esse obuenturum, atque adeò quòd nullus per legem justificatur non esse ex defectu legis, sed ex defectu obseruationis, quod significat Apostolus, Rom.8.3. cùm ait justificationem esse impossibilem legi eò quod sit infirma in carne, quòd diceret, conari quidem legem nos ad vitam producere, sed defici viribus in eam rem idoneis, non sua culpa, verùm nostro vitio: Quia enim incidit in nostram carnis infirmitatem & prauitatem ideò fit, vt frustrà laboret. Atque inde fuit quòd Deus aliam quæsiuit nostræ justificationis rationem ex mera sua gratia per fidem in Christum. Atque hoc sensu verum quod ait Bellarm. legem non datam fuisse ad justificandum. Iam verò si priori significatu legem accipiamus, vt eò nomine denotetur fœdus cum Abrahamo initum. Dicimus in illo fœdere comprehensam esse gratiam, justificationem & salutem, adeóque cùm Circumcisio ad illud fœdus adjuncta fuerit, vt esset ipsius symbolum & σφραγὶς, non esse negandum, quin Circumcisioni annexa fuerit promissio gratiæ salutaris. Quod autem de Circumcisione dicitur, ad cætera quoque sacramenta & sacrificia debet extendi, quatenus fuerunt quasi totidem appendices fœderis illius gratuiti, nempe quanquam fuit in eis ceremoniis, quod legali & Mosaicæ dispensationi conueniret, fuit tamen etiam quod ad Christi regnum spectaret, vt supra docuimus, cùm de partibus doctrinæ Euangelicæ ageremus.

Ad tertium satisfit distinctione promissionum jam tradita. Quando enim docent nostri promissionem in Sacramentis ad justificandum institutis impleri non posse, nisi fide recipiatur, non intelligunt de quacunque impletione, sed de illa quæ fuit in ipso recipiente, neque adeò de quocunque genere promissionis, sed de illa tantùm quæ ad justificationem & salutem in Christo pertinet: Ita quod Christus promittit se daturum remissionem peccatorum, non poterat impleri in Abrahamo

per Circumcisionem nisi Abrahamus promissionem illam sibi per fidem applicasset. Ita quæ proponebatur in sacrificiis expiatio peccatorum non potuit in offerentibus impleri, nisi per fidem ipsorum reciperetur. Enimuerò ad antiqua Sacramenta fuerunt adjectæ promissiones aliæ, quibus sanè tanquam certissimis assensum à fidelibus adhiberi oportuit, sed quarum tamen complementa non exigebant necessariò fidem suscipientis Sacramentum, vel offerentis sacrificium: Ita in Circumcisione Abrahamus accepit promissionem temporalem de multiplicatione seminis sui, quæ præstari debuit citra fidem Abrahami, & qui offerebant sacrificia promissionem contemplabantur de Messia in carne venturo, quod futurum erat, siue ipsi crederent, siue non.

Ad quartum resp. neque Sacramenta noua dici nos justificare, aut regenerare, putà ex opere quopiam operato, vt vocant, neque negandum Sacramenta vetera justificasse & regenerasse, quatenus fuerunt organa diuinitus instituta excitandæ, fouendæ, confirmandæque fidei & obsignandæ exhibendæque gratiæ in Christo salutaris. Quod enim angustiùs de Sacramentis nouis legitur, quàm quod de Circumcisione scribitur, quòd obsignauerit justitiam fidei, & de sacrificiis quod expiauerint peccata.

Ad quintum quanquam duriores sunt nonnullorum Patrum in ista causa phrases, ad rectum tamen sensum omnia ipsorum dicta trahi, vel possunt, vel debent, vt nimirum dicantur Sacramenta vetera considerasse, vel ratione signi tantùm externi, vel oppositè ad rem significatam, vel quatenus abolita per Christum vel quatenus signa erant benedictionum temporalium, non quatenus symbola erant rerum spiritualium, vel quatenus in eis spectatur, quod dispensationi legali conuenit, non quod ad regnum Christi pertinet, vel comparatione ad noua Sacramenta, quatenus illa quidem obscuriùs; hæc autem longè clariùs & faciliùs res spirituales designant: Denique cùm vocarunt typos, figuras, & significationes nostrorum sacramentorum non aliud intellexisse putandi sunt, quàm quod figurarint eam ipsam gratiam, quæ per nostra Sacramenta significatur: Ita enim Circumcisio significauit Baptismum, quia exemplar fuit in quo poterat obscuriùs spectari eadem gratia, quæ per Baptismum repræsentatur euidentiùs, vt ita concludamus Sacramenta vetera, variaque sacrificia contulisse ex vi institutionis diuinæ eandem gratiam veteribus quam hodie conferunt noua Sacramenta Christianis. Atque ita finis impositus esto tractationi de sacrificiis.

Cùm Sacerdotium, & Sacrificium sibi mutuò respondeant, haud abs re futurum est, si post expliçata vetera sacrificia de veteri etiam Sacerdotio nonnihil dicamus. Ita faciliorem viam nobis perstruamus ad ea quæ de Christi Sacerdotio & Sacrificio sunt nobis dicenda. Cùm ergo in functionibus sacris, & ad externum diuinitatis cultum spectantibus semper ab ipsis mundi cunabulis sancti homines curam suam diligenter ac religiosè occuparint, non est quòd putemus constitutam demum fuisse Mosis temporibus Sacerdotij rationem, quin illam potius ab

ipsa

ipsa creatione arcessendum est. Certè primum hominem in suo integritatis statu Sacerdotem egisse supra dicebamus, quatènus scilicet incruenta & Eucharistica sacrificia Deo iugiter offerebat, sed post Adami lapsum accessit noua Sacerdotij ratio, quæ cùm in aliis multis occupabatur, tum nominatim externorum Sacramentorum curam gerebat, qualia nouimus Noacho, Abrahamo, & aliis sanctis Patribus fuisse peracta, nec minùs certum esse debet sacrificia eiusmodi adeóque & Sacerdotij munus ab ipsa Dei institutione promanasse, quod satis ostenditur in Abelis exemplo, cuius sacrificium Deo fuit acceptissimum, Genes. 4.4. quippe oblatum per fidem, Hebr. 11.4. quæ nonnisi in Dei verbum recumbit, Rom. 10.17.

QVANQVAM autem ab offerendi sacrificij jure filiifamilias non fuerint simpliciter excluſi, quemadmodum in Abele declaratum fuit, qui agente adhuc in viuis Adamo, vt vt Caino fratre suo natu minor esset hoc officium Deo probante suscepit, nihilo tamen minùs ante legis Mosaicæ institutionem satis clarum est istud quidquid fuit, muneris ad eos communiter spectasse, quos Scriptura capita Patrum siue Patriarchas, quasi ἀρχηγοὺς πάτρων, id est, principes familiarum, siue cognominationum appellat, 1. Chron. 9.9. Quo nomine insignitur etiam Abraham, Hebr. 4. 24. Et duodecim filij Iacobi, Act. 7.9. Atque adeò post institutam legem Mosaicam Dauid sic vocatur, Act. 2.20. quia scilicet inter capita familiarum longè fuit eminentissimus, & illius tribus Principes, ex qua erat oriundus Messias. Porro capita familiarum dicti sunt primogeniti, quorum jus longè maximum fuit, sed in tribus præsertim constitutum, quæ Chaldæus paraphrastes enumerat, Genes. 49.3. Vbi quod Iacob de Ruben primogenito suo dicit, tu es principium roboris mei & excellentia dignitatis, ita vertit, tu es principium fortitudinis meæ, & te decebat vt acciperes tres partes primogenituram, Sacerdotium, & regnum. 1. Enim primogeniti maiorem bonorum paternorum partem referebant, cùm ex tota hæreditate duas portiones accipere deberent ex lege, Deut. 21.17. Vnde & Iacob Canaanitidem filiis suis distribuens tanquam hæreditatem suam, cùm vnicuique filio vnam tantummodò tribum concederet, duabus portionibus, seu tribubus Iosephum gaudere voluit, Gen. 48.5. & 49.22. quia scilicet Rubene propter incestuosam pollutionem abdicato, Iosepho primogenita sunt attributa, 1. Chr. 5.12.13. Atque huc etiam refertur à multis, quòd Elizæus, 2. Reg. 2.12. ab Elia discessuro petit duplicem portionem spiritus ipsius, nimirum vt inter omnes Eliæ discipulos instar primogeniti habeatur, duploque majorem cæteris portionem gratiarum accipiat, quo valeat tanti magistri dignissimus haberi successor, & Prophetico illo munere rectè defungi, ad quod ab Elia jam vnctione consecratus fuerat. 2. Penes primogenitos erat familiæ principatus, ita vt eis fratres natu minores assurgere deberent, & obsequium præstare tenerentur, adeóque ministrare quomodo solent filij Patribus. Itaque cùm de Abele ad Cainum Dominus loquitur, appetitus, inquit, illius erit ad te, & tu dominaberis illi; id est, tibi promitto, vt priuile-

giis primogenituræ gaudeas & fratrem tuum sub tua potestate & Dominio esse jubeo, vt explicat Chrysost. hom. 18. in Gen. 3. constitutum etiam erat primogenituræ jus in dignitate sacerdotali, quam administrare jubebatur primogenitus, atque ita sacra totius familiæ peragere, eam in Dei cultu diligenter instituere. Atque huc spectare volunt non pauci, quòd de pretiosis vestibus Esaui dicitur, Genes. 27. 15. Volunt enim illas fuisse vestes Sacerdotales primogenitorum proprias. Ideoque vestitum iis fuisse à Rebeca Iacobum, vt ab Isaaco Patre acciperet benedictionem illam Patriarchalem, quâ venerandi illi Patres filiis suis benedicentes jus & promissionem fœderis gratiæ illis quasi per manus tradebant. Atque ita in Veteribus illis primogenitis eorumque jure figurabatur Primogenitus ille inter multos fratres Iesus Christus qui & Gratiis omnibus non duplo tantùm, sed infinitè omnes homines & Angelos exsuperat, & omnium fidelium princeps est, & vnicus Ecclesiæ Sacerdos.

At verò cùm Deus populum suum Ægyptiacæ seruituti eripuisset, & solemni promulgatione datam in Sina legem sanciuisset, quod ad omnium familiarum primogenitos hactenus spectauerat ad tribum Leuiticam diuino mandato translatum fuit, Exod. 28. 1. Num. 1. 50. & 3. 6. 12. & 8. 16. Vt ex inde non possent alij quouis obtentu sacri ministerij partibus defungi, quin Dei indignationem incurrerent adeoque meritis pœnis afficerentur. Itaque cùm Rex Osias in sacram ædem ingressus incensum offerre tentaret super altare suffitus, obstiterunt animosi Sacerdotes, & tremendo diuini judicij exemplo Rex ipse statim lepra correptus ad diem vsque mortis in semota domo jussus est habitare, 1. Chron. 26. 16. 17. Porrò totum istud ministerium quod penes Leuiticam tribum Deus voluit esse repositum duobus ministrorum ordinibus, seu gradibus distinctum fuit; Quorum alij Sacerdotes dicti fuut; Alij Leuitarum nomen retinuerunt: Sicut enim Sacerdotis vocabulum, quod de omnibus rerum sacrarum ministris generaliter dicitur, angustiori quodam sensu ad significandum priorem ordinem vsurpatum est: Ita & Leuitarum appellatio quæ generali suo significatu omnes Leui posteros complectitur, ad posteriorem ordinem designandum restricta fuit.

Sacerdotes dicti sunt illi, ad quos pertinuit rerum in Sacris præcipuarum administratio, inter quos certum & stabilem ordinem Deus instituit, vt non omnes essent ejusdem authoritatis, sed alij aliis præminerent. Summus enim Sacerdos omnibus omnino præerat: Reliqui verò inferiori ordine subsistebant, quanquam fuerunt multa omnibus sine distinctione communia, putà. 1. Quòd de stirpe Aaronis esse debuerunt: Nam cùm Leuitica tribus in quatuor familias esset distincta, Amramitarum scilicet, Caathitarum, Meraritarum, & Gersonitarum. 1. Sola ex qua oriundus fuit Aaron Sacerdotio fungi potuit, nec debuit aliquis ex reliquis familiis illud honoris culmen, vel affectare, vel assequi Num. 3. 10. Itaque cùm post reditum ex captiuitate Babylonica, quidam inter Sacerdotes nomina suo professi essent, nec verò genus suum in Scriptura recensente generationis seriem inuenirent, atque adeò fidem facere

facere non possent se ad familiam Sacerdotalem spectare, abstenti sunt à Sacerdotio, neque ad rerum sacrarum manducationem admissi, Neh.7. 64.65. 2. Quod sicut ex natiuitatis prærogatiua jus habuerunt Sacerdoto, ita Sacerdotij actum exercere non potuerunt, quin prius peculiari consecratione in illud munus essent solemniter inaugurati: Oportuit enim ipsos offerri, primùm ad ostium tabernaculi, tum vbi loti fuissent, induebantur tunica linea, quæ & aliquando Ephod dicitur, 1.Sam.22.18. sed cum appositione Ephod lineum, vt scilicet ab Ephod illo distingueretur, quod summi Sacerdotis erat proprium, & ea longè pretiosori materia confectum: Præterea cingebatur balteo, ornabatur thyara siue mitra femoralibus lineis à lumbis vsque ad femora vestiebantur. Exod.30.30. vt iis omnibus ceremoniis rite peractis in exequendis porrò Sacerdotij partibus sese diligenter occuparent. 3. Doctorum pastorumque officio defungebantur, quatenus scilicet diuinæ legis interpretatio eis commissa fuerat, vt ex ipsa populum in via salutis instituerent, Vnde jubetur populus ea omnia obseruare, quæ Sacerdotes ipsum edocuerint ex legis præstituto, Deut.17.10.11. Et Sacerdotis labia dicuntur custodire scientiam & lex requiri debere ex ore ipsius, quippe qui sit Angelus Domini, id est, voluntatis ipsius sacræ nuntius & Interpres, Malach.2.7. quem ideò interrogare oporteat de lege vt ex ea Dei sententiam explicet, Agg.2.11. His autem omnibus locis docetur, quid ex officio Sacerdotibus faciendum incumberet, non autem quod semper ab ipsis reuera fieret quippe quibus exprobret, Malach. quòd à via legis recesserint, fecerintque vt impingerent multis in legem fœdúsque Leuiticum corruperint, Malach. 2.8. quo etiam sæpe factum est, vt excitatis extra ordinem Prophetis Deus vteretur, ad instaurationem cultus, qui Sacerdotum, vel operâ, vel negligentiâ corruptus fuerat. Ad hoc docendi munus referri debet etiam quòd Sacerdotes pro peccatis populi intercederent, & deprecationem suam adhiberent apud Deum, quomodo videmus Esdram in genua procumbentem, & orationes pro toto Israele fundentem, Es.9.6.7. Sed & huc spectabat, quòd verbis conceptis populo benedicebant Num.6.23. 24. quæ non erat simplex benedictio charitatis, qua fideles omnes mutuo sibi bene precari debent, imò quia pij etiam dououentibus & infestantibus se benedicere jubentur, Luc.6.28. Sed benedictio authoritatis & Sacerdotalis actio, quâ scilicet qui constitutus est in ministerio Ecclesiastico gregi suo ita benedicit, vt si benedictio fide recipiatur, promittat Deum se ipsam efficacem redditurum Num.6.27. 4. Quòd varias oblationes & sacrificia peragebant victimas in altari holocausti offerebant pro peccatis suis & populi matutinum & vespertinum sacrum peragebant incensum Domino, suffitumque ponebant, vt legere est Exod.30. Leuit.1.7. Huc adde quòd panes propositionis singulis sabbathis permutabant, & lucernas in aureo candelabro propter oleum infundendum præparabant, Leuit.14.2.8. 5. Quòd circa varios homines ministerium suum variè occupabant: Nam inter cædem, litem & litem, plagam & plagam judicabant vnà cùm judicibus politicis, Deuter.17.8.9.10.11. Ita

ſcilicet vt quod in illis cauſis Eccleſiaſticum erat Sacerdotes peragerent. Quod verò politicum Magiſtratus politici judicio relinqueretur, ea tamen lege vt deberet Iudex ad Sacerdotem adire eum conſulturus, vt de vero legis ſenſu inſtitueretur, & poſt factam à Sacerdote declarationem judicium ſuum proferre, Deut.19.17.18. & 2.Chron.19.10.11. Item penes Sacerdotes erat dijudicatio lepræ, & eorum manducatio, qui legalem aliquam immunditiem contraxiſſent, aut in ea jacerent, Leuit.13.2.& 14.2. nec non & examen mulieris penes Sacerdotes erat, quàm de adulterio ſuſpectam maritus habebat, quæque per aquas maledictionis explorabatur, Num.5.10. 6. Quod in feſtis & nouiluniis tubas inflabant, Pſal.81. 4. & iis clangebant, ſiue ad conuocandum cœtum, ſiue ad imperandam caſtrorum profectionem, ſiue in bello ad procedendum contra hoſtes, Num.10.2.3. Sicut in expugnanda Iericonte leguntur Sacerdotes per ſeptem dies ciuitatem circumeundo buccinis intonuiſſe, ad quarum clangorem muri conciderint Ioſuæ 6.

IAM vt ad propria accedamus fuerunt ſuæ ſummi Sacerdotis præ aliis multæ magnæque prærogatiuæ: Summum dico, quia reliquis omnibus perfectus erat, & eminentiori ratione typum figuramque ſummi totius Eccleſiæ Pontificis Chriſti in officio ſuo gerebat. Itaque inter præcipua Iſraelitici populi θεότεια hoc repoſitum fuit quod illo Pontificatu frueretur, vt vetus eſt veterum Hebræorum effatum tribus rebus Iſraelem tanquam coronis fuiſſe decoratum, lege, regno, Pontificatu. Habuit ille igitur hæc ſibi propria.

PRIMÒ quòd vnicus erat neque in munere ſuo ſocium habebat, vt ſcilicet hac ratione melius repræſentaretur non alium eſſe, quàm vnum Eccleſiæ Sacerdotem Chriſtum. Interim quoniam fieri aliquando poterat, vt quæ ſummo Pontifici ex officio incumberent, effecta dare non valere, quippe morbo præpeditus, vel immunditia quadam legali à ſacris ad tempus prohibitus, ideò inſtitutum vt ſummo Sacerdoti vicarius adjungeretur qui vicem ipſius ſupplere poſſet, quique vocatus legitur princeps principum ordinis Leuitici. Hoc enim nomine inſignitur Eleazar adjunctus Aaroni Patri, Num.3.32. dicebatur & ſecundus Pontifex: Nam ſub Seraia Sacerdote ſummo nominatur Sophonias Sacerdos ſecundus, 2.Reg.25.21. Dictus eſt & anteceſſor, ſiue princeps domus Dei, 1.Chron.9.11. & 2.Chron.13.31. Nehem.10.11. Quanquam aliis placet hunc titulum intelligi debere non de vicario ſummi Sacerdotis, verùm de ipſo primario Pontifice.

SECVNDÒ quòd non omnes familiæ Sacerdotales, ſed vna quædam erat ex qua Pontifex eligeretur, quanquam & id aliquando mutatum, vt patet ex hiſtoria ſummi Pontificis Eli ex cuius familia tranſlatus eſt ſummus Pontificatus in aliam, 1.Sam.2.30.31. Sed hoc legitimè fieri non potuit, niſi authoritate diuina. Itaque ſi quando aliter obſervatum illud non ordini, ſed juris violationi attribuendum fuerit, quomodo ſcilicet Antiochus Epiphanes ad Alciuum ſacerdotem illum quidem, ſed non ex familia Pontificali tranſtuliſſe legitur ſummum ſacerdotium, & quomodo ſub-

do ſub Romanorum doctoratu ſæpius factum liquet ex hiſtoria, cùm pro Imperatoris, aut Senatus Rom. libitu ſummus Pontificatus nonnullis vel concederetur, vel abrogaretur ſic Herodes pro arbitrio creauit, & amouit Pontifices ſic Imperator Claudius eligendi Pontificis authoritatem Agrippæ Herodi conceſſit, quam & ipſius poſteri vſque ad extrema politiæ Iudaicæ tempora retinuerunt. Quod verò Iudas Maccabæus & ejus fratres qui ex familia Pontificali non erant, ſummi Sacerdotij jus vſurparunt & exercuerunt ad ſpecialem aliquam Dei ordinationem referendum videtur magnis illis viris hanc authoritatem tribuentis, vt collapſum Eccleſiæ politiæque ſtatum ea ratione facilius inſtaurare poſſent.

Tertiò huc referri poteſt eligendi Pontificis ſummi ratio, de qua etſi nihil expreſſum legitur in ſcripturis, conſentiunt tamen Hebræi Pontificis electionem inter ea fuiſſe quæ ad ſummum tantummodo Iudæorum concilium, quod Synedrin dictum fuit, pertinerent: Hi enim ſoli fuerunt Iudices, in quorum parte totum hoc poſitum eſſet, quique hanc dignitatem conferre poſſent, vt ſcilicet totius populi authoritate eligeretur, qui totius populi ſaluti deberet Inuigilare.

Quartò quod cùm inter cæteros Sacerdotes ita diuerſa eſſent munia, vt nemo, vel victimas mactaret vel ſuffitum facere poſſet, niſi ex ſortione & ordine ſuo, prout ſcilicet recurrebant viginti quatuor familiarum Sacerdotalium vices vni ſummo Pontifici nihil opus erat vices & ſtationes obſeruare, ſed omnia ſacra omni tempore obire ipſi ius erat atque fas. Itaque dum reliqui Sacerdotes per totam Iudæam habitare poſſent & obita functione Lares ſuos repetere, ſicut de Zacharia Ioh. Baptiſtæ patre legitur quod domum ſuam habuerit in montana regione & in vrbe quadam tribus Iudæ, Luc. 1. 29. Summum è contra Pontificem docent Hebræi non modò ædiculam in templo habuiſſe vbi cum familia ætatem tranſigere juberetur, quo nimirum poſſet & ſacris quotidie operam dare, & interrogantibus de lege Dei reſpondere.

Quintò quòd ornatiore veſtitu ad ſacra procederet quàm reliqui Sacerdotes, quem propterea vocant Hebræi זהב בלדי non quod omnes adjunctum haberent aurum, ſed quòd ornatiſſimæ eſſent ac pretioſiſſimæ. Certè ex octauo quibus vtebatur indumentis quatuor ipſi cum reliquis Sacerdotibus communia fuerunt, nempe tunica talaris, femoralia, baltheus & mitra ſiue infuſa, ſed quatuor habuit ſibi propria, nempe pallium, Ephod, pectorale, & laminam auream, de quibus legendum eſt, Exod. 28. Pallium, ſiue מעיל hyacinthinum erat ejusque fimbriis additæ pendebant figuræ malogranatorum ex hyacintho, purpura, & cocco, quibus intermixta erant aurea tintinnabula, quo ſignificatum eſt primò à Ieſu Chriſto ſummo noſtri fœderis Pontifice pendere prædicationis Euangelicæ ſonum, quippe quem ejus vnius authoritate per totum terrarum orbem diſperſerunt Apoſtoli, Matth. 28. 19. 20. Ioh. 15. 16. Et ad illum vnum referendos omnes quos producimus Iuſtitiæ fructus, quippe cùm ipſius Spiritus ille ſit qui bona omnia in nobis efficit, 1. Cor. 12. 11. 2. Miniſtrum, quem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præfecit non modò veræ prædicatio-

nis tinnitu in Ecclesia sonare debere, sed & bonis operibus sanctitatisq; fructibus splendere coram Ecclesia secundùm vestimenti genus, quod supparum illud, siue superhumerale, quam Græci vocant ἐπωμίδα Hebræa scriptura nominat אפחד ab אפד quod est cingere superinduere, operiendo astringere breue vestimenti genus cubitali longitudine, quod ad humeros pectúsque honorificentiùs ornantur, probatur: Et Ephod quidem vtebantur alij Sacerdotes & Leuitæ, 1.Sam.2.18. & 22.18. Imò & ipse Dauid ejusmodi vestimentum aliquando gestasse legitur, 2.Sam. 6.14. Sed erat illud simplicius, quippe lineum tantummodò cùm summi Pontificis Ephod longe alterius rationis esset, pannus scilicet ex auro subtilissimè extenuato, ac filis intorto purpurei hyacinthini, coccineique coloris admirabili arte fabricatus, ad illius Ephod latera duo qua Sacerdotis humeri incumbebant lapides erant duo onychini, quorum vterque sex Israelis tribuum nomina inscripta habebat, qui Exodi 28.12. dicuntur lapides recordationis pro filiis Israel, vt ferat Aaron nomina eorum coram Iehoua in duobus humeris suis: Aç lapides quidem recordationis dicti sunt quòd promitteret Deus eorum conspectu se in gratia sua recordaturum totius populi sui ipsum in persona sacrata sui Pontificis Iesu Christi contemplando: Ille enim demum est propter quem nostri recordatur vt benefaciat nobis, ille etiam qui virtute sua infirmitatem nostram sustentat & nos humeris suis, quasi portat quomodo aquila pullos suos, Deut.32.11.12. tertium fuit pectorale, quod vetus interpres rationale vocat Græci λογίου, ἀπὸ τοῦ λόγου, à ratione fortè quia continebat Vrim & Thummim quæ summa ratione prudentiaq; erant à summo Sacerdote consideranda. Scriptura vocat חשן ex Script. Iosephus εσιν forte à חשה quod est tacere, quòd in eo Dei voluntas tacita comprehenderetur, vocatur etiam חשן משפט pectorale Iudicij quòd scilicet illud assumere deberet Pontifex, cùm jus dicturus erat in re graui, & quòd per ipsum pateret Iudicium & sententia Domini Num. 7.21. Hoc non erat vestimentum aliquod à reliquis separatum sed additamentum aliquod Ephodo annexum, vnde & Ephodi nomine etiam comprehenditur, 1.Sam.23.9. quadrangulare fuit & vnius palmi longitudine, quòd Sacerdotis pectori adjacebat, & Ephodo annexum erat: Superius quidem per duas catenulas aureas. Inferius autem per duas vittas hyacinthinas, ita vt in nullam partem deflectere posset. Erant ipsi affixæ duodecim gemmæ diuersorum generum ternæ quatuor ordinibus dispositæ, quibus inscripta erant 12. tribuum Israelis nomina. Atque ibi non hominum artificio, sed diuina quadam & incognita ratione. Imposita erant Vrim & Thummim per quæ Deus consulentibus respondebat, & de quibus jam supra satis dictum est. Porrò pectorale istud, 1. Symbolum erat & quasi Sacramentum Spiritus illius, siue reuelationis Propheticæ, quâ pollicebatur Deus ornandum illum virum qui Symbolum istud sanctè vsurparet, & ex instituto diuino in rebus sacris aut grauibus, de quibus eum interrogari contingeret, nisi fortè aliquando in signum maledictionis & indignationis suæ Deus petenti responsionem negaret, quemadmodum Sauli factum

reiecta-

reiectaneo illi & maledicto Principi, 1.Sam.28.6. Sed multò magis significabat, erat res penes summum nostrum Pontificem Iesum Christum esse Spiritum illum diuinæ reuelationis, quo fideles donantur per agnitionem Iesu Christi, Ephes.1.17.& cujus beneficia cognoscunt ea, quæ Deus est ipsis gratiosè largitus, 1.Corinth.12.11. 2. quòd Sacerdos supra pectus nomina 12. tribuum gestabat, in eo non modò declarabatur quo amore gregem sibi commissum verus Pastor prosequi teneatur, nimirum non in ore tantùm aut exteriori charitatis professione, sed in pectore & interiori affectu plebem sibi creditam quasi gestare, verùm etiam præcipuè figurabatur infinita Christi charitas, quam in totam Ecclesiam animitùs & corde altissimè inscriptam gerit, quamque adeò propria morte dignatus est redimere, Iohan.15.13. Denique Cidari, siue mitræ Pontificis adjungebatur lamina aurea, cui hæc verba inscripta erant קדש יהוה, id est, *sanctitas ipsi Iehouæ*, quæque Pontificis fronti imminebat, vt portaret Aaron iniquitatem eorum, quæ oblata fuerant ab Israele, id est, vt si quid circa oblationes & dona sua Israël peccasset, ipsi condonaretur. Ita, 1. Commonebatur Sacerdos & cum eo præfecti Ecclesiæ, vt Deum eiúsque sanctitatem præ oculis semper habeant & ad ejus imitationem sese, quantum fieri potest, componant: Deinde hæc figura erat perfectissima omnibúsque numeris absolutæ sanctitatis atque iustitiæ, quâ Christus caput Ecclesiæ ornatus est supra Angelos omnes & homines, Psalm.45.8. Et cujus perfectione obtegitur coram Deo quidquid peccati aut imperfectionis hæret in sacrificiis & oblationibus nostris spiritualibus, id est, in bonis operibus, quæ semper quidem aliquo vitio defectúque, deformata sunt, sed tamen & per Christum grata fiunt & accepta Deo, 1.Petr.2.5.

Sextò quòd penes summum Sacerdotem erat consecratio reliquorum ex Leuitico genere coram Deo ministrantium. Quamuis enim in prima illorum cõsecratione Mosis etiam ministerium interceserit, Num.8.13. quippe qui à Deo extra ordinem excitatus est, vt authoritate diuina & αὐτοκράτωρ omnia in Ecclesia Israelitica disponeret tanquam fidelis seruus in tota domo Dei, Hebr.3.2. Vbi tamen jam constitutum fuit à Mose quidquid ad res sacras & Dei cultum in tabernaculo spectabat vnus fuit Pontifex à quo reliquorum consecratio penderet. Offerebat enim Leuitas in oblationem coram Iehoua, vt ministrarent in ministerio Iehouæ, Num.8.10.11. Vbi vocabulum vsurpatur quod propriè significat circumquaque agitare, quia scilicet ita offerebatur Deo, vt Aaron illos ad quatuor mundi plagas quadam circumductione conuerteret, sed & illud significat ibidem Scriptura fuisse nonnullas in hac consecrationis ceremonia populi totius partes, quatenus dicuntur Israelitæ posuisse manus suas super ipsos Leuitas dum consecrarentur, nimirum vt ita notum fieret consecrationem illam publico totius Ecclesiæ nomine factam fuisse: Postea sub Euangelio simile quid obseruatum est ab Apostolis & Apostolicis viris, qui antequam ministros ad munus Euangelicæ prædicationis consecrarent, soliti sunt populi consensum & suffragia expecta-

re quæ quod porrectis sublatisque in altum manibus dari consueuerant, propterea χειροτονίας nomine veniebant, Act.14.23. 2.Corin.8.19. Quanquam in hoc discrimen fuit inter Mosaicam illam & hanc Apostolicam consecrationem, quòd ibi Israelitæ ipsi manus consecrandis imposuerunt. Hic verò χειροθεσία, siue impositio manuum à solis consecrantibus Episcopis administrari solita, Act.6.13. 1.Timoth.4.14. & 5.22. 2.Timot. 1.6. Ita χειροτονίας nomine electio significata fuit, sicut χειροθεσίας nomine ipsa ordinatio siue consecratio. Obseruandum tamen apud authores Ecclesiasticos factum esse postea vt χειροτονίας vocabulum non modò de electione diceretur, sed & ad consecrationem ipsam extenderetur, vt in Canonibus Apostolicis Canone I. Episcopus à tribus Episcopis χειροτονῶ, id est, consecretur, & ordinetur. Porrò sicut in eo quòd solus Pontifex sacros ministros consecrabat figurata est Christi authoritas, cuius vnius est ad Ecclesiæ suæ regimen verbi ministros aduocare, & operarios in vineam suam educere, Matth.20.1.2.&c. Atque quòd Leuitæ inter consecrandum quaquà versum in quatuor mundi plagas conuertebantur, signum fuit prædicationis Euangelicæ, quæ per vniuersum terrarum orbem ab Apostolis & Apostolorum successoribus ex Christi mandato diffundenda fuit, Matth.28.19. Marc.16.15.

Septimò, cùm ex omnibus ex tribu Leuitica ministris interdictum fuerit ne supra animam, id est, super mortuum sese contaminarent, tangendo scilicet aut persequendo, aut curando funus aliquod. (Nam qui id fecissent, legale inde immunditiem contrahebant) Licebat tamen eis super propinquo, aut consanguineo sese contaminare, id est, eius funeri interesse, putà si pater ipsorum aut mater filius aut filia, frater aut soror mortui fuissent, Leuit.21.1.2.3. quâ ceremonia denotatum fuit omnes homines quantumuis sanctos contaminatos esse peccato consanguinitatis, quod originale vocamus, neque in hac immortalitate caueri posse ne ab hoc peccato sordidentur, sed cauendum tamen sanctis omnibus seriò, ne super extraneorum funere coinquinentur, id est, ne aliorum peccatis communicent, aut eorum contagione vel pernitiosa inuitatione se commaculari patiantur: At verò summus Sacerdos prohibitus cuiuscunque funeris etiam paterni, aut materni contaminatione sese polluere, & ad illud persequendum è loco sancto exire, quia oleum vnctionis Dei super ipsum est. Quo significatum fuit ἀρχιερέα nostrum Iesum Christum in hoc sanctis omnibus præeminere, quód nullius omnino, vel alieni, vel proprij, vel actualis, vel originalis peccati labe sit vlla ratione infectus, sed à sordibus quibuscunque purissimus & nunquam è loco suo sancto egressus, id est, veræ justitiæ sanctitatisque fines transgressus, quippe in quo sit oleum vnctionis Dei, qui inquam in cœlestibus omnibus Sancti Spiritus donis sit abundantissimè cumulatus, atque adeò potentissima illius virtute in vtero beatæ matris conceptus.

Octavò cùm cujuslibet conditionis Sacerdoti meretricem aut stupro profanatam, aut à viro suo repudiatam in vxorem ducere interdiceretur, honestam tamen viduam Sacerdotis alicuius matrimonio sibi

jungere

jungere fas esset, Ezech.44.22. Summo è contra Sacerdoti non modò abdicata aut repudiata, sed & à vidua fuit abstinendum Virginem tantùm ducere licuit eamque è populis suis, id est, quæ non ex finitimis nationibus, sed ex Israelitarum Gente cognata foret, Leuit.21.13.14. Est populis, inquam, suis, quia non ad eam rem adstringebatur Pontifex, vt ex tribu tantùm Leuitica vxorem ducere deberet, sed ex aliis esset Israelitarum familiis & tribubus ducere fas erat, quomodo legimus Iehoiadam summum Sacerdotem vxorem habuisse Iozabam Iorami Regis filiam, 2.Reg.11.22. Hac autem figura repræsentatus est Christus tanquam verus & vnicus sponsus, qui non ex Iudaico tantùm, sed ex Gentili populo Ecclesiam sibi coniunxit tanquam virginem castam & incorruptam, 2.Cor.11.2.

Nonnò Summo soli Pontifici jus fuit in Sancta Sanctorum ingredi, id est, in penetrale illud intimum, vbi recondita erat arca fœderis. Hoc autem intellige, 1. cum exceptione Mosis, cui fas fuit post exstructum tabernaculum in locum illum sacratissimum intrare, vt diuina responsa de ore Domini exciperet & populo renuntiaret: Deinde intellige ubi tabernaculum semel fixum erectumque erat: Per annos enim 40. commorationis in deserto, quoties castra mouenda fuerunt, & quoties tabernaculum deponendum vt ex vno loco moueretur in alium ingrediebantur in adytum Sacerdotes minores, vt arcam cooperirent, & Cherubinos velarent & omnia traderent Leuitis portanda, rursumque eodem modo cùm defigeretur tabernaculum certo loco, sed extra illas causas & postquam templum Domini Ierosolymis extructum est omniaque in eo ex diuino mandato deposita vni summo Sacerdoti licitus fuit sacrarij introitus, sed neque illi facultas data, vt quolibet tempore ingrederetur, Leuit.16.2. sed certo quodam tempore semel scilicet in anno, Exod.30.10. Leuit.16.34. & Hebr.9.7. festo scilicet ac solemni die propitiationum qui dicimus erat septimi mensis, quem Tisri dixerunt Hebræi & Septembri nostro ex parte respondet, Leuit.16.29. & 23.27. Vnde refutatur magnorum aliquorum virorum sententia qui putarunt semel quidem in anno licitum Sacerdoti introire cum sanguine, sed quotidie tamen ingredi potuisse etiam cum aliis Sacerdotibus ad suffitum adolendum erroris causa. Inde fuit quod existimarent altare suffitus in sacrario intimo fuisse quod tamen in secunda parte tabernaculi fuit iuxta velum quod erat ante arcam fœderis, Exod.30.6. quodque locum sanctum à loco sanctissimo separabat, neque aduersatur, quod legimus Exod.40.5. aram suffitus fuisse coram arca testimonij, cùm fuisse coram arca dicatur, non immediatè, sed medio illo velo interposito. Porrò qua præparatione vteretur Pontifex ad sacram illam actionem, quando sanctum sanctorum ingrederetur, quid ibi rerum gerere deberet, quibus vestibus vteretur, explicatur Leuit.16. Nam ante omnia vitulum offerebat pro peccato, & arietem in holocaustum: Præterea duos hircos statuebat ante ostium tabernaculi, quorum alterum emittebat in solitudinem, alterum pro peccato mactabat. His ita peractis de sanguine mactatorum

accipiebat, atque thuribulum *prunis ignitis plenum & plenam* volam de incenſo aromatico, eaque omnia intra velum inferebat & ſanguine quidem aſpergebat ſeptem vicibus partem tum ſuperiorem tum anteriorem propitiatorij: Incenſum verò ponebat ſuper ignem coram Iehoua, vt vapor incenſi operiret propitiatorium. Quibus ritè defunctis oblatisque tum pro populo, tum pro ſe ipſo precibus ſacratio exibat, ſed neque taget Scriptura quibus tunc temporis veſtibus vteretur, nempe tunicam lineam induebat & femoralia linea, & baltheo lineo accingebatur, & infula linea tegebatur, Leuit.16.4. quas veſtes candidas fuiſſe notant Hebræi. Vnde & eos vocant לבנ בדי veſtes Laban, ſiue albas, vt Ioſephi hallucinatio manifeſta ſit, qui lib.5. ἀρχαιολ. cap.15. docet Pontificem, tunc cùm in Sanctum Sanctorum intrabat nempe ſemel in anno Ephod & pectorale Iudicij geſtare ſolitum: Nam de hoc Scriptura certè nihil habet. Quomodo autem iſta referantur ad Chriſtum docet ſpeciatim Apoſtolus, Hebr.9. Ille nempe ſummus noſter Pontifex eſt qui non arietem aut vitulum, aut hircum quotannis, ſed ſeipſum ſemel pro nobis obtulit, & non cum alieno, ſed cum proprio ſanguine, non ſæpius, ſed ſemel ingreſſus eſt in Sanctuarium non terrenum, ſed cœleſte, vt ibi non ad horas aliquot, ſed in æternum coram patre ſuo compareat, & non ſuffitum externum adoleat, ſed pro nobis intercedat precesque noſtras Patri offerat non inde ingreſſurus antequam veniat in iudicium viuorum & mortuorum, nec dubito, quin veſtibus illis lineis & candidiſſimis quibus etiam indutus Chriſtus apparuiſſe legitur Danieli, Dan.10. 5. ſignificata fuerit perfectiſſima illa Theologi juſtitia & ſanctitas, quam & hîc viuens publicè priuatimque exhibuit, & moriens in cœlum intulit, vt eius nos per fidem participes faceret.

Hæc ferè ſunt, quæ in vnum ſummum Pontificem conueniebant, vel quæ cum aliis Sacerdotibus habebat communia, quæ jam ante enumerauimus, quibus hæc etiam adjungi poſſunt. 1. Quod capita nudarent, & veſtimenta diſcindere prohibebantur, Leuit.10.6. quam ceremoniam notum eſt vſurpatam ab iis olim fuiſſe qui eſſent in luctu. Intelligendum eſt autem hoc interdictum reſpicere ad ritum illum ordinarium & alioquin honeſtum, quo amici, affines, & conſanguinei ſuum in demortuis conſanguineis dolorem externis teſtari ſolebant: Nam de cætero ſi quando cauſæ magni doloris extra ordinem incidiſſent, Nouimus pientiſſimos ex ordine Sacerdotali viuos veſtes ſuas dilaceraſſe, quemadmodum nominatim de Eſdra legitur, Eſd.9.3. vt non videantur illi juſtam violatæ legis dicam impingere ſummo Pontifici Caiphæ, qui eum volunt magni peccati reum, eo nomine quòd veſtimenta ſua diſciderit, Matth.26.65. Culpandus enim ille non quia veſtes lacerauit, ſed quia lacerauit, vbi nulla lacerandi cauſa fuit, ſed potiùs agnoſcendi adorandique Chriſti grauis occaſio. Quod autem hac prohibitione Deus ſignificatum voluit, illud fuit vt commonerentur homines, ac præſertim qui ſunt ad ſacrum miniſterium euecti, ne vllam externam honeſtatem tanti reputent, vt propter eam legitimæ vocationis ſuæ munia negligant, aut prætermittant,

rant, nisi justam velint diuini numinis iram atque vindictam in se prouocare. Præterea cùm esset luctus species quædam immunditiei ceremonialis nullum luctus Iudicium ferre iis licebat, qui essent in sacro ministerio occupati, vt significetur spiritualem cultum, quem Deo præstare tenemur, veræ sanctitati diuinoque gaudio conjunctum esse debere, Rom.14. 17. 2. quòd exire de loco sancto & tabernaculi fores egredi vetabantur, ibique noctu & interdiu manere jubebantur per septem dies, Leu.8.35.& 10.7. Quòd etiam ad consecrationis ipsorum tempus præsertim pertineat, quippe quę nonnisi septimo die perficiebatur, tamen ad ministerium templi extendi quoque potest, prout notum est singulas Sacerdotum stationes hebdomatim solitas operam suam idem occupare hoc ritu docentur omnes verbi ministri ab officio non cessare, sed sanctam sedulitatem atque diligentiam in præstandis omnibus ministerij sui partibus exhibere adeóque sæculi negotiis nequaquam inuolui, 2.Tim.2.4. Cùm æquum sit vt terrena spiritualibus & humana officia sacro muneri cedant. 3. quòd quando vices ministerij ipsorum recurrebant, vino potu quocunque inebriante abstinere debuerunt, Leu.10.9. Quam legem volunt nonnulli ea occasione latam, quòd Nadab & Abihu quorum crimen & pœna criminis initio capitis illius explicantur, nempe ignem alienum intulissent in altare per aliquam mentis alienationem ex immodica vini potatione ortam: Verùm vndequaque accepta fuerit illius præcepti occasio, patet eo sacrarum rerum præfectores commonefieri, vt in tota vitæ ratione sobrietatem atque temperantiam colant, & in genere ab omnibus iis diligenter caueant, quæ aliquas possint ipsorum functionibus atque ministerio remoras objicere. 4. Quòd candelabri lucernas incendebant & oleum continuè affundebant, & suffitum quotidie Domino adolebant: Quanquam enim hæ partes transcribuntur in Aaronem, Exod.30.7.8. Vnde colligunt quidam illud fuisse proprium summi Sacerdotis officium, clarum tamen ex iis locis euadit illud Aaroni mandatum fuisse, quà Sacerdoti, non quà summo: Neque enim vnus Aaron, sed & filij ejus, putà Sacerdotes ex ejus familia lucernas aptare jubentur, vt luceant à vespera vsque mane coram Iehoua, Exod.27.21. 2.Chron.13.11. nimirum vt tota nocte luceant, dum tempore matutino extinguantur, prout dicitur Deus vocasse Samuelem in templo, antequam lucernæ Dei extinguerentur, 2. Sam.3.3. Quo significatum voluit accendi oportere lucem diuinæ gratiæ in animis nostris, siquidem tenebras eis naturaliter offusas dissipare velimus, 2.Cor.4.6. Atque vt lux ista in cordibus nostris conseruetur, opus esse continua olei affusione; perpetua, inquam, communicatione & operatione Sancti Spiritus, qui & author est & conseruator omnium gratiarum in nobis, 1.Cor.12.11. Denique externam verbi diuini lucem locum habere tantùm per hujusce mortalis vitæ tenebras, sed ea nihil opus fore, vbi ad clarum æternæ vitæ diem peruenerimus, Es.60.19. 1.Cor.13. 8. Apoc.21.23. Sic etiam non solus summus Pontifex, verùm & minores Sacerdotes suffitum adolebant Domino, 1.Chronic.6.49. Vnde has etiam partes tanquam suas tuiti sunt aduersus Osiæ Regis molitiones, 2.Chron.

26.17.18. Et de Zacharia Patre Ioh. Bapstitæ, qui Sacerdos erat ex vice Abia dicitur, Luc.1.8.9. quòd cùm Sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ sortitus sit munus suffimenti faciendi secundùm morem functionis Sacerdotalis, nimirum per illa suffimenta intercessio Iesu Christi, quam pro nobis continuò in cœlo præstat, significata est, nec non & sanctorum preces, quæ super altari, qui Christus est preces nostras sanctificans Deoque acceptas efficiens offerri debent tanquam thymiamata quædam spiritualia, Ps.141.2. Apoc.8.3.4. Quæque singulis diebus diligenter iterari debent, sicut & veteribus illis suffitibus fiebat: Neque enim debemus in oratione defatigari, sed absque intermissione orare, Luc.18.1. Rom.12.12. Col.4.2. 1.Thess.5.16.

IAM verò inter Sacerdotes & Leuitas id commune fuit quod in 24. classes diuisi sunt, quas Hebræi vocant מחלקות LXX. κλήσεις dicunt, 1.Chron.24. & ἐφημερίας, 1.Chron.5.11. & 8.14. & 31.2. Quo etiam nomine vtitur Euangelistæ, Luc.1.5. Latini dicunt vices, classes, distributiones, ordines, familias stationes: Nam cùm Sacerdotalis & Leuiticus ordo in tantùm numerum excreuisset, vt in sacro ministerio sua sibi multitudine obstarent, adeoque minùs ordinatè in functionibus suis procederent & diuina inspiratione factum est, vt Dauid Prophetæ magis, quàm principis partes agens Sacerdotes in 24. ordines primus distribuerit adhibita in eam rem sorte, nec quis quæreretur se suo loco non esse constitutum, 1.Chron.24. Quam dispositionem sequentibus sæculis obseruatam patet ex historia: Nam & Lucas Zachariam Ioh. Baptistæ patrem ex Classe Abia fuisse, testatur Luc.1.5. Et Iosephus docet se fuisse ex Classe Ioarib, neque tamen semper eum ordinem in ministerio publico post primam illam institutionem exactè seruatum, sed aliquando per interuenientem Iudæorum idolotriam fuisse turbatum ex eo liquet, quòd 2. Chron.31.1.2. dicitur Rex Ezechias cùm statuas frangeret, & succideret lucos, & excelsa atque altaria idololatrica destrueret, & restituisse distributiones Sacerdotum & Leuitarum. Tametsi autem illa ordinum distributio authore Dauide facta fuerit non est tamen in effectum deducta, nisi sub Salomone post ædificationem templi, 2.Chron.8.14. Vbi autem semel obseruare cœpit quicunque ad vnam Classem spectabant, ex locis habitationis suæ confluebant in templum & per integram hebdomadam, ducto initio à die Sabbathi in rerum sacrarum ministerium incumbebant 2. Chron.23.8. Ita vt aliarum Classium ministri sese tunc temporis ministrantium functioni immiscere non possent, nisi ter in anno, nimirum per festa solemnia, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, quibus ex lege Dei tenebantur quicunque Patresfamilias erant demum sese ad templum sistere: Tunc enim poterant Sacerdotes & Leuitæ, siquidem ita libuisset ei familiæ, quæ tunc ministerio fungebatur, sese adjungere ministraturi, ea tamen conditione, ne sacrificia peragerent votiua, vel spontanea, neque tamen item jugia sacrificia, quæ Græci ἀντικειμένας vocant, quippe cùm ea tantùm offerri illis liceret quorum Classis esset in statione Illud quoque Scriptura notat vnicuiq; Sacerdotum Classi respondisse certum

tum Leuitarum ordinem, qui eodem tempore ministerium suum obire deberent, 1.Chron.24.31. Atque ita necesse fuit, vt Leuitæ distribuerentur in 24. Classes, neque turbare nos debet quòd laudato jam capite post enumeratos 24. ordines Sacerdotum numerantur tantùm 18. ordines Leuitarum: Hoc enim ideò factum quòd hoc loco nihil opus fuit repeti nomina sex Classium jam ante enumeratarum, 1.Chron.23.16.14. &c. & verò 1.Chron.24.20. Non simpliciter numerantur Leuitæ, sed Leuitæ reliqui, id est, qui nondum antea fuerunt enumerati. Hi omnes cùm per hebdomadas ministrarent, post semestre spatium ad functionem istam sacram redibant, vt nimirum annuatim vices vnicujusque bis recurrerent. Hîc obseruatum est à viris doctis Iudam Maccabæum, qui ad instaurandam non minus Ecclesiam, quam Reip. formam atque disciplinam excitatus fuerat, cùm expiaturus esset domum Dei, quam Græci fœdissimè polluerant 24. familias Sacerdotum conuocasse, cùm jam per triennium & amplius cessauissent, vt scilicet pristinum earum ordinem restitueret, & primæ familiæ quæ Ioaribi erat primum locum ex prisco instituto dedisse, ut reliquæ quoque suo ordine succederent, idque biduo ante templi dedicationem, siue Ensenia, quæ celebrata sunt 25. mensis Cazleu, id est, Nouembris, 1.Maccab.4.59. Vnde facilè colligunt, quo tempore Zacharias qui erat ex octaua Classe nimirum ex ordine Abiæ ministerium suum objecit, vt inde postea vlteriùs progrediantur ad inuestigandum diem Christi natalem. Denique singularum familiarium siue Classium, tum Sacerdotalium, tum Leuiticarum Principes vulgò dicti sunt רשי אבות, id est, capita Patrum. Græcis ἄρχοντες πατρῶν, Neh.12. 12.22.23.24. In Nouo Testamento illi sunt qui vocantur ἀρχιερεῖς, Principes Sacerdotum, siue præcipui inter Sacerdotes, quos & Patriarcharum vocabulo designasse videtur Chrys. oratione quarta contra Iudæos. Quanquam id nominis aliis etiam significationibus vsurpatum est. Nam primò qui Principatum gessit inter Iudæos Babylonenses (id est, eos qui cæteris Ierosolyma redeuntibus maluerunt Babylone commorari & magna vi pecuniæ à Persarum Monarchis jus obtinuerunt eligendi Principis, qui res Iudaicas cum summa potestate administraret) eum dixerunt Hebraicè נשיא Græcè Patriarcham & αἰχμαλωταρχὴν, id est, captiuorum Principem. 2. Patriarcha dictus qui Princeps erat magni Synedrij, id est, summi Iudæorum Concilij ex LXX. viris constituti. 3. Hoc eodem nomine nuncupatum legimus vniuscujusque Synagogæ Principem, siue præfectum, qualem arbitramur fuisse Iudæum illum Patriarcham Huillum Origenis in Hebræis præceptorem, de quo loquitur Hieron. Apol. aduersus Ruffinum. 2. Illud quoque prærogatiuæ non minùs Leuitæ habuerunt quàm Sacerdotes, quòd ex eorum numero nonnulli eligerentur, vt magni illius Concilij potestatem facerent, penes quod sub posteriori templo fuit summa rerum, quodque Ierosolymis sedem suam fixerat. Certè docent Hebræi in Concilium illud, quod Synedrim dixêre Græci συνέδριον, voce in formam Hebraicam deflexa, adsciptos tum primores Israelitarum, tum nominatim ex tribu Leui Sacerdotes & Leuitas. Quin

& cùm floreret adhuc in illo populo potestas regia ; Legimus tamen constitutos Ierosolymis à Iosaphato ex Leuitis & Sacerdotibus, & Primoribus Israëlis nonnullos ad Iudicia Iehouæ & ad lites, id est, ad causas tum sacras tum ciuiles, 2.Chron.19.8. Vbi etiam docetur Zebathiæ, qui antecessor erat in domo Iuda in omni negotio regio adjectos fuisse Leuitas, tanquam præfectos, præsides, & Moderatores, id est, Magistratus inferiores, qui quasi censores essent & correctores totidem, ne quid contra legem Mosis fieret, & vt Iura atque consuetudines ciuitatis cujusque conseruarentur. Sic & 1.Chron.26.30.31.32. Dicitur Dauid Azabiam & Ieriam ex ordine Leuitarum præfeciſſe variis tribubus ad negotia Dei & Regis, id est, Ecclesiastica & politica. 3. Leuitæ vnà cum Sacerdotibus docendi populi prouinciam assumebant, legémque coram populo legebant & exponebant, qua de causa γραμματεῖς καὶ νομοδιδάσκαλοι, scribæ & legis periti, vel legis doctores dicti sunt, 2.Chron.17.8.9. Neque enim putandum est scribas Ecclesiasticos aliquod genus doctorum fuisse à *Sacerdotibus & Leuitis distinctum*. 4. Quanquam ad Sacerdotes spectarent, non modò sacrificia offerre, sed & victimis iugulatis pelles detrahere, quæ in vsum ipsorum cederent, Leu.7.8. In potestatem tamen illius muneris Leuitas aliquando vocatos fuisse legimus, 2.Chron.29.34. 5. Quod ad arcæ gestationem attinet antequam ædificatum esset Ierosolymi templum, cùm alij dicant id muneris ad Sacerdotes spectasse propterea quòd ea nota describuntur Sacerdotes filij Leui quòd portent arcam fœderis, Deut.31.9. Alij verò Leuitatarum fuisse officium pertendant eò quod filij & Keath qui ex Sacerdotali familia non erant, id muneris injunctum fuisse legatur, vt sanctuarium & omnia sanctuarij instrumenta deportarent Num.4.15. Nos litem ita componi posse putamus, si dicatur quandiu habitatum est in deserto non alios, quàm Leuitas in arca deportanda fuisse occupatos, sed postquam peruentum est in terram Canaanis & accreuit Sacerdotum numerus, jus illius deportationis fuisse Sacerdotibus attributum : Nam & Abiatarem Sacerdotem morte mulctare Salomon noluisse dicitur eo quòd portasset arcam Domini coram Dauide Patre suo, 1.Reg.2.26. Sed portasse videntur in casibus tantùm extraordinariis, putà in transitu Iordani, Ios.3.6. in obsidione Iericontis, Ios.6.6. in pronuntiatione benedictionum & maledictionum legis, Ios.8,33. Certè jus illud non ita translatum fuisse ad Sacerdotes, vt ab eo omnino fuerint exclusi Leuitæ patet ex plerisque Scripturæ locis : Dicuntur enim Leuitæ deposuisse arcam Domini, 1.Sam.6.15. eamque deportasse, 1.Sam.15.24. 2.Chron.5.4. Et Rex Dauid, 1.Chron.15.2. manifestè ait portandam à Leuitis arcam, eo quòd elegerit ipsos Iehoua, vt portent arcam, vbi cùm ad primam Dei institutionem respiciatur, in quo certum est Leuitas à Sacerdotibus fuisse distinctos jussos fuisse arcam portare, Num.4.15. concedendum jus illud nunquam fuisse Leuitæ ademptum.

PRPORIA Leuitarum officia Sacræ Scripturæ non tacent, & ante templi ædificationem occupabanrur illi circa gestanda vasa sacra, quotics ab

ties ab vnò loco in alium transferri tabernaculum oportebat. Itaque cùm omnes Leuitas Moses distribuisset in tres Classes Cahatitarum, Gersonitarum, & Meraritarum, quod singulis faciendum incumberet, docetur Num.4. Post ædificatum verò templum, quamuis ministerium illud circa deportationem vasorum sacrorum cessauit, 1.Chron.23.26. mansit tamen necessitas ea custodiendi, mundandi, purgandi, sicut & verrendi templi, nec-non & lignorum in altare comportandorum, & ibidem extruendorum, & concoquendarum carnium, & vini, olei, thuris, aromatum parandorum, 1.Chron.23.28.29. Denique in omnibus, quæ necessaria erant Sacerdotibus ministrandis, hæc erant illorum munera, qui propriè Leuitæ dicti sunt, Vnde jubentur conseruare obseruationem filiorum Aaron, 1.Chron.23.31. id est, ea facere, quæ Aaronici Sacerdotes eis imperauerint, & stare coram Aarone, vt ministrent ei, Numer.3.5. & dati esse dono Aaroni à filiis Israel, Numer.3.9. quia addicti fuerunt imperio Sacerdotum, non voluntate modò & assensu, sed & loco, & vice totius populi, vt scilicet pro eo ministrarent ad præceptum Dei. Præter hos Leuitas fuerunt etiam Cantores & Ianitores ex familiis Leuiticis, qui prout vices recurrebant, ministeria sua præstare debuerunt; Cantorum enim erat hymnos Domino dicere, non modò voce, sed & variis organis, putà cymbalis, citharis, psalteriis; quibus sese etiam intermiscebant nonnulli ex Sacerdotum grege cantantes tubis, quod proprium erat Sacerdotum instrumentum, 2.Chron.7.6. Ianitores occupabantur in templi foribus aperiendis, & ad portas domus Dei circumquaque excubabant, 1.Chron.9.13.14.15. Quod munus reliquis omnibus inferius esse videtur, argumento illius dicti, Psalm.84.11. malim esse in limine domus Dei, quàm habitare in tabernaculis impiorum, Sed & aliud erat Ianitorum officium: Præficiebantur enim cubiculis & thesauris domus Dei, 1.Chron.9.26. & pecuniam ex populo colligebant, quam ad vsus sacros in templum inferrent, 2.Reg.22.4. Denique Leuitis adjecti fuerunt illi, quos Scriptura vocat Netinæos, 1.Chron.9.2. Esdr.2. 70. quasi dicat deditios, Vnde & LXX. aliquando vertunt per vocem δεδωμένοι, & Iosephus vocat ἱερόδουλοι, id est, sacros Seruos. Illo plerique omnes Interpretes, non ex tribu Leuitica, sed neque ex aliqua Israelitarum familia fuisse putant, sed Gabaonitarum progenie, quos Iosua aquatores, & lignatores sacræ domus Dei esse iussit, Ios.9.23. Quòd autem Iosua hoc maledictioni deputat, non inde est quòd esset honesta illa seruitus, sed quia ita seruientium conditio erat deterrima, & ij procul dubio vltimum in populo locum occupabant, qui circa aquam & ligna in ædem Domini assiduè comportandam versabantur, vt colligitur ex Deut. 29.11. & liquet ex regionis illius natura, quæ lignorum & aquarum penuria laborabat. Cæterum post ædificatum templum si non fuit omnino sublata hæc seruitus, tamen valde imminutam fuisse vero consentaneum est, cum & probatica piscina, de qua Iohan.5. non procul à templo Sita aquationis laborem leuaret, & ξυλοφορίας festum de quo ante diximus ex Iosepho in eum finem institutum esset, vt Iudæi ligna vndique compor-

tarent in vsum annuum sacrificiorum. Atq; hactenus de ministerio veteri dictum est. De Sacerdotio & Sacrificio typico, vbi satis loquuti sumus, ad verum illud æternumque Sacerdotium accedimus, quod Mediator noster Christus perfectissima ratione obiit, & de quo esto nobis.

THEOREMA primum. *Sacerdotium Christi est officium vni Christo à Patre cœlesti demandatum ad faciendam firmandámque hominum cum Deo reconciliationem.* Ac de Christi quidem Sacerdotio plurima suppetunt & euidentissima tum Veteris, tum Nouæ Scripturæ testimonia : Nam in Veteri Testamento tum nomen Sacerdotis Christo attributum legitur, Psalm.110.4. tum verò res ea voce significata frequentissimè inculcatur, nimirum quoties de Christi morte, sacrificio, & intercessione agitur, toties Sacerdotium ipsius nobis ob oculos ponitur. Hoc autem cùm alibi præstitum videmus, tum nominatim accuratissimè explicatum, Esa.53. In Euangelio autem quanquam nullibi Christus Sacerdotis, aut Pontificis nomen ipse sibi legatur tribuisse, rem tamen ipsam & officium ad sese pertinere subinde testatur, cùm de passione sua, de ferendo mortis supplicio, de sua pro nobis sanctificatione & interpellatione apud Patrem meminit, Matth.20.18.19.& 26.28.Ioh.12.23.24. Ioh.16.19.20. Sed Apostolus nominatim bonam Epistolæ ad Hebr. partem in huiusce Christi Pontificatus veritate atque excellentia exponenda voluit adhibitam. Porrò ad plenam Theorematis explicationem, quatuor nobis hîc tractanda veniunt, *necessitas, vnitas, ratio,* & *partes Sacerdotij Christi.*

NECESSITATEM vt faciliùs capiamus, res est nobis à principio arcessenda, neque ignorandum hominem ex ratione creationis suæ duo præstare debuisse Creatori suo, nempe cum obedientiam, tum gratitudinem, sicut & ante monuimus : Obedientiam enim debuit tanquam subditus Regi ac Domino illi omnipotenti; Gratitudinem verò vt Sacerdos fidelis & gratum erga tantum benefactorem : Sacerdos, inquam, Eucharisticus, id est, qui non circa sacrificia cruenta versaretur, sed in votis precibusque Domino offerendis Domino totus occuparetur. Et ex prima quidem institutione Dei fœderisque cum Deo primum initi ratione, tum Adam, tum omnes ab Adamo prognati in totidem generaliter Sacerdotes sanctificandi fuerant, sed ita tamen vt consentaneum esset vnum aliquem in familia specialiter ad istud officium destinari, & singulari vocatione instrui, qui Deum scilicet familiariùs adiret, & per fœderis συμμέτοχος ea curaret quæ ad religionem pertinerent, adeoque tanquam diuini numinis Interpres haberetur, ad consortes Dei voluntatem proferre. Id negaturus non est, qui expenderit 1. omnia tempore quolibet in Ecclesia Dei εὐχημόνως καὶ εὐτάκτως fieri debere, 1.Corinth. 14.10. Inde siquidem facilè colligitur etiam in primo illo statu omnia decenter & ordine facienda fuisse, 2. cùm ante latam legem Mosaicam οἰκοδεσπότης, siue paterfam. quem primogenitus, tanquam eius successor excipiebat, id muneris speciatim exequeretur, vt sacrificiis peragendis vacaret, quemadmodum videre est in Noacho, Genes.8.20. Et Abrahamo, Genes.12.7.8. Et Iobo, Iob.1.5. Non videtur dubitandum quin ea officij

ratio

ratio non ex humano arbitrio fluxerit, sed ex primæua institutione per manus tradita promanarit ad posteros. 3. Quin & id ipsum ita primitus obseruatum ostendunt, viri magni ex Genes.4.3.4. Vbi de sacrificiis Abelis & Cain agitur, neque dicuntur illi simpliciter sacrificasse aut obtulisse, sed adduxisse sacrificia & oblationes suas nempe vt intelligatur illa fuisse ad Adamum tanquam Patremfam. & verum Sacerdotem adducta, vt ipse filiorum suorum nomine propriis manibus Domino offerret: Enimuero in eam dignitatem euectus à Domino primus homo, totius humani generis materiale principium, sicut indignissima diuini mandati transgressione seipsum à fœdere, quod cum ipso Deus pepigerat, exclusit: Sic & ab isto Sacerdotij culmine vnà cum posteris suis omnibus exturbatus est, atque ita sicut cessauit gratiosa illa Dei cum hominibus communicatio, sic & exclusa est de ipsius manibus Sacerdotij dignitas, & miserandum omnino statum detrusus est homo, vnde nunquam per se suisque viribus esset emersurus, sed cum Deo tamen in gratiam redeundum fuit: Neque enim id erant passura diuinarum misericordiarum viscera, vt homo ad imaginem Dei conditus inferiorum creaturarum nobilissimus, quem Deus in gloriam sapientiæ, gratiæque suæ formauerat, quem terræ totius Dominum constituerat ab authore vitæ suæ in perpetuum alienus permaneret, neque vllum videret, vel miseriæ suæ modum, vel terminum: Etenim si misericordia diuina extremum illud malum ab homine moliebatur auertere, quippe cum gratiæ proprium sit abundare supra peccatum, & gloriari aduersus Iudicium, & nolle mortem peccatoris, sed vt viuat, Roman.5.21. Iacob.2.13. Ezech.18.13. Iustitia è contra pœnam à peccatoribus promeritam exigebat, prout illa est justitiæ immota lex, vt vnicuique reddatur secundùm opera, & qui malè fecit mala recipiat, Rom.2.6.7.8.9. & mors peccato debeatur tanquam stipendium, Rom.6.23. & anima quæ peccauit, ipsa moriatur, Ezech.18.20. nisi modus aliquis & ratio inueniatur, quæ possit saluo Iustitiæ jure misericordia exerceri. Itaque opus hîc fuit diuinæ sapientiæ consilio, quo lis tanta componeretur, id est, suum jus & misericordiæ, & justitiæ seruaretur integrum. Factum autem est illud destinatione Mediatoris qui diuinæ justitiæ sua morte satisfaceret, & offensum Deum hominibus conciliaret, & noui æternique fœderis sponsor esset, & per peccatum amissa redderet: Sacerdotij inquam dignitatem & gratiosam Dei communionem instauraret. Is verò non alius est, quàm Christus meritò in Sacerdotij munus electus pro omnibus, quippe qui primas teneat in omnibus, Col.1.18. vt sit primogenitus inter multos fratres, Rom.8.28. totique Dei domui præfectus, Hebr.3.6. tanquam caput & Dominus Ecclesiæ, Ephes.1.22. adeoque omnis principatus & potestatis, Col.2.10. Sed nimirum Sacerdotium istud à Christo assumptum alterius rationis oportuit esse, quàm fuerat primæuum illud in hominis creatione institutum: Nam cùm posterioris hujus Sacerdotij necessitatem fecerit hominis peccatum & transgressio, Consentaneum fuit esse illud conditionis eius atque virtutis vt posset ipsius assumptione atque functione pec-

catum admissum expiari, atque illud non potuit effectum dare ex Dei Iustitia Sacrificium merè Eucharisticum, siue simplex precum & votorum oblatio, cùm sit illud diuinæ Iustitiæ δικαίωμα, vt qui peccata committunt mortem mereantur, Rom.1.32. Itaque ad rationem huius Sacerdotij accedere oportuit Sacrificium ἱλαστικὸν pro impetranda peccatorum remissione, adeóque mortem interuenire Sacerdotis qui sese pro nobis Deo sistere, & partes sponsoris agere debebat, cùm sine sanguinis effusione non fiat peccatorum remissio, Hebr.9.22. Neque verò actualem huius sui Sacerdotij functionem statim à primo peccato Mediator noster obijt, sed etiam certis de causis ad plenitudinem vsque temporum distulit, putà vt de peccatorum suorum atrocitate conuicti homines in conscientia Sacerdotij istius necessitatem meliùs intelligerent, atque ita feruentiori illius desiderio vrgerentur, sicut etiam testatur Christus multos Prophetas & Reges diem hunc beatissimum cupiisse videre, Luc.18. 24. Interim Ecclesiam suam per tot annorum Centurias certa spe futuri Sacrificij Christus fulciebat, tum Propheticis promissionibus fidelium animos confirmans, tum Sacerdotij legalis, atque typici institutione & exercitio fidem ita statuminans, vt ex typo ad rem ipsam assurgi posset, & ab vmbris atque figuris ad corpus, & veritatem olim in Christo & à Christo præstandam fidelium animus seria meditatione attolleretur.

Deinde quod secundum caput est officium istud Christo tanquam vnico Noui Testamenti Pontifici demandatum esse manifestissimis ex scriptura testimoniis confirmatur. 1. Apostolus, Heb.7.23. Inter Sacerdotium vetus & nouum id constituit discriminis, quòd sub Veteri Testamento pluralitas & multitudo Sacerdotum esset necessaria, quippe cùm eos in Sacerdotio permanere mors prohiberet: At verò sub Nouo Testamento vnus Sacerdos sufficiat, quippe qui maneat in æternum, adeóque Sacerdotio suo in perpetuum fungi possit. Et verò etiam in hoc loco veteres obseruarunt Chrysost. Theod. Theophil. Ambros. Primasius Anselmus Christum vnum esse Pontificem, qui quòd immortalis est nullum habeat successorem. 2. Id ipsum ex typo Melchisedech, quem Apostolus eodem capite proponit, & prosequitur euidentissimè potest adstrui: Nam cùm Melchisedechus nullũ habuerit in officio Sacerdotali adjectum sibi, nullum præcessorem, nullum successorem, sed ipse vnicè ἀμητορίτως hoc Sacerdotium administrauerit, par est, vt concludamus Christum qui dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, ita esse vnum Noui fœderis Pontificem, vt nemo quacunque ratione, aut obtentu ipsi possit in hoc munere, vel adjungi, vel subjungi, sed ipse solus hac Pontificatus prærogatiua potiatur. 3. Ita describitur & iis terminis circumscribitur in S. scriptura Christi Sacerdotium, vt nullus planè sit, vel hominum, vel Angelorum, qui in eos fines irrumpere & id juris sibi merito vsurpare audeat. Quid enim est esse Sacerdotem Noui Testamenti, esse sponsorem fœderis æterni, Heb.7.22. Vocatum & constitutum à Deo cum Iuramento, Heb.7.21. neque habere opus offerre pro seipso, sed tantùm pro populo, Heb.7.27. & proprium sanguinem æterna redemptione peracta in

acta in Sacrarium cœleſte ingredi, Heb.9.12. ſæpius offerre, ſed ſemel tantùm ac abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius, Heb.9.26. 28. Offerre, inquam, animam ſuam in oblationem pro peccato, Eſ.53. 10. & purgationem peccatorum facere per ſemetipſum propria ſua & interna virtute, Heb.7.25. & ita mori, reſurgere, ſedere ad dextram Dei. interpellare pro nobis vt aduerſus nos nemo poſſit vel intentare crimina, vel damnationis ferre ſententiam, Rom.8.33.34. Denique ad hæc omnia abundè præſtanda eſſe pium, impollutum, ſegregatum à peccatoribus, & quocunque peccati conſortio, & ipſis cœlis ſublimiorem factum, Heb. 7.26. Si quis autem præter vnum Chriſtum, in quem hæc jura competant, dicatur ille ſanè Noui Teſtamenti Sacerdos: At verò ſi vnus Chriſtus hæc ſibi meritò vindicare poteſt, neque alteri cuipiam ſine ingenti blaſphemia poſſunt attribui, Agnoſcamus vt vnicum Redemptorem, ita vnicum eſſe ſub Nouo Teſtamento Sacerdotem noſtrum. 4. Denique ſi qui Sacerdotes præter Chriſtum, aut ſub Chriſto ad offerendum reale aliquod ſacrificium in Eccleſia Chriſtiana eſſent agnoſcendi, eos ſanè oporteret à Chriſto eſſe primitus inſtitutos, cùm nemo hunc ſibi honorem ſumere debeat, ſed illo tantùm frui poſſit, quòd legitimè vocatus fuerit, Heb.5.4. At vbi omnes libros S. ſcripturæ percurreris, euolueris, excuſſeris de Sacerdotum Euangelicorum ad ſacrificij realis oblationem inſtitutione quidem inuenies. Certè Apoſtolus varia miniſtrorum Eccleſiæ, tum extraordinariorum, tum præcipuè ordinariorum genera enumerat, quæ Chriſtus inſtituit ad ædificationem corporis ſui, & opus miniſterij & coagmentationem ſanctorum, Rom.12.1.Cor.12.Eph. 4. ſed de Sacerdotibus altiſſimum omnino ſilentium. Sic & Chriſtus Apoſtolos ſuos docere, prædicare Euangelium, mandata cœleſtia præferre ad nationes, baptiſmum & Cœnam adminiſtrare jubet, Matth.26. 28. Marc.16.Luc.24. Ioh.15.&c. Sed vt quis Sacerdotali munere defungatur, & Chriſtum jugiter in ſacrificium offerat, nuſquam omnino jubet, neque præceptionis hujuſmodi, vel vola, vel veſtigium alicubi extat: Nam quòd pertendunt Apoſtolos in Sacerdotes eſſe conſecratos, adeóque Noui Teſtamenti Sacerdotium inſtitutum à Chriſto, cùm inter diſtribuendum Euchariſtiæ Sacramentum diceret *hoc facite*, quod Aduerſarij interpretantur corpus meum ſub ſpeciebus panis & vini ſacrificate. Et in eo ſibi fruſtrà blandiuntur. Certè citiùs aquam elicueris ex pumice, quàm ſacrificium aliquod ex his verbis extruderis. 1. Verba Sacerdotem creantia non poſſunt vlla ratione ad omnes Chriſtianos pertinere; alioqui ſequeretur omnes Chriſtianos per ea fieri Sacerdotes, Atque in horum verborum *hoc facite* ſenſu atque ſignificatione eſt quod procul dubio pertineat ad omnes fideles, ſicut docet Apoſtolus, 1.Cor.11.24.25. 6. Vbi verba iſta explicat *hoc facite in mei recordationem*: Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Quis enim negaturus eſt ad omnes Chriſtianos id officij ſpectare, vt recordentur mortis Domini eamque grata mente recolant. Itaque agnoſcit etiam Bell.lib.4. de Euchar.cap.16. his

verbis significari, quod communicat omnibus Christianis. 2. Institutionis hujus verba semper in Ecclesia eandem habent efficaciam quam habuerunt cùm primùm sunt à Christo prolata: Ideò enim semper in Ecclesia recitantur quoties administrandum est Eucharistiæ sacramentum: Atqui post Christi mortem per omnia sæcula Eccl. verba hæc non habuerunt efficaciam consecrandi aliquem Sacerdotem, sicut reipsa patet, neque Aduersarij diffiteri possunt. Ergo neque cùm à Christo prolata sunt, constitutus est aliquis per ea verba Sacerdos. 3. Verba quæ Sacerdotem constituunt, etiam partes omnes officij Sacerdotalis proponere debent, cùm non aliunde sciri possit, quæ sunt Sacerdotum munia, quàm ex ipsorum institutione: Atqui hæc verba *hoc facite*, partes omnes Sacerdotalis muneris, neque explicant, neque attingunt: Sacerdotum enim est populum docere, & in Euangelij prædicatione occupari, & orare pro populo, qua de re neque clarè, neque implicitè mouent hæc verba. 4. Denique hactenus inauditum est eadem verba duobus diuersis & à se valdè separatis sacramentis instituendis inseruire posse. Iam autem nemo negare potest quin hæc verba *hoc facite* partem complectantur institutionis sacræ Eucharistiæ ergo non potest adhiberi ad institutionem Sacerdotij, cùm Sacerdotium sit ordo sacer, adeoque ex sententia Aduersariorum sacramentum ab aliis omnibus separatum.

Illvd ergo fixum & certum esse nobis debet vnicum esse Noui Testamenti Sacerdotem Iesum Christum, nec audiendos, qui Sacerdotum multitudinem inuehunt in Ecclesiam Christianam, quique Episcopos, aut Præsbyteros tot volunt esse Sacerdotes propriè dictos Pontificij tamen id vocabuli mordicus retinent, non alia de causa, quàm quòd ex ea voce missaticum suum sacrificium necessario concludi putent: Cùm enim Sacerdos propriè ordinetur ad sacrificium, si Noui Testamenti ministri sunt verè Sacerdotes facilè concludi arbitrantur esse penes ipsos veri sacrificij conficiendi potestatem, & hoc est inter alia Bellarmini argumentum lib. 1. de Missa cap. 17. Primò Ministros autem religionis Christianæ præcipuos Episcopos nimirum & Præsbyteros veros esse Sacerdotes conficiunt ex Es. 61. 6. Vbi Propheta de Ministris Ecclesiasticis Noui Testamenti agens dici eos vocandos esse Sacerdotes & Leuitas ait Dominus, Sed *Resp.* nemini illud esse ignotum quod soleant Prophetæ, ac nominatim Esaias conditionem, fœlicitatem, ac beneficia spiritualia Noui Testamenti phrasibus illis explicare, quæ arcessuntur ex rebus sub Vetere Testamento factitatis. Itaque quod verbi Euangelij publicum ministerium Es. Sacerdotij nomine designatum voluit. In eo nihil aliud significatum est, quàm quemadmodum inter Iudæos Deus ministerio Sacerdotum vsus est ad conseruandam diuini cultus rationem & fideles in cœlestium legum obedientiam continendos: Ita neque in Ecclesia Christiana destiturum verbi ministerium, quo electi & ad Christum adducantur, & adducti porrò in ipsius cultu constantissimè perseuerent. Certè sicut ex eo quod dicit Esaias Deum aliquos assumpturum in Leuitas, nemo tamen stupidus est, qui conficiat esse debere veros & propriè dictos

Leuitas

Leuitas in Nouo Testamento, id est, viros ex tribu Leui ad sacrum & publicum Euangelij ministerium allectos : Ita neque ex voce Sacerdotis potest aliquid efficaciter colligi ad constituendum extra & citra Pontificatum Christi aliquod in Nouo Testamento verum & reale Sacerdotium.

SECVNDÒ varia congeruntur ex veteribus in hanc rem testimonia, cùm apud eos nihil frequentius occurrat, quàm vt Episcopatus & Presbyteratus in Ecclesia Christiana Sacerdotes vocent & Sacerdotium Christianum ipsis à Christo commissum esse doceant. *Resp.* 1. Nobis potiùs esse debere, quod nemo inter Euangelistas vel Apostolos per quos dispositionem salutis & sacræ veritatis doctrinam accepimus. Sacerdotis nomen Ecclesiasticis ministris attribuit, quàm quod subsequentibus Ecclesiæ sæculis vsus illud obtinuit, vt frequens esset in scriptis & ore multorum & Sacerdotis nomen, vt quid enim scriptura noua quæ variis nominibus ministerium Ecclesiasticum designat, à voce tamen Sacerdotij in hac causa tam diligenter abstinet, si ministri Ecclesiæ verum, reale, externum propriéque dictum Sacerdotium à Christo habent, aut quare nominibus Metaphoricis, impropriis pastorum, œconomorum, Angelorum verbi ministri designantur : Nomine verò maximè proprio Sacerdotum nusquam designantur. Annon mirum est eos potiùs omnia vocari, quanquam propriè esse, nec satisfacit Bellarmini responsio lib. 1. de Missa cap. 17. quòd adhuc Apostolorum tempore vigeret Sacerdotium Iudaicum, & sacrificia cruenta offerrentur in templo Ierosolymitano, Apostolos Domino inspirante non vsos esse nomine Sacerdotij, sacrificij, templi, altaris, & similium rerum, vt faciliùs distinguerentur Christiana sacramenta à Iudaicis, & ne putarentur, si jisdem vterentur vocibus eosdem illos ritus renouare, aut confirmare, sed paulo post euerso templo Ierosolymitano, & cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum liberè cœpisse antiquissimos Patres vti nominibus templi, altaris & sacrificij, vt res ipsa postulabat. Non satisfacit inquam responsio. 1. Quia si verum esset Apostolos ab iis nominibus Domino inspirante abstinuisse, ne putarentur reuocare aut confirmare Iudaismum, debuit & subsequens Ecclesia ob eandem causam voces illas ab vsu suo remouere. Dices conuersum fuisse templum cùm cœpit vsus vocabulorum, sanè verò, sed non ideò minùs erat periculi in eorum obseruatione & vsurpatione, cùm norimus quæ fuerint etiam post vastationem templi Iudæorum molimina, & qui hæreticorum quorundam conatus ad reducendam Circumcisionem & sacramenta Iudaica, etiam post exemptos rebus humanis Apostolos per multa sæcula, cùm testetur historia Iudæos fauente Iuliano in templi ædificationem magna diligentia aliquando incubuisse. 2. Supponitur quod falsum est, nempe Sacerdotij, sacrificij, templi, altaris vocibus nusquam vsos esse in scripturis suis Apostolos de rebus N. Testamenti loquentes. Nam & Sacerdotes atq; sacerdotium N. Testamenti, 1. Pet. 3. 9. Apoc. 1. 6. & 5. 10. Et sacrificium sæpius memoratur, Rom. 12. 1. Phil. 4. 18. Heb. 13. 15. 16. 2. Thess. 2. 4. Et altaris fit mentio, Heb. 13. 10. Apoc. 11. 2. Itaque si

verum aliquod Sacerdotium ad ſacrificium aliquod reale offerendum inſtituiſſet Chriſtus in Nouo Teſtamento, abſtinuiſſent Apoſtoli ab ea voce propter cauſam à Bellarm. confictam. Denique ſi debuit illud vocabulum liberè vſurpari poſt euerſionem templi, & actualem ſacrificiorum ceſſationem, quî factum eſt, vt ſanctus, Ioh. 29. annis poſt vaſtationem templi ſuperſtes in ſuo Apoc. libro, vbi toties de miniſtris Eccleſiæ agit, nuſquam tamen Sacerdotum meminerit, Neque enim confingere poteſt Bell. hoc factum ne putaretur confirmare velle ſacrificia Iudaica, quippe quæ tunc penitus ceſſauerant.

SECVNDÒ *Reſp.* cùm Veteres Sacerdotum nomine tam frequenter eos inſignierunt qui circa miniſterium Euangelicum occupantur, non id eo animo feciſſe, vt aliquod reale & externum ſacrificium præter illud Chriſti cruentum & in cruce oblatum in Eccleſia eſſe ſignificarent, adeoque inconſequentia laborare illud argumentum Bellarm. Preſbyteri ſunt Sacerdotes. Ergo ordinantur ad reale ſacrificium offerendum, nimirum ab Antiquis, illi etiam vocantur Sacerdotes, quos tamen certum eſt in ejuſmodi ſacrificio nequaquam occupari: Sæpius enim omnes Chriſtianos appellatione Sacerdotum inſigniunt eoſque Domino ſacrificare & oblationes atque holocauſta offerre aſſerunt Origenes hom. 9. in Leu. An ignoras tibi quoque, id eſt omni Eccleſiæ Dei & credentium populo Sacerdotium datum & poſtea omnes quicunque vnguento Sacri Chriſmatis delibuti ſunt, Sacerdotes ſunt effecti, & in illa homil. multa mentio, Sacerdotij, ſacrificij, & holocauſtorum Chriſtiani populi Cyprian. lib. 10. de vnctione Chriſmat. dicuntur à Chriſto Chriſtiani vt ſint ſub Chriſto duce Rectores & duces, & offerunt Deo quotidianum ſacrificium ordinati à Deo ſanctimoniæ Sacerdotes, vbi notat Pamelius agi de Sacerdotio Laici, quod accipit in baptiſmo per vnctionem Chryſmatis Cyrill. lib. 10. in Iulianum. Iuliano obiciente nulla eſſe apud Chriſtianos ſacrificia non illud regerit, quod vnum reſponderi poſſe volunt Adverſarij ſcilicet miniſtros Eccleſiæ tanquam veros Sacerdotes offerre quotidie Domino ſacrificium externum & reale, ſed reſpondet, nos Chriſtianos ſacrificare multò meliùs, quàm fecerint olim veteres, quia ſcilicet adhibemus ſpiritualia Sacrificia & mentalia cùm offeramus in odorem ſuauitatis Deo virtutes omnigenas. Iam autem ſi rationem quæras qua verbi miniſtri Sacerdotum nomine ſpeciatim deſignentur à Patribus. *Reſp.* duplicem iis appellationis huius cauſam fuiſſe; alteram quidem quòd miniſtri ſeſe Deo conſecrant ad opus miniſterij: Alteram verò quòd Euangelij prædicatione defungentes populum ſuum, quaſi mactant, purgant & offerunt Deo in hoſtiam placentem iuxta illud Apoſtoli, Rom. 15. 16. Sum miniſter Chriſti ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, id eſt, adminiſtrans Euangelium, vel Euangelio tanquam rei Sacræ operans, vt oblatio Gentium fiat accepta ſanctificata per Spiritum. Itaque inutilis eſt Bellarm. reſponſio, qui vbi ſupra Chemnitium refutaturus docentem nomine Sacerdotij apud veteres non miniſterium ſacrificandi, ſed miniſterium verbi & Sacramentorum intelligi excipit non eſſe credendum doctiſſimos Patres,

vel non

vel non intellexisse vim illius vôcis, vel de industria illâ abuti voluisse, attribuendo iis qui docent populum & Sacramenta administrant, sed Deo nullum offerunt Sacrificium, cùm tamen omnis Pontifex constituatur ad offerenda dona & sacrificia, Hebr.5.1.& 8.3. Nam respondemus Ministros Euangelij sacrificium illos quidem aliquod offerre, sed impropriè figuratéque dictum, non autem externum illud & reale, quod sibi fingunt Adversarij, neque dicendum Patres de industria voce Sacerdotis abusos esse, cùm nihil sit apud Scriptores quoscunque frequentius quàm figuratis locutionibus vti, quos tamen non ideò accusamus, quasi vocabulis de industria abutentes, nisi absurdum vocis appelles quidquid extra propriam significationem figuratè, aut tropicè accipitur. Atque ita omne genus hominum abusionis vocabulorum nomine damnatas velis, quod si quid valeret Bellarm. ratiuncula, eodem argumento probauerit aliquis omnes Christianos offerre Deo sacrificium verum, proprium, externum, reale, cùm Scriptura toties Sacerdotes nomine & ipsorum Sacrificia memoret, quia scilicet alioqui dicendum esset Scriptores sacros, Vel ignorasse vim vocum istarum, vel iis de industria abuti voluisse. Iam verò quòd Hebr.5.1.& 8.3.dicitur omnis Sacerdos constitutus esse ad offerenda dona & sacrificia, Hebr.5.1. nemo non videt referendum esse ad Sacerdotes Veteris Testamenti sicut etiam agnoscunt antiqui Ambros. Theod. Primasius, Theoph. Ansel.& Pontificij docent Carthusianus, Gagneius, nec repugnant Iesuitæ Ribera & Iustinian. cùm in Hebr.5.1. dicant per dona intelligi quæ sponte populus sub lege offerebat, nempe hostias pacificas : Per sacrificia verò victimas, quæ ex præscripto legis pro peccatis offerebantur. Et verò si ita oportet cùm instituerit Apostolus dignitatem ostendere Sacerdotij Christi præ Aaronico Pontificatu. Nulla porrò consequentia est si veteres Sacerdotes offerebant sacrificia vera & realia, etiam qui sub N. Testamento Sacerdotes dicuntur in realibus Sacrificiis offerendis occupari debere, nisi eadem ratione conclusum velis, quia veteres circa sacrificia vetera versabantur, etiam hodie frequentari dubere cruentorum sacrificiorum oblationem. Sed instat iterum Bellarm. verbi & Sacramentorum administrationem non Episcopis tantùm conuenire, atque Presbyteris, verùm etiam Diaconis, & tamen Diaconos à veteribus non dici Sacerdotes ex August. lib.20. de Ciuit.Dei, cap.10. Vbi docet Episcopos & Presbyteros propriè Sacerdotes nominari, & Carthaginensi concilio 30.can.4.vbi dicitur Diaconos non ad Sacerdotium sed ad ministerium ordinari oportet. Ergo præter verbi & Sacramentorum administrationem aliam esse rationem, quare dicantur Sacerdotes, nimirum propter sacrificij realis oblationem. *Resp.* de Diaconorum officio judicandum esse ex prima ipsorum institutione, quæ continetur, Actor.6.2.3.4. Vbi dicuntur Apostoli eos instituisse ad ministerium mensarum, id est, ad collectam atque distributionem Elemosynarum in publicum vsum à fidelibus collatarum, vnde scilicet leuentur viduæ, orphani, aliique pauperes; sibi verò reseruasse orationis & verbi ministerium, Prædicationem scilicet Euangelij, & quæ ipsi conne-

esse Sacramentorum administrationem. Vnde patet Diaconos ex officij ratione non debuisse verbum, vel sacramenta dispensare. Et verò cognoscit Lor. in Actor. 6.3. etiam tempore Gregorij magni, id est, 600. post Christum annis prædicare Diacono non licuisse sed postea ex Concessione Concilij Vasc. 2. cùm Presbyter per infirmitatem non posset Diaconum sanctorum Patrum homilias populo recitasse. Quod enim Philipp. vnus ex septem Diaconis prædicasse legitur & baptizasse, Act. 8.5. 12. Id fecisse existimandus est non simpliciter, quà Diaconus, sed quatenus & ipse inter Euangelistas nominatur, Act. 21.8. His positis nihil est difficile: Cùm enim mos in Ecclesia obtinuisset, vt illi tantùm Sacerdotes dicerentur, quibus verbi & Sacramentorum dispensatio commissa esset, nihil mirum si dicant antiqui Diaconos non ad Sacerdotium, sed ad ministerium ordinari, cùm Diaconi ordinaria verbi & Sacramentorum administratio credita non esset, etsi illud officium aliquando extra ordinem concessum fuerit.

Porrò cùm & Sacerdotis nomen fidelibus attributum legatur in Nouo Testamento & obtinuerit vsus apud antiquos vt Episcopis verbique ministris idem etiam nomen adscriberetur, visum est veteribus Sacerdotium duplex distinguere, quorum alterum Laicale dixerint, alterum Clericale, nimirum Sacerdotij Christianorum fecerũt duos gradus, communem, & singularem. Priorem ex vocatione Christianorum communi quâ electi Dei per baptismi gratiam è mundo separati oleo Spiritus Sancti in regale Sacerdotium vnguntur, quod in eo consistit, vt offerantur hostiæ spirituales, sanctæ & acceptæ Deo per Christum, Roman. 12.1. 1. Petr. 2.5. Apoc. 1.6. Posteriorem verò ex vocatione singulari, quâ quidem ad obeundam in Ecclesia ministerij Euangelici functionem vocantur vt in Domo Dei sunt cœlestium mysteriorum œconomi, nempe sicut Sacerdotis nomen in Scriptura fidelibus quidem ex ratione vocationis Christianæ communísque tribuitur, sed verbi ministris ex ratione peculiaris functionis tributum nusquam legitur, sed vsu tantùm Ecclesiæ, quæ Apostolos nonnullis pòst sæculis subsequuta est. Ita factum & Clericorum nomine, vnde desumpta est appellatio Sacerdotij clericalis: Quanquam enim sub V. Testamento dicitur Dominus esse κλῆρος, siue sors Leuitarum, Num. 18.20. Deut. 10.9. quatenus scilicet Leuitæ qui nullam hæreditatem sortiti sunt in Israele victum accipiebant vitámque suam sustentabant, ex iis quæ Domino ab Israelitis offerebantur, siue sacrificia essent, siue dona, siue primitiæ, siue decimæ. In N. tamen Testamento vocabulum κλῆρος nullibi reperitur ad verbi ministros specialiter limitatum, sed totus Domini grex, i.e. omnia cujusque Ecclesiæ membra vocantur κλῆροι, 1. Petr. 5.3. Vbi manifestissimè οἱ κλῆροι & τὸ πλήθιον ponuntur, vt ἰσοδυναμοῦντα. Itaque, inquit, Caiet. in h.l. Non intelligo per Cleros eos quos vocamus Clericos, sed Christianos omnes ad diuinam sortem adscitos: Est enim κλῆρος propriè sors, & quia olim sorte diuidebantur hæreditates, hinc vsurpatum est nomen κλήρου pro hæreditate, adeóque dum Apostolus fideles vocat κλήρους significat esse gratos & charos Deo, non minus

minùs quàm hæreditas ei chara est, cui sorte obtigit. Ergo quòd ministri Ecclesiastici dicuntur Clerici acceptum referri debet Ecclesiæ vsui, non quòd putauerit eos solos verè hæreditatem Dei, sed aliis duabus de causis, nimirum, 1. quòd vocentur à Deo ad accipiendum τὸν κλῆρον τῆς διακονίας partem Ministerij, vt loquitur Scriptura Sacra, Act. 1.17. 2. Quòd initio sorte solerent eligi, vt patet Exemplo Matthiæ, Act. 1.26. Vnde Isidorus post August. in Can. cleros distinct. 21. Cleros & Clericos hinc appellatos credimus, quòd Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Denique distingunt Adversarij inter Sacerdotes primarios & secundarios. Vt primarium quidem vnicum esse fateantur, nempe Christum Secundarios autem tot esse velint, quot sunt qui Missarum sacris conficiendis operantur. Atque huius distinctionis beneficio sperant se facilè omnibus illis ex Scriptura argumentis satisfacturos, quibus supra probauimus vnicum esse N. Testamenti Sacerdotem, quippe cùm inde nihil aliud posse confici velint, quàm vnicum esse primarium Sacerdotem, sed non posse concludi esse plures secundarios. Verùm facile confutatur hæc distinctionis larua: Nam 1. qui Sacerdotes secundarios, quasi succenturiatos aut vicarios Christo adjungunt Apostolo in eis contradicunt docenti, Hebr. 7.24. Christi sacerdotium esse ἀπαράβατον, id est, non modò perpetuum, sed etiam quòd nulla ratione possit ad alium quemuis transmitti: Est enim ἀπαράβατος ἱερωσύνη vt explicat Budæus in Lexico & ex eo Iustinian. in hunc locum Sacerdotium quod ad alium transire non possit, siue quod successione non aliunde transmigret ad alium: Atqui si essent aliqui Sacerdotes secundarij procul dubio haberent illi Sacerdotium participatum aliunde, vt à Christo ad ipsos transmissum, 2. Sacerdotium Melchisedeci tale fuit vt Hebr. 7. nominatim docetur, vt nullos habuerit adjunctos, siue vt successores, siue vt vicarios, siue vt Sacerdotes secundarios, sed in vno Melchisedeco fuerit constitutum vnicè, exclusa qualibet alia persona, vt quocunque cuiuscunq; distinctionis obtentu, restrictione, limitatione ablegata. Atqui Christi Sacerdotium fuit secundùm ordinem Melchisedec; Itaque Christus est vnicus Sacerdos, vt non possit ipsi in Pontificatus munere adjungi quocunque nomine, aut prætextu socius successor, vicarius, aut alius quisque Sacerdos secundarius. 3. Sacerdotes hos secundarios & suffectos, quo genere censeamus: Nam aut eiusdem speciei oportet esse cum primario, aut diuersæ, Neutrum verò dici potest. Nam si diuersæ, diuersum oportet esse sacrificium, quod offerunt à Christi sacrificio, quatenus longè alia, quàm Christus sacrificia, obtulit, victimas nimirum terrenas, & non placet magis Adversariis vt dicatur idem Sacerdotium, sicut ait Iustinianus in Hebr. 7. de sacerdotibus & Pontificibus Romanis loquens: Non enim illi alio Sacerdotio funguntur à Christi Sacerdotio, neque aliud offerunt sacrificium, quàm quod Christus obtulit, sed tanquam ministri Christi eius Sacerdotij participes quodam modo sunt, & eius sacras functiones exercent. Sed contra, Sacerdotium quo quis fungitur non potest in eo semper manere propter mortem superuenientem

opponitur Sacerdotio Christi, Hebr.7.23.24. Adeoque non potest esse idem cum Christi Sacerdotio : Atqui Sacerdotium cuiuscunq; missifici tale est, vt semper manere non possit propter mortem superuenientem. Ergo non potest idem dici cum Sacerdotio Christi. Præterea si Sacerdotium Christi,& Missificum idem esset, sequeretur quot sunt Presbyteri, tot esse Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedec, adeoque reges justitiæ ac pacis ἀπάτορας, ἀμήτορας, ἀγενεαλογήτους, cùm in istis rationem Sacerdotij Christi constituat Apostolus. Denique qui habent idem Sacerdotium quod Christus,non possunt alij aliis succedere,quia Christus semper perseuerat,neque ad alium transmittit sui Pontificatus munus,inquit Iustinus vbi supra:At Presbyteri Pontificij alij aliis succedunt. Non possunt igitur dici habere idem Sacerdotium cum Christo.

Iam vt ad tertium caput accedamus & explicemus quænam sit ratio Sacerdotij Christi,illud ante omnia meminisse nos oportet Sacerdotium typicum sub V. Testamento duplex exhibitum fuisse : Alterum secundùm ordinem Aaronis : Alterum secundùm ordinem Melchisedec, & habuit vtrumque sine dubio in Christo suam adimpletionem, quemadmodum ex natura typorum patet, qui cùm toti ad suum τοτὸν referantur, non alibi quàm in ipso complementum suum quærunt. Atque hoc nos quidem in Aaronico Sacerdotio quantum satis est iam supra demonstrauimus : Nam quæ ab Aaronicis Sacerdotibus offerebantur sacrificia in Christum respexisse crucisque sacrificium, velut in tabella quadam delineasse ostendimus & Sacerdotis, tum omnium Aaronis filiorum,tum supremi nominatim Pontificis fuisse Sacerdotale Christi munus repræsentatum docuimus : Enimuerò non est illud silentio prætereundum, quamuis ad Christum spectarit, & in ipsum directum fuerit Sacerdotium Leuiticum, Scripturam tamen in id diligenter incumbere,vt ostendat Christum non fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Leui,quod Apostolus in Exempla præsertim ad Hebr. diuinissimè exequitur, & duo illa Sacerdotia Christi, & Leuitarum inter se conferendo quantum intersit inter ea discriminis luculenter exponit, siue personas, siue institutionem, siue efficaciam, siue perfectionem, siue denique durationem considerare lubeat.

Nam, 1. Personas quod attinet, qui Sacerdotio Leuitico fungebantur non aliunde originem trahere, quàm ex posteritate Leui, quæ sola inter Israëliticas tribus ad sacrificiorum oblationem rerumque sacrarum curam fuit à Deo constituta, Exod.8.1. & alibi : At verò Christus non ex Sacerdotali Leui familia, sed ex Iudæ regali tribu fuit oriundus, quemadmodum tota scriptura testatur, vt ex genealogia Christi nominatim patet, quam Matth. & Lucas conscripserunt. Atque hoc etiam discrimen notauit Apostolus, Heb.7.13.14. Deinde non fuit aliquis inter omnes Leuiticos Socerdotes, qui cùm & infirmus esset & peccator non opus habuerit offerre tam pro seipso, quàm pro populo. Sed Sacerdos Christus variis ille quidem in carne infirmitatibus sese voluntaria dispensatione subjecit, verùm ab omni peccati cujuscunque labe longissime fuit remotus adeo-

tus adeoque non pro se, sed pro electis suis duntaxat offerre opus habuit» Heb.7.26.27.28. Præterea Leuitici Sacerdotes quascunque offerrent hostias, siue hilasticas, siue Eucharisticas semper eas aliunde offerebant, ita vt aliud esset Sacerdos, aliud hostia. Christi verò Sacerdotium etiam in tota sua amplitudine acceptum, id est, respectu sacrificij tum hilastici, tum Eucharistici longè aliter habet: Etenim si ad oblationem illam cruentam & verè propitiatoriam respicias, quâ sumus in æternum sanctificati, non fuit illa sanè alia quàm Sacerdos ipse animam corpusque suum offerens in mortem pro redimendis electis, ita vt eadem numero persona & Sacerdotem præstiterit & victima fuerit, Heb.9.14. Quòd si sacrificia Christi Eucharistica consideres, offert nos quidem summus noster Pontifex Patri cœlesti, tanquam hostias viuas & Spirituales ab ipso quoad personas differentes, sed qui tamen membra sumus ipsius, os ex ossibus, & caro de carne ejus, Eph.3.30. quo fit vt totam Ecclesiam non dubitet Apostolus Christi appellatione designare, 1.Cor.12.12.

Secvndò Institutionem quod spectat in ea quoque apparet maximum vtriusque Sacerdotij discrimen: Nam si modum institutionis consideres Leuiticum Sacerdotium institutum fuit secundùm legem mandati carnalis, Heb.7.16. id est variis adhibitis ceremoniis externis & corporalibus quæ quòd mutabiles, caducæ, transitoriæ essent, atque adeò demum abolendæ propterea σάρκινοι dicuntur ab Apostolo. Christus autem Sacerdos institutus est, inquit ibidem Apostolus, secundùm vim & potentiam indissolubilis vitæ, quatenus scilicet immediatè à Deo consecratus est & sancti Spiritus virtute gratiis omnigenis abundantissimè cumulatus. Atque ita ad Sacerdotium immortale atque nunquam periturum inauguratus: Adde quòd Leuiticum Sacerdotium nulla juramenti interpositione fuit institutum: Christi verò Sacerdotium iurejurando corroboratum fuit, Heb.7.20.21. & Ps.110.4. nimirum adhibita sacramenti religione cœlestis Pater æternum Christo Sacerdotium pollicitus est, vt in eo valentiori spe confirmemur, qui nouimus non aliter quàm in Christo Sacerdote ad Deum nobis accessum patere. Sacerdotium inquit Ambr. per quod cœlestem gloriam possessuri sumus non est sine iurejurando, vt firmam Dei promissionem credamus; Si verò finem respicias, Leuiticum quidem sanciendo confirmandoque Veteri Testamento fuit institutum, sed Messiæ Sacerdotium ad Noui fœderis quod melius & melioribus promissis constat, confirmationem vnicè spectauit, Heb.8.6. Itaque illud etiam tempore seruitutis, cùm esset infans adhuc Ecclesia, & sub rigidis tutoribus detineretur: hoc verò libertatis tempore postquam adulta jam erat Ecclesia, neque carnali ampliùs pædagogiæ subjacebat, institutum est.

Tertiò quod ad efficaciam attinet, Leuiticum nullam per se vim habuit aut efficacitatem ad peccata verè abolenda: Neque enim dona & sacrificia legalia potuerunt cultorem sanctificare in conscientia, Heb.9.9. id est, ipsa per se sumpta citra respectum ad Christum non potuerunt spiritualiter & interiùs homines à peccatis purgare ita vt expiatio efficax

esset in diuino judicio, & veram securitatem animi persuasionemque de gratia Dei posset in conscientia ingenerare. Qua de re supra pluribus dictum est : At verò Christi Sacerdotium ad peccatorum purgationem est longè efficacissimum : Cùm enim noster Redemptor sacrificio suo crucis Dei justitiæ cumulatissimè satisfecerit, & ἀντίλυτρον pro nobis obtulerit partibus ac numeris omnibus perfectissimum. Hinc est quòd in illius sacrificij perfectione conscientia nostra plenissimè acquiescat, déque gratia Dei persuasionem foueat inconcussam, quippe quæ nouerit Christi sanguinem nos ab omni peccato mundare, Heb.9.14.1.Ioh.1.17.

QVARTÒ perfectione differunt : Leuiticum enim ea imperfectione laborauit vt non semel & iterum sacrificia offerri oportuerit, sed opus quotidie fuerit eadem hostias iterare, Heb.10.11. Christus verò per vnicam sui corporis hostiam semel in fine sæculorum oblatam in cruce nos in perpetuum sanctificauit, adeò vt ipsius sacrificium commemorari quidem sæpius in Ecclesia oporteat, sed nulla penitus iteratione opus habeat, Heb.10.12.13.14.15. 5. Denique duratione differunt, siquidem Leuiticum, neque si sumas in genere perpetuum esse debuit, sed præfinito tempore cessare oportuit juxta testimonium Angelicum, Dan.9.27. neque si vnumquemque Sacerdotem consideres diu perseuerare potuit, cùm accedente morte Sacerdotes permanere non possent, Heb.7.23. Atq; adeò opus fuit Sacerdotibus multis ; quorum alij aliis continua serie succederent, vt Sacerdotium de vno transmitteretur in alium : At verò Christi Sacerdotium æternum est & perpetuum, & ἀπαράβατον, id est, in quo neque præcessorem habuit, neque successorem. Quódque non modò in terris administrauit, cùm inter homines ageret, sed quo in cœlis etiam continuò defungitur, quippe semper viuens, vt interpellet pro nobis, Heb. 7.24.25.

ALTERVM Sacerdotium typicum, sed quod Scriptura S. proponit tanquam Aaronico longè præstabilius. Illud est quod Melchisedeco fuit exhibitum, cujus historiam breuiter recitat Moses, Gen.14.18.19.20. Typum verò tum Dauid vno verbo attingit, Ps.110.4. tum pluribus explicat Apostolus, Heb.7. Ex cujus Interpretatione in hac causa sapiendum est, vt scilicet nihil vltra illa quæramus, quæ Deus ex loco nobis exposita voluit : Etenim cùm hunc de Melchisedeco quatenus Christi typum gessit sermonem Apostolus agnoscat esse δυσερμήνευτον, difficilem explicatu, Heb. 5.11. Neque aliunde quàm ex isto loco fax nobis alluceat, quâ duce penetremus in has tenebras, ad illa sine dubio vnicè adhærendum est quæ hic de Melchisedeco, & Melchisedeci Sacerdotio ejúsq; ordine ad Christum relato scriptura nos docet : Enimuero inquit Hieron. epist. ad Euagrium, siue vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat ineffabile confitetur, quantò magis nos vermiculi & culices solam debemus scientiam insciticæ confiteri. Cætera igitur de quibus in scriptura silentium curiositati, ne dicam temeritati deputanda videntur. Et certè vbi semel à verbi diuini ductu discessum est, mirum in quas execrationes ac deuia feratur humanus animus : Nam præterquam quòd hinc missaticum sacrificium extructum

extructum est & originem duxit illa sententia quam Hieronymus Epistola ad Euagrium traducit vt absurdam & pro qua depugnat Hierax quidam apud Epiphanium hæs.55. & quàm ineptissimis argumentis confirmare nititur author libri de quæst. Veteris & Noui Testamenti, qui Immeritissimè Augustino attributus est; quod nempe Melchisedecus non homo purus fuerit, sed virtus Dei quædam Christo major scilicet Spiritus sanctus. Quem errorem qui docuerunt vel amplexi sunt inter hæreticos computati Melchisedecianorum nomen obtinuerunt, de quibus verus Aug. lib. de hæres. Hinc Origenis ac Didymi vana conjectura fuisse nimirum Melchisedecum Angelum quendam humana specie visum, sed desitæ dudum illæ opiniones, nec est hodie, vt arbitror, qui facilè adstipuletur, verùm si aliæ duæ quæ quamuis ad eandem originem meritò referri possunt, olim tamen & etiamnum hodie à viris alioquin doctissimis fouentur: Nam, 1. Multis placet Rabbinorum sententia Melchisedecum non alium fuisse quàm Semum Patriarcham filium Noæ qui Sacerdotali munere in Cananæa defunctus fuerit, & per longæuitatem Abrahami tempora potuerit attingere. Hanc sententiam quamuis magnis viris arridentem Procopius non dubitauit & stultam & impossibilem dicere, mihi satis est si dixero nulla eam verisimilitudine niti, non modò quia Cananæorum regio non Semo, aut ejus posteris, sed Chamo Chamíque filiis cessit in hæreditatem, Gen.10.15.16. Sed etiam quia præcipuè Melchisedecus nobis proponitur tanquam ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Semi autem pater & genealogia sæpius notatur in scriptura, Gen.6. & 10.1.Chr. 1.Luc.3. Neque est quòd respondeatur in Scriptura tradi genealogiam Semi sub nomine Semi, sed non sub nomine Melchisedeci vel Scripturam S. quando agit de priuata Semi persona, mentionem facere genealogiæ, initijque & finis vitæ ejus, sed quando agit de officio ejus nihil horum meminisse propter illud mysterium quod explicat Apostolus, quæ responsio est Tornieri in Annal. sacris ad annum 2118. numero 9. Non est, inquam, quòd ita respondeat. Nam cùm Apostolus in ea quam instituit inter Christum & Melchisedecum comparatione, non solùm nomen attendat, sed rem ipsam consideret, neque officium solum, sed ipsam quoque Melchisedeci personam, & adjectas personæ qualitates consideret, vt postea videbimus. Possunt ejusmodi responsiones subtilitatis & argutiæ laudem habere, sed soliditatis & veritatis laudem habere non possunt.

Sed An probabilior eorum sententia, qui Melchisedecum volunt non hominem fuisse, verùm diuinioris naturæ, & homine majorem, ipsum nempe Filium Dei, qui scilicet Abrahamo redeunti ex prælio in itinere obuiam tulerit specie humana, habitu Sacerdotis & Regis, ejusque animum faustis vocibus ad omnia ingentia erexit, panméque & vinum fesso dederit, in quo Abraham majus quoddam & homine celsius agnouerit, & quod sub imagine latebat, coluerit, & Messiæ Regi Sacerdotique potenti præsens decimas obtulerit. Non puto, quanquam ea mens viris doctis, Atque inter eos clarissimo Cunæo lib.3. de Rep. Hebr.

cap.3. Qui quorsum etiam trahit, quòd dicitur Abraham vidisse diem Domini, Ioh.8.56. Cùm tamen id negatum fuerit aliis illum Melchisedecum videre,& quòd dicitur Melchisedech assimilatus filio Dei,Heb.7.3. Ita explicat,quòd tum temporis eum habitum corporis assumpserit,quem postea gessit Christus in terris, ita vt in illa specie corporea fuerit ipsi similis; Sed fallitur vir clarissimus & in alienum procul dubio sensum scripturæ testimonia detorquet : Nam, 1. Quòd dicitur Abraham vidisse diem Domini, Ioh.8.56. non est ita de ipso intelligendum, quasi non alius in Veteri Testamento fuerit ejus beneficij particeps. Certè Dauid à quo indubium est nusquam fuisse visum Melchisedecum, gaudet tamen & exultat in illa diei Dominici contemplatione, Ps.118.23.24. Ista enim verba de die Domini accipienda inde satis patere potest,quod quæ eodem loco immediatè tum præcedunt, tum sequuntur ad Christum referuntur, & de Christo explicantur variis Noui Test. locis, Matt.21.& 23.34.Marc. 11.9.& 12.10. Act.4.11. Eph.2.20. 1.Pet.2.4.7. 2. Quam diem Domini videt Abrahamus eam ipse videre ardentissimè cupierat, Ioh.8.56. Iam verò quis affirmare ausit, etsi affirmet vnde confirmauerit Abrahamum antequam accederet ad ipsum Melchis. ejus videndi desiderio flagrasset, de quo fortè nihil antea audiebat, & quem nec de nomine, nec de officio nouerat. 3. Si quia Dei filius specie humana habitus Regis, & Sacerdotis sese Abrahamo conspiciendum præbuit, ideò dicitur Abrahamum vidisse diem Domini, quidni & illum vidisse dicantur, quibus specie humana principis aut Iudicis habitu sese *præsentauit* : *Nam Iosuæ* tanquam principem exercituum Iehouæ sese exhibuit, Ios.5.13.14. Danieli autem veniens in nubibus cœli, vt omnem gloriam & regnum acciperet à Patre Dan.7.13.14. 4. Neque verò solus Abrahamus Melchisedecum vidit, sed & totus Abrahami exercitus. Itaque si videre diem Domini nihil aliud est quàm Melchisedecum oculis corporeis vsurpasse, nemo fuerit militum Abrahæ, cui non istud priuilegij competat, adeóque qui non sit eo nomine veteribus omnibus Prophetis & sanctis præferendus. 5. Non est autem quòd objiciatur id Abrahamo concessum, quod aliis Regibus & Iustis datum non fuit, quantumcunque id cupierint, Matth.13.16.17. Quis enim vnquam vel fando audiuit omnes illos justos & Reges cupijsse videre Melchisedecum Regis & Sacerdotis habitu in terris agentem? Aut quis existimet sanctis illis viris negatum fuisse quod abjectissimis quibusque militibus in exercitu Abrahæ degentibus concessum fuit? Imò dicamus quod res est neque Reges illos & Iustos, neque adeò ipsum Abrahamum ea vidisse, quæ viderunt Apostoli, quatenus scilicet Christum in terris viuentem, docentem, operantem, id est, Deum in carne manifestatum non viderunt qui se Apostolis conspicuum fecit, & miraculis, & doctrina, sed & illi & Abrahamus viderunt tamen diem Domini, quatenus in venturum Redemptorem defixerunt oculos fidei, quæ non minùs futura percipit, quàm præsentia possidet, quippe quæ sit ἐλπιζομένων ὑπόστασις, faciens scilicet vt extent illa quæ sperantur, Heb.11. 1. 6. Nulla veri specie trahitur ἀφομοίωσις illa, de qua, Heb.7.3. Ad similitu-

militudinem habitus, vultus formæque corporeæ, quam gessit Christus in terris : Nam præterquam quòd nulli veterum aut recentiorum ejusmodi figmentum venit in mentem ; Obstat etiam textus ipse Apostoli, quò *minus* eo sensu accipiamus : Nam cùm istam Melchisedeci cum Christo comparationem Apostolus instituat in causa Sacerdotij. Species porrò & forma illa corporea Christi nihil planè faciat ad rationem, aut gradum Sacerdotij, quod est ipsi à Patre traditum, nihil omnino causæ fuit cur Apostolus de aliqua ejusmodi similitudine verba faceret, sed quòd aliunde verum horum Apostoli verborum sensum expiscari quæramus qui satis manifestè patet ex ipsa sententiæ Apostolicæ complexione, assimilatus, inquit, Filio Dei manet Sacerdos in æternum, en tibi similitudinem illam explicatam nimirum quæ consistat in Sacerdotij perpetuitate, quia & Christi Sacerdotium verè æternum est, & eatenus æternum Melchisedeci Sacerdotium, quatenus cum quadam perpetuitatis specie nobis proponitur, cùm ejus neque initium, neque finis in scriptura vspiam, aut narretur, aut insinuetur.

Iam autem Melchisedecum non ipsum æterni Dei Filium corporea specie sese exhibentem, sed verum hominem naturæ humanæ hujusce atque mortalis participem fuisse permulta demonstrant. Primùm, si totum cap. 14. Gen. percurramus, ingerent sese nostris oculis variorum Regum, vrbium, Prouinciarum nomina : Ibi enim Kedar Lahomer, Rex Helam Tydal Rex Gentium, Amraphel Rex Sinnhar Arioh, Rex Eleazar vno eodemque contextu non minùs memorantur, quàm Melchisedec Rex Salem. Ergo cùm ab omni ratione depositum esse oporteat, qui inficiari voluerit esse illa verorum Regum, verorumque locorum nomina, in quibus regnarunt. Non video quomodo vitari possit quò minus & Melchis. veri nominis, ac Regis, & Salem veræ vrbis esse nomen existimetur. 2. Ipsa nominis Melchis. compositio ad eandem confessionem nos adigit : Inter Hebræos enim vbi duæ distinctæ sunt voces in vnum vocabulum compositæ, colligendum est esse illud nomen aliquod proprium, vt infinitis ex Scriptura exemplis constare potest. Sanè si Adonitzedec, Iotzedec, Melchiia, Melchiel, Melchiram, Melchisua, nemo negat esse proprias virorum appellationes, quare Melchis. non sit eadem ratione putandum nomen viri proprium, nulla causa dici potest. Et verò quare obsecro, Scriptura sicut composita voce Melchisedecum vocauit, ita non etiam compacto in eandem formam vocabulo dixit Melchisalem, sed Melech-salem, nisi quia voluit hac ratione nomen proprium ab Appellatiuo distinguere, quomodo scilicet audiuimus Deum vocari מלך הכבוד Psalm. 24. 7. מלך הארץ, Psalm. 47. 8. הגוים מלך, Ierem. 10. 7. מלך השמים, Daniel. 4. 34. Non autem Melchiauot, Melchiaretur ne aliquis accipiat pro nomine proprio, putà quale est nomen Iehouæ. 3. Qua veri specie potest dici Filius Dei, quia Filio Dei tam manifestè distinguitur : Etenim Melchisedec testatur Apostolus, Hebr. 7. 3. fuisse Filio Dei assimilatum, Non igitur ipse Filius Dei æternus fuit, cùm juxta Dialecticorum regulas simile non sit idem, neque ejusdem ad seipsum esse posse verè

dicta similitudo. 4. Denique oppositio quam instituit Apostolus, Hebr. 7.3. inter Aaronis & Melch. ordinem satis ostendit vtrobique veram debere agnosci vocationem ad Sacerdotium, adeóque verum Sacerdotium, veram Sacerdotij functionem, veros homines Sacerdotio illo decoratos: neque hîc aliquid esse quoad speciem tantùm effectum rei veritate carnerit.

OPPONITVR 1. cùm Melchisedeci Sacerdotium ab Apostolo perpetuum proponatur, & Messiæ pariter perpetuum, aut vnum eundemque dicendum Christum & Melchisedechum, aut duo esse æterna Sacerdotia, & duos æternos Sacerdotes, quod absurdum est absurdissimum. *Resp.* Melchisedechi Sacerdotium æternum esse sola reputatione, quatenus scilicet eius, neque finis, neque principium in Scriptura memoratur. At Christi verè & reipsa æternum esse, atque ita quæ perpetuitas Sacerdotio Melchisedeci tribuitur, non impedit quo minus vnus Christus exclusis omnibus aliis verè dicatur esse Pontifex æternus. 2. Apostolus, Hebr. 5.11. quæ de Melchisedecho dicturus est agnoscit esse difficillima explicatu, nempe stupet ad magnitudinem personæ, & ineffabilem confitetur, quod nunquam facit, cùm de aliis vmbris loquitur. *Resp.* Non de Melchisedecho, sed Pontifice Christo juxta Melchisedechi ritum ordinato dicit Apostolus se dicturum difficilia explicatu. Nemo autem negat stupendum esse ad magnitudinem personæ Christi, eamque ineffabilem agnoscendam; Neque tamen si Apostolus verba ad Melchisedechum referre placeat, aliquid obtinuerit Aduersarius. Quo enim glutine ista connectantur, quæ ad Melchisedecum pertinent, difficilia sunt explicatu. Ergo Melchisedechus non homo fuit, sed Filius Dei, quasi non quædam difficilia esse possint, quæ de meris hominibus dicuntur, aut quasi quæ de Sara, & Agar dicuntur, Gal. 4.22.32. ante Apostolicam applicationem non essent cognitu difficilia, Quidquid Apostolus eam rerum Melchisedeci difficultatem non tam in re ipsa hærere testatur, quàm in Hebræis ad quos scribit, & quos arguit eo nomine quòd segnes ad audiendum facti fuerint, Id non satis diligenter ac seriò ad hæc mysteria salutis attenderint, Hebr. 5.11.12. 3. Quod minus est à maiori benedicitur, Heb. 7.7. Ergo cùm Melchisedechus Abrahamo tanto Patriarchæ benedixerit oportet eum diuinioris fuisse naturæ. *Resp.* non sequi: Nam & Samuel Dauidem vngens ei benedicere potuit, qui tantus vir fuit & homo secundùm cor Domini, neque tamen quis concluserit Samuelem fuisse diuinioris naturæ, quàm Dauidem, nimirum varij sunt inter homines dignitatis gradus, vt intra limites humanitatis eiusdem sit tamen alius alio maior. 4. Melchisedecus cùm Sacerdotibus Leuiticis ita comparatur, Hebr. 7.8. vt isti quidem dicantur mortales. Illi autem testimonium perhibeatur quòd viuat in æternum. *Resp.* Melchisedecus eadem ratione dici viuere in æternum, quâ dicitur sine Patre, sine Matre, quòd talis fuerit in reipsa, sed quòd talis habeatur propter Scripturæ silentium. 5. Apostolus, Hebr. 7.11. significat nullam perfectionem earum rerum quæ promissæ quondam erant fieri potuisse per Sacerdo-

tium

tium Leuiticum, adeóque ortus fuisse Sacerdotio perfectiore, cuiusmodi fuit Messiæ, siue Melchisedeci. At si Melchis. mortalis homo fuit, ineptum est illius Sacerdotio maiorem, quàm Leuitico perfectionem adscribere. *Resp.* Apostolus Sacerdotium illud perfectius intelligit, non ipsam functionem, neque ea quæ Melchisedecus administrauit, sed actiones Christi Sacerdotales, quibus ex quibus emergat nobis vera perfectio, id nunc quidem justitiæ atque sanctitatis olim autem gloriæ æternæque vitæ damnatio. Quare nihil est omnino in Scriptura, vnde colligatur Melchisedechum fuisse æternum Dei filium.

DICAMVS igitur potiùs Melchisedecum verum hominem fuisse ex hominibus satum & natum, humani nihil à se alienum habentem, qui quo tempore agebat in terris Abrahamus regiam potestatem exercuit in vrbe Salem, siue illa Ierusalem sit quo nomine Salem vocatam fuisse patet ex Psalm.76.3. Siue potiùs vrbs Sichem, quæ Salem etiam dicitur, Genes.33.18. Venit Iacob in Salem vrbem Sichem, εἰς Σάλημ πόλιν συχίμων, habet versio Græca: Quanquam aliis magis placet vocabulum שלם proprium nomen esse, sed adjectiuum. Quòd referatur ad Iacobum, vt dicatur Iacob שלם, id est, saluus, integer & incolumis peruenisse in vrbem Sichem, neque Rex tantùm fuit, sed & Sacerdos non profanus aliquis, aut Ethnicus, qui Gentilibus seruierit & Idolis, sed inter pios & sanctos nomen suum professus est, quique adeò verum Deum coluerit prout in media Gentilitate Deus illis præsertim antiquis temporibus nonnullos habuit, qui adorarent ipsum in spiritu & veritate, quemadmodum in luculento Iobi exemplo demonstrat Scriptura; atque adeò non Sacerdos simpliciter vocatur, sed Sacerdos dicitur fuisse Deo altissimo, ad illud dignitatis culmen vocatus multis sæculis antequam Deus in populo suo Sacerdotium Leuiticum instituisset & in eum finem certam familiam nimirum Aaronicam elegisset. Narratur autem Melchis. cùm Regis munere perfunctus fuisset in excipiendo & cibando Abrahamo & Abrahami exercitu, tum Sacerdotis partes impleuisse, quatenus Sacerdotali benedictione Abrahamum impertitus est & decimas vicissim accepit ab Abrahamo de cæteris ad Melchisedecum spectantibus Scriptura S. nihil commemorat. Ita scilicet eam disponente Spiritu Sancto vt ad institutionem fidei nostræ, non illa tantùm faciant, quæ ibi docentur, sed etiam silentium ipsum sit mysticum, & Deus non tantùm loquendo, verùm etiam tacendo nos doceat, quemadmodum in hac causa nominatim exponit Apostolus ad Christum referens, quæ de Melchisedeco narrantur & de Melchisedeco silentur.

PRIMÙM igitur Dauid, Psalm.110. quem totum Propheticum esse liquidò patet, & quem non alio, quàm ad Christum referre debere docet ipse Christus, Matth.22.44.45. docent Apostoli, Act.2.34. 1.Cor.15.25. Hebr.1.13.& 5.11.12.& 6.20.& 7.toto,& 10.11.12.13. Docet Chaldæus Paraph. qui eum ad quem & de quo loquitur Dominus in hoc Psalmo vocat מימרא, id est, sermonem Dei, vt versu 1. dixit Dominus verbo

ſuo. Docent veteres Rabbini quæ ſtatim initio Pſalmi dicuntur ad Meſſiam referentes, Deus ſanctus, inquiunt, & benedictus ſedere faciet Meſſiam ad dextram ſuam, ſicut dictum eſt, dixit Dominus Domino meo ſede ad dextram meam, ſicut ipſorum verba refert Galatinus lib.8. cap.24. Dauid igitur Pſalm.110.4. docet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melch. quod vertunt LXX. κατὰ τάξιν Μελχισεδέκ: Quanquam Hebræa vox דברת duo ſignificare poteſt. 1. Enim idem eſt quod דבר verbum, eloquium, ſermo. Itaque דברתי, id eſt, ſecundùm verbum meum, ſiue prout ego mandaui, vt ita pateat non vſurpatum à Melchiſedeco munus iſtud ſiue regium, ſiue Sacerdotale ex propria aliqua præſumptione nullo legitimæ vocationis iure, ex Dei mandato authoritate, atque vocatione fuiſſe aſſumptum, verùm non eſt quòd in ea interpretatione ſimpliciter immoremur, ſed vlteriùs progrediendum eſt ex authoritate Spiritus Sancti qui per Apoſtolum verba illa interpretatur κατὰ τάξιν, Hebr.5.11. 2. Igitur דברת ſignificat moremſ, conſuetudinem, ritum, ordinem, Atque דברתי eſt ſecundùm ordinem, vel iuxta ritum. Ita vt י illud vltimum non ſit affixum primæ perſonæ ſed paragogicum, nihil addens ad ſignificationem præter על דברת. τάξις autem & ordinem cùm dicit hoc loco non ſignificat ſeriem aliquam continuam plurium, qui in eo genere Sacerdotij ab aliquo primo incipiente poſtea ſucceſſerint in jus & functionem eandem alij aliis, prout ſcilicet ordo à Philoſophis definitur variorum diſpoſitio ſua cuique loca tribuens. Scriptura è contra obſeruat nullum hîc agnoſcendum ſucceſſorem, vel præceſſorem, adeo que nullam χρόνου prioris & poſterioris, ſed ordinis appellatione intelligit conuenientiam & ſimilitudinem illam, quæ reperitur inter Melchiſedeci & Chriſti Sacerdotium, prout Apoſtolus explicat, Hebr.7.15. exortus eſt Sacerdos Chriſtus κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδέκ.

QVÆRITVR in quonam ordo ille, ſiue ſimilitudo conſtituenda ſit. Pontificij quibus certum eſt præter Chriſtum eſſe debere alios eoſque ad finem vſq; ſęculi ſibi inuicē ſucceſſuros in Chriſtiana Eccleſia Sacerdotes publicè miniſtrantes varia hîc comminiſcuntur: Quidam enim ſunt qui conuenientiā in eo ſitam eſſe contendunt quòd ſicut Melch. Sacerdos non eſt conſtitutus per priuilegium aliquod generationis carnalis, quaſi ex aliis Sacerdotibus originem trahens: Quemadmodum poſtea factum eſt in Eccleſia Iſraelitica. Sic etiam in Chriſtianiſmo Sacerdotes non initiantur propagatione ſeminis, aut ſucceſſione ſtirpis. De quo ita Leo ſerm.2. de anniuerſario ſuæ aſſumptionis, vbi ordinem Melchiſedeci explicat, cùm inquit diuini hujus Sacerdotij (Chriſtiani) ſacramentum ad humanas peruenit functiones, & per gratiarum tramitem currit, nec quod caro creauit, eligitur, ſed ceſſante priuilegio Patrum & familiarum ordine prætermiſſio eos rectores Eccleſiæ accepit, quos Spiritus ſanctus præparauit, vt in populo adoptionis Dei, cujus vniuerſalitas Sacerdotalis atque regalis non prærogatiuæ terrenæ originis obtineat victoriam, ſed dignatio cœleſtis gratiæ gignat antiſtitem. Verùm paucis arridet hæc explicatio,

plicatio. Nam inquit Iustinian. in Heb.7.16. Quantumuis hoc verè dictum sit, tamen non propriè vim Sacerdotij Melchisedeci ejusque cum Christi Sacerdotio similitudinem explicat. Itaque aliis magis placet similitudinem istam in cœlibatu quærere, vt scilicet Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci dicatur, qui ad illud Sacerdotium vocatus est, in quo cœlibatu ex voti necessitate colere dat, sicut olim Melchisedecus coluit. Sed primò vnde habent illi in perpetuo Cœlibatu vixisse Melchisedecum, cùm ejusmodi rei neque vola, neque vestigium extet in Scriptura : Deinde si Sacerdotij Christiani ratio consistit in cœlibatu perpetuo quidni Sacerdotum numero Diaconi computentur, & minorum Gentium in Ecclesia ministri, quos in papatu ad cœlibatum adstringi certum est. Denique si res ita haberet, esset Clericorum sine dubio cœlibatus de jure diuino, quia scilicet assumeretur ex authoritate Scripturæ, id est, ex vi typi illius Melchisedeciani in Scriptura propositi : Atqui è contra Celeberrimi apud Pontificios Doctores, in eo consentiunt cœlibatum sacris ordinibus annexum esse tantùm ex jure positiuo, id est, authoritate Ecclesiæ : Ita enim Thomas Durandus, Paludanus, Cajetanus, Espensæus, Bellar. & alij. Quare Iustinianus vbi supra fatetur hanc sententiam non tam verè, quàm piè fuisse ab authoribus suis excogitatam. Missis ergo duobus hisce commentis, omnes ferè in eam sententiam consentiunt, quam & veterum Patrum nomine mirificè venditant, nempe similitudinem illam in eo sitam esse, quòd sicut Melchisedecus panem & vinum obtulit : Ita Sacerdotium Christianum consistit & exercetur in oblatione corporis Christi sub speciebus panis & vini in sacrificio missæ, quemadmodum videre est nominatim apud Bellar. lib.1. de Missa cap.6. Vbi rem hanc fusissimè deputat.

Verùm priusquam ad ejus sententiæ refutationem accedamus operæ pretium est vt audiamus Apostoli, qui totum istud quidquid est mysterij explicat in Epist. ad Hebr. cap. præsertim 7. Vbi conuenientiam Christi cum Melchisedeco ad quatuor capita reuocat scilicet nomen, durationē, officia & excellentiam vtriusque : primùm ergo conueniunt in nomine siue appellatione, fuit enim ille qui Abrahamo occurrit Mechisedecus dictus Rex Salem. Est autem si vim Hebraic. vocum & etymon respicias, Melchisedecus id ipsum quod Rex Iustitiæ ; Rex autem Salem idem sonet quod Rex pacis. Atque rem his duobus nominibus comprehensam Christus perfectissima ratione possidet: Est enim ille verus Iustitiæ Rex, nempe tum ipse in se justissimus & sanctissimus, Act.3.14. tum nos etiam Iustitiæ suæ participes per fidem efficiens, 2.Cor.5.21. Verus item Rex pacis qui nos in amicitiam & pacem cum Deo restituit, Coll.1.20. & veræ conscientiæ pace per Iustificationem nos donat, Rom.5.1. Et cujuscunque boni, aut prosperitatis, quam scriptura sæpe pacis nomine designat, Conciliator est nempe qui Christum nobis donauit, nobis etiam cum ipso bona omnia largitur, Rom.8.32. Vnde in Christo Iustitia & pax dicuntur osculari sese, Ps.85.11. 2. In ratione personæ ejusque durationē perpetua ac de Melchisedeco hæc docet Apostolus Heb.7.3. Fuisse ip-

sum, sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum habuisse, neque finem vitæ, Quod & ipsius Melchisedeci conditio & veterum ac recentiorum omnium consensus intelligendum esse docet κατὰ τὸ respectu scilicet descriptionis Mosaicæ, qui de Melchisedeco loquitur ac si repentè de Cœlo lapsus fuisset nulla facta mentione ortus interitus, parentum, filiorum, præcessorum, successorum ipsius, vt scilicet per ejusmodi silentium ea nobis adumbrarentur, quæ verè reperiuntur in Christo. Melchisedecus igitur ea ratione ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ est, quia de Parentibus ipsius nihil docetur in verbo Dei, & initio ac fine vitæ caret, quia eum neque venientem in mundum, neque discedentem ex mundo scriptura repræsentat. Denique ἀγενεαλόγητος, quia genus ipsius nusquam describitur: Est enim γενεαλογεῖν, genus siue prosapiam recensere atque describere, quomodo Iustinus Martyr dixit γενεαλογεῖν τὸ τοῦ Θεοῦ genealogiam describere. Itaque ἀγενεαλόγητος, is dicitur, cujus generis origo non recensetur & cujus parentes ignorantur, quo sensu Horat. lib. 2. sat. 5. de quodam dixit.

------Periturus erit sine gente cruentus.

VBI sine gente cùm dixit, significat obscurum, ignobilem, cujus genus ignoratur, atque ita ex significatione vocabuli ἀγενεαλόγητος facilè conjicere possumus quomodo reliqui tituli Melchisedeco attributi explicare debeant. Iam autem quomodo in Christo habeant veritatem explicatu non est difficile, cùm enim Christi persona constituatur ex diuina & humana natura, eorum titulorum alij sunt, qui ad ejus diuinitatem, alij qui ad humanitatem, alij qui ad vtramque naturam conjunctim pertineant. Quod dicitur sine matre & sine genealogia, & non habere initium dierum ad ipsius diuinitatem sine dubio spectat, cujus nullum est initium, nullusque terminus, inde inceperit, & quam Christus non ex matre habet, sed ex cœlesti Patre per æternam & inenarrabilem generationem. Quod ἀπάτωρ dicitur ad ejus humanitatem referendum est, quæ matrem quidem agnoscit B. Virginem, sed patrem nullum verum propriéque dictum agnoscit: Nam quamuis illa formata fuerit vi & operatione Spiritus sancti cùm tamen nullam ex se substantiaque sua materiam ad hanc formationem contulerit Spiritus sanctus, non potest Pater Christi vocari, vt alibi fusiùs docuimus. Quod verò dicitur vitæ finem non habere, illud ad vtramque naturam spectat; Ad diuinitatem quidem præcipuè, quæ cùm sit ἀϊδιος æterna est & nullo vnquam fine terminabilis sed & ad humanitatem quoque, cujus partes, cùm fuerint morte dissolutæ siue separatæ à se inuicem Postea per resurrectionem ita sunt compositæ vt mors non possit amplius dominari, Rom. 6. 9. Sed viuat illa in æternum, Heb. 7. 25. 3. In vnione officiorum: fuit enim Melchisedecus ex immediata Dei vocatione Rex simul & Sacerdos, & vtrumque munus politicum inquam, & sacrum siue religiosum sustinuit, Quod certum est in politia Mosaica non fuisse ordinariè licitum, quippe in qua Deus suos vtrique illi officio limites ita circumscripsit, vt non posset, vna eademque persona, sed in vna eademque tribu munus vtrumque gerere; Verùm ad dignitatis quidem re-

dem regiæ functionem Iudæ tribus destinaretur, Gen.49.10. Sacerdotale verò munus penes tribum Leuiticam, nempe familiam Aaronicam esse Exod.28.1. Itaque cùm Rex Saul præcipiti audacia non expectato prout condictum fuerat à Samuele admoneri iussisset holocaustum, & Eucharisticæ, & obtulisset ipse holocaustum, significatum est ipsi à Samuele non perstiturum regnum ejus, quippe qui stultè & egisset mandatum Domini non obseruasset, 1.Sam.13.8.9.13.14. Est & illustre Oziæ Regis exemplum, qui cùm in officium Sacerdotum immolare tentaret, & offerendi thuris partes sibi deposceret immissa cœlitus plaga repressus est atque prohibitus, 2.Chron.26.16.17.18.19. quare quod Heli & Samuel, & longo post tempore Maccab. eorumque successores Pontificatum simul & principatum gesserunt contra ordinem fuit diuinæ institutionis adeoque temporum infœlicitati & confusioni potiùs adscribendum videtur, quàm legitimæ vocationi, id est, secundùm legis institutæ attribuendum. Ergo Christus in hoc Melchisedeco similis est, quod ad vtrumque munus & Regis & Sacerdotis à cœlesti Patre vocatus est, qui sicut filio suo dixit, tu es Sacerdos secundùm ordinem, Melchis. Psal.110.4. Ita testificatus est ipsum esse Regem, quem in monte sanctitatis suæ spirituali vnctione sacrauit, & cui dedit in possessionem Gentes, & in hæreditatem terminos terræ, Ps.2.6.8. 4. In excellentia & præstantia: Repræsentatur enim Melchisedecus, tanquam Abrahamo ejusque posteris superior, quippe quem benedictione solemni atque Sacerdotali impertitus fuerit, quod certum esse superioritatis testimonium docetur, Heb.7.7. Et ipse Abrahamus publicè confessus est solutis Melchisedeco decimis, quas Deo tantùm & ipsius ministris debitas fuisse constat, Gen.28.22. Ita & Christus omnino omnibus credentibus incomparabiliter præstantior est, quippe quorum ita Mediator est apud Deum vt ipsis spirituales benedictiones omnigenas conciliet, Eph.1.3. Cuique adeò fideles non vitæ suæ decimas modò, sed & totam vitam debent in perpetuum obedientiæ tenorem consecrare.

Verùm Aduersarij in jis capitibus negant propriè esse quærendum ordinem Melchis. & potiùs in oblatione panis & vini constituendum esse pertendunt: Nam, inquit Bellarm. Si Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchis. debet igitur conuenire cum Melchisedeco in Sacerdotio, id est, proprium sacerdotij Melchisedeci. Atqui hæc quæ modò proposita sunt non sunt propria hujus sacerdotij: Nam quòd Melchised. benedixit & decimas accepit, nonne commune fuit omnibus sacerdotibus Leuiticis, quòd alteri non successit: nec alter ei commune est cum Abele & nonnullis aliis, quorum genealogia non recusetur. *Resp.* manifestam esse inconsequentiam à conjunctis ad diuisa. Quanquam enim singulatim & separatim ea considerando, quæ in Melchisedeco Apostolus obseruanda docuit, possunt omnia fortasse in aliis reperiri, tamen ea si conjunctim spectentur non alius quispiam supperet, in quem possint hæc omnia conuenire, neque enim alius vllus fuit qui Rex simul & Sacerdos penitus ἀγενεαλόγητος, & in æternum permanens benedictionem

aliis dederit, & decimas ab aliis acceperit. Itaque ſicut docent Logici conditiones varias indiuiduantes non ſeparatim, ſed ſimul ſumptas indiuiduum continere, vt quòd Socrates ſit Græcus Athenienſis Sophrocini filius ex obſtetrice natus Platonis præceptor, &c. quæ ſingula cùm poſſint in alium competere, ſimul tamen ſumpta Socrati conueniunt. Ita Melchiſedeci ordinem non in vno quolibet capitum, quæ propoſuimus ſeorſim eſſe conſtitutum, ſed in omnibus ſimul & in vnum conjunctis. 2. Quòd verò ſi etiam ſingula ſeparatim accepta doceamus eſſe totidem Melchiſedeci priuilegia. Certè primò Sacerdotes Leuitici benedicebant & decimas accipiebant, ſed non quomodo Melchiſedecus, qui & ab Abrahamo & ab omnibus illis qui erant in lumbis Abrahæ, adeoque ab ipſo Leui & Aarone decimas accepit poſt impertitam eis benedictionem Hebr.7.7.8.9.10. neque Abelis, neque aliorum quorundam præceſſores, aut ſucceſſores nominantur, ſed neque etiam Abel, vel alij illi ſacerdotum appellatione inſigniuntur in Scriptura. Itaque Melchiſedecus ſolus eſt qui & Sacerdos vocatur, & neque præceſſorem, neque ſucceſſorem habuiſſe legitur. Quanquam illi non facilè dabunt Abeli præceſſores non nominari qui volunt Adamum primum fuiſſe ſacerdotem, ad quem etiam Abel ſua ſacrificia adduxerit, vt ſupra dicebamus, quin & ſucceſſorem ipſi fuiſſe Sethum fratrem illud deſignare videtur, quod Eua dicit, Gen.4.25. 3. Iobi & Eliæ integra quidem genealogia non perſcribitur, ſed præterquam quòd neque illi ſacerdotes appellantur, illud etiam addere poſſumus aliquid in ſcriptura nominari quod ad ipſorum genealogiam pertineant: Nam Iobi parentes & fratres nominantur, & Eliæ patria memoratur, & familia inſinuatur, 1.Reg.17.1. Vbi dicitur Theſbites à loco natiuitatis, quicunque ille fuerit, & dicitur fuiſſe ex habitatoribus Galaad. Vnde probabiliter colligitur eum oriundum fuiſſe ex tribu Manaſſe, cui tractus ille Paleſtinæ in hæreditatem datus eſt, Num.32.39. 40. At verò Melchiſedeci neque parentes, neque fratres, neque patria, neque quidquid omnino quod ad ejus genealogiam pertineat, vel ſcriptum eſt, vel inſinuatum.

Pontificiorvm ſententia quòd ſcilicet ordo Sacerdotij Melchiſedeciani in eo ſitus ſit quòd Melchiſ. Deo panem & vinum obtulerit in ſacrificium, & Chriſtus ſimiliter in Inſtitutione Euchariſtiæ ſeſe obtulerit & quotidie per miniſterium Sacerdotum offerat Deo Patri in ſacrificium propitiatorium ſub ſpeciebus panis & vini. Hæc inquam ſententia firmiſſimis rationibus non tantùm conuellitur, ſed penitus euertitur.

Primvm & ſolidiſſimum argumentum deſumimus ex altiſſimo Scripturæ ſilentio etiam iis locis vbi agitur de typo Melchiſedeci & Sacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedeci Apoſtolus certè in Epiſtola ad Hebræos cauſam iſtam explicaunt fuſiſſimè, & quæ inter Melchiſedecum & per Chriſtum ſimilitudo intercedat, per varia, vt audiuimus, capita expoſuit. Si ergo præcipua conuenientia eſſet in ea panis & vini oblatione, ſi, inquam in eo præcipuè, vel etiam vniuocè conſiſteret ordo Melchiſedeci, quî factum vt ejuſmodi conuenientiæ Apoſtolus nullo-

modo

modo meminerit, & cùm ex Mechisedeci typo discrimina colligat, quibus ordo Christi ab ordine Aaronis secernitur vt ostendat translatum fuisse Sacerdotium & abjudicanda in posterum sacrificia legalia atque in vnum Christi Sacerdotium & sacrificium esse defigendos fidei nostræ oculos, quis credat ab eo præteritum silentio præcipuum illud discrimen, quo ordo Melchisedeci differret ab Aaronis ordine, si fuisset eadem mens Apostolo quæ Pontificiis, quòd si sacrificio ignorato, ignoratur & Sacerdotium docente Bellarm. lib.1. de missa cap.6. 5. Sequitur in sententia, quidem quòd tam diligenter incumbens Apostolus in explicationem Sacerdotij Melchisedeci, nihil tamen de sacrificio panis & vini producit in medium. Excipit Bellar. non meminisse Apostolum sacrificij panis & vini à Mechisedeco oblati duabus de causis. 1. Quia id ad ejus propositum non faciebat. Cùm enim vellet ex Melchisedeco ostendere excellentiam Christi supra Sacerdotes Leuiticos, debuit quidem de æternitate, benedictione, decimatione Melchisedeci loqui, quippe cùm hæc omnia ad excellentiam Christi pertineant, sed quòd obtulerit panem & vinum perspicuè non facit ad excellentiam Melchisedeci, vel Christi ideò nihil mirum si fuerit omissum. 2. Quia mysterium Eucharistiæ altius erat, quàm vt ab Hebræis capi posset, qui vel Infideles erant, vel si fideles debuerunt tamen hoc scriptum communicare cum infidelibus. Atque huc trahit Bellarm. quod Heb.5.11. Apostolus vocat hunc sermonem de Christo interpretabilem. *Resp.* ad primum maximè fuisse ad propositum Apostoli ostendere Christum esse Sacerdotem, non secundùm Aaronis, sed secundùm Melchisedeci ordinem. Atque hunc ordinem pertendunt Aduersarij consistere in oblatione panis & vini. Ergo maximè pertinebat ad propositum Apostoli de illa oblatione loqui: Deinde totum Apostoli propositum non in eo constituendum est, vt ostendatur excellentia Christi supra Sacerdotes Leuiticos, Imò cum sibi scopum præstituit, vt totam rationem Sacerdotij & sacrificij Christi explicaret, Vnde videmus eum non modò in exponenda Christi excellentia immorari, sed ipsius etiam infirmitates enarrare, quas in officij Sacerdotalis functione expertus est, puta quòd tentatus sit in omnibus æque ac nos excepto peccato, Heb.4.15. Quòd deprecationes & supplicationes cum lachrymis & valido clamore apud eum obtulerit qui poterat ipsum seruare à morte, Hebr.5.7. quòd seipsum contulerit in mortem, Hebr.7.27. quòd per proprium sanguinem ingressus sit ad sacrarium cœleste, & morte intercedente noui fœderis Mediator factus sit, & semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus, Hebr.9.26. Quòd Deus ipsi corpus aptauerit, vt in eo faceret voluntatem Dei, id est, nos sanctificaret per oblationem corporis sui semel factam, Heb.10.6.7.10. Vnde jam colligo Christi excellentiæ supra sacerdotes Leuiticos consideratio non obstitit quomodo Apostolus Christi infirmitates, tentationes, clamorem, lachrymas, deprecationes, mortem, crucem, effusionem sanguinis, immolationem corporis proposuerit. Ergo neque obstare debuit, quin de oblatione ipsius sub speciebus

panis & vini loqueretur, si quid eiusmodi à Christo quatenus Sacerdote secundùm ordinem Melchised. factum fuisset, quantumuis ea res ad excellentiam Christi non faceret: Præterea si ordo Melchisedeci longe fuit præstantior ordine Aaronis, sicut Scriptura docet, & Aduersarij fatentur, & ordo ille consistit in oblatione panis & vini, Quomodo dicere potest Bellarm. hanc oblationem non pertinere ad excellentiam Christi, quatenus fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec.

Ad secundùm dico exceptionem illam nullius esse momenti, 1. Quia falsum est epistolam hanc scriptam esse ad Hebræos infideles, & miror quòd Veteribus nonnullis in mentem venerit cùm ista existimarunt. Certè tota epistola longè aliud clamat. Quamuis enim putet infideles illos fuisse, quos Apostolus fratres sanctos vocat & participes cœlestis vocationis, Hebr. 3.1. quos hortatur ne quando si in vllo ipsorum cor improbum & infidele, & ne incidant in contumaciam aduersus Deum, Hebr. 3.12. & 4.11. Quos ait illuminatos fuisse & de vinculis Apostolicè doluisse, & direptionem facultatum suarum accepisse cum gaudio, quippe qui scirent habere se potiorem substantiam in cœlis repositam, Hebr. 10.32.33.34. Quos commendat laboriosæ charitatis nomine quam exhibuerunt Dei nomini, vt qui ministrauerint & ministrent sanctis, Hebr. 6.10. Quos denique rogat, vt pro se orent, Hebr. 13.18. Itaque veteres ferè omnes Ambros. Chrysost. Theod. Primas. Beda, Theophyl. Anselmus vnanimiter docent scriptam esse ad Iudæos, qui credidera it. Si ergo sola infidelitas obstat, quo minus mysterium Eucharistiæ declaretur, Sanè nihil impedire potuit, quin Hebræis fidelibus eam epistolam communicaret: fac verò ita esse: Annon enim Christus quem vultis de Sacramento Eucharistiæ loqui Iohan. 6. mysterium illud Pharisæis, & aliis infidelibus Iudæis exposuit. Neque verò putandum est Apostolum minorem rationem habiturum fidelium, quàm infidelium, vt scilicet propter infideles mysterium istud fidelibus occultaret: Præterea cùm Apostolus mysteria illa longè altissima diuinitatis & Sacerdotij Christi exposuerit in illa epistola, nulla causa dici potest cur non mysterium quoque Eucharistiæ declararet, si quid tale agnouisset, quale hodie Pontificij proferunt in medium. 2. Apostolus Hebr. 6.1. docet id sibi præcipuè in votis esse seque id diligenter conaturum vt Hebræi omissis fidei rudimentis ferantur ad perfectionem. Iam autem inquit Iustin. in hunc locum communis Græcorum & Latinorum sententia est hæc idcirco ab Apostolo dici, vt posthabitis doctrinæ Christianæ rudimentis ad occulta atque abdita Scripturæ diuinæ mysteria Hebræos excitet, inflammet. Et ibidem illud addit ad perfectionem feramur Græcos non tam de moribus, quàm de dogmatibus accipere, quasi subtiliora & magis recondita pertractanda moneat, & sapientiam illam persequendam, quæ perfectorum est propria. Concludo jam si Apostolus Hebræos monet magis recondita esse pertractanda, eosque ad abdita Scripturæ mysteria excitet. Quis existimet voluisse ipsum ex proposito illud tacere, quòd inter recondita & abdita Scripturæ mysteria ponunt Aduersarij? Si esset reuera aliquid eiusmodi

modi mysterium. 3. Si propterea debuit Apostolus ab ista doctrina exponenda abstinere quòd mysterium Eucharistiæ esset altius, quàm vt ab Hebræis capi posset, Quî fit vt hodie Pontificij mysterium illud plenis buccis detorquent in Cathedris suis,& ab eius auditione neminem suorum arcere soleant, imò illud scriptis publicis exponunt quæ videre ac legere fidelibus licet & infidelibus. Certè aut ipsi parum prouidi in exponenda illa doctrina,aut Apostolus nimium rigidus in illa celanda,quin potiùs illud fateamur tacuisse Apostolum eiusmodi sacrificium panis & vini, quia illud nullum agnouit. 4. Neque verò est quòd verba illa vrgeant,Hebr.5.11. de sermone interpretabili : Apostolus enim sermonem δυσερμήνευτον vocat, id est, explicatu difficilem, non vt neget se interpretaturum,sed vt Hebræos ad considerandam interpretationem mox consequuturam inflammet, vt Thom. Anselm. Ribera, Gagneius, & alij agnoscunt.

Secvndvm argumentum petimus ab hist. Melchisedeci, quæ habetur Genes.14. Eo enim loco nihil est planè quod insinuet aliquod sacrificium panis & vini Numini à Melchisedeco oblatum : Nam, 1. dicitur Melchisedechus protulisse panem & vinum,sed obtulisse non dicitur,cùm Hebræum הוציא nihil sit aliud,quàm egredi facere,educere,extrahere,proferre,deponere, quasi ex thesauro, quemadmodum ex infinitis Scripturæ locis patere potest. Itaque lxx. vocem illam vertunt per verba ἄγειν, ἐξάγειν, ἀναφέρειν, ἐξαγαγεῖν, & nunquam per θύειν, vel προσφέρειν, & hoc ipso Græca versio vtitur vocabulo ἐξήγαγεν, & vulgata vsurpat vocem,proferens,quomodo vertunt etiam Cyprian.Hieron. & recentiores omnes, quibus nota Hebraica lingua, Clarius, Pagninus, Montanus, &c. Denique Caiet.in hunc locum, nihil, inquit, hic scribitur de sacrificio vel oblatione, sed de prolatione, seu extractione, excipit Bellarm. licet verbum Hebræum nihil aliud ex se significet,nisi proferre, seu adducere tamen pro loci exigentia sæpe vsurpari pro adductione hostiæ ad immolationem, vt Iudic.6.18.19.Et alij addunt loca,Leu.4.12.21. & Num. 19.3. Verùm ne iam loca illa singula excutiamus, ex quibus patere posset distingui הוציא à היצא, siue productionem ab oblatione, tanquam actus duos diuersos,quorum ille præcedaneus fit,iste succedaneus. *Resp.* Quanquam alicubi ratio loci exigere possit vt verbum istud ad sacrificij ritum pertinere putetur,nihil tamen hîc esse,quod ita interpretari vel cogat, vel suadeat, adeoque quod à natiua vocis significatione, ad tropicam & figuratam nos reuocet,sicut ex sequentibus magis adhuc patebit. Itaque nulla est Bellarm. ista consequentia vox הוציא semel & iterum in Scriptura propter exigentiam loci accipitur significatione sacrificij.Ergo & eodem sensu sumenda est isto loco.Quin rectiùs ita concluserimus, vox ista plus centies in Scriptura prolationem,non oblationem significat. Ergo cùm nihil nos cogat ab hac significatione discedere, debet hic eodem sensu accipi. 2. Panis & vinum quæ produxit Melchisedecus non Deo sacrificata, sed in Abrahæ gratiam prolata fuerunt,quemadmodum patet si meminerimus Sacrificia non alibi quàm in

altari cum in finem erecto atque consecrato potuisse offerri. Iam verò apud Mosem de altari eiusque vel erectione, vel consecratione altissimum silentium, imò potiùs cùm panem & vinum Melchisedecus in eo ipso loco protulerit, vbi primùm occurrit Abrahamo non est probabile rem ita fuisse ex compacto dispositam, vt vbi inueniretur altare paratum vel Melchisedecum fabros sementarios secum adduxisse qui ex lapidibus aram tumultuaria opera extruerent. Certè longè simplicius est, si dicamus panem illum & vinum, id est cibos & potum necessarium allata fuisse in refectionem Abrahæ & militum eius qui victores reuertebantur ex prælio. 1. Quia hoc non insolitum fuisse, vel inde liquere potest quòd cùm Madianitas Gedeon debellasset, & fugacibus instaret ab incolis Succoth dicitur petiisse panem pro militibus suis fatigatis, Iudic.8.5. Et Fagius in Gen.14.ex Hebræis doctoribus refert moris fuisse redeuntibus è bello & victoria potitis pane & vino refocillandi causa obuiam ire eosque ita excipere. 2. Quia non modò in nonnullis Codicibus Græcis, nominatim in Complutensi editione ita legitur Ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον, produxit ipsi panem & vinum, vt illud ἄρτους sit glossema quoddam exegeticum, quod habet & Cyrill.lib.1. Glaphirorum cap. de Abrahamo & Melchisedeco. Sed in eam quoque sententiam veterum plerique omnes discesserunt, tum Hebræi, sicut obseruat Ambr. in Hebr.7.1. Et patet ex Iosepho lib. Antiquitatum cap.11. tum etiam Christiani. Ita enim Clemens Alexandrinus Strom.4. Panem & vinum dicit data fuisse in nutrimentum. Et Tertull. aduersus Iudæos Abrahæ reuertenti de prælio panem & vinum obtulit & Cyrill. vbi supra dixit Melchisedecum benedixisse Abrahæ & panem & vinum ἄρτους προθεῖναι illi præbuisse idem sentiunt Basil. Chrysost. in Eutym.in Psalm.109. Epiph. hæres.55. S.Ambrosius de Sacramentis lib.4. cap.3. Hieron.Epist. ad Euagrium 126. August. in quæstione ex vtroque Testamento quæst. 109. Theod.quæst.65.in Genes.&c. Denique Caiet.nihil hic scribitur de sacrificio, sed de extractione panis & vini, quam Iosephus dicit factam ad reficiendum victores, vbi satis ostendit se ad Iosephum accedere.

Obiicit Bellarm. nullam fuisse causam quare corporalem refectionem præberet Melchisedecus Abrahæ, quippe qui rediret ex prælio cum ingenti præda, in qua erant etiam quæ ad cibum pertinent, & cùm dicantur Abrahæ milites cibum sumpsisse antequam eis Melchisedecus occurreret. *Resp.* 1. Non esse vnde certò colligere possit Aduersarius tantam illam in præda fuisse cibi copiam, vt indigentia & presenti & Imminenti amouendæ satis esse posset, Præsertim cùm Scriptura videatur innuere hæc non vno die gesta fuisse nimirum Abraham cum suis primò fundunt hostes, tum spolia capiunt : Deinde Abrahamo it obuiam rex Sodomorum postea Melchisedecus occurrit. Inter has moras facilè fieri potuit, vt cibi consumerentur, adeóque nouis refici haberet opus exercitus. Quod cùm aduertisset Melchisedecus panem & vinum cibandis illis atque potandis administrauit. 2. Fac tamen nulla refectione opus fuisse Abrahamo, vel suis, Atque illud certè ignorare potuit Melchisedecus, adeoque

adeoque ex ignoratione cibos eis prouidere, quibus non esset opus. Præterea nihil impedit quominus Melchisedecus eos protulerit non tam ad necessitatem exercitus Abrahæ, quàm ad testificationem suæ erga Abrahamum reuerentiæ, atque beneuolentiæ. Itaque vbi hanc responsionem expendisset Pererius in eum locum Genes. Iudicium suum in hæc verba subjicit parum in hac responsione videtur esse valoris. Dicat enim quispiam nesciuisse id Melch. imò putasse eos propter laborem dimicationis & defatigationem itineris recentibus cibis refici ac recreari debuisse. Ac licèt sciuisset id Melchisedecus voluisse tamen eo munere suam erga Abrahamum beneuolentiam, & ex victoria ejus singularem lætitiæ suæ voluptatem declarare: Addit deinde Bellarm. non negare se, quin data fuerint illa in cibum Abrahæ & sociis, sed Deo prius oblata fuisse & consecrata, tum data hominibus ut de sacrificio participent: Verùm illud dicitur gratis, nec est in textu Mosis aliquid, vnde id probabile fieri possit, Quanquam non dubito, quin Melchisedecus vt pius erat & religiosus cibos illos precibus sanctificauerit, prout fieri Scriptura jubet, 1. Tim. 4. 4. 5. Deinde si Melchisedecus Deo primum sacrificauit panem & vinum, quomodo potuit postea sociis illa participanda dare: Sacrificium enim certè agnoscente Bellarmino destructionem affert rei sacrificatæ. Panis autem & vinum vbi semel destructa sunt, non sunt ampliùs idonea, quæ ab hominibus participentur: Pecudes quidem cùm sacrificabantur, destructionem sui, id est, mortem patiebantur, verumtamen manebat earum caro, & viscera, quibus homines post sacrificia vesci possent: At verò de pane & vino idem dici non potest, qui cùm inanima sunt destrui non possunt, nisi cùm vel flammis absumuntur, vel alioquin in eam conditionem rediguntur, vt vsum, quem antea præstabant, non ampliùs præstare possint.

TERTIVM argumentum inde colligimus quod cùm Sacerdotium secundùm ordinem Melchis. & secundùm ordinem Aaronis proponantur ab Apostolo in Epistola ad Hebræos tanquam diuersissima dicaturque Christus Sacerdos fuisse secundùm priorem illum, non secundùm posteriorem, necessarium sit vt eorum discrimen in quibusdam rebus consistat quæ in vno reperiantur, & non in altero: Atqui si sacrificium panis & vini spectemus, nullum erit quidem hoc respectu discrimen vtriusque Sacerdotij: Sicut enim dicitur Melch. obtulisse panem & vinum, ita nouimus ordinariam fuisse in Aaronico Sacerdotio panis & vini oblationem, Exod. 29. 24. 25. Leuit. 2. toto Num. 28. 5. 12. 13. Respondet Bellar. 1. In Sacerdotio Aaronico fuisse quidem sacrificium panis & vini, sed vt partem quandam & quasi condimentum alterius sacrificij, non autem vt sacrificium principale: Melchisedecum verò panem & vinum per se in sacrificium obtulisse. 2. Panes oblatos in sacrificio Aaronico semper consperses fuisse oleo: At sacrificium Melchisedeci fuisse simplicem panem. 3. Dici posse & discrimen inter Sacerdotia illa hoc fuisse, quòd Aaron offerret sacrificia omnium generum, id est, tum cruenta, tum incruenta: Melchisedecus verò vteretur solo incruento puro ac simplici,

Sed contra, 1. Hæc instantia non soluit argumentum, tum quia siue panis & vinum fuerit principale sacrificium, id tamen semper manet sacrificatà fuisse panem & vinum in illo Sacerdotio, Aronico adeoque in eo differre non posse à Sacerdotio Melchisedecano, tum quia probabile non est Melchisedecum vnquam vlla cruenta sacrificia exhibuisse, & per totam vitam nihil aliud obtulisse præter panem & vinum. Certè Philo ait eum, ὀπτήχια ϑύειν, quod vertit Interpres mactatis victimis epulum dare, & apud Demosthenem ὀπτήχια ϑύειν est victimas ob partam victoriam immolare. Sic Chrys. hom.35. in Gen. vult Melchisedecum sacrificare studuisse, quemadmodum Abel, Noe, & Abraham quando sacrificia obtulerunt, Quod verò Patres aliquando dicunt eum non aliud quàm panem & vinum obtulisse, referendum est ad specialem illam temporis circumstantiam, quo factus est obuius Abrahamo; Tunc enim certè nihil præter productionem panis & vini aliud Scriptura commemorat. 2. Non est verum panis & vini oblationem fuisse tantùm partem & condimentum sacrificij, nec vnquam separatim fuisse factam, sed semper cum vitulis & agnis, cùm contrarium manifestè pateat ex Leuit.2.1.2.3.4. Vbi non memoratur oblatio illa tanquam pars & appendix alterius sacrificij, sed per se & separatim proponitur, vt fuisse per se sacrificium significetur. Itaque Lorinus in hunc locum. Vocatur, inquit, nunc absolutè nomine sacrificij quod priùs vocabatur oblatio sacrificij. Et monet Cajet. vocem Hebræam munus & oblationem significare. Abulensis autem non tantùm oblationem sacrificij priùs nominari, sed & sacrificium hoc loco. Addit deinde Mincha secundum generalem acceptionem pro munere, & secundùm speciale pro specie muneris sacri & sacrificij, rei inanimatæ sumi, quin & illos panes seorsim oblatos ita propriè sacrificia dici vult, vt inde concludat mirum videri non debere, si Eucharistia, in qua panis & vinum consecrantur, sacrificium dicatur & quidem incruentum. Sic neque verum est panes, qui offerebantur semper oleo fuisse conspersos: Nam Leuit.5.11. qui peccauit, neque habet vnde offerat duos turtures, aut duos pullos columbæ jubetur offerre decimam partem Epha farinæ in peccatum, & jubetur ei non addere oleum, neque thus imponere, quia scilicet hoc peccatum sit. 3. Si concederetur oblationem panis & vini non fuisse principale sacrificium, sed accessionem tantùm, siue condimentum sacrificij, majus tamen detrimentum, quàm lucrum inde accessurum est causæ Aduersariorum: Nam cùm ordo sacrificij Melch. opponatur in scriptura, vt longè præstantior ordine Aaronico, quî fieri potest vt Sacerdotium præstantius constituatur, in appendice quadam sacrificij minùs præstantis. Ita igitur concludo differentia Sacerdotij Melchisedeci ab Aaronis Sacerdotio extollit illud præ Aaronico: At oblatio panis & vini deprimit potiùs Sacerdotium Melchisedeci infra Aaronicum, cùm in eo proponatur, vt palmarium & principale, quod in isto fuit accessorium & minùs principale. Ergo in oblatione panis & vini non consistit illa differentia. Certè sacrificium panis & vini esse multò minùs excellens sacrificio pecudum Bellarm. agnoscit, dum lib.1. de Missa

cap.

cap. vltimo SS. sed hæc sententia. Inde probat solum panem triticeum in Missa non sacrificari, quia si ita esset, haberet Ecclesia sacrificium inanimum, & multò vilius, quàm habuerunt olim Hebræi vt lib. 1. de Eucharistia cap. 3. 55. Iam verò docet agnum esse præstantiorem panc, adeoque oblationem agni oblatione panis. Sed & scripturæ testimonium in eam rem clarissimum est. Nam cùm Leuit. 5. velit Deus à ditioribus offerri sibi in sacrificium pro peccato pecudum, à mediocris fortunæ hominibus par turturum aut columbarum, à tenuioribus denique decimam partem Epha similæ eo ipso satis ostendit excellentius habitum sacrificium pecudis, quàm turturis, quàm similæ, siue panis. Denique cùm totum sit excellentius parte si oblatio panis & vini fuit tantùm pars sacrificij Aaronci, consequitur sacrificium Aaronicum fuisse excellentius oblatione panis & vini. 4. Quod addit Bellarm. discrimen in eo poni posse, quòd Aaronici Sacerdotes tam cruenta, quàm incruenta: Melchisedecus verò solum Incruentum sacrificium offerret, in eo rursus sacrificium Melchisedeci fuit inferius Aaronico: Quis enim neget illud Sacerdotium esse præstantius, in quo & sacrificium incruentum, & aliquid aliud præterea Deo offertur, quàm in quo fit sola oblatio incruenta. Adde quòd hac ratione dicendus esset Christus potiùs Sacerdos secundùm ordinem Aaronis quàm Melchisedeci, quippe qui sacrificij genus vtrumque Deo obtulerit, nempe cruentum in cruce, incruentum in Eucharistia *Resp.* Bellarm. sacrificium crucis si per se consideretur, non esse secundùm ordinem Aaronis, vel Melchisedeci, non esse secundùm ordinem Aaronis fidelibus certum esse debere. 1. Quia Christus non est Sacerdos secundùm ordinem Aaronis, cùm ex familia Leuitica non fuerit prognatus. 2. Quia sacrificium crucis est ipsa missa præstantius, quod de sacrificio Aaronico nemo dixerit. 3. quia sacrificium Aaronicum non fuit perfectum, nec potuit consummare sanctificatos, quæ duo tamen de sacrificio Christi dicuntur in Epistola ad Hebræos. 4. Quia sacrificium Aaronicum fuit typicum, quod de sacrificio Christi dici non potest, sed non esse etiam per se secundùm ordinem Melchisedeci, Inde patere ait, quod sacrificium Aaronis fuerit typicum, sed incruentum. Vnde cum sacrificiis Aaronici conueniebat in eo quod vtrumque erat typicum, Imò ejusdem rei nempe passionis Christi typus, sed differebant in specie typorum, quia typus Aaronicus erat cruentus, vt in forma animalium. Melchisedeci autem incruentum in forma panis; ex quo sequitur ratione sacrificij crucis Christum non esse Sacerdotem, vel secundùm ordinem Melch. vel secundùm ordinem Aaron, quia non obtulit se in cruce, vel in forma panis, vel in forma vituli, aut agni, sed in forma sua humana. Itaque Christus non potuit dici Sacerdos secundùm ordinem Melch. nisi sacrificium instituerit, vel obtulerit sub forma panis, sicut non dicitur Sacerdos secundùm ordinem Aaron, quia non instituit sacrificium sui ipsius sub forma vituli, aut agni.

Verùm ad hanc longam argumentationis telam multa sunt quæ regeramus. 1. Si fidelibus certissimum esse debet sacrificium crucis non

esse secundùm ordinem Aaron, Quis non concludat eximendum numero fidelium Valent. ita loquentem Comment. in 3. Thomæ disp. 6. quæst. 11. puncto 1. §. 11. Sub finem paterer potiùs cruentum Christi sacrificium in cruce, cujus Aaronica sacrificia magis propriè typus fuerunt secundùm ordinem Aaronis quadantenus appellari. Quid quod ne sacrificio quidem Missatico id nominis denegat ibidem paulò sæpius quod si omnino propter illam similitudinem ita præcisè & cautè, vt diximus consideratum velit hoc Missæ sacrificium secundùm ordinem Aaronis etiam vocare. De appellatione non multùm pugnabo & lib. 2. de Missæ sacrificio aduersus Erbrandum cap. 4. quanquam tergiuersetur & affirmet consuetudinem loquendi non admittere, vt sacrificium Missæ dicatur secundùm ordinem Aaronis. Quod si est, quid opus fuit ita scrupulosè Apostolum differentiam Aaronici & Melchisedeciani persequi, cùm quæstio tantùm sit de nomine, non de reipsa, & sacrificium, quod volunt esse secundùm ordinem Melchisedecum in re tantùm ipsa dici potuerit secundùm ordinem Aaronis.

Secvndò cùm Apostolus duos tantùm enumeret Sacerdotij ordines. Alterum Aaronicum; Alterum Melchisedecianum, & ex eo quòd Christus non fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaronis concludat Sacerdotem fuisse secundùm ordinem Melchisedeci, Heb. 7. 11. Quod Bellar. in Christo Sacerdotium aliquod fingit, quod neutrius sit ordinis, Annon hoc esse Christum in cruce satisfacientem pro peccatis necessariò Sacerdotio eximere, & officio Sacerdotali exspoliare: Nam si audiatur Apostolus, qui nec Aaronicus est, nec Melchisedecianus Sacerdos, Atque Christus sacrificium sui corporis offerens neutrius est ordinis. Conclude igitur non fuisse omnino Sacerdotem in cruce, id est, periisse nobis spem & salutem, quæ in eo sita est, quod Sacerdotem habeamus per omnia fratribus suis assimilatum, misericordem & fidelem in omnibus illis, quæ apud Deum fuerunt agenda ad expiationem peccatorum nostrorum, Heb. 2. 17. 3. Si legitima est Bellarm. ratio inde conficientis sacrificium Christi in cruce non esse secundùm ordinem Aaronis. Annon eadem ratione quis colligere poterit sacrificium crucis esse secundùm ordinem Melchisedecianu, quia Christus fuit Sacerdos secundùm ordinem illum. 4. Cùm Apostolus in Epistola ad Hebræos de Christi Sacerdotio secundùm ordinem Melch. loquens diligenter immoretur in explicanda propitiatione peccatorum, quam Christus nobis in cruce obtinuit, vel in eo ipso satis docuit sacrificium crucis ab eo fuisse exhibitum, quatenus Sacerdote secundùm ordinem Melchis. 5. Neque obstat quòd Melchisedeci Sacerdotium fuit typicum: Nam & hæc nos libenter concedimus, sed illum typum quærendum contendimus non in aliqua oblatione panis & vini, de qua nullibi Scriptura loquitur, sed in iis quæ explicat Apostolus, & nos supra ex Apostolo proposuimus, illud quoque agnoscimus Sacerdotium Aaronicum fuisse illustrem Christi Sacerdotij typum. Verùm quia in eo Sacerdotio multi obseruantur defectus, & imperfectiones essentiales, quæ in Christum competere non potuerunt,

& vnde

& vnde colliguntur illa discrimina inter Sacerdotes Aaronicos & Christum, quæ supra à nobis explicata sunt, ideò fuit alio quodam typo opus in quo excellentia Sacerdotij Christi patere posſit, quale fuisse Sacerdotium Melchisedeci docet Apostolus. 6. Denique si quæras qua in re Christus in Cruce patiens demonstrarit se esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchis. *Resp.* illud imprimis ex eo patere, quòd ordo iste æternitatem Sacerdotij præcipuè comprehendat. Christus autem se Sacerdotem esse in æternum euidentissimè declarauit eo sacrificio præstito, quod vim habet æternam & potest in æternum consummare sanctificatos æterna Redemptione nobis comparata, Hebr. 9. 12. & 10. 10. 14.

QVARTVM argumentum hoc est, si Sacerdotium Christi est secundùm ordinem Melchis. ratione rei oblatæ. Oportuit igitur idem à Christo fuisse oblatum, quod priùs Melchis. obtulerat. Atque adeò sicut Melchisedecus veram panis & vini substantiam obtulisse dicitur: Ita in sacrificio Missatico non aliam, quàm panis & vini substantiam offerri, quod tamen tanquam absurdissimum Adversarij rejiciunt, sicut videre est apud Bellarm. lib. 1. de Missa, cap. 17. §. sed hæc sententia. Et verò tantùm abest vt panem triticeum & vitis fructum in Eucharistia offerri velint, vt contra per oblationem ibi factam contendant panem & vinum in nihilum redigi, vt scilicet ibi nihil aliud contineatur præterquam corpus & sanguinem Christi. Itaque quantum est discriminis inter verum panem & euanidam panis speciem, tantundem agnosci oportet inter oblationem Melchisedeci & Missæ Sacrificium. *Resp.* Bellarm. Sacrificium Missæ esse verè secundùm ordinem Melch. tum quia est incruentum; tum quia Christum repræsentat in specie panis & vini. Atque ita Missa & Sacrificium Melch. in Symbolo exteriori planè conueniunt quòd autem substantia interior sit diuersa non referre, tum quia significatio seu repræsentatio in accidentibus, non in substantia est, tum quia substantia Sacrificij Missæ necessariò debuit esse diuersa à Sacrificio Melchisedeci, quia res significata debuit esse dignior Symbolo. Atque 1. hîc nihil dicit Bellarm. quòd non eadem ratione accommodari posſit ad oblationes panis & vini à Sacerdotibus Aaronicis exhibitas, vt inde colligatur eadem facilitate fuisse igitur Christum Sacerdotem secundùm ordinem Aaronis. Nam & oblationes eiusmodi fuerunt incruentæ, & in Symbolo exteriore cum Missa planè conueniunt, & quod substantia sacrificij Aaronici diuersa fuit à Missa. Inde est quòd res significata est præstantior symbolo. An placet igitur propterea Christum dici Sacerdotem secundùm ordinem Aaronis. 2. Quòd si Melchis. Christum repræsentauit sacrificio veri panis & vini. Repræsentauit igitur præstantiori ratione, quàm fuit in Missa, quia scilicet repræsentatio ibi fuit tum quoad substantiam, tum quoad accidentia: Hic verò nuda & mera simulachra, siue accidentia ὑποκείμενα Christum repræsentant. 3. Non est verum repræsentationem illam præsertim quæ in Sacrificiis & Sacramentis à Deo instituta est ad significandum Christum in meris accidentibus sub-

ſiſtere. Certè ſubſtantia veterum victimarum, & non ſola accidentia ad Chriſti repræſentationem vſurpabantur : Et aquæ ſubſtantia non ſola ipſius accidentia in baptiſmo repræſentationem Chriſti conſtituunt, & in Euchariſtia repræſentatio non eſt in nudis accidentibus, ſed analogiam quoque illam continet, quæ eſt inter ſubſtantiam panis & vini, quâ corpus noſtrum alitur, & corpus ac ſanguinem Chriſti quo anima in ſpem æternæ vitæ alitur.

Sed hîc mihi temperare non poſſum, quin præpudioſam de Valent. tergiuerſationem producam in medium: Cùm enim ingereretur, hoc argumento, ſi ordo Melchiſedeci conſiſtat in ſpecie oblationis neceſſarium eſſe, aut vt Chriſtus dicatur non eſſe Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſ. ſi reuera non obtulit panem & vinum quemadmodum Melchiſ. ſed proprium ſuum corpus & ſanguinem, etſi eſt verè Sacerdos ſecundùm illum ordinem non aliud in Miſſa præter panem & vinum ſacrificetur. *Reſp.* & locis ſupra dictis duo diſcernenda eſſe in oblatione Melchiſedeci etiam quatenus ab Aaronicis ſacrificiis differebat, vnum quòd ſubſtantiam panis & vini obtulit : Alterum quòd obtulit in ipſo ſubſtantiam aliquam, quæ ſub panis & vini accidentibus ac proprietatibus continere, quæque ideò ut panis objiceretur ſenſibus, eoſque vt panis immutaret. Ergo cùm dicitur Sacerdotium Chriſti eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedeci, etiam ratione rei oblatum Sacerdotium Melch. conſiderandum eſſe, non quatenus exercebatur in oblatione ejus ſubſtantiæ detractæ panis ſcilicet & vini, ſed quatenus eo perfungebatur Melch. in oblatione alicujus ſubſtantiæ, quæ ſub panis viniſque proprietatibus contenta, vt panis ſenſum afficeret: Ita enim in Miſſa offerri ſubſtantiam, quæ ſub panis viniſque accidentibus, vt panis ſenſus afficiat, vt panis nominari poſſit, quia videtur panis reſici, vt panis, & ex pane confecta eſt. Sed huiuſmodi quam oportet ſubtilibus commentis ludere vt Miſſa conſeruari valeat. Enimuerò nemo non videt meram hanc eſſe tergiuerſationem, neque à Valent. tam reſponſionem inſtitui, quàm euaſionem & fugam adornari : Nam, 1. quomodo dicit hæc duo eſſe diſcernenda in oblatione Melchiſedeci, etiam quatenus diſtinguitur à Sacrificiis Aaronicis, cùm eadem ratione poſſint in oblatione Aaronica panis & vini hæc duo diſtingui, adeoque non minùs referri Aaronica oblatio ad ſacrificium incruentum, quod peragi volunt ſub ſpecibus panis & vini, quàm referatur oblatio Melchiſ. vt ſcilicet Chriſtus non minùs dicatur Sacerdos ſecundùm ordinem Aaron, quàm ſecundùm ordinem ordinem Melchiſ. 2. Quænam eſt illa diſtinctio, vel diſtincta conſideratio, cuius vtrumque membrum planè in idem recidit: Nam ſiue dicas Melchiſedechum obtuliſſe ſubſtantiam panis & vini, ſiue obtuliſſe ſubſtantiam aliquam, quæ ſub accidentibus panis & vini contenta ſenſus afficeret vt panis, Annon idem omnibus dicis & hæc ſubſtantia contenta ſub accidentibus panis, & ſenſum afficiens vt panis, an aliud erat quàm ipſa ſubſtantia panis: Quis enim dixerit Melchiſedecum obtuliſſe non modò ſubſtantiam detractam, verùm etiam indeterminatam.

3. Quid-

3. Quid-quòd ne posito quidem vanissimo illo distinctionis μορμολυκείω, tamen rem obtinere possit Aduersarius, vt scilicet oblationem Melchisedeci applicet ad oblationem Missæ, cùm lato adhuc discrimine inter se differant : Nam substantia illa à Melchisedeco oblata continebatur sub accidentibus suis propriis & actu illi substantiæ inhærentibus : At substantia quæ in Missa offerri dicitur, nempe corpus & sanguis Christi continetur sub accidentibus alienis, quæ in ipso Christi corpore, vel sanguine nequaquam inhæreret, illa inanimata erat, & ratione cărens: Hæc viua, animata, & ratione prædita. Illa verè conuertebatur in eorum substantiam, qui ipsa vescerentur, hæc neque conuertitur in substantiam communicantium, neque à Deo destinata est nutriendo corpori: Illa sub accidentibus & proprietatibus panis naturaliter, & absque omni consecrationis adminiculo continebatur. Hanc non natura, sed consecratio certis verbis concepta dicitur sub accidentia illa detrudere. 4. Denique cùm toti videri velint Aduersarij in hac præsertim causa Sacerdotij & sacrificij Melch. ex Patribus sapere, & illud jactantissimè glorietur Valentianus. In hunc locum inquit nolo meis, sed Patrum verbis interpretari vt eorum judicio grauissimo constet Scripturam pro nobis testimonium dicere contra sectorios, dicant vbinam Gentium deliteſcant Patres illi qui sacrificium Melchisedeciacum non in eo spectandum esse, quòd ab ipso oblata est substantia determinata panis & vini, sed in eo quòd oblata est substanria aliqua, quæ contenta sub speciebus panis & vini sensus vt panis & vinum afficeret. De hoc certè quisquis Patrum, nihil in mentem vsquam venit, imò neque fortè vlli hominum antequam sese mundo Gregoriana subtilitas patefecisset.

Nvnc videndum supereſt quid afferat Bellarm. in medium vt probet ordinem Sacerdotij Melchisedeci in oblatione panis & vini consistere, adeoque Christum esse Sacerdotem secundùm illum ordinem, quatenus sese primùm in Eucharistiæ institutione obtulit, & porrò in Missa per manus Sacerdotum offert corpus & sanguinem suum sub panis & vini speciebus in sacrificium verè expiatorium, illud vt conficiat duas proponit differentias inter Sacerdotium Melchisedeci & Aaronis, & inde duo petit causæ suæ firmamenta. Priorem differentiam positam esse vult in externa specie sacrificij, quòd nempe Sacrificia Aaronica cruenta essent, & sub specie animalium occisorum Christi mortem repræsentarent: Melchis. verò incruentum & quod sub specie panis & vini Christi corpus & sanguinem figuraret, & inde colligit, cùm Christus sit Sacerdos secundùm ordinem Melch. non Aaron debuisse institui à Christo Sacrificium incruentum sub specie panis & vini. Quod si inquit ex vi illius Sacerdotij non colligeretur certò Christum sacrificare debuisse hostiam sub specie panis & vini, id tamen colligeretur ex vi typi & figuræ, quia Melchisedecus in illa ceremonia panis & vini fuit figura Christi sacramentum Eucharistiæ instituentis in pane & vino, quemadmodum docent Patres. Melch. autem panem & vinum obtulit, vt Sacerdos altissimi. Igitur & Christus in institutione Eucharistiæ, vt Sacerdos

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ

egit, & verè sacrificauit, alioqui figuram illam non impleuisset. *Resp.* istius argumentationis neruos omnes jam fuisse incisos. Nam, 1. clarissimè jam docuimus differentiam horum duorum Sacerdotiorum non in re oblata, neque in externa sacrificij specie esse constitutum, sed in iis quæ Apostolus expendit, Hebr. 7. Itaque non id tanquam in dubium ponere debet Bellarm. sed probare tanquam controuersum Melchisedeciani Aaronici discrimen esse quærendum in externa specie sacrificij. 2. Sicut ex vi Sacerdotij secundùm ordinem Melchisedeci non potest colligi Christum sanctificare *debuisse hostiam* in specie panis & vini: Ita neque ex vi typi potest illud concludi: Negamus enim Melchisedecum in illa ceremonia panis & vini propriè repræsentasse Christum, quatenus instituit Eucharistiam in pane & vino. 3. Si repræsentasse fateamur ex mente veterum nonnullorum Patrum, non repræsentauit tamen quà Sacerdotem, sed potius quà Regem: Nam & sicuti docuimus, Melch. panem & vinum non Deo obtulit ex officio Sacerdotis, sed in gratiam Abrahæ & militum eius protulit ex regia munificentia, & Christus Eucharistiam instituit, non quà Pontifex, sed quà Rex Ecclesiæ suæ: Sicut enim Christus quà Rex gratiam suam salutarem nobis confert, ita & quà Rex gratiæ illius symbola externa instituit & sicut Sacerdos est in acquirendo nobis salutis merito: Ita & se Regem demonstrat in nobis applicando.

Bellarminus tamen nihil non molitur, vt probet ceremoniam illam panis & vini à Melchisedeco exhibiti fuisse verum sacrificium. 1. Cùm, inquit, scriptura describat nobis Sacerdotium Melchisedeci, vt distinctum ab Aaronico, & vt simillimum Sacerdotio Christi, debuit profectò alicubi tradere, quale fuerit sacrificium Melchisedeci, siquidem ad sacrificium ordinatur Sacerdotium, & ignorato sacrificio, necesse est Sacerdotium ignorari. Nusquam autem fit mentio sacrificij quod obtulerit Melch. nisi hoc loco. Oportuit igitur per panem & vinum prolatum intelligere cibos Deo sacrificatos. *Resp.* Sacerdotium latiùs patere sacrificio, cùm ad Sacerdotem pertineat non sacrificare modò, sed etiam orare, benedicere, decimas accipere. Ergo etiam Scriptura de nullo Melchisedeci sacrificio loquatur cùm tamen eum & Abrahamo benedixisse, & pro Abrahamo apud Deum preces fudisse, & ab Abrahamo decimas accepisse dicat, eo ipso Sacerdotij rationem non patitur à nobis omnino ignorari. Certè Apostolus de Melchisedeci Sacerdotio loquitur, neque tamen vllum ipsius sacrificium commemorat. Supponit igitur Sacerdotium cognosci posse, etiamsi nulla fiat sacrificij mentio. Quod si mysticum dicamus hoc scripturæ silentium de sacrificio Melchisedeci nihil memorantis, nempe cùm Sacerdotes Aaronici vnà cùm sacrificiis suis proponantur. Melchis. Sacerdos absque sacrificio nobis repræsentatur, vt significetur Christum qui secundùm ordinem Melchisedeci Sacerdos esse debuit: non habuisse aliquid extra se quod significaret, sed fuisse ipsum & Sacerdotem & victimam. Denique nostrum non est Scripturæ præscribere, quid dicere, aut narrare ipsa debeat, sed in iis simpliciter acquiescere,

cere, quæ nos ibi Spiritus sanctus docere voluit, neque sapere velle supra id quod scriptum est. 2. Idem inquit efficacissimè probatur, ex verbis sequentibus: Erat enim Sacerdos Dei altissimi, Nam ratio ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melch. panem & vinum protulerit, omnino cogit vt intelliganius panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. *Resp.* accersi particulam causalem (enim) ex vulgata versione, quæ nullomodo in fontibus Hebraicis compareat, vbi simpliciter habetur עליון לאל והוא כהן, & ipse Sacerdos Deo altissimo sicut & vertit Hieron. in quæstionibus. Hebraicis & Epist. ad Euag. Nec non & Pagninus, Montanus, Vatablus neque LXX. ὢν δὲ ἱερεὺς, quos sequuntur Chrys. Cyrill. Theod. &c. Itaque textus Hebræus nullam præcedentium rationem exponit, sed continet simplicem narrationis continuationem, ut cùm dixisset Regem fuisse Melchisedecum, subjungat & alteram ipsius dignitatem, quòd simul Sacerdos fuerit. Itaque Cajetanus in hunc locum, quod in vulgata editione subditur, vt causa oblationis, erat *enim* Sacerdos in Hebræo non habetur, sed vt separata clausula; Adjungit siquidem regiæ dignitati ac liberalitati dignitatem Sacerdotalem. Non est ergo quòd Bellarm. objiciat particulam, &, sæpius accipi pro enim, vel quia, adeoque vim habere particulæ causalis: Nam ego quidem illud haud grauatè concesserim, sed eum sensum huic loco posse accommodari pernego, cùm non sit omnino aliquid quòd ab ordinaria particulæ illius significatione nos discedere compellat. Est autem commune Theologorum axioma, cui Bellarm. consensum adhibet lib. 1. de Baptismo cap. 4. 55. secundò refelluntur scripturam intelligendam esse secundùm verborum proprietatem, vbi non cogimur euidenti absurdo ab ea proprietate discedere, quod si causam his verbis aliquam contineri agnosceremus, ea esset causa non illorum, quæ priùs dicta sunt, sed illorum potiùs quæ sequuntur, nempe sicut scriptura narrat Melchisedecum fuisse Regem Salem & statim regiæ munificentiæ effectum illud proponit prolationem panis & vini id est ciborum ad reficiendum Abrahæ exercitum subministrationem. Itaque ne quis miraretur quòd Melchisedecus Abrahamo benedixerit, & ab eo decimas acceperit, Id proposuit Moses quod satis causam illius rei declararet, Melchisedecum scilicet Sacerdotem fuisse neque aliquid tentasse, quod ad ipsum ea officij ratione non spectaret. Clamat Aduersarius ita perturbari totam distinctionem orationis: Nam in Hebræo post illa verba, & erat Sacerdos Altissimi, inueniri accentum Soph pasu, qui indicat ibi terminari periodum; Quare non posse illud, & erat Sacerdos, conjungi cum sequentibus & *benedixit*, sed debere superioribus illis annecti, protulit panem & vinum, ita vt per se clamet oratio panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. *Resp.* Soph pasu, esse signum finiti versus, sed non finitæ sententiæ: Quis enim nescit in fine versus, non tamen semper finiri periodum, sed per duos aut plures versus continuari v.g. Ps. 95. Illa verba versus 7. hodie si vocem ejus audieritis habent subjunctum Soph pasu, tum versu 8. subditur, ne indurate corda vestra. Vbi certè nemo dicturus est in actu illo compleri sententiam, Etsi versus in eo finiatur:

Integra enim periodus hæc est. Hodie si vocem ejus audieretis, ne obdurate corda vestra. Similia videri possunt, Gen.23.17.18. 2.Chron.30. 18.19. Ierem.33.10.11. &c. Non igitur semper accentus ille crassis duobus punctis notatus posteriora diuidit à prioribus,quasi diuersum sensum aut nouam periodum facientia, sed versuum tantùm distinctionem judicat. Iam verò si consideremus Melchisedecum sacrificasse panem & vinum, & hoc significare scripturæ verbis à Bellarmino laudatis, non tamen causam sacrificij sui Missatici confecerunt inde Aduersarij : Nam primò non si sacrificauit Melchisedecus panem & vinum, statim consequitur in ejusmodi sacrificio consistere ordinem Sacerdotij Melchisedeci 2. Neque si sacrificatus est à Melchisedeco panis,rectè colligitur institutum esse à Christo sacrificium incruentum sub speciebus panis & vini: Dicetur enim figuram Melchisedeci sacrificantis Deo panem tum Abrahę militibus distribuentis in Christo fuisse completam, quatenus. 1. quidem sese obtulit in sacrificium in cruce ; tùm deinde ad sui communionem fideles vocat, & communis illius signum atque pignus sancitum voluit in Eucharistiæ administratione. 3. Cùm Melch.panem & vinum tantùm semel obtulisse legatur, neque sacrificium panis & vini ordinarium inter suos instituerit & sacrificium illud peregerit nullo planè adhibito ministro aut vicario, Inde concludendum potiùs erit Christum juxta illum Melchisedeci ordinem semel tantùm sacrificium illud exhibuisse, nimirum in cruce, neque instituisse in Ecclesia perpetuum aliquod & quotidianum sacrificium sub speciebus panis & vini, & ipsum solum esse Sacerdotem ad sacrificium peragendum, neque ministros substituisse qui loco ipsius illud quotidie exhiberent, cùm absurdum sit dicere Melchisedecum quidem potuisse esse solum Sacerdotem illius ordinis; Christum autem qui figuræ illius veritas fuit solum esse non posse, sed alios in illius ordinis consortium esse adsciscendos.

SECVNDAM rationem exstruit Aduersarius ex altera differentia Sacerdotiorum,Aaronis & Melchisedeci quòd scilicet Aaronis Sacerdotium multorum fuerit sibi per mortem succedentium. Melchisedecianum fuerit vnius hominis, nec successorem, nec præcessorem habentis. Vnde fit vt Sacerdotium istud sit æternum,adeoque duraturum vsque ad sæculi consummationem,Quod si æternum,debet ergo & sacrificij ritus durare vsque ad finem, nisi fortè Christus otiosum habet Sacerdotium. Cùm itaque sacrificium crucis semel peractum fuerit nec repeti possit aliud sacrificium quod offerat. Vnde concluditur admittendam esse in Ecclesia veram sacrificandi actionem, quæ Christo per ministros suos tribuatur, Qualis nulla erit,si Missæ sacrificium tollatur è medio. *Resp.* 1. Si Sacerdotij Melchisedeci propria conditio est, vt præcessore careat & successore, quinam fit vt Romani Presbyteri se Sacerdotes dicant secundùm ordinem Melchised. cùm non modò alij aliis succedant, sed & successionem suam Pontificum & Episcoporum jactent, tanquam propriam Ecclesiæ veræ notam. 2. Cùm Apostolus Epistola ad Heb. non doceat modò Christum habere Sacerdotium æternum, neque tamen mentionem

injiciat,

injiciat, vel leuissimam de aliquo sacrificij ritu in terris semper duraturo, eo ipso satis ostendit esse posse Sacerdotium æternum sine ejusmodi Sacerdotij ritu. 3. Neque verò sequitur si sacrificij ritus in terris non duret, otiosum fore Sacerdotium, cùm vt iam diximus, non tantùm ad sacrificia peragenda, sed etiam ad alias officij partes præstandas institutum fuerit Sacerdotium, quæ partes peragi possunt, etsi non duret Sacrificij ritus. 4. Si sacerdotium æternum esse nequit citra durationem ritus sacrificij Missatici, Consequens est vt quia Christus Sacerdos futurus est etiam post consummationem sæculi, dicatur etiam Missæ ritus post finem sæculi duraturus, & peragendus in cœlis. Quod nemo non videt, quàm sit absurdum dictu. 5. Sed neque verum est eum non posse dici Sacerdotem, qui nullum habet sacrificium quod offerat: Nam si semel habuerit & obtulerit, quanquam ab illa oblatione porrò feriatur, nihilominus tamen Sacerdotis nomen retinebit, quomodo videmus Leuiticos Sacerdotes priusquam ἐφημερίας suæ munia objissent Ierosolymis solitos domum repetere, neque priusquam ἐφημερίας illius circulus rediisset ordinariis sacrificiis operam dedisse, qui non tamen eo minus per totum vocationis suæ tempus Sacerdotum numero sunt habiti. Cùm ergo Christus corporis sui sacrificium in cruce semel peregerit, & hac ratione sanctificatos in perpetuum consummauerit, Heb.10.14. Etsi non jam ampliùs in aliquod sacrificium incumbebat, non ideò tamen Sacerdos vel dici, vel esse desiit, sed instat Bellar. ex Heb.8.2.3. Cùm enim ibi dixisset Apostolus Christum esse Pontificem sanctorum & tabernaculi quod fixit Deus & non homo, id est, Pontificem esse. Ecclesiæ, non synagogæ subjungit vers.3. omnem Pontificem ad offerendum munia & hostias constitui, ideoque necessarium esse vt & Christus aliquid habeat, quod offerat vbi Apostolus per necessariam consequentiam colligit debere Christum si verè Pontifex est habere aliquid quod offerat & consequenter debere offerre, quia omnis Pontifex constituitur ad offerendum, quare secundùm Pauli sententiam Christus non est Pontifex in æternum nisi assiduè aliquid offerat, nec satis est quòd semel cruentè obtulerit. *Resp.* 1. Hæc Apostolum manifestè applicare ad sacrificium crucis adeoque significare necesse fuisse, vt Christus sacrificium illud suo tempore peregerit, vt verè Pontifex nosster dici posset. 2. Etsi fateamur non satis esse quòd semel Christus seipsum obtulerit, sed opus esse, vt assiduè aliquid offerat, non ideò tamen Missæ sacrificium stabiliri: Neque referendum esse ad aliquam quotidianam corporis Christi oblationem, quæ Missificorum operâ fiat & peragatur in terris, imò potiùs ita habendum est, sicut Pontifex Aaronicus primò mactabat victimas, tum deinde sanguinem eorum inferebat in sacrarium: Ita Christum peregisse primò crucis sacrificium in terris, tum in cœlestia loca esse ingressum, vt apparitione perpetua & sacrificij sui præsentatione pro nobis apud Deum intercedat, quod & Iustinianus agnoscit in hunc locum, si sanctorum minister est & Pontifex hostiam sanè aliquam pro nobis offerre necesse est: Id enim Pontificis muneris ratio imprimis postulat. Quòd autem offerat in præsentia non dicit, sed se-

quenti capite explicat, vt appareat, inquit, nunc vultui Dei pro nobis illam videlicet hostiam quam in hac vita obtulit Patri, eidem continenter ostendat in cœlo eaque ratione apud Deum Patrem causam generis humani agit acturusque est, donec omnes electi salutem consequantur æternam. Nec aliter Ribera & Carthusianus.

Hæc igitur mens in causa, officij Christi Sacerdotalis id esse imprimis consideratu dignum, Leuiticum Sacerdotium terrenum esset & in terris exerceretur. Christi è contra Sacerdotium nunc esse totum cœleste quippe quod de cœlo, & in cœlo Christus exerceat, vnde consequitur stabilito jam isto cœlesti, antiquatum jam esse terrenum illud. Cæterùm sicut olim primò in anteriori tabernaculo victimæ offerebantur: Deinde sanguinem expiationis anniuersariæ Pontifex in sancta sanctorum inferebat, Leuit. 16. 15. Ita & Christo factum, quippe qui & tabernaculi & sanctuarij sit minister: Nam primò quæ fiebant in tabernaculo ipse adimpleuit, quatenus in cruce corpus suum obtulit Patri ad æternam electorum Redemptionem: Deinde quæ peragebantur in sanctuario ipse perfectissimè præstat in cœlo, quatenus Deo continuò offert mortis suæ pretium meritumque infinitum, nec non & nostras precum atque gratitudinis spirituales hostias.

Aliam deinde rationem subjicit ex eo collectam quòd Christus ante Incarnationem nondum esset reipsa Sacerdos, cùm Sacerdotium Christo competat, vt minor à Patre, & proinde vt homo est, non Deus, sicut docet August. in Psalm. 109. ante Incarnationem non poterat Christus offerre Sacrificium, & tamen vt etiam eo tempore dici posset, & esset ipse vnus ab initio mundi, vsque ad finem summus Sacerdos eo modo quo poterat sacrificia offerebat, nimirum per typos & figuras, id est, per Sacerdotes, qui Christi typi erant, & quibus sacrificantibus ipse sacrificabatur. Quòd si propter Sacerdotij æternitatem Christus etiam ante Incarnationem eo modo quo poterat Sacerdotio fungebatur, quantò magis post Incarnationem, vt sit Sacerdos æternus, non debet vsque ad consummationem sæculi ab officio sacrificandi cessare. Quorsum enim sacerdotium ipsius manet, si nunquam deinceps sacrificare debeat. *Resp.* hæc ratio nihil fermè sani continet: Nam 1. falsum est cui ratio superstruitur nempe Christum ante Incarnationem non fuisse reipsa Sacerdotem. Quid enim hoc est aliud quàm γυμνὴν ψεῦδος Scripturæ contradicere quæ Sacerdotium Christi arcessit ab initio mundi, cùm ait Christum agnum esse occisum à jactis mundi fundamentis, Apoc. 13. 8. Id est, ejus Sacrificium, quanquam suo tempore præstandum, vim tamen suam ab ipsis mundi cunabulis exeruisse: Nam vt explicat Carthus. in hunc locum Passio Christi hoc egit implenda, seu futura, quod facit impleta atque perfecta, & præstita: Omnes enim qui in Christum ante aduentum ejus crediderunt, per ejus fidem saluati. Itaque ab origine mundi, id est, à tempore Adæ occisus est Christus virtualiter, quoniam virtute suæ passionis etiam ipsi protoplasti parentes saluati sunt: Quis autem neget sacrificij Christi efficaciam ad ipsius Sacerdotium spectare adeoque si

vis ejus

vis ejus ab initio mundi apparuit, etiam Christum ab initio mundi fuisse Sacerdotem: Præterea Christus cùm sit Sacerdos secundùm ordinem Melch. Sacerdos est ab æterno, adeoque ante incarnationem, cùm Apostolus rationem Sacerdotij Melch. in eo nominatim ponat, quòd neque initium dierum, neque finem vitæ habeat, Hebr. 7. 3. Vbi notat Iustinian. Melchisedec in Pontificatu illo, cujus nec initium, nec finis narratur, speciem quandam ac similitudinem retulisse filij Dei, & æternitatem Sacerdotij ejus repræsentasse. Adde quod si Sacerdotium Christi post Incarnationem cœpit, cùm nimirum Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit etsi in eo consistit ipsius æternitas, quòd se per Missificos offert continuò sub speciebus panis & vini. Fatendum erit Christum non esse Sacerdotem nisi ab anno mundi 4084. (quo eum passum fuisse Chronologi, id est, olimpiades 202. anno 3. & anno vrbis conditæ 784. juxta supputationem Tornieri) vsque ad finem sęculorum quem appropinquare fatentur omnes, & cùm sacrificium Missæ ante finem mundi abolendum ab Antichristo sentiant Adversarij Consequens est vt dicamus Sacerdotium Christi non duraturum fortasse vltra 2000. annos quomodo igitur dici verè potuerit Sacerdotium illud æternum, cùm mundus à nemine Christiano dicatur æternus, qui tamen durationem habiturus est triplo majorem quàm istud Christi Sacerdotium. Nos verò qui Sacerdotij rationem non tantùm in reali corporis Christi oblatione, sed in perenni oblationis illius efficacia & applicatione, nec non in continua Christi pro electis intercessione ponimus, quam nouimus in cunabulis mundi positam, nec dubitamus ejus vim in cœlis æternùm duraturam. Haud immeritò putamus esse quod Christi Sacerdotium in Scriptura vocatur æternum. 2. Falsum est illud quòd Bellarm. vt certum sumit Christum Sacerdotem esse vt hominem tantùm, non vt Deum: Nam cùm Sacerdotale officium muneris Christi Mediatorij pars sit. Christum autem esse Mediatorem secundùm vtramq; naturam, necnon compluribus Patrum, adeoque Augustt. ipsius testimoniis confecerimus. Iam supra colligendum est Christi Sacerdotium ad vtramque Christi naturam pertinere, nempe sicut quà homo materiam Sacrificij, corpus scilicet & animam subministrauit. Ita & quà Deus vim æternam illi sacrificio indidit. Vnde & in epistola ad Hebr. dicitur seipsum obtulisse Deo per Spiritum æternum; quomodo autem Patres, & inter eos Augustt. Christi officium Mediatorium, aut Sacerdotale humanitati ipsius aliquando deputent, jam supra docuimus, non repetendum est. 3. Quis illud concoquat Christum sub Vet. Testamento non alia ratione dictum fuisse Sacerdotem, quàm quia sacrificabat, quomodo poterat nimirum per Sacerdotes Leuiticos: Nam certè, nec verba illa *quomodo poterat*, satis ei conueniunt, cujus potentia nullis cancellis concluditur & qui dicendus est potiùs operari quomodo vult Eph. 1. 4. quàm quomodo potest. Nec verum est Christum olim Sacerdotem fuisse, quia Sacerdotis munus per Aaronis posteros exercebat, alioqui, quid obstat quominus dicamus eum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Aaronis siue Sa-

cerdotem legalem, quique adò nihil obstare potest quòd sanctificaret in conscientia, imò ne Sacerdotem quidem per tempus 70. annorum quo captiuitatis in Babylonia Iudæis dirutoque templo Aaronica nulla sacrificia Deo fuerunt oblata. 4. Eac tamen vocatum fuisse Sacerdotem, quia sacrificabat per Sacerdotes Aaronicos. Atque hîc non simpliciter quæritur de æternitate Sacerdotij Christi, sed æternitate ipsius, quatenus est secundùm ordinem Melch. Iam autem nemo diceret fuisse olim Sacerdotem secundùm istum ordinem, quia sacrificia offerebat per Sacerdot. Aaronicos, cùm hæc duo sacrificia inter se manifestè opponat Apostolus. Itaque Sacerdotij secundùm ordinem Melch. in alia re necessariò constituta fuit, quàm in continuo quodam sacrificij ritu. Vnde consequitur planè contrarium eius quod Adversarius colligere molitus. Nam si ante incarnationem Christus fuit Sacerdos æternus secundùm ordinem Melchisedechum, neque tamen continuum aliquod sacrificium obtulit secundùm illum ordinem facilè concludimus etiam sub Nouo Testamento constare posse æternitatem sacerdotij illius, quanquam nullus sit perpetuus alicuius sacrificij, siue à Christo siue à Christi ministri oblati sacrificij ritus.

Sed videamus quanam in re quærenda sit & constituenda illa Christi Sacerdotij perpetuitas, siue quare dicatur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melch. Nos triplicem rationem ex Scriptura proponimus, primam quia Christus in æternum viuit: Alteram quia oblationis ipsius efficacia perpetua est. Tertiam quia semper apud Patrem intercedit pro nobis. Primam rationem proponit Apostolus, Hebr. 7. 16. 17. Vbi cùm dixisset Christum esse factum Sacerdotem ex vi indissolubilis vitæ, id est, vt explicat Iustinus, Ambros. & Chrys. vi atque authoritate diuina, quâ Christus vt Deus mori nequaquam potest, & humanam naturam ab inferis excitatam immortalitate donauit, id confirmat statim ex dicto Dauidis tu es Sacerdos in æternum, & postea vers. 24. manifestissimis verbis docet *Christum habere Sacerdotium* perpetuum, propterea quod viuit in æternum. Quod idem etiam insinuatur, Hebr. 7. 3. Vbi Melch. dicitur neque initium dierum, neque finem vitæ hujus, & ideò assimilatus Filio Dei manere Sacerdos in perpetuum. Est ergo Sacerdos æternus, quia immortalis est, neque similis Sacerdotibus Leuiticis, quos mors manere prohibebat, Hebr. 7. 23. Excipit Bellarm. hoc esse sufficiens, quia etsi requiritur vita æterna in illo qui Sacerdotio æterno fungitur, non tamen hoc satis est, alioqui Sacerdotes omnes Leuitici post resurrectionem dicerentur Sacerdotes in æternum, quia sacerdotium habuerunt & viuunt in æternum. Requiritur ergo vt fungatur sacerdotio in æternum. *Resp.* hoc nihil aliud esse quàm Apostolicæ institutionis refutationem instituere v lle. Nam certè clarissimè dicit Apostolus Christum habere sacerdotium perpetuum quia in æternum viuit: Et verò inepta est Bell. ratio: Nam Sacerdotes Leuitici morte sacerdotium amiserunt, quia Sacerdotes facti fuerant per mandatum legis carnalis, Hebr. 7. 16. Cuius vis morte perit, neque in futurum sæculum per-

pertenditur & ipsorum sacrificium ad tabernaculum illud terrenum alligabatur in quo functiones suas exercebant,& quòd morte relinquebant aliis curandum,neque in cœlos transferebantur,vt ibi Sacerdotij sui partes exequerentur.Christus verò Sacerdotium morte nequaquam amisit, sed in cœlestem patriam subuectus Sacerdos ibi manet, & mansurus est in æternum.

ALTERAM rationem suppeditat Apostolus istam quòd oblati semel à Christo sacrificij virtus & efficacia semper perduret & ad omnes cuiuscunque temporis fideles pertingit,& porrò pertingere debet. Potest enim perfectè seruare eos qui per ipsum accedunt ad Deum, Hebr.7.25. & sanguis eius semper purgaturus est conscias suorum à mortuis operibus,Hebr.9.14. & per oblationem corporis Christi semel factam sanctificantur omnes electi,Hebr.10.10.Instat Bellarm.hoc etiam non sufficere quia non propriè dicitur sacrificium æternum quod semel factum est, nec æternum Sacerdotium, cùm non jugiter sacrificatur, alioqui Sacerdotium & sacrificium Noachi æterna dici possent,quia effectus eorum semper manet, cùm impetrauerit Noe ne vnquam terra obruatur diluuio:Sic passio & mors Christi dici potest æterna quia ipsius effectus semper manet. *Resp.* neque Noachum vsquam Sacerdotis titulo insigniri, multò minùs Sacerdotis æterni, neque vllibi in Scriptura doceri eam fuisse sacrificij Noe vim & efficaciam, vt propter illud obtinuerit homines perpetuam ab vniuersali diluuio immunitatem. Ergo ad promissionem illam sacrificium Noe antecedenter tantùm, non autem causaliter sese habuit.Id clementiæ suæ certè Deus transcribit,quâ futurum ait vt semper recordetur fœderis illius sui,Gen.9.15. Sic neque sacrificandi, patiendi, moriendi actus in Christo dici potest æternus, cùm tam citò transierit, sed hoc non obstat quò minus Sacerdotium ipsius dicatur æternum, quatenus transeunte officij actu, manet tamen officium, præsertim cùm officij functio siue actus vim & efficaciam habet æternam.

TERTIAM denique ejus æternitatis rationem affert Apostolus, quòd scilicet Christus semper viuens sit ad interpellandum pro nobis in cœlis apud Patrem, Hebr.7.26. Objicit Aduersarius hoc autem non probare Christum esse Sacerdotem, aut probare illum nunc per ministros offerre:Nam si dicatur Christus intercedere per solam oblationem, non inde consequetur eum esse Sacerdotem, cùm homo quilibet hoc modo possit pro alio intercedere, sin dicatur illum intercedere vt Sacerdotem, id est, mediante oblatione victimæ, tum necesse est Christum semper offerre, & proinde Eucharistiam esse sacrificium quod à Christo per ministerium humanum Deo jugiter offeratur. *Resp.* agnoscimus Christum pro nobis apud Patrem in cœlis intercedere mediante oblatione victimæ,sed inde negamus consequi Christum semper actu corpus suum sacrificare in Eucharistia, nimirum illa oblatio semel præstita est, cùm semel se Christus in cruce Patri obtulit: Nam sicut summus olim Pontifex, 1. Victimam in altari holocaustum offerebat Deo,tum in locum sanctissimum ingressus oblatæ victimæ sanguinem eo inferebat, &

ita intercedebat pro populo, vt ad eam interceſſionem faciendam nequaquam opus eſſet, vel nouo quodam ſacrificio, vel repetitione prioris illius oblationis. Sic etiam cùm Hebr. 9. 11. 12. ſignificetur fuiſſe iſte typus eximius Chriſti, oportet in Chriſto iſta duo conſiderare, quòd primùm in terris ſeipſum victimam pro peccatis noſtris obtulit: Deinde per proprium ſanguinem ingreſſus eſt in cœlos, vt ibi mediante victima illa vnica pro nobis in perpetuum offerret. Itaque cùm dixiſſet Apoſtolus Chriſtum in ipſum cœlum ingreſſum eſſe, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis, non modò non infert cum Bellarm. neceſſarium eſſe, vt Chriſtus ſemper offerat, ſed è contra manifeſtiſſimè ſubjicit Hebr. 9. 26. 27. neque vt ſeipſum, &c. nimirum ne quis continuum aliquod ſacrificium ex ipſo colligat, quòd Chriſtus ſemper intercedit mediante victimæ oblatione, imò inquit hoc ſemel fecit, quod ad abolendum peccatum per immolationem ſui patefactus eſt: At inquit Bellarm. oblatio illa victimæ, quæ fit in cœlo, aut eſt verè propriéque dictum ſacrificium, aut impropriè & figuratè. Si prius dicatur multa ſequentur abſurda, putà religionem ac legem Chriſtianam eſſe tranſlatam in cœlum, & in cœlo non eſſe nudam veritatem, ſed etiam vmbras & figuras, cujus ſacrificia propriè dicta debeant eſſe repræſentatiua ſacrificij crucis, & repetitæ ſæpius oblationis. Sin poſterius affirmetur, tum neceſſe erit confiteri verum ſacrificium in terris offerri, aut Chriſtum non eſſe propriè Sacerdotem, quippe qui verum ſacrificium offerre nullibi poſſit. *Reſp.* cùm offerendi vox duo ſignificet, nempe variam ſacrificandi actionem, vel rei ſignificatæ præſentationem coram Deo, abſurdus eſt Bellarm. qui putat ita nos de oblatione coram Deo loqui quaſi velimus aliquod ſacrificium fieri in cœlis à Chriſto, imò ſicut ingreſſus in Sancta Sanctorum Pontifex, nec verè nec impropriè ſacrificabatur, ſed ſacrificatę victimæ ſanguinem Deo repræſentabat: Ita Chriſtus in cœlos ingreſſus non ibi aliquam ſacrificandi actionem exercet, ſed facti ſacrificij præſentatione continua coram Deo nos reconciliat. Fruſtrà eſt igitur Bellarm. in texendis ſuis argumentis: Adde tamen ſi præſentationem illam vellet ſacrificium vocare, fore illam impropriam vocis acceptionem: Inde tamen non ſequeretur Chriſtum in terris propriè ſacrificare, aut non eſſe propriè Sacerdotem, quia ſcilicet vt ſæpe monuimus Sacerdotis officium totum non ex hauritur actione ſacrificandi, cùm alia ſint ipſius munia, quæ præſtando Chriſtus etiam non ſacrificans propriè tamen Sacerdos propriè dicitur.

VLTIMO loco de veterum Patrum ſententia nonnihil dicendum eſt, cùm præcipuum cauſæ ſuæ robur, tum Bellarm. tum alij in veterum authoritate conſtituant. Itaque 2. Patrum teſtimonium Bellar. denuntiat, id eſt, pleriſque omnibus tum Græcis, tum Latinis veteribus Eccleſiæ doctoribus, quin & ipſorum Rabbinorum, ac nominatim Rabbi Samuel in Gen. 14. Et Rabbi Phinees in Num. 28. teſtimonium vrget, atque tantùm iſtum conſenſum, vel ſolum ſufficere debere docet ad audaciam, quam vocant & temeritatem noſtram confundendam. Verùm

hæc

hæc varia sunt tantùm nominum crepitacula, & inania μορμολύκεια, neque difficilis est ad omnia responsio, non modò quia vnum Apostoli Pauli in hac causa testimonium, vel mille doctoribus præponderat, neque attendendum est quid Veteres dixerint, vbi scriptura tam clarè mysterium istud Sacerdotij Melchis. explicat, sed etiam quia veteres in ista Controuersia parum omnino causæ nostræ præjudicare ex sequentibus obseruationibus clarum euadet. 1. Cùm Aduersariorum de Sacerdotio Melchis. sententia quatuor capita contineat, Quòd Melchisedecus panem & vinum Deo sacrificauit, quòd in eo sacrificio constitutus sit ordo Melch. quòd oblatio repræsentarit sacrificium incruentum Missæ; & quòd denique Christus non alia ratione dicatur Sacerdos istius ordinis, quàm quia se per Sacerdotum manus offert in Missa ad Redemptionem viuorum & mortuorum dico ne vnum quidem esse à laudatis à Bellar. Patribus, vnde quatuor ista capita confirmare possit, vt ex singulorum testimoniis patere potest. 2. Cùm plerique Patres affirment panem & vinum oblata fuisse Abrahæ ad refectionem exercitus, frustra Bellar. verbalem Patrum consensum jactat, quasi conueniant in eo oblatum fuisse panem & vinum Deo à Melchisedeco in sacrificium. 3. Patres non infrequenter hanc Melchisedeci, seu prolationem, seu oblationem ad mysterium in cruce peractum referunt: Nam sicut Christus carnem quam in mortem traditurus erat pro mundi vita panem vocat, Ioh. 6. 61. Ita non incommodè dixerunt veteres illo pane & vino Melchisedecum repræsentatum fuisse crucis mysterium, in quo pro nobis Christus corpus & sanguinem suum protulit Epiph. certè hæc §. vinum à Melchisedeco propositum dixit exmplar fuisse sanguinis illius, qui ex latere Christi compuncto fluxit ad purgationem animarum; Sic Cyprian. Epist. 63. ad Cæcilium cùm dixisset, Noe Dominicæ passionis imaginem expressisse, subjungit statim; Item in Sacerdote Melchisedeco sacrificij Dominici sacramentum præfiguratum videmus. Vbi particula (ITEM) satis designat sacrificium Melch. à Cypriano habitum pro figura passionis Christi. Noui typum illum à Cypriano etiam referri ad Eucharistiam, nempe distinguenda venit duplex hujus typi significatio, vt dicatur altera quidem immediata & primaria; Altera mediata, & consequens. Cypriano igitur panis & vinum Melch. immediatè significabant passionem Dominicam, & sacrificium in cruce peractum, sed quoniam Christus seipsum in cruce obtulit, vt fieri posset spiritualis animarum nostrarum cibus & potus, qualem se nobis exhibet in distributione Eucharistiæ, vnde fit vt etiam mediatè typum ad Eucharistiam pertinere Cyprianus docuerit. 4. Patres typum vulgò ad Eucharistiam accommodantes, Eucharistiam considerant, non sub ratione sacrificij, sed sub ratione sacramenti, id est, non vt significent reale quoddam sacrificium in Eucharistia patrari, quomodo nempe parauit Abrahamo Melchisedecus epulum corpore. Itaque in accommodatione hujus typi de nutrimento loquitur Clemens Alex. Stromat. 4. Melchisedecus panem & vinum dedit in nutrimentum in typum Eucharistiæ. Et Cypr. tract. de Cœna, significata olim à tempore

Melchisedeci prodeunt sacramenta, & Filiis Abrahæ summus Sacerdos profert panem & vinum. Vbi similitudinis ratio ibi manifestè ponitur, quòd sicut Melchisedecus Abrahamo panem dedit & vinum in cibationem corporis: Ita summus Sacerdos Christus filiis Abrahæ, id est, fidelibus in Eucharistia corpus & sanguinem largitur in cibum animæ. Et Ambr. lib.5. de sacramentis cap.1. Melchisedeci in sacramentorum erogatione celebratur, Audis in sacrificij oblatione, quæ Deo fiat, sed in sacramentorum erogatione quæ fit Christianis. 5. Qui typum accommodantes ad Eucharistiam meminerunt oblati in Eucharistia sacrificij, de sacrificio loquuntur Eucharistico, non propitiatorio, nempe sicut Melchisedecus panem & vinum proferens Deo gratias egit, & beneficiorum hactenus collatorum in Abrahamum continuationem à Deo petiit: Ita & in S. Cœna Deo offertur sacrificium Eucharisticum, quatenus ipsi quò fidelibus pro comparata per Christum Redemptione solemnes aguntur gratiæ. 6. Denique quod ad auxiliares illas Rabbinorum copias, quas vltimo loco Bellar. ad pompam ostentat. *Resp.* 1. Quod ipse Bellar. hoc ipso cap.5. Sed hæc loca, eos non modò Hebræos esse, sed & apertissimos hostes Christianæ religionis. 2. Si standum sit Hebræorum sententiæ, causam nostram nos obtinuisse, cùm Iosephus & alij Hebræi, vt notauimus doceant non sacrificium à Melchisedeco oblatum Deo, sed panem & vinum prolatum fuisse in refectionem militum Abrahæ. Denique que cùm somnient Rabbini restituendam sibi olim Rempublicam suam & se iterum mittendos in Ierosolymorum & Iudææ possessionem, si qui Rabbinorum ex Gen.14. Probent peragendum in Ierusalem sacrificium panis & vini, nihil minùs quàm Missæ sacrificium habent in animo: Respiciunt enim ad illos Menachot & Nesachim, id est, oblationes farinaceas & libamina; qualia præscripta fuerunt in lege Mosis, & quorum vsum putant olim inter Iudæos restituendum.

CAPVT VIII.

De merito & satisfactione Christi.

EXPLICATVM est hactenus in quonam consistat ratio formalis Christi Sacerdotij: Nunc ad caput vltimum admouendæ manus, vt sacerdotij illius partes explicemus, quod cum à Christo dixerimus assumptum fuisse, tum ad faciendum, tum ad firmandam hominum cum Deo reconciliationem, haud abs re est, quod illud duabus partibus contineri dicimus, nempe satisfactione & Intercessione, quarum illa ad faciendam, hæc ad firmandam, siue conseruandam reconciliationem pertinet.

IN TOTO religionis Christianæ latifundio non est aliud doctrinæ caput quod, sit ad salutem cognitu magis necessarium quàm illud quod & inuectam ab Adamo in genus humanum perniciem & allatam per Christum

Christum libertatem exponit. Nam cùm Adam rebellionis, injustitiæ, calamitatum, ipsius denique mortis author nobis extiterit, Deus nos in sordibus nostris ac miseria jacentes clementiæ suæ dextera per Christum erexit, & in lucem atque libertatem spiritualem denuo extulit, vt quod primi hominis noxâ, quassatum, euersúmque fuerat, Christi virtute restitueretur in integrum tanto scilicet operi ac oneri nullus par erat vel hominum, vel Angelorum. Homo sanè quidquid moliretur, quamcumque se in partem aut formam verteret, pertingere non potuit eò, vel *sanctitatis*, vt naturæ vitium quo tenebatur obstrictus ex hominum animis integrè profligaret, vel *fortitudinis*, vt mortem quam debebat, expugnaret, vel *tranquillitatis*, vt nullis aut concupiscentiæ motibus illicitis, aut conscientiæ morsibus vulnificis quateretur, vel denique *fœlicitatis*, vt calamitatum in miseram hanc vitam vndique exub rantium posset exsors viuere. *Angelus* autem neque ipse corporeis suppliciis affici, neque naturam, in qua pateretur, assumere poterat, & vt posset, illud tamen quod collapsum fuerat, instaurare nequibat, cùm tam esset graue quod contraxeramus debitum, vt sufficiens nullum λυτρον Angelus quilibet, vel extrema conatus valeret dependere. Hoc ergo non alterius erat quàm vnius Christi æterni Dei Filij, qui solus inter omnes nullo debito tenebatur obstrictus & solus omne debitum nostrum, tum exsoluere potuit, tum perfectissimè dependere voluit.

Beneficia nobis à Christo comparata duplici genere censentur: Nam & malo vindicauit, & ad veri boni communicationem produxit, & impunitatem obtinuit, & præmia indebita retribuit. Illud est quod Theologi docent Christum à nobis *meruisse*, & pro nobis *satisfeciisse* meritum siquidem ad præmia & bonorum collationem refertur satisfactio impunitatem & liberationem à malo respicit meritum latiùs extenditur: Christus enim nobis & agendo, & patiendo, & viuendo, & moriendo meruit; Sed satisfactio angustiorem habet ambitum cùm in iis propriè consideretur quæ Christus pro nobis, & loco nostro perpessus est. Quanquam autem Scholastici valorem operationum Christi distinguant à merito & satisfactione, vt scilicet dicant valorem in quibuslibet Christi actionibus inesse, siue variis, siue liberis: Meritum verò & satisfactionem reperiri in actionibus tantummodò liberis. Nobis tamen non videtur necessarium tam rigidum vocabulorum examen. Itaque siue valorem, siue dignitatem, siue meritum operum Christi, quis dicat eodem significatu voces illas accipiendas putamus.

DE MERITO IGITVR OPERATIONVM Christi esto nobis hoc Theorema.

Actiones *Christi, tum morales, tum Redemptoriæ veri pro nobis apud Deum meriti rationem habuerunt.* Ad hujus Theorematis explicationem 1. Notandum est humanarum Christi actionum duo fuisse genera: fuerunt enim, aliæ *naturales*, aliæ *liberæ*, siue *voluntariæ*. *Naturales* dico

communissimas illas, quas natura, vel sola producit, quales sunt respiratio &c. vel interuentu voluntatis operatur, quales sunt comestio, loquutio, &c. In iis non est quærenda propriè ratio meriti cùm meritum circa libera tantùm & voluntaria versetur. Actiones verò Christi *liberæ* triplices fuerunt, miraculosæ, morales & redemptoriæ. At miraculosæ quidem, vt Cæcorum illuminatio, mortuorum suscitatio, &c. Finem habuêre non tam meriti pro nobis præstationem, quàm glorioſæ Christi diuinitatis & sanctissimæ ipsius doctrinæ confirmationem. Itaque in moralibus demum & redemptoriis vera meriti ratio propriè inuenitur; Morales dico charitatem, obedientiam & alias virtutes quas Christus operibus externis fecit testatissimas: Redemptorias verò quas Christus in morte ac passione sua præstitit, cùm factus est obediens Patri vsque ad mortem crucis.

Eas Christi actiones verè meritorias fuisse patet ex conditionibus ad meritum requisitis, quas alibi diximus esse tres præcipuas, vt nimirum opus sit ἐκ τῶν ἰδίων vt sit indebitum, vt justam proportionem habeat cum præmio. Hæc sanè omnia in Christi actionibus reperire facile est: Nam, 1. Quanquam humanæ Christi actiones ad ejus humanitatem tanquam formam, siue formale principium referendæ sunt & humana Christi natura bonum suum totum aliunde, nempe à diuinitate habuit. Vnde Christus ad Patrem suum omnia referre solet alia tamen ratione debent ad diuinum verbum referri, quatenus scilicet verbi persona fuit principium omnium illarum operationum tanquam suppositum: A supposito enim fluunt actiones juxta tritum illud actiones sunt suppositorum. Itaque quidquid egit Christus, illud esse propriis & internis viribus Christi transcribendum est, neque putandus est agendi vim aliunde emendicasse, unde & dicitur per seipsum fecisse purgationem peccatorum nostrorum, Heb. 1.3. 2. Operationes Christi fuerunt indebitæ: Quanquam enim Pater in hunc mundum miserit, vt quæcunque ad Redemptionem nostram spectabant, perfecta daret; certum tamen est Christum obligatione nobis *fuisse obstrictum, neque nos id promeruisse*, vt in salutem nostram totus incumberet, quippe qui in peccatis jaceremus, & ipsius inimici essemus, Rom. 3.8. Itaque quidquid egit, egit ex mera in eos beneuolentia & charitate. 3. Christi opera & passiones veram, justam, & integram proportioeem habuerunt ad ea præmia quæ nobis comparata sunt, nempe qualis est proportio causæ ad effectum suum, cùm passim proponatur Christus vt vitæ author salutisque princeps qui nobis perpessionibus suis æternam redemptionem nactus fuerit, Hebr. 2.10. & 5.9. & 9.11.12.15. &c. Adversarij qui inter præcipuas meriti conditiones istam statuunt, ut opus sit liberum, id est, quod ex æquo possit à merente vel fieri, vel omitti. Sollicitè quærunt quomodo Christus per opera charitatis & obedientiæ meruerit, cùm virtutum illarum actus in Christo non liberi fuerint, sed necessarij. Christus autem necessariò diligebat Deum & in præstationem mandatorum Patris necessariò incumbebat: Aeque omnino fieri poterat, vt vel Deum omnino, vel Dei præcepta neglectui

glectui haberet, neque se facilè expedient, qui liberum esse negant, qui alicui necessitati subjacet. Itaque longis verborum & responsionum ambagibus se lectoresque suos fatigant. Nobis verò non est difficile respondere qui nouimus Deum & Angelos non eo minùs liberè bonum operari, quod necessariò operantur, neque possunt aliud operari quàm bonum: Quanquam enim Christus non poterat Patri suo non præstare amorem & obsequium, tamen liberæ charitatis & obedientiæ suæ actus exercebat, quia ex certo Iudicio illos spontaneè, alacriter & absque omnî communicatione præstabat, quod satis est ad seruandam veram liberæ voluntatis rationem, supra suo loco demonstrauimus.

QVÆRITVR vtrum Christi actiones vt verum ita & infinitum habuerint pretium siue meritum: Scholastici enim abeunt in diuersas sententias, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Nobis res ita explicatur, Meritum dici posse infinitum, vel extensiuè, vel intensiuè. Extensiuè infinitum intelligo quod ad omnia bona creaturæ rationali promerenda sese extendit. Atque hoc quidem sensu dici non potest Christi meritum infinitum cùm multa sint bona, quæ meriti illius ambitu minimè concluduntur. Sic agnoscunt omnes Christum non potuisse sibi mereri vnionem hypostaticam, quâ humana natura coniuncta est personæ verbi. Nam certè principium meriti non potest cadere sub meritum: At vnio illa fuit principium meriti in Christo. Itaque eam ex mera Dei misericordia citra vllam cuiuscunque meriti rationem fuisse dispensatam suo loco demonstrauimus: Sic & Christus non meruit visionem illam, qua ipsius anima Deum videt in visione verbi ab instanti conceptionis: Nam cùm omnis Christi actus meritorius fuerit illa visione posterior, non potuit per aliquem eiusmodi actum ipsam promereri. Sic communis est nostrorum sententia Christum suis actionibus nihil sibi, sed Ecclesiæ suæ tantùm meruisse, sed *intensiuè* tamen infinitum rectè dicitur illud meritum, quatenus tantùm est vt nullo præmio finito exhauriri aut æqualiter compensari valeat, quomodo scilicet Dei potentiam dicimus, quia etsi non alios quàm finitos effectus proferat, nullo tamen effectu potest exhauriri, neque ipsi vllus effectus adæquari. Certè vbi numerus electorum completus fuerit, & omnes in æternam gloriam propter Christi meritum euecti, non est tamen ita existimandum ita defecturum illud meritum, vt non si per impossibile de nouo exsurgeret noua multitudo electorum, possent illi omnes per illud ipsum meritum salutem æternam adipisci: Omnes enim ex eius plenitudine haurirent gratiam pro gratia, Iohan. 1. 16. Itaque ex illo meritorum fonte dona gratiæ pro fidelibus sine vlla restrictione, vel limitatione procedunt.

AT verò vnde nam tantùm illud pretium actionum Christi, vt eis infinitum adscribatur meritum. Hic certè non simpliciter immorandum est in ipsa entitate, siue substantia actionum, siue passionum Christi, sed meriti illius magnitudo & infinitas in tribus considerandavenit, 1. Æstimanda est ex præstantissima humanæ Christi naturæ innocentia, atque sanctitate: Nam cùm eum ordinem Deus inter homines Deus ipse

ab initio ſtatuerit, vt perfecta legis obedientia beatæ vitæ præmium indubitanter obtineret : Homo enim qui fecerit hæc, viuet per ea, Leuit. 18. 5. Chriſtus autem perfectiſſimo & conſtantiſſimo Deo Patri obſequium præſtitit in omnibus, quis inficias eat per actiones & paſſiones pro nobis præſtitas Chriſtum nobis præmia æternæ vitæ promeruiſſe : & verò cum ſcriptura, 1. Pet. 1. 19. ſanguinem Chriſti vocet pretioſum vtpote qui ſit ſanguis agni immaculati & incontaminati ſatis indicat immaculatam Chriſti juſtitiam ad pretium meritumque operationum ipſius non parùm contuliſſe. 2. In hanc æſtimationem venit dignitas humanæ Chriſti naturæ nonper ſe ſumptæ & in ſe præcisè conſideratæ, ſed quatenus per verbi Deitatem, tanquam per formam aliquam ſanctificata eſt & quaſi deificata, vt ait Nazianzen. orat. 36. & 48. Humanitatem Chriſti fuiſſe delibatam, perunctam & deificatam ipſa Deitate, nimirum conſortio diuinitatis in eadem perſona factum eſt vt humanitas ſanctificationem acceperit eximiam, & Deo longè gratiſſima fuerit, adeóque immensè & impensè ipſi placuerint ejus operationes, ſiquidem vt in ipſo complacitum eſt Patri, Matth. 3. 17. Ita quæ fecit ipſe ſemper Patri placuerint, Iohann. 8. 29. 3. Præcipuè metienda eſt illa meriti infinitas, ex præſtantia perſonæ operantis, quæ cùm verè Deus ſit, dignitate pollet & ſanctitate infinita. Quò etiam Scriptura reſpicit cùm ſanguinem quo purgamur, vocat ſanguinem Filij Dei, 1. Ioh. 1. 7. & Eccleſiam redemptam fuiſſe Dei ſanguine, Act. 20. 28. & mortem crucis attribuit Domino gloriæ, 1. Cor. 2. 8. Quia igitur perſona verbi ſuſtentat & tractat humanam naturam operantem, adeóque ipſi tribuuntur humanitatis operationes, quatenus ſunt actiones ſuppoſitorum. Haud immeritò eſt quod propter eius perſonæ dignitatem tribuitur actionibus infinitum pretium : Ampliùs dico etiam perſonæ dignitatem valere ad meritum ad acceptationem & ad compenſationem, quemadmodum à Theologis notatum eſt ad meritum : Nam qui rapinam non eſt arbitratus eſſe æqualem Deo, quid eſt quòd apud Patrem ſuum agendo & patiendo non commereatur ad acceptionem : Nam quòd Chriſtus à Patre in omnium noſtrum vicem admiſſus eſt, & quòd ipſius actiones & mortem Deus acceptauit ad meritum æternæ gloriæ pro nobis. Inde fuit quod ea perſona pro nobis licebat, quæ infinitis hominum myriadibus dignior eſt & præſtantior: Ita vt longè plus faceret cum vnum pati, quàm ſi totum ſimul genus hominum in æternum pateretur ad compenſationem. Denique quia cùm nos propter peccata pœnis gehennalibus, & duratione ſempiternis in inferno plecti mereremur. Indignum autem eſſet Filio Dei eiuſmodi pœnis in æternum durantibus ſubjacere fecit perſonæ dignitas, vt ſatisfactum fuerit Deo, non per eiuſdem generis aut conditionis cum eis quas promeriti fueramus, ſed per æquiualentes, quas præter illam æquiualentiam non dubitant, aliquando Theologi infernales nominare cum rei explicandæ exemplum afferre ſolent de filio Principis, qui pro reo aliquo læſæ maieſtatis putà proditore, perduelle, ſicario ſatis dedit : Nam cùm ſit ille iuſtitia puniendus, & parcetur quidem ei de morte quia vas eſt,

& pro

& pro illo reo se sponsorem constituit, sed parcetur tamen illi de suspendio, de loris, de laniena propter dignitatem personæ, quia filius Principis est.

PORRO circa infinitatem meriti Christi illud obseruandum est non esse illam considerandam in qualibet Christi actione, vel passione seorsim, sed in omnibus simul & conjunctim acceptis, quia scilicet omnes simul sumptæ eam meriti rationem ex ordine diuinæ dispensationis constituunt, imò neque sunt illæ à morte separandæ, cùm scriptura mortem proponat tanquam illius merita complementum & coronidem, vnde in morte Christus exclamabat, consummatum est, Ioh. 19. 30. comparationem illam ad mortem suam applicat, nisi granum frumenti, &c. satis denotat actionum & passionum suarum meritum necessariam habere à morte dependentiam. Neque Pontificij abnuunt, Becani est illud tract. de Incarnat. cap. 4. quæst. 3. Singulas Christi actiones seorsim non fuisse infiniti meriti, sed omnes simul sumptas quatenus per voluntariam mortem fuerunt consummatæ; quo posito tritum illud Pontificiorum dictum euidenter destruit vnam sanguinis Christi guttulam fuisse sufficientissimam ad totum mundum redimendum. Et sanè Scriptura longè alia documenta suggerit, qui passiones, ignominias, crucem & mortem Christi tanquam necessaria subinde proponit. Neque enim possibile fuit vt in morte calix à Christo transiret, Matth. 26. 39. adeóque necessarium fuit, vt in Christum exundaret. Oportuit etiam Christum hæc omnia pati, Luc. 24. 26. & conueniens fuit, vt iis omnibus passionibus consummaretur, Hebr. 2. 10. Dices personæ dignitatem cuilibet, vel minimæ passioni dare infinitum pretium, adeóque ad Redemptionem sufficientissimum. *Resp.* cum Thoma voluisse Deum genus humanum à peccatis liberare, non sola pietate, sed justitia, & ideò non tantùm attendisse quantam virtutem Christi dolor haberet, ex diuinitate vnita, sed etiam quantum ejus dolor sufficeret secundùm humanam naturam ad tantam satisfactionem. Distinguèdum igitur inter substantiam pœnarum, & earum circumstantias: circonstantias enim si consideramus, i. personâ operantis & patientis, & humanæ naturæ ex diuinitatis consortio dignitatem agnoscimus, longè plus debito Christum persoluisse: Voluit enim Deus non sufficientem modò, sed copiosam & abundantissimam esse redemptionem nostram, Psalm. 130. 7. At verò si ipsam pœnarum substantiam perspicias, dico nihil perpessum fuisse Christum quod per legem à Deo debitam non deberetur: Neque enim vel Patris in filium immensus amor, vel diuinæ justitiæ ratio ferre potuisset vt plura filio imponerentur, quàm quæ ad redemptionem nostram perficiendam erant necessaria. Propterea Christus non est simpliciter redemptor à nobis constitutus, sed Redemptor per modum sponsionis. Itaque quanquam ad nos quomodocunque redimendos fatemur sufficere potuisse minimum Christi dolorem, aut passionem dicimus tanquam vadis & sponsoris conditionem necessariò requisiuisse. Nam sicut qui vas est æris alieni debet totam illam æris alieni summam pendere, pro qua se sponsorem constituit: Ita oportebat Chri-

ſtum pœnis grauiſſimis affici, quales nempe nobis debebantur, ſicut dicitur, Eſaiæ 53.4.5. Chriſtum dolores noſtros portaſſe, vt ejus tumice curatio nobis fieret.

Quod ad objectum meriti Chriſti attinet, in quorum nempe gratiam diſpenſatum illud fuerit, dicimus in Theoremate Chriſtum nobis fuiſſe meritum, id eſt, hominibus : Quod enim ad ſanctos Angelos ſpectat, Chriſtus humanis ſuis actionibus non eſt putandus eis vel gratiam vel gloriam meruiſſe & verò finem aduentus ſui adeóque conſequentium operationum cùm Chriſtus exponit, teſtatur ſe non eſſe miſſum, niſi ad oues Iſraelis quæ perierant, Matth.15.24. Vnde conſequitur merita Chriſti ſupponere peccata eorum, pro quibus adminiſtrata ſunt, adeóque non ſpectare ad Angelos, quippe qui nullum habeant cum peccato commercium.

De Christo quæſitum eſt vtrum ipſum attingat pars aliqua meriti ſui, ſiue an ſibi operationibus ſuis aliquid mereri voluerit Scholaſtici vulgò agnoſcunt Chriſtum ſibi nec vnionem hypoſtaticam nec animæ beatitudinem, ſiue beatificam Dei viſionem, nec gratiæ habitualis infuſionem meruiſſe, quippe cùm fuerint hæc omnia actu quocunque Chriſti meritorio priora, ſed ſibi meruiſſe volunt illa omnia, quæ poſt reſurrectionem accepit, putà glorificationem corporis, impaſſibilitatem corporis & animæ exaltationem nominis, &c. Noſtri hac de re ita ferè indicant, non eſſe tanti quæſtionem iſtam vt inter eas reponi debeat, quæ caput & arcem religionis continent, neque pernitiosè errari, vtramvis in partem diſcedatur, atque inde fieri quòd non omnes hac de re ſentiant idem. Interim rectiùs eos ſentire videri, qui Chriſtum eo fine veniſſe volunt, vt nobis, non vt ſibi mereretur, quemadmodum veniſſe certum eſt, vt nobis, non ſibi homo fieret: Etenim quoties Scriptura finem Incarnationis commemorat, docet puerum nobis eſſe datum, filium nobis eſſe natum, Eſ.9.5. Chriſtum exciſum fuiſſe ſed non ſibi, Dan.9.26. veniſſe non vt ſibi miniſtraretur, ſed vt aliis miniſtraret, Matth.20.28. Poſuiſſe animam pro ouibus ſuis, Ioh.10.11. Seipſum pro iis ſanctificaſſe, Ioh. 17.19. Factum nobis à Deo ſapientiam, Iuſtitiam, ſanctificationem, & Redemptionem, 1.Cor.1.30. &c. Quæ verò autem reſurrectione accepit ea non tam merito alicui propriè dicto attribuenda videntur quàm vnioni perſonali, ex qua gloria illa ſua ſponte, imò & neceſſariò conſecuta eſt. Iam verò ex ipſis Scholaſticorum principiis & poſitionibus conficitur. 1. Hanc de Chriſto merente pro ſeipſo ſententiam, non eſſe recipiendam tanquam dogma certum fidei certitudine, ſed tantùm tanquam opinionem probabilem : Ita enim Guill. de Rubione in lib.3. ſententiarum diſt.18. quæſt.1. dicit. 1. Chriſtum potuiſſe habere præmium ex merito, vel ſine merito. 2. Nullibi contineri in Scriptura ſaltem expreſsè, quòd Chriſtus meruerit ſibi ipſi. 3. etſi hoc probabiliter videatur tenendum, non eſſe tamen aliquid hîc determinatè tenendum, & certitudinaliter aſſerendum ſecundò. Cùm Chriſtum ſimul & comprehenſorem & viatorem fuiſſe conſentienter docent, neque velint

me-

meruisse, nisi quatenus viatorem. Dicunt ipsum fuisse Comprehensorem propter suam dignitatem, & viatorem propter nostram necessitatem, Quæ sunt verba Bonau. in 3. dist. 18. art. 2. quæst. 2. Vnde ita concludit. Quomodo Christus fuit viator, ita etiam meruit, cùm viatorum tantùm sit mereri: Atqui non fuit viator pro se, sed tantùm propter nostram necessitatem. Ergo neque pro se sed pro nobis & propter necessitatem nostram meruit. Verùm quanquam hæc ita se habeant si quis tamen meriti nomine consequutionem earum rerum intelligat, quas Christus post passionem recepit, haud difficilè concessuri sumus Christum meruisse sibi gloriam, quatenus nonnisi per viam obedientiæ & passionis ad eam peruenire potuit, ita vt fuerit obsequium & passio Christi necessaria conditio, sine qua non potuit Christus in cœlestem gloriam ingredi. Oportuit enim eum pati, & sic intrare in regnum, vel in gloriam suam, Luc. 24. 26. & priùs perficere mandatum Patris & opus ab ipso præscriptum tum deinde à Patre glorificari, Ioh. 17. 4. 5.

Sed Hac explicatione non contenti Pontificij Christum pro seipso præcipuè & ex intensione speciali meruisse docent, atque in eum finem duo vrgent Scripturæ testimonia. Prius est Phil. 2. 8. 9. Humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem crucis propter quod & Deus exaltauit eum &c. Alterum est Heb. 2. 9. Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum vtrobique est particula (propter) quæ causam vbique significare solet vnde Patres ex his locis colligunt Christum meruisse humilitate gloriam non solùm nobis, sed etiam sibi Ambr. Aug. Basil. Sed facilè respondet Caluinus his locis ordinem vt consequentiam rerum designari, neque aliud sibi voluerunt Patres, quos certum est merendi voce designasse impetrationem & conseruationem rei frequentissimæ etiam vbi nulla est ratio meriti strictè dicti, quemadmodum supra suo loco demonstratum est: Neque verò est quod Bellarm. regerat particulam (propter) vbique causam significare: Nam causalem quidem eam esse particulam, vel pueri norunt, sed nemo est qui nesciat nomen latissimè patere, neque semper causam efficientem aut meritoriam eo designari, sed sæpius etiam causam finalem & causam sine qua non & conditionem quamcunque præuiam & necessariam: Ita cùm dicitur, Psal. 45. 8. dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea te vnxit Deus. Obseruat Athan. orat. 2. contra Arrianos, & post eum Thom. particulam *propterea*, non mercedem virtutis aut operis significare, sed Christi ad nos aduentus causam & finem. Quod idem sentire putandi sunt quicunque hic nomine vnctionis Incarnationem siue vnionem hypostaticam significari volunt, quo numero habendi Cyrill. Alex. Aug. Aniel. & alij: Non enim Christus Incarnatus est, quia Deum dilexit: Vnde sequitur illud *propterea* de causa finali, non meritoria esse intelligendum, Quod idem dicendum erit, si vnctionis nomen cum plerisque Interpretibus de gratia Christi habituali explicandum malis: Nam cùm gratia habitualis non cadat sub meritum, sed sit potiùs meriti radix, consequitur vt particula, *propterea*, non meritum aut causam efficientem de-

notet, sed potius ad finem, vel consequentiam & ordinem rerum significandum referatur.

IAM si producta à Bellarmino loca pensiculatiùs examinari liceat, reapse comperiemus nihil in eis esse vnde confirmari possit Christum sibi gloriam passionibus & obedientia sua meruisse. Nam quod ad Phil. 2. 8. 9. Significat Apostolus eo loco potiùs quòd fuerit vnionis hypostaticæ effectum, quàm quod passionis meritum: Id enim dicit Dei Filium exinauisse seipsum sumpta serui forma, id est, per vnionem illam personalem, quâ humanitas ascita est in vnitatem personæ verbi, & propter hanc vnionis gratiam factum est vt Christus secundùm humanitatem assumptam summè fuerit exaltatus. Itaque illud, *propterea*, non est simpliciter referendum ad mortem crucis, sed ad illa præcedentia, Christus seipsum exinauiuit.

HEBR. 2. 9. Locus ita habet si ad verbum transferamus eum, qui paulò præ Angelis imminutus est. Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro nobis gustaret mortem. Quæ verba, prout vulgò explicantur hyperbaton quoddam continent; Quod alij sic ordinant eum Iesum, qui præ Angelis imminutus est videmus gloria & honore coronatum propter passionem mortis, vt scilicet intelligatur eum glorificatum fuisse propter passionem, vel tanquam conditionem præcedaneam, quod Caluino & aliis magis placet: Alia verò ea verba collocant sic, videmus eum Iesum gloria & honore coronatum, qui paulisper fuerit inferior Angelis factus propter passionem mortis, vt scilicet causa denotetur, quâ factus fuerit Christus paulò minor Angelis, nimirum vt pati posset & mortem subire pro nobis, Quomodo Beza explicat post veteres Syrum Interpretem, Athan. Aug. Theod. Qui sensus si sic accipiatur nemo non videt nihil hic esse vnde Bellarm. causam suam statuminet, sed non videtur opus esse, vt hyperbaton in Apost. verba importemus, cùm illo quo disponuntur ordine non difficilem sensum habeant. Sanè hyperbato causam illud dedit, vt notauit Iustinianus, quod alioqui difficillimum est explicatu, quomodo verba illa, vt gratia Dei pro nobis mortem gustaret, cum superioribus illis cohæreant; Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum; Quis enim dicat post passionem fuisse coronatum, vt gustaret mortem, quasi mortis gustatio fuerit finis coronationis illius, nimirum illud plerique Interpretes extra dubium posuerunt agi de coronatione cœlesti, siue de illa cœlesti gloria, in quam Christus euectus est post mortem. Sed nihil est quod eam explicationem faciat necessariam, Dicamus ergo gloriam illam & honorem quo Christus dicitur coronatus esse ipsam mortem crucis, quæ quantumuis ignominiosa fuerit, reapse tamen glorioſa Christo fuit, Quandoquidem per eam se verum & vnum mundi Redemptorem ostendit gloria & honor Christi crux, quia innumera bona per crucem contingere, inquit author dictorum & Interpretationum scripturæ apud Athanas. quæst. 128. Atque hunc sensum amplexus

plexus est Primas. Gloria, inquit Christi, crux ejus fuit. Oecumenius δόξαν καὶ ἡμῖν τὸν σταυρὸν καλεῖ. Hac expositione posita, nec Bellarm. aliquid obtinebit & manifesta erit sententia, Christum qui paulò inferior Angelis factus fuerit, veram mortem gloriosè objisse quippe qnam gustauit, vt nos in vitam assereremur.

QVAM vltimo loco adjungit Bellarminus rationis, vt vocat, congruentiam: Ea verò parum omnino congrua est. Melius inquit, est cæteris paribus aliquid habere ex merito quàm sine merito. Inde colligens Christum glorificationem corporis sui ex merito obtinuisse. Sed hæc ratio si locum habere debeat, quî factum vt Christus visionem beatificam, & scientiam & gratiam habitualem, adeoque ipsam vnionem hypostaticam credatur ab Adversariis, non ex merito habuisse, sed ex mera Dei gratia possedisse. An dicemus Christum ea bona non tam præstanti ratione possidere, quàm glorificationem sui corporis, & cùm id quod melius & præstantius est pluris fieri debeat, An concludemns magis æstimandam esse gloriam corporis Christi, quàm ipsum vnionis beneficium, ingentia illa bona, quibus cumulata est sanctissima ipsius anima; Tum quis nescit illum habendi modum esse optimum qui proximè accedit ad modum pefectionis Dei quem nouimus omnia possidere non ex merito, sed ex proprietate naturæ. Itaque valeat sanè Bellarm. axioma in iis quæ humano & politico modo possidentur, sed in iis quæ diuino cœlestique habentur, ne valere existimemus. Christus autem gratias illas eminentissimas quibus anima & corpus ipsius refulgent, non humano, sed diuino planè modo obtinuit vnione non operatione, dignitate personæ, non meriti pondere, adeoque cùm vna sit gloria totius Christi humanitatis ex vnionis gratia efflorescens ne illam ita distrahamus, vt pars attribuatur merito, pars verò citra meritum possideri dicatur. Atque his ita disputatis concludamus. Christum nobis tantùm meruisse, id est, veræ Ecclesiæ membris sicut ipse testatur se pro ouibus & amicis suis vitam ponere, Ioh.10.15. & 15.13. & seipsum pro nobis sanctificare, Ioh.17.19.

SED QVIA bona pars meriti Christi in virtutum ejus exercitiis & obedientiæ præstatione constituta est Ideò de obedientiæ illius modo & fine hîc subjiciendum est aliquid: Ac modus quidem in obedientiæ perfectione consistit: Finis verò in ejus necessitate statuitur. Modum si quærimus certum est. Christum omnibus obedientiæ Deo legibúsque diuinis debitæ partibus & muneris esse perfectissimè defunctum, adeò vt in nullo ne leuissimè quidem impegerit, sed constantissimum, promptissimum, plenissimúmque obsequium exhibuerit, Psal.40.8.9. Ioh.4.34. & 8.39. &c. De quo etiam supra dictum est. Atque hoc euidenti ratione confirmaretur, cùm non humana Christi natura verbo personaliter sit vnita, adeoque illius instrumentum & instrumenti actio referatur ad agens principale quemadmodum Deo nulla potest Injustitia atiribui: Ita nec humanæ Christi naturæ ἀνομία vel peccatum affingi: Deinde Christus Iustitia habituali perfectissima donatus. Habitus autem perfetus & immutabiliter inhærens ad actum & operationem congenerem

non disponit modò subjectum, sed & determinat, adeò vt habitui illi contrarium nihil produci valeat. Enimuerò potest hæc obedientia distinctè considerari, tum ratione personæ, tum ratione naturæ humanæ; Ac ratione quidem personæ, cùm Christus omnes Mediatoris partes cumulatissimè præstiturus venerit, sicut exinaniuit seſe voluntariè, meraque libertate serui formam assumpsit. Sic & liberè nulla necessitate constrictus legibus diuinis se se subjecit: At si naturam humanam respiciamus obsequium illud multis nominibus debuit, nempe tum generali, tum speciali ratione, Generalem in eo pono quòd filius fuit Adami; Specialem, quòd Filius fuit Abrahæ: Prius enim habuit commune cum omnibus hominibus, sed posterius ipsi cum Iudæis specialiter conuenit. Quâ ergo Filius Adami ex creationis Iure legi naturali moralique subjectus fuit. Atque hoc modo dicitur Parentibus suis subditus, Luc.2.51. Quam subjectionem expresso legis moralis præcepto sanciri certum est Exod. 20.12. Et huc referendum quoque quod cùm eo tempore venerit in mundum Iudæa gens imperio Romano subjacebat, ne Romanorum quidem legibus illis exemptum se voluit, quæ jus & æquitatem ciuilem aut naturalem præ se ferebat, Ioh.17.27. Ioh.19.11. Sed quà filius Abrahami ceremonialibus etiam legibus obstrictus fuit, quarum obseruationem à Circumcisione auspicatus, & per totam vitam religiosè prosequutus est, dum tandem eas morte crucis abrogauit.

Necessitatem verò obedientiæ Christi in tribus præcipuè capitibus constituo: Nam 1. Cùm certum sit sacrificia improrum esse abominationem coram Deo, Prou.21.37. neque à Deo exaudiri peccatores, Ioh.9.31. quippe quorum preces sint ipsis crimini, Psal.109.7. Vt esset Christi pro nobis in cruce oblatio Patri grata & accepta Intercessio necessaria fuit obedientia perfectaque totius legis præstatio, tanquam præuia quædam conditio & causa sine qua non illius meriti efficaciæque quæ in Christi passione & Intercessione relucet. Itaque, Es.53.11. Dicitur primò justus Dei seruus, tum additur eum iniquitates fidelium bajulaturum; Et Apostolus de Pontificatu Christi agens, cum ante omnia proponit sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus Heb.7.26. 2. Oportuit ista perfecta constantique obsequij præstatione Christum nobis præire, & veluti facem prælucere, id est, exemplum perpetuæ & indefessæ erga Deum obedientiæ præberet, sicut ipse declarat, Matth.11.29. Et Ioh.13.15. Vnde jubemur esse imitatores Dei, & ambulare in charitate, prout Christus nos amauit, Eph.5.1. Quò pertinet quod Christus etiam officiis erga Magistratum ciuilibus defungi voluit, ne offendiculi occasio cuiquam exhiberetur, Matth.17.27. 3. Hæc obedientia eo etiam nomine vel maximè necessaria est quod est nobis in partem meriti, Christus scilicet tum propter nos & bono nostro, tum pro nobis & loco nostro illud obsequium legi diuinæ exhibuit, quod inprimis declarat Apostolus dum instituta inter Adamum & Christum collatione docet nos sicut per vnius contumaciam constituti sumus peccatores: Ita per vnius obedientiam constituti iust, Rom.5.19. Nimirum &

per

per Adami actualem totius legis transgressionem peccatores, & per Christi actualem totius legis præstationem justi. Et cùm 2. Corinth. 5. 21. ait Christum factum esse peccatum pro nobis, vt nos fieremus justitia Dei in ipso, satis indicat, quemadmodum omnia nostra legem transgredientium peccata Christo fuerunt imputata: Ita totam Christi legem perficientis justitiam nobis imputari; & verò qui filio proprio non pepercit, sed eum dedit pro nobis. Quidni & cum ipso omnia largitur, Rom. 8. 32. Etsi omnia quidni ipsius innocentiam, justitiam & obedientiam perfectissimam. Huc adde secundo loco immotam justitiæ Dei regulam, quę velit legi diuinæ à creatura rationali exhiberi plenam & omnibus numeris atque partibus absolutam obedientiam, sine qua nemini patere potest ingressus in cœlum, cùm sine sanctitate nemo Deum videre possit, Hebr. 12. 14. Nobis autem semper inhæreat aliquid vitij, & sit peccatum ad nos circumcingendos tam procliue, Hebr. 12. 1. Procul dubio necesse est, vt quam non habemus in nobis justitiæ perfectionem aliunde hauriamus, & per gratiosam imputationem obtineamus in Christo. Præterea cùm fidejussor noster Christus voluntaria dispensatione illa facere & subire voluerit quæ præstanda nobis incumbebant, Necessarium fuit vt non tantùm mortem subiret pro nobis, sed etiam vt legem præstaret pro nobis. Atque ita justificatio legis impleretur in nobis, sed etiam vt legem præstaret pro nobis. Atque ita justificatio legis impleretur in nobis, Rom. 8. 4. Nam & priori illi ex peccato nostro eramus obnoxij, & posterius istud ex Dei justitia debebamus. Denique salutis nostræ perfectio non minùs in vitæ donatione consistit, quàm in liberatione à morte. Vt ergo hanc peccati expiationem Christus in morte sua obtinuit, Ita illam donatione suæ Iustitiæ par fuit donationem nobis impetrari.

Sed quæritur, an vt legem moralem Christus pro nobis impleuit, Ita pro nobis & loco nostro ceremonialem impleuisse dicendus sit: Hîc verò distinctione videtur res expedienda: Etenim bifariam considerari possunt ceremoniæ. 1. quidem quatenus actiones fuerunt, siue obseruationes & ritus quidam externi atq; visibiles solis Iudæis traditi & mandati, quippe quibus solis Deus sua Iudicia & statuta exclusis Gentibus dederit, Psal. 147. 19. 20. Ita vt essent ceremoniæ illæ, quasi septum quoddam integerrimi parietis, quo Dei populus à reliquis nationibus secludebatur. Eph. 2. 14. Atque eo sensu ceremonias Christus non est dicendus vice nostra obseruasse, quippe cùm nos qui sumus ex Gentibus ad eas obseruationes rituales & spectabiles nunquam vllo jure vel naturali, vel diuino obligati fuerimus, etsi non eamus inficias fuisse bono nostro præstitam à Christo illi legi obedientiam, quatenus ab eo exemplo discimus externum cultum esse Deo humiliter & religiosè tribuendum, vt & Deus glorificetur & fides nostra promoueatur, & alij ad pietatis studium & exercitium prouocentur: Deinde id potest in Ceremoniis illis spectari, quod positæ fuerunt maximam partem in passionibus quibusdam, id est, molestis & ærumnosis exercitamentis. Sæpius non cum labore tantùm, sed & cum dolore conjunctis. Vnde colligere facilè est Ce-

remoniis illis citra rationem peccati nullum futurum locum, quippe si homo integer permansisset, quis crediderit instituendum fore cruentum Circumcisionis Sacramentum. Cùm igitur ea ratione Ceremoniarum obseruatio ad pœnarum impositionem pertineat quas Christus sponsionis jure, & Mediatoris officio pro nobis pertulit, non videtur negandum eo modo & sensu Christum legis Ceremonialis jugo sese pro nobis locoque nostro subdidisse.

NVNC ad Christi satisfactionem explicandam accedendum est satisfactionis vox Latinis semper fuit in vsu celeberrimo, sed varia significatione vsurpatum: Nam, 1. Satisfacere qui alicui placet, & morem gerit: Nam vt ait Vlpian. ei satisfacere dicimur, cujus desiderium implemus: Ita apud Cic. is me omni genere delectauit, in eoque maximè in quo minimè putabam, satisfaciebat. 2. Qui sese purgat & excusat apud alium præsertim de offensa aliqua & injuria illata, vt apud eundem mihi satisfieri pateret à te, id est, acciperem purgationem & excusationem tuam, & verò qui offensam reparabat verbis istis vtens doloris ac pœnitentiæ testibus. Nollem factum, dicebatur satisfacere apud Latinos: Vnde in Ecclesia nomen satisfactionum increbuit, vt significaretur publica illa pœnitentiæ testimonia, quæ ab illis qui in graue aliquod & notorium peccatum inciderant, publicè solebant in Ecclesia Veteri ad fidelium ædificationem & offendiculi dati reparationem exhiberi. In vsu Iurisconsultorum satisfactionis & solutionis vocabula non rarò tanquam æquipollentia vsurpantur: Nam satisfactionem solutionis verbo accipiendam quodque placet, vt dicitur in ff. de verborum significatione, sæpius tamen est, cùm hæc duo tanquam differentia separantur: Nam soluere dicitur, qui pretium enumerat, satisfacere qui pignus, vel fidejussorem præbet, quò pertinet Scholastica satisfactionis definiti. Satisfactionem esse redditionem voluntariam æquiualentis aliàs indebiti, cùm nimirum fidejussor quod alias non debebat, aut æquiualens reddit Creditori: Sed Theologi cùm satisfactionem dicunt, intelligunt voluntariam pœnarum nobis debitarum persolutionem à fidejussore Christo pro nobis exhibitam. De qua esto nobis hoc Theorema.

THEOREMA. *Christus veram, perfectam, necessariamq; satisfactionem solus pro nostris omnibus peccatis Patri suo præstitit.* Ad plenam Theorematis istius quatuor de Satisfactione Christi explicanda nobis incumbunt veritas, perfectio, necessitas, & vnitas satisfactionis. Primum caput quod attinet, nimirum de veritate satisfactionis Christi, illa olim à Pelagianis negata fuit, quorum hæresim nescio quis Habelardus sub tempore sancti Bernardi ab inferis reuocasse legitur, sed & hodie ab illis hominibus rejicitur, qui diuinitati Christi execrabile bellum indixerunt, nempe cùm facilè intelligant tanti esse satisfactionem præstare pro mundi peccatis, vt illud effectum nemo dare possit, qui meus homo est, fieri non potuit, quin Christi diuinitatem eliminando ipsius satisfactionem eadem ratione rejiciant, sed satis mirari non possumus, quòd ex Lutheri discipulis nonnulli sunt, atque inter alios

alios Gerhardus in loco de iustificatione §.36. qui occasionem huius blasphemiæ erroris nouis Photinianis datam volunt per doctrinam Ecclesiarum nostrarum de absoluto Dei decreto : Nam, inquit, si absoluta Dei voluntate saluandi sunt electi ad vitam æternam, vtique etiam absoluta Dei voluntate peccata illis remittũtur, vel certè remitti potuerũt, adeoq; non opus est Christi satisfactione nec merito : Illi verò eadem argumentandi efficacia facilè collegerint non opus esse, vel fide, vel pœnitentia, sed iniquissima est accusatio, & vel ex eo satis refutatur, quod qui pro absoluto electionis decreto pugnamus, etiam pro vera Christi satisfactione aduersus illa dogmatum portenta totis viribus decertamus. Enimuerò id ab accusatoribus nostris par fuit absolutum decretum de fine nullum afferre mediorum constitutioni præjudicium, adeoque absolutam Dei voluntatem in nobis eligendis nequaquam illis mediis aduersari, antea tollere quæ necessaria sunt ad finem electione destinatum, nempe gloriam æternam consequendam.

Iesvm Christvm esse verum Seruatorem, nimirum Scriptura clariùs docet, quàm vt vllus vnquam in Christianis nomen suum professus id negare sustinuerit, sed quomodo sit seruator, non omnes Christiani dici volunt eodem modo explicant, nimirum seruare est operam dare vt aliquis eripiatur periculo quod imminet, vel miseria in qua jacet. Sed illud fieri potest duobus modis. Nam ille seruat qui ita operatur, vt suis operibus proximè & immediatè seruet, & salutem conferat, vt cùm quis in bello perniciem militi ab hoste intentam amolitur, eumque de manu inimicorum eripit, vel cùm Nauclerus nauem fluctibus jactatam industriâ suâ salvam deducit in portum : vel cùm quis captiuum de compedibus & carceris fœdere liberat numerato pretio, sed & ille seruare dicitur, qui quanquam nihil efficit quo proximè & immediatè salus obtineatur, rationem tamen ostendit qua se servare possit ille qui in periculo est aut miseria, vt eùm quis militi jam jam in hostium potestatem deuenturo tutum aliquem locum indicat, quò sese recipiat, aut cùm quis ægroto persuadet, vt hoc, vel illo remedio ad salutem recuperandam vtatur, aut cùm quis in littore est nautis agitatis & naufragio proximis voce fauet, & gesta, vel portum ostendit quò velis ramisque contendant. Hinc distinctio seruatoris in seruatorem exemplo, aut consilio, & Seruatorem meriti, siue opere & efficacia : Deus, enim & homines eos seruare dicuntur, & in Scriptura verbi præcones dicuntur eos seruare quibus verbum Dei annuntiant, Rom. 11.14. 1.Cor.9.22. 1.Tim.4.16. Sed longè diuersa ratione ; Deus enim nos seruat opere & efficacia, homines autem exemplo & consilio, quatenus scilicet & nos hortantur, vt ad salutem votis omnibus adnitamur, 2.Cor.5.20. Et exemplo suo in via salutis per eum, vt ipsos imitemur videntes finem conuersionis ipsorum.

Novi ergo Photiniani, quorum dux & præcentor est Infaustus ille Socinus Christum Seruatorem esse docent hoc posteriori modo, nempe quia vniuersam Dei voluntatem de ratione salutis nobis exposuit & docuit, quid à nobis fieri oporteat, vt salutem consequamur.

lutem consequamur. 2. Quia doctrinam suam proposuisse non contentus, ipse primus viam quam sequeremur nobis exemplo suo præmonstravit & absolutissimam justitiæ formam in tota vitæ suæ ratione expressit, vt cùm aliquis non modò viam quâ progrediendum sit digito indicat, sed & ipse præit & nos sequi jubet. 3. Quia non illa duo tantùm præstitit, sed etiam sua resurrectione confirmauit, id est, facto & euentu ipso ostendit hanc esse certissimam salutis obtinendæ rationem. Ita quicunque viam eandem instituerit & constanter retinuerit ad vitam æternam & gloriam haud dubiè resurrecturi sunt. Hæc tria sunt propter quæ volunt Christum Seruatorem & mediatorem dici: Aliam verò ejus appellationis causam & rationem esse præfractè negant. Sed quàm illi deprimant Seruatoris nostri gloriam vel inde satis liquere potest, quod si Christus his tantùm rationibus Seruator dicendus est, nihil obstare quò minus dicamus Christum non esse vnicum nimirum Mediatorem & Seruatorem, sed alios in ejus nominis & muneris consortium posse vocari: Nam certè qui ab istis Ecclesiæ nascentis incunabulis fuerunt Patriarchæ, & qui ipsos sub Vetere & Nouo Testamento consequuti sunt Prophetæ & Apostoli & Euangelistæ in totidem Seruatores erunt transformandi, quippe qui & Dei voluntatem fideliter explicarint, & exemplo bonæ vitæ aliis præluxerint, & reapse ipsi salutem æternam assequuti fuerint, vt olim ad immortalem gloriam certissimè resurrecturi. Præterea si Christus esset Seruator tantùm exemplo, cùm exemplum & imitatio, sint relata: Profertur enim exemplum vt imitatione exprimatur; Sequeretur nos tantùm imitatione seruari, quia nullus in ea ætate Christum potest imitari, & cùm imitatio ab exemplo, siue archetypo abire non debeat, sed ei conformis esse, qui peccatis quotidianis obnoxius erit (quales sunt fideles omnes, cùm Iustus septies in die cadat) non poterit imitator Christi vocari, qui ab omni peccato penitus immunis fuit adeoque salutem obtinere non poterit, cùm pœnitentia & remissio peccatorum nulla sit imitatio Christi, (Nam nec Christus pœnitentiam egit, nec Christo remissa sunt peccata, quæ nulla in ipso fuerunt) dicendum erit, vel nos seruari sine pœnitentia, vel sine remissione peccatorum, quod absurdum est, vel nos non seruari per imitationem Christi solam, adeoque Christum non esse solo exemplo Seruatorem, quod certissimum est. Accedendum est igitur ad aliam seruandi rationem, vt scilicet agnoscamus salutis per Christum partæ rationem in hoc propriè constitui, quod Christus obedientiæ suæ merito nos seruarit, Deo pro nobis satisfaciens, & pœnarum nobis propter peccata debitarum persolutionem in se susciplens, adeoque omnia præstans & efficiens ex quibus verè & immediatè salus nobis constat. Id vt vno verbo dicam Christum non exemplo tantùm, sed & merito Seruatorem esse, Cujus veritatis, ac fidei, & pietatis causam vel maximè spectantis & citra cujus professionem nemo Christiani titulo insigniendus est, Certissima sunt in Scriptura fundamenta.

PRIMVM argumentum suppeditant ea Scripturæ loca in quibus dicitur

tur Christus reconciliator noster, propter quem Deus nobis placatur & propitius euadit. Proponitur enim Christus passim tanquam Mediator noster, neque verò simpliciter vt Mediator: Nam & mediatoris nomen Mosi attribuitur Galatarum 3.19. quatenus Mose tanquam internuntio & & Interprete vsus est Deus ad sanciendum legale illud suum cum Israelitis fœdus: At verò Christus, 1. Proponitur tanquam Mediator reconciliationis, id est, ille per cujus mortem reconciliati sumus Deo, Rom.5. 10. Eph.2.16. Colos.1.20. 2.Cor.5.19. Vt autem facilior euadat modus reconciliationis per Christum factæ notandum est reconcilationem & Deo Patri & Christo Mediatori & ipsis quandoque fidelibus attribui: Nam is reconciliare dicitur, & quia est primaria reconciliationis causa, & qui aliquid efficit, quod meretur, aut consequatur reconciliatio, Atque reconciliationis ab alio promeritæ gratiam sibi applicat. Primo modo Deus Pater nos sibi reconciliare dicitur, quippe qui ab æterno decreuit electos suos in peccata prolapsos in gratiam restituere, & illud ex ordine gratiæ suæ præparauit, quod ad componendam inter se & peccatorum discordiam necessarium erat. Itaque dicimur Deo reconciliati, Rom.5.20. ex illo Scripturæ vsu, quo pars offendens dicitur reconciliari parti offensæ, id est, in ejus gratiam restitui, Matth.5.23.24. 1.Cor.7.11. 2. Fideles jubentur etiam seipsos Deo reconciliare, 2.Cor.5.20. Reconciliamini Deo, id est accipite per veram fidem reconciliationis gratiam, quæ nobis in Christo per ministerium verbi exhibetur, & in ea porrò firmiter perseuerate, adeoque bonis vestris operibus testatum facite vos esse verè per Christum reconciliatos, Ita vt eo loco reconciliandi vocabulum, tum reconciliationis applicationem, tùm ejus per certa indicia demonstrationem significat. 3. Christus nos Deo reconciliat, Eph.2.16. Reconciliat autem quatenus Mediator, vnde dicimur in Christo, siue per Christum reconciliati, Igitur simpliciter quà Deus, adeoque non hic considerandus est tanquam supra causa efficiens reconciliationis, sed neque simpliciter spectari debet tanquam reconciliationem nobis applicans: Applicatio enim beneficiorum salutarium fit ex potestate Dei per Spiritum sanctum, Christus autem dicitur nos reconciliasse, non per Spiritum sanctum, sed per sanguinem suum pro nobis effundens in cruce, Illud Deo exhibuit, propter quod, & cujus intuitu Deus iram ponit, & nos ad gratiæ suæ communionem vocat. 2. Vtitur Scriptura *pacificandi* vocabulo: Dicitur enim Deus per Sanguinem crucis pacificasse, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. Colos.1.20. Quod quanquam intelligi potest de dissidio inter homines & Angelos sublato per Christum, sicut & Eph.2.16. dicitur compositum fuisse dissidium inter Iudæos & Gentes per crucem Christi, quippe quæ septum intergerinum diruit, quo Iudæi à Gentibus separabantur. Certum tamen est non esse excludendam reconciliationem hominum cum Deo: Nam & Eph.2.16. dicitur Christus vtrosque, id est, Iudæos & Gentes reconciliasse Deo, & Colos.1.20. Postquam dixit Apostolus ea quæ in terris atque in cœlis sunt esse pacificata per Christum, adjungit Christum nos re-

conciliasse per mortem, vt inculpatos coram se sisteret. Vt pateat eum agere de reconciliatione cum Deo, per quam homines æterna gloria fruuntur. Et verò quomodo putamus Angelos in gratiam cum hominibus rediisse, nisi quia per Christum homines Deo sunt reconciliati, cui ita conjuncti sunt Angeli, vt quos Deus amat aut odit, ipsi etiam vel odio, vel amore prosequantur. 3. Vtitur Scriptura vocabulo *propitiationis & placamenti.* Dicitur enim Christus propitiatio pro peccatis nostris, 1.Ioh.2.2. & 4.10. Propitiationis autem vox non simplicem destructionem peccati significat, sed eam quæ fit per auersionem iræ diuinæ à peccatore. Est enim teste Hesichio ἱλάσκεσθαι, siue propitiari, idem quod ἐξιλεοῦσθαι, reconciliari. Itaque dicitur Christus ἱλαστήριον, id est, propitiatorium siue placamentum in sanguine suo, quatenus scilicet sanguis ejus vim habet placandi Deum, Rom.3.25. & verò cùm arcæ tegmen dictum sit propitiatorium, Hebr.9.5. quia erat publica quædam declaratio, qua Iudæis testatissimum fiebat Deum ipsis esse placatum & propitium. Oportuit sanè in Christo cujus figura fuit antiquum illud propitiatorium esse aliquid majus & excellentius, ideoque dici propitiatorium in sanguine suo, non tantùm per modum declarationis, sed & per modum effectionis, id est, non modò quia Deus testatur per Christi exhibitionem se nobis esse placabilem, sed etiam quia Christi sanguis placationem illam verè efficit per modum causæ meritoriæ. Denique hæc *reconciliandi, pacificandi, propitiandi, placandi* vocabula significant quidem Deum fuisse nobis iratum propter peccata nostra, sed non ea ira & indignatione, quæ rationem omnem ineundæ concordiæ auersaretur & respueret. Itaque hanc iram auersam fuisse morte Christi, quippe per quam Christus impetrauit, vt Deus puniendi & vindicandi quasi affectu posito nobis propitius esset. Hinc jam argumentum ita colligitur. Qui id pro nobis apud Deum operatur, vt Deus priùs iratus, iram deponat, & nobis placetur, atque reconcilietur; Is Seruator est merito, & non tantùm exemplo: Nam qui nos solo exemplo seruat non est opus vt aliquid efficiat apud Deum, sed tantùm vt operam suam exerceat, & occupet circa homines: Exemplum enim ad homines pertinet non ad Deum: Atqui Christus id effecit apud Patrem morte sua, vt ira deposita nobis reconcilietur & propitius fiat. Ergo Seruator est non exemplo tantùm, sed etiam merito.

Secvndvm argumentum ab iis Scripturæ locis ducitur, qui de Redemptione agunt per Christum nobis acquisita: ac redimendi quidem vocabulum non vna significatione vsurpatur in Scriptura. Nam 1. cùm hortatur Apostolus, Ephes.5.16. & Colos.4.4. vt τὸν καιρὸν siue opportunitatem redimamus, ea phrasi significat tum sollicitè captandam esse benefaciendi occasionem, tum ita compensandum esse tempus, quod nobis vel nihil, vel malè agentibus effluxit, vt eò ferventiùs incumbamus operibus, quò frequentiùs antea malis institimus. 2. Redemptio laxiori quodam & metaphorico siue metonymico significatu accepta designat liberationem quamcumque etiam nullo interueniente pretio factam,

ctam, quo sensu Scriptura frequentissimè Israeliticam ab Ægyptiaca seruitute redemptionem commemorat & Mosem cuius opera Deus in eam rem vsus est, λυτρωτὴν, siue Redemptorem appellare non dubitat, Act.7, 35. 3. Redemptio maximè propria significatione accipitur pro ea liberatione qua quis ab aliquo incommodo, aut re noxia liberatur pretio interueniente. Pretium autem illud voco, quo aliquid compensatur, siue cujus impendio res, aut jus aliquod acquiritur, & cujus ea est natura & proprietas vt sui valore, aut æstimatione alterum moueat ad rem aut jus aliquod concedendum. Sic apud Terentium, vt redimas te captum, quàm queas minimò. Et apud Virg.

------fratrem Pollux alterna morte redemit.

Nec alludit illud Cicer. se vitam omnium ciuium quinque hominum perditorum pœna redemisse. Hoc sensu primogenitorum quidam redimebantur apud Israelitas soluto certo pretio, & huc pertinet jus illud redemptionis bonorum inter cognatos. De quo Leuit.25. & Ruth.4. Cùm igitur Christo redemptionem nostram tribuit Scriptura, & redemptionis nomen non secundo, sed tertio significatu, adeóque non tropicè, sed propriè accipiendum est. Quod primò ex eo satis euidenter concluditur, quod quæcunque circa captiuorum redemptionem fieri solent, Scriptura in hoc negotio pariter fieri docet. Primùm enim proponit homines tanquam miseros captiuos, Esa.61.1. Luc.4.18. A Deo alienatos ab ipso vtero, Ps.58.4. Idque propter peccatum, Esa.5.9. 2. Deinde hos captiuos docet carcere veluti quodam detineri, siue carcerem illum dicas corpus istud corruptibile quod aggrauat animam, Sap.9.15. & à quo propterea liberari petit Apostolus Roman.7.24. siue potius mundum istum miseriarum plenum & veram lachrymarum vallem, quæ ad quam damnantur peccatores, veluti pars est superior ex qua nisi accederet liberatio in inferiorem tandem detruderentur, nimirum in æternam illam gehennam, quam multi designari volunt nomine inferni inferioris siue profundi, Psal.86.13. 3. Sordes, tenebræ & laquei carceris hujus in quibus captiui isti miserè jacent sunt peccata, iniquitates & vana conuersatio: Præterea enim Scriptura peccatores vocat, & conscientiam ipsorum pollutam, Tit.1.15. & peccara, & nominat μιάσματα & μολυσμούς, sordes & inquinamenta, 2.Cor.7.1. 2.Pet.2.10.20. Sic & peccata dicuntur opera tenebrarum, Rom.13.12. & peccatores dicuntur tenebræ, id est toti in cæcitatem spiritualem miserè demersi, Ephes.5.8. & qui in peccata proruunt, dicuntur tanquam Diabolis laqueis retineri, 2.Timoth.2.26. Quanquam & vinculi siue laquei nomine intelligi potest reatus ille mortis & æternæ damnationis consequens ex peccato, quo veluti aliqua compedevincti tenemur, & obstricti judicio diuino. 4. Est etiam qui nos in eo carcere detineat captiuos. Nam si de judice loquimur is verò Deus est qui nos captiuitati justè mancipauit propter peccata nostra: sicut & Israelitæ dicuntur in captiuitate à Deo venditi propter suas iniquitates, Esa.50.1. Sed si Iudicis ipsius ministrum siue tortorem & carnificem spectamus, is Diabolus est. vnde qui seriò resipiscunt & peccata sua abji-

ciunt, dicuntur conuerti à parte Satanæ ad Deum, Act. 26.18. 5. Si quæras vnde liberemur, cùm redemptio per Christum accedit, dico nos non liberari siue erui de manu Dei, quasi per redemptionem eximeremur ab illius peccato. Redemptio enim non eo fine peracta est, vt abstrahamur à Deo, quasi à malo, sed ut in gratiam redeamus cum Deo, tanquam summo bono, in cujus fauore nostra beatitudo sita est, verùm cùm captiuitas nostra sit, & à Iudice qui læsus est, & à tortore cui traditi eramus, & consistat etiam in sordibus, tenebris, & vinculis, quibus detinebamur. Ideò hæc sunt ex quibus redimi dicimur, 1. Ex ira Dei, siue justitia eius vindicatrice & seuera illa sententia in peccatores intonante, Maledictus qui non manserit, Deut. 27.27. Itaque Christus dicitur nos redemisse ab execratione legis, Gal. 3.13. & ab ira Dei, Rom. 5.9. 1. Thessal. 1.10. 2. A parte Diaboli, sub cujus servitute gemebamus, quippe qui haberet imperium, Hebr. 2.14.15. 3. A peccatis & concupiscentiis nostris, tanquam à tenebris & inquinamentis, fœtore & vinculis carceris nostri, Matth. 1.21. Luc. 1.24. Rom. 6.18. 22. & 8.2. Ephes. 1.7. Colos. 1.13.14. Tit. 2.14. &c. Quis nos, & per quod redemerit Scriptura docet. Redemit nempe Christus, qui propterea Seruator noster & Redemptor vnicus vbique proponitur in Scriptura. Redemit autem persoluto pretio, 1. Cor. 6.20. & 7. 23. Porrò pretium illud non fuit aurum & argentum, aut aliquid ejusmodi corruptibile, sed sanguis illius inculpati, vt ait Petrus primæ primo ℣. 18.19. Vbi sanguinem Christi opponens auro & argento, satis ostendit sicut aurum & argentum verè pretium est & non figuratè: Ita in sanguine Christi verum, proprium & perfectum Redemptionis nostræ pretium consistere, Vnde dicitur Christus dedisse animam suam oblationem pro peccatis, Es. 53.10. & tanquam vetum λύτρον, Matth. 20.28. Imò & ἀντίλυτρον, 1. Tim. 2.6. In qua verè vt in omnibus aliis, quæ ex illa propositione proponuntur, vel contrarietatem, vel compensationem significat: Atqui contrarietatem significare non potest vt per se notum est. Significat igitur compensationem adeoque denotat nos liberatos fuisse per compensationem à Christo factam, quæ actus est justitiæ commutatiuæ tantum reddentis pro tanto. Ex quibus omnibus positis facilè est istud argumentum colligere. Qui pro nobis à Diaboli potestate, à mundi seruitute, à peccati laqueo, tenebrarum caligine liberandis obtulit Deo Patri pretium auro & argento longè præstantius, nempe animam & sanguinem suum, Ille non tantùm exemplo, sed & merito Seruator est, cùm certissimum sit pretium & compensationem propriè dictam non ad exemplum, sed ad meritum pertinere: Atqui Christus pro nobis liberandis pretium ejusmodi obtulit. Est igitur Seruator non exemplo tantùm, sed & merito.

Tertivm argumentum ex iis locis petitur quibus docemur Iesum Christum esse pro nobis passum, mortuum & in crucem actum, Ioh. 10. 11. & 11.50. & 15.18. Rom. 5.7.8. 2. Cor. 5.14. Heb. 2.9.1. Pet. 2.21. Quanquam ergo particula illa, pro, sæpius tantùm fructum & vtilitatem notat, quomodo Paulus ad Col. 1.24. ait se reliquias afflictionum Christi adimplere

adimplere in corpore suo pro Ecclesia, id est, in vtilitatem & bonum Ecclesiæ siue ad Ecclesiam suo illo patientiæ & constantiæ exemplo animandam & ædificandam, tamen vbi de Christi morte & passionibus agitur, non est in hoc sensu simpliciter immorandum, sed progrediendum vlterius, vt scilicet agnoscamus passum esse Christum non modò pro nobis animandis, aut confirmandis, siue bono nostro, & vtilitatis nostrę causa, quatenus scilicet morte sua confirmauit doctrinæ quam proposuerat veritatem, sed & vice nostri, siue loco nostro, id est, vt ea passus tanquam sponsor noster, quæ nos commeriti eramus, & à morte liberaret, & ad æternæ vitæ liberatos possessionem porrò perduceret, atque ita cumulatissimè diuinæ justitiæ ab ipso satisfieret. Hunc esse sensum phrasis illius, quà dicitur ὑπὲρ ἡμῶν pro nobis mortuus, multa demonstrant. 1. Quia vocula ὑπὲρ genitiuo iuncta id ex vsu Scripturæ frequenter designat: Ita enim optat Apostolus, Rom. 9.3. ἀνάθεμα esse ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, id est, vice & loco fratum suorum, & 2. Corinth. 5.20. dicuntur Apostoli legatione fungi ὑπὲρ Χριστοῦ, id est, vice Christi, quasi Christus oraret per eos vt statim subjungitur. Sic apud Hebræos vocabulum תחת sæpius accipitur, Genes. 30.2. Num pro Deo inquit Iacob ad Rachelem, id est, loco Dei. Ita Dauid, 2. Sam. 18.33. Vtinam pro te, id est, loco tuo mortuus essem. Et Es. 43.4. Dabo populos pro anima tua, id est, loco animæ tuæ. Haud aliter apud Latinos particula *pro*, apud Virg.

------Vnum pro multis dabitur caput.

Apud Cic. vnus Cato est mihi pro centum militibus. Apud Terent. Ego pro te molam. Nihil ergo mirum est, si & in hac causa in hoc sensu dicatur vsurpanda ista particula. 2. Quia ἀντὶ Græcis non solam vtilitatem, sed commutationem significat, Luc. 11.11. ὄφις ἀντὶ ἰχθύος, serpens loco piscis, 1. Corinth. 11.15. Coma data est mulieri ἀντὶ περιβολαίου, loco velamenti. Atque Scriptura phrasim hanc Christus mortuus est, ὑπὲρ ἡμῶν explicat per alteram illam dedit seipsum λύτρον ἀντὶ πολλῶν, vice, vel loco multorum, Matth. 20. 8. Marc. 10.45. Ergo pro nobis dicitur mortuus, non modò quia bono, sed quia loco nostro. 3. Quia illud pati & mori pro nobis proponitur tanquam Christo eximium, & quòd in ipsum ita competat vt in alterum conuenire non possit: Dicitur enim ipse solus mortuus pro omnibus, 2. Corinth. 5.14. Ergo hoc ponitur tanquam testimonium supremi amoris, & cui alius æquari non possit, Iohan. 15.18. Iam autem si hæc phrasis vtilitatem tantùm significaret falsa essent illa Scripturæ dicta, cùm certum sit multos martyres esse mortuos pro fidelibus aliis, id est, in eorum vtilitatem, vt de se testatur Paulus, Col. 1.24. & 1. Iohan. 3.16. Iubemur pro fratribus mori, id est, cùm ipsorum salus ita postulat extrema quæque pati; Neque tamen putandum est nos eodem modo & fine pro fratribus mori, quo Christus pro nobis mortuus est: Nam quòd ibidem Apostolus argumentum exhortationis ex eo ducit, quòd Christus mortuus est pro nobis, non eo fine facit, vt ostendat nos eodem modo, quo Christus passus est, debere pro fratribus pati, sed argumentatur tantùm à simili, non ab exemplo. Iam autem ad exemplum

sufficit, si generalis quædam similitudo adsit, & si latum longumque discrimen sit in modo speciali. Ita enim perfectio Dei nobis in exemplum proponitur, Matth.5. quamuis certissimum sit perfectionem diuinam ab humana in modo speciali longè discrepare. Neque verò est quòd obiiciat aliquis Christum dici mortuum pro peccatis nostris, siue propter peccata nostra, Rom.4.25. Gal.1.4. cùm tamen absurdum sit dicere mortem Christum subiisse loco peccatorum nostrorum. Etenim cùm prædicata sint alia qualia præmittuntur à subjectis suis juxta regulam locorum, sit autem ridiculum aliquem dici mortuum loco peccatorum, res ipsa, siue subjectum nulla ratione fert, vt dicatur Christus vice peccatorum, siue ad peccata liberanda mortuum esse, sed mortuus dicitur pro peccatis scilicet expiandis & tollendis. Est enim agnus Dei tollens peccatum mundi: At Christus ita dicitur mortuus pro nobis, vt Redemptionem in sanguine ipsius habeamus, Eph.1.7. Ergo mortuum esse pro nobis redimendis. Hinc jam emergit argumentatio, qui non tantùm nostro, sed & loco & vice nostra mortem crucis perpessus est, Seruator est non exemplo tantùm, sed & merito: Nam peccatorum vicem subire, vt ipsi saluentur, non est tantùm exemplum dare, sed meritum exhibere: Atqui Christus non bono tantùm, sed & loco nostro mortuus est. Ergo.

QVARTVM argumentum suppetunt duo eximia Scripturæ loca, quorum alterum extat, Es.53.4.11. Alterum, 1.Petr.2.24. Esaias igitur dicit, Christum tulisse langores nostros, baiulasse dolores nostros, & baiulasse iniquitates nostras. Vbi duo notanda, 1. Esaias non solo verbo נשא vtitur, sed adjungit alterum סבל. Quanquam enim נשא propria & primaria significatione sit onus ad humeros ad gestandum tollere. A qua significatione nihil est quod nos hoc loco recedere cogat, imò quod non ad eam explicationem nos quasi manuducat, ne tamen aliquis moras necteret & diceret נשא hic non aliud esse, quàm simpliciter aufferre, aut remouere citra vllam impositi oneris significationem, quomodo in S. Scripturis sæpius vsurpari certum est. Ideò Spiritus Sanctus verbo altero סבר vsus est, quod in Scriptura non habet aliam, quàm portandi siue onus impositum baiulandi significationem. Vnde quem baiulum vocamus Scriptura סבר nominat, quod LXX. 2.Chron.34.13. verterunt ποτόφορον, id est, dorso ferentem, & quod gestatur humeris, ita vt gestantem promat. Dicitur סבר Vnde volunt etiam fabulum Latinis dictum, quòd arena sit valde ponderosa. 2. Esaias non modò Christum ait langores & iniquitates nostras portasse, sed etiam dolores baiulasse, id est, pœnas & cruciatus nobis debitos, vt nimirum significaret qua ratione Christus peccata portauisse dicatur, videtur quatenus pœnas peccatis nostris debitas in se assumpsit, quemadmodum ibidem pluribus explicatur, cùm dicitur Christus propter peccata nostra vulneratus, attritus, humiliatus, percussus à Deo fuisse, quia autem peccata nostra ita portat, vt pœnas eorum pendat, & propter ea puniatur, ille sanè non modò peccata aufferre dicendus est simpliciter, sed aufferre per pœnarum peccatis debitarum impositionem. PETRVS verò ait Christum

peccata

peccata nostra ἀνενέγκειν in corpore suo supra lignum. Est autem ἀνενέγκειν, siue ἀναφέρειν, sursum ferre, vel aliquid sibi impositum in altum eleuare: Nam & Lexicographi obseruant ἀνὰ in compositione non rarò aduerbij *sursum* significationem inclusam habere. Velle autem Apostolum impositionem, siue imputationem peccatorum nostrorum hac phrasi designare, vel illud satis confirmat, quod Christus dicit, non simpliciter portasse peccata nostra, sed portasse in corpore suo, quia scilicet in illo pœnas peccatis nostris debitas pertulit. Sed præter eas rationes quæ ex ipsis Esa. & Petri verbis eruuntur, sicut & aliæ, quibus manifestè conficitur Christum peccata nostra portasse non simpliciter, quatenus ea à nobis abstulit, & remouit, sed quatenus eorum pœnas pro nobis dependit. 1. Quia hic frequentissimus est Scripturæ vsus vt peccata portare, seu baiulare dicatur, qui pro peccatis punitur & plectitur, sicut videre est, Leuit. 5.1. & 19.8. & 20.17. & 24.15. Num. 14.33. & 30.16. Ezech. 18.20. Lam. 5.7. 2. Quia qui peccata ita fert pro nobis vt dicatur fieri peccatum pro nobis, ille non portat ea per simplicem peccati rationem à nobis: Alioqui enim quid obstaret quò minus Pater cœlestis, cùm à nobis peccata remouet per gratiosam ipsorum remissionem diceretur fieri pro nobis peccatum, quod tamen est absurdorum absurdissimum. Sed portat ea per imputationem peccati, siue per veram impositionem, siue translationem pœnarum propter peccata nobis debitarum in seipsum, quatenus ita cum eo agitur, ac si ipsemet peccata illa perpetrasset, atque Christus quanquam peccata non nouisset pro nobis factus fuit peccatum, 2. Corinth. 5.21. Vbi notanda verba, quamuis non nouisset peccatum, quippe quibus significat Apostolus Christum quidem nullum cum peccato commercium habuisse, adeoque nullas debuisse pro se pœnas luere, sed nihilo tamen minùs ex ordine decreti diuini fuisse habitum instar peccatoris, & propter eam peccatorum nostrorum imputationem pœnas nobis debitas pertulisse. 3. Quia qui ita fert peccatum, vt propter illud in execrationem incurrat. Ille non dicendus simpliciter peccatum à nobis remouere, sed remouere pœnam ipsius in se suscipiendo: At Christus vt nos à maledictione legis redimeret, factus est pro nobis maledictio, siue execratio, Gal. 3.13. Quod & singulari typo fuit olim figuratum, hirci nempe illius qui Azazel dictus est, & quem viuum emandabant in desertum, postquam imposita fuerant ipsi omnia peccata populi per typicam scilicet quandam peccatorum in illum translationem, quandoquidem ipsi ita imputabantur, vt qui eum tetigisset deduxissetque in desertum opus haberet expiatione, & vestium corporisque sui abluitione, Leuit. 16.26. Expiabatur nempe & ablucbatur, quia immundus erat. Immunditiem autem contraxerat ex contactu hirci: Vnde consequitur hircum typicè pollutum fuisse propter imputationem omnium iniquitatum Israelis, ad quem etiam typum respexisse videtur Esaias, cùm ait conjecta fuisse in Christum omnia peccata nostra, Esa. 63.6. Vnde iam argumentamur, qui pœnas peccatis nostris debitas portauit, & veluti humeris suis peccata nostra baiulauit ad ipsorum expiationem faciendam,

adeoque propter peccata nostra vulneratus, & attritus est, is non solo exemplo, sed & merito seruator est: Nam ad simplicem exempli rationem nequaquam pertinet vt Christus peccata nostra in se transferat, atque pœnas peccatorum nostrorum Christus luit, & peccata nostra bajulauit in corpore suo supra crucem. Ergo non Seruator, est solo exemplo, sed & merito.

QVINTVM argumentum ex iis locis constituitur, quæ de Christi sacerdotio & sacrificio loquuntur. Ac Christum quidem esse verè propriéque sacerdotem, nec vllus Christianus negare potest & ex euidentissimis Scripturæ locis supra confirmatum est. Sunt autem aliæ Sacerdotis; aliæ verò Prophetæ partes. Nam prophetici muneris ratio propriè consistit in iis quę pro Deo agenda sunt apud homines: est enim Propheta, Interpres voluntatis diuinæ, cui id curæ est ut homines intelligant, quid sit ipsis ad salutem, & credendum & faciendum. Itaque cùm de prophetico Christi munere Scriptura loquitur, docet Deum in ipsius ore sua verba positurum, & jubet eum reuerenter & religiosè audiri pœnasque ab eo reposcendas minatur, qui ipsi non auscultauerit, Deut. 18. 18. At verò Sacerdotis munus propriè versatur in iis quæ pro hominibus agenda sunt apud Deum, vt scilicet offerat dona & sacrificia pro peccatis, Heb. 5. 1. & 8. 3. atque adeò aliquid operetur, quo Deus homini propitius fiat, & concilietur. Cùm igitur Christus sit verè Sacerdos, non id tantùm habet quòd intercedit pro nobis apud Patrem in cœlo, sed quòd etiam verum sacrificium & reale obtulerit Deo pro peccatis hominum: Tradidit enim semetipsum pro nobis in oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragantiæ, Eph. 5. 2. Illa autem oblatio non alia est quàm sacrificium crucis in quo Christus pro nobis mortem oppetiit. Vnde jam consequitur Christum aliud morte sua effecisse quàm vt doctrinam suam confirmaret, & mortis sphragide quadam obsignaret: Etenim qui morte sua non aliud molitur, aut operatur, quàm vt veritatem doctrinæ à se prædicatæ confirmet; Ille non moritur vt Sacerdos, sed vt Propheta, cùm Prophetæ sit non modò veritatem cœlestem docere, sed etiam pro ea si sit opus sanguinem fundere: Atqui Christus mortem oppetiuit, vt Sacerdos. Ergo morte sua aliud effecit, quàm confirmaret veritatem doctrinæ suæ, nempe vt pro nobis Iustitiæ diuinæ satisfaceret. Cui etiam illud addo Christum Sacerdotem fuisse non pro iis tantùm hominibus, qui post eum vixerunt, sed & pro fidelibus qui sub Vetere Testamento vixerant: Cùm vnum enim tantùm habeamus Mediatorem Dei & hominum, nempe Iesum Christum, 1. Tim. 2. 5. Oportuit veteres, aut Mediatorem non habuisse, quod est absurdum, cùm sine Mediatore accessus homini ad Deum patere non possit, aut Christum ipsorum fuisse Mediatorem. Mediatoris autem nomine Sacerdotale officium comprehenditur, non minùs quàm Propheticum, aut regium. Atque inde est quòd Christus dicitur idem fuisse & heri, & hodie, & in sæcula, Heb. 13. 8. non modò quia Deus est in æternum benedictus cum Patre, sed etiam quia in eo ab initio mundi reposita sunt & constituta fuit omnium electorum

salus

salus, cùm sit ipse agnus occisus ab origine mundi, Apoc.13.8. Cujus diem, id est, Redemptionis mysterium ab ipso peragendum Abraham vidit & gauisus est, quippe qui Redemptionis illius per fidem particeps fuerit, Ioh.8.58. Et verò si non est salus in alio quàm in Christo, Act.4.12. Non potuerunt salutis esse participes Antiqui fideles, nisi per veram & spiritualem cum Christo communionem quemadmodum satis significatur, Act.15.11. Vbi dicuntur veteres seruati fuisse per gratiam Christi, sicut & nos. An verò Christus dicitur eos seruasse solo exemplo, minimè verò cùm nondum illud exemplum ipsis proponeretur, & tamen sit necessaria exempli propositio iis qui per illud confirmari debent. Seruauit igitur merito, nempe quatenus mors ejus interuenire debuit tanquam Redemptio peccatorum, quæ præcesserunt sub Vetere Testamento, Heb.9.15. Deus enim propitiationem constituit in sanguine, siue morte Christi ad declarandam suam Iustitiam per remissionem peccatorum præcedentium, Rom.3.24. Præterea certum est vetera sacrificia typos & figuras fuisse; quorum veritas in Christo exhibita est. Vnde, Heb.9.23.24. & 10.1. Quæ sub Vetere Testamento fuerunt vocantur ὑποδείγματα, ἀντίτυπα, ὅμοιες, exemplaria, figuræ, imagines respectu veritatis per Christum exhibitæ & allusione ad vetera Sacrificia. Christus in Nouo Testamento sæpe vocatur agnus Dei, quia per victimas illas veteres repræsentatus fuit. Inde jam duplex emergit argumentum; Nam, 1. cùm veteribus illis sacrificiis subrogatæ fuerint pecudes in loco hominum peccantium, quomodo dicitur peccata populi posita super hircum illum, qui viuus amandabatur in desertum, Leuit.16.20. Ita & in Christi sacrificio facta est substitutio, siue compensatio, vt scilicet Christus vices nostras subierit & loco nostro mortem perpessus fuerit; Atque ita quæ peccatis nostris debebantur, pœnæ compensatæ fuerint illarum, quas Christus passus est, pœnarum irrogatione. 2. Vt vetera illa sacrificia offerentes sanctificabant quod ad puritatem carnis, Heb.9.13. Quatenus scilicet qui contraxerat aliquem reatum typicum peccati alicujus impetratione sita vt sacrificiis interesse non posset, neque religiosam societatem cum fratribus inire, aut cum eis orandi causa in locum sanctum ingredi; Hoc enim si fecisset non erat impune laturus per oblatæ victimæ sanguinem ab illo reatu, & à pœna consequutura absoluebatur, & publicæ Israelis societati reddebatur. Quanquam de cætero ejusmodi victimæ conscientiam reapse purificare non poterant, Heb.9.9. Per sese & vim ceremoniæ externæ non efficiebant spiritualem mundationem à peccatis, Ita & Christi sacrificium per se & via sua quatenus est sacrificium siue sanguis Filij Dei expiat nos & reatum peccatorum expungit, & intus ad conscientias vsque pertingit, easque à sordibus suis spiritualibus emundat, Iohan.1.7. & vno verbo, nos antea à Deo abalienatos in gratiosum ipsius consortium & veram Ecclesiæ communionem restituit.

Ex iis omnibus argumentis facilè potest colligi satisfactionis Christi veritas, quam sicut S. Scriptura frequentissimè inculcat, Ita & vetus Ecclesia inter præcipua Christianæ fidei capita computauit, Orig. tract.

2. in Matth.16. Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua. Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem nempe pretiosum sanguinem filij sui Ambr.lib.1.de Ioseph.c.4. Venditus Christus conditionis susceptione, non culpæ peccati pretio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum non suo ære contraxit, Chirographum sustulit, fœneratorem remouit, exuit debitorem, vnus exsoluit quod ab omnibus debebatur Aug. in Ps.95. tenebantur homines captiui sub Diabolo, & Dæmonibus seruiebant, sed redempti sunt à captiuitate: Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt, Venit Redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum & eruit orbem terratum & contra Faustum lib.19.cap.4. Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, vt inde solueret reatum nostrum, & finiret etiam supplicium nostrum. Sic serm.8. de tempore manifestissimis verbis ostendit, Iesum Christum esse Seruatorem tum merito, tum exemplo. Duas enim causas aduentus Christi in hunc mundum proponit, Alteram vt omnia patiendo pro nobis à peccatorum vinculis nos liberaret. Alteram vt quos sanguine suo redemit à vitiis etiam doctrinæ auxilio & exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet Greg. Magnus lib.3. moral.cap.13. Mediator noster puniri pro seipso non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetrauit, sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cùm Iustus sit justum puniens omnia justa disponit, quia per hoc cuncta Iustificat, quod eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat. Decurrunt apud Patres infinita ejusmodi testimonia.

Inter Multa quæ aduersus hanc doctrinam objiciuntur hæc sunt. 1. Satisfactionis Christi doctrina tollit gratiam & gratuitam peccatorum remissionem: Cuicunque enim vel à debitore, vel à sponsore satisfit, ille non potest dici gratis peccatum remisisse. 2. Deus jubet nos ita remittere debitoribus nostris, sicut ipse nobis remisit, Matth.6. 12.15. Atqui nos debemus absque vlla satisfactione remittere debitoribus nostris offensas. Ergo Deus absque præuia vlla Christi satisfactione nobis remittit. 3. Immota est Iustitiæ regula, quam ipse Deus præscripsit, Ezech.18.20.21. nimirum animam quæ peccauit esse ipsam morituram, neque alium luiturum pro alio. Cùm ergo peccauerimus, non est Iustitiæ consentaneum vt dicatur Christus luisse & satisfecisse pro nobis. 4. Quomodo dici potest Christum verè luisse pœnas peccatorum nostrorum, cùm nos æterna supplicia commeriti fuerimus. Christus autem nequaquam ad pœnas æternas damnatus fuerit, sed morte tantùm corporali eaque breuissima defunctus. 5. Christi satisfactione posita, sequitur nos plus amari à Christo, quàm à patre cœlesti, cùm non Pater cœlestis, sed Christus satisfactionem illam præstitit. 6. Illi opus non habent reconciliari Deo per satisfactionem Christi, quibus Deus nunquam fuit iratus, & quos ab æterno dilexit: At electi ab æterno fuerunt Deo chariſſimi: Non est igitur opus vt Deo per Christum reconcilientur.

Sed Ad hæc omnia non est difficilis responsio. Ad primùm respondeo

pondeo satisfactionis Christi cum Dei gratia siue misericordia non modò nullam esse pugnam, sed & manifestissimam contesserationem esse, cùm satisfactio illa præcipuus sit diuinæ majestatis effectus. Certè Scriptura dilectioni Dei tribuit quòd Christus missus est & passus pro nobis, Ioh.3.16. Rom.5.8. Gal.2.20.1. Ioh.4.9. nimirum Iustitiæ rigor id exigebat, vt quod debebamus ipsi solueremus. Itaque quòd Deus non modò Christi satisfactionem oblatam pro nobis accepit, sed etiam ipse destinauit & præparauit in eo se beneficentissimum & clementissimum erga nos exhibuit. Quamuis autem peccatorum remissio merè sit gratuita respectu nostri, quatenus scilicet citra vllam rationem meriti aut dignitatis nostræ nobis communicatur, non illa tamen ita est absoluta, vt nullum habeat respectum ad meritum & satisfactionem Christi & quanquam indebitis fortè pecuniariis qui à sponsore solutionem recipit, non possit dici remississe debitori, & in criminalibus tamen, vbi Iudex est absolutus, neque tenetur alterius, quàm ipsius rei satisfactionem accipere, si velit à sponsore pœnas exigere, vt ita Iustitiæ satisfiat, dicetur ille quidem debitum exegisse, sed tamen personæ debitrici peperciisse quatenus alium in ejus locum subrogari ex mera misericordia passus est. Sed caue ne propterea existimes Dei misericordiam non esse absolutam, sed habere causam aliquam superiorem, quia remittit peccata nostra interueniente Christi satisfactione, sed potiùs ita habe misericordiam Dei considerari posse, tum ratione causarum antecedentium, tum ratione conditionum ei subordinatarum: Et quidem causas præcedaneas & antecedentes quod attinet, esse illam absolutissimam, quippe quæ extra se nullas habeat causas, quibus moueatur ad miserendum; Miseretur enim quia amat, & amat, quia bonus est, vnde soli Dei voluntati Scriptura attribuit, quòd Deus nostri misereatur, Rom.9.18. Non autem satisfactioni Christi vel alteri cuipiam rei: Sed conditiones subordinatas quod attinet, quarum interuentu deriuantur in homines effecta diuinæ misericordiæ, dici non debet misericordiam Dei esse absolutam: Neque enim misericordiæ dona putà remissio peccatorum nobis absolutè, & citra vllius conditionis rationem conceditur, sed habet tres conditiones sibi subordinatas, nempe Christi satisfactionem tanquam causam meritoriam remissionis peccatorum, pœnitentiam tanquam causam sine qua non datur remissio, & fidem tanquam instrumentum percipiens remissionem illam ex Dei grati ain Christo.

Ad Secvndvm ex Matth.6. *Resp.* non jubere Christum eo loco vt quæcunque debita remittamus absque interueniente vlla satisfactione: Neque enim vult ex humana societate contractus ciuiles & iura politica exulare, sed loqui ipsum de offensis priuatis, quibus alius ab alio sæpenumero læditur, & quas vult ita remitti, vt ne in priuatam vindictam erũpamus. Exemplum autem Dei quod proponit rem ipsam respicit quam fieri dicit, non autem specialem rei modum, quasi idem penitus ordo à nobis debeat obseruari, quem Deus circa peccatorum nostrorum remissionem sequitur, alioqui multa sequerentur absurda: Nam, 1. cùm

Deus nemini peccata remittat, quem non peccati sui verè pœniteat, adeoque impœnitentes omnes illa gratia priuentur, sequeretur neque nos offensas priuatas remittere debere, nisi eis qui testantur dolere se, quòd nos offenderint: Si quem autem non pœniteat offensæ nobis illatæ non esse ipsi condonandam iniuriam. 2. Cùm ad remissionem peccatorum à Deo obtinendam necessarium sit, vt eam gratiam per veram fidem nobis applicemus: Sequeretur neque nos offensas debere remittere, nisi eas per concessum quendam accipientibus, adeoque absentibus, qui nesciunt qua ratione agamus aut quomodo simus erga eos affecti, non esse remittendam injuriam. 3. Sicut Deus ita remittit peccata, vt tamen variis sæpe castigationibus eos exerceat, quibus remissa: ita sequeretur & nobis esse licitum variis tormentis & pœnis vexare, quibus offensas condonauimus. Quæ omnia cùm sint absurda, consequens est, vt dicamus in hoc sitam esse similitudinem, quòd sicut Deus in condonandis peccatis propensissima est erga nos voluntate, neque animum ampliùs à nobis gerit alienum, neque aliquam à nobis ipsis satisfactionem exigit, sed ex mera benignitate veniam largitur: Ita & nos proximis iniuriam condonantes oportet injuriæ sensum omnem excutere, neque vindictæ cupiditatem intus bullientem retinere, neque expectare dum accedat à lædente aliquid, quo nobis per justam compensationem satisfiat. Sed in hoc disparitas est quod nos neque ab ipsis proximis qui læserunt, neque ab aliis eorum vicem subeuntibus injuriæ compensationem petere debeamus. Deus autem etsi non à nobis petat compensationem offensarum quibus iratus est, tamen in Christo sibi suæque iustitiæ plenè satisfieri voluerit. Ratio disparitatis est duplex, 1. quòd Deus nemini cuiquam debet, adeoque jure possit exigere satisfactionem: Nos autem multis nominibus simus obligati proximo iure naturæ, iure gratiæ, jure societatis politicæ, aut Ecclesiasticæ, aut Oeconomicæ, & legem habeamus quibus ipsa quasi humanitate dictata, vt quod nobis fieri velimus & ipsi aliis faciamus, & verò qui tot peccatorum reatum coram Deo contraximus, neque possimus ipsi de proprio satisfacere & nobis tamen condonari petimus, quantò magis citra omnem satisfactionis interuentum proximo debemus illatas iniurias condonare. 2. Quòd homo neque ipse prima est & absoluta justitiæ regula & is contra quem primariò delinquitur. Quidni ergo sine satisfactione alteri condonet? At verò Deus immota est & summa atque absolutissima justitiæ regula, & is contra quem primariò peccata committuntur summæ autem justitiæ est pro peccatis exigere satisfactionem, neque sinere ea impunè abeant.

Ad tertium, Ezech. 18. 20. *Resp.* 1. Deus hoc loco non proponit jus aliquod ita perpetuum & immutabile vt ad illud sit necessariò adhærescendum, Verùm vt murmurantibus Iudæis omnem calumniandi occasionem eriperet, ostendit quòd in ordinario prouidentiæ suæ cursu, & hactenus egerit, & porrò sit acturus. 2. Significat quomodo se gesturus sit secundùm ordinem justitiæ legalis à se constitutum, siquidem secundùm legem & lege non imputantur peccata simpliciter, & omnino alie-

no aliena, sed quæ verè propria sunt, vel in quæ consensum est, & quæ similibus peccatis exprimuntur, Quò respicit Deus, Exod.20.5.cùm ait se visitaturum iniquitatem patrum in filios eorum qui ipsum oderunt: At verò hoc non impedit quò minùs Deus legalem illum rigorem temperare possit Euangelicæ gratiæ accessione, ita vt scilicet peccata transferat in alium innocentem, vt nos illius innocentiæ participes faciat, atque ita remissione peccatorum nos beet, quod euidenter Deus in Scriptura declarauit, vt ex superioribus patet. 3. Neque videri debet absurdum aut contra naturam pœnæ, vt quis ob aliena peccata puniatur, quod apud Gentes communi quodam consensu frequentissimè est vt scilicet alij pro aliis, & innocentes pro nocentibus plecterentur. Ita inter Persas ob vnius culpam tota deposcebatur ad pœnas cognitio; & apud Græcos propter paternam tyrannidem tyrannorum filij occidebantur: & apud Romanos obsides dati morte afficiebantur, si qui eos dederant, promissis minimè starent. Denique Zaleucus, vt filio parceret, passus est oculum sibi erui. Sed neque in Scriptura exempla deficiunt, Noachus ob insolentissimum Chami factum maledictionem Canaani denuntiat, & filij Acham eadem cum ipso pœna ob interdictum Iericuntis inuoluuntur, Ios.7.24. Et quanquam patratæ Gabaonitarum cædis reus est vnus Saul, filij tamen ejus crudeliter illius pœnas Deo approbante pendunt, 2.Sam.21.8.9. Et propter peccatum Dauidis puniuntur in Israele septuaginta hominum millia, 2.Sam.24.15.16.17. Et propter Ieroboami idololatriam punitur ejus posteritas, 1.Reg.14.9. 2. Quòd impunitatem peccati sui tulit Achabus & propter illud tantùm pœnas pertulit ejus posteritas, 1.Reg.21.29. Denique sicut præmium boni alicuius facti potest in liberos, aut consanguineos ejus, qui benefecit, conferri: Ita & potest pœna peccati in alium deriuari, quàm qui peccauit, quia quamuis essentiale sit pœnæ, vt propter peccatum erogetur, non est essentiale tamen, vt ei semper irrogetur, qui peccatum patrauit.

Ad QVARTVM facile respondetur ex iis, quæ supra docuimus de infinitate meriti Christi. Quanquam enim & nos æternas pœnas commeriti eramus, & Christus pœnas temporales & duratione breues pro nobis pertulit, pœnæ tamen illæ, tum durissimæ fuerunt, vt totum Euangelium clamat, tum propter personæ patientis dignitatem sufficientissimæ ad expiationem peccati, adeoque nos ab æternis pœnis liberandos.

Ad QVINTVM admirandus est in opere Redemptionis nostræ, & Patris amor, & filij. Cùm enim Pater suo illo vnigenito nihil charius habeat, in quo sibi complacitum, Matth.3.17. & quem Scriptura nominat filium dilectionis paternæ, id est, super omnia dilectum, Col.1.13. Sanè non potest non esse maxima charitas illa Patris cœlestis erga nos, quæ ipsum compulit, vt filium pro nobis in mortem traderet. Itaque hanc charitatem Scriptura subinde admiratur, Iohan.3.16. Rom.5.8. 1.Iohan.4.9. adeò vt inde colligat Apostolus nihil esse boni quod ab illo expectare non debeamus, qui in nostri gratiam filio suo proprio non pepercit,

Rom.8.51. Sed & immensum esse filij erga nos amorem ipse testatur, cùm ait hoc esse amoris culmen vt quis vitam suam pro amicis exponat in mortem, Iohan.15.13. Et non habuit Paulus argumentum euidentius amoris Christi erga se, quàm quòd mortem pro se Christus oppetierit, Gal.2.20. Iam si hæc duo inter se conferantur Parer filium vnicum & vnicè charum pro aliis saluandis morti destinans, & filius pro iisdem summa alacritate mortem subiens, quid aliud dici poterit quàm summum esse vtriusque amorem, nec facilè dici posse vt vtri charitatis plus tribuere debeamus. Cæterùm non est curiosè inquirendum quare Pater ipse satisfacere noluerit, sed in ipsius decreto humiliter acquiescendum, & adoranda sapientissima dispensatio, quâ omnia bene fecit, Marc.7.37. Quanquam iisdem rationibus hic locus esse potest, quas suo supra loco produximus, vt probaremus non Patrem, sed filium incarnari debuisse, & opus Redemptionis suscipere.

Ad Sextvm *Resp.* 1. diligere & irasci non sunt ita ἀσύλλεκτα, vt non in idem subjectum fieri possint: Nam filios suos diligit Pater, & eis tamen in luxum viuentibus irascitur. Quidni ergo potuerit Pater cœlestis & nos ab æterno dilexisse & tamen iratus esse peccatis nostris? Ita quia nos ipsi satisfacere non possemus ad placandam illam iram Christi satisfactionem destinare. 2. Cùm dicit Scriptura Deus nobis inimicum fuisse, donec in gratiam morte Christi restituti sumus eiusmodi locutiones ad sensum nostrum accommodat, vt meliùs intelligamus, quàm misera sit nostra extra Christum conditio, illud interea pro captus nostri infirmitate dicitur, vt nequaquam falsò dicatur. Deus enim Iustissimus iniquitatem, quam in nobis conspicit amare non potest. Ergo cùm habeamus in nobis quod odio dignum sit, eo respectu in offensione Dei sumus, sed quia manemus ejus creaturæ quod suum est in nobis Deus perdere non vult, & adhuc aliquid inuenit quod pro sua benignitate amet. Ita mera & gratuita *dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiendos* proposita in Christo expiatione. Interim propter peccata nostra non ante plenam cum Deo conjunctionem habemus quàm vbi Christus nos conjunxit ex Calv. Institutione, lib.2.cap.16.§.2. & 3. 3. Distingui debet amor, siue dilectio Dei, vt aliam dicamus esse beneuolentiæ, aliam vnionis. Priori respectu Deus nobis amicus fuit, id est, ab æterno voluit nobis esse bene, & hic amor reconciliationem per Christum præcessit, imò ab hoc amore reconciliatio per Christum processit. Deus enim ita dilexit mundum, &c. Iohan.3.16. Sed amore vnionis Deus neminem prosequitur, nisi propter Christum, id est, mediante Redemptione Christi, quia Deus nemini reapse vniri potest, nisi peccatum ejus expietur, cùm nulla sit communio Iustitiæ ipsius cum injustitia nostra, 2.Cor.6.14. Itaque oportet expiari prius per Christi mortem peccatum quàm Deus nobis vniatur, & vnione illa salutaria nobis conferat: Atque hæc de veritate satisfactionis Christi.

Sed vt ad secundum caput accedamus de ratione & qualitate satisfactionis mouent inter se Controuersiam Scholastici vtrum scilicet ex operis

operis dignitate Christus satisfecerit, an alio modo & gradu. Quibusdam enim placuit opera filij Dei precariò tantùm, id est, ex sola D.. liberalitate & acceptione, non autem in se & ex interno suo valore, adeoque nec ex justitiæ rigore fuisse satisfactoria. Ita Scotus, Durandus & alij. Sed abjudicata hac sententia dicendum est esse quidem illud admirandæ erga nos Dei misericordiæ opus, quòd Christi satisfactionem redimendis nobis, & in gratiam restituendis destinauit. Verùm decreto illo de præparanda Christo satisfactione præsuppositò ejus esse rationis illam satisfactionem, vt fuerit ex se non modò æquiualens, sed etiam superabundans, adeoque secundùm rigorem Iustitiæ, id est, ea mensura, plenitudine & perfectione, vt neque ex parte satisfactionis, neque ex parte satisfacientis aliquid amplius exigi possit, etsi Deus summo jure nobiscum agere velit.

Hoc 1. patere potest satisfactionis naturam & conditiones expendentibus. Vt enim satisfactio sit numeris omnibus & partibus absoluta quatuor hæc requiruntur, 1. Vt justus sit qui satisfacit, quia Deus injustorum officia ad solutionem accipere nulla lege aut ratione obligatur, 2. Vt satisfaciat ex proprio: Neque enim jus est seruo & œconomo damnum Domino illatum ex Domini facultatibus resarcire. 3. Vt sit integra satisfactionis causa, id est, exsoluat ipse totum debitum nec aliud, nec alius præter ipsum partem pretij dependat. 4. Vt quod satisfactionis nomine persoluit, nullo alio titulo creditori debeat: Alioqui enim hoc esset soluere pro se, non pro alio satisfacere. Atque hæc omnia in Christi satisfactione reperire est cumulatissimè. 1. Enim Christus Iustissimus & sanctissimus est, & ab omni peccati contagione remotissimus adeoque Deo gratissimus. 2. Soluit ex proprio: Nam gratia illa quâ satisfecit non fuit ipsi aduentitia, vt creaturæ solet, sed ob singularem illam naturarum vnionem fuit ipsi propriâ & naturalis. Naturalis, inquam, non modò quia à natiuitate & conceptione, sed etiam quia à natura diuina, tanquam à principio ipsi Christo penitus interno in humanitatem dimanauit. 3. Fuit satisfactionis causa integra, tum quia solus ipse satisfecit. Calcauit enim torcular solus, Esa. 63. 3. tum quia totum debitum persoluit, & persoluendo expunxit. Deleuit enim chirographum quod erat contra nos, Coloss. 2. & sanguis eius mundat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1. 7. 4. Quidquid persoluit, illud totum tanquam indebitum persoluit, cùm nullum vnquam peccatum patrauerit, propter quod tam immania pateretur. Quanquam verò pro beneficiis in humanitatem suam collatis multum Patri debuerit, potuisset citra tantam cruciatuum perpessionem ipsi satisfacere; sanctissimis nimirum, & continuis gratiarum actionibus quibus Deus contentus fuisset, sicut & in primigenia creatione illis Adami officiis contentus erat, maximè cùm in compensandis gratitudine beneficijs non rerum ipsarum vltrò citróque communicatarum, sed mutuæ beneuolentiæ & affectus vtrinque habetur potissimùm ratio.

Secvndò Scriptura id ipsum pluribus locis euidenter insinuat,

Docet enim primò nos fuisse redemptos à Christo & exemptos pretio, idque propriè dicta redemptione, sicut ante docuimus. Iam autem ea est ratio emptionis & redemptionis, vt fiat per aliquid æquiualens, adeóque ex rigore justitiæ. 2. Redemptionem nostram peractam esse secundùm formam justitiæ. Deus enim Christum statuit placamentum in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, Roman. 3. 24. 25. Perfecta igitur est Christi satisfactio juxta, & legem, & rigorem justitiæ. 3. Redemptionem illam esse abundantissimam. Est enim copiosa apud ipsum redemptio, Psal. 130. 7. & vbi abundauit delictum, ibi superabundauit gratia, Roman. 5. 20. Ita illa vna hostia à Christo semel oblata sufficientissima fuit ad consummandos in perpetuum sanctificatos, Hebr. 10. 14. Hinc jam arguitur. Illa satisfactio æquiualens est in qua peragenda intervenit verum & sufficiens pretium, & in qua Dei justitia sese manifestam fecit & quæ ita copiosa fuit, vt verè per eam consummemur & perficiamur. Atqui talis fuit satisfactio per Christum proposita. Ergo.

Tertiò idem statuitur ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus dicitur Christus portasse iniquitates nostras, contritus fuisse pro nobis, clamasse, expauisse, sudasse sanguinem, maledictio fuisse pro nobis: Nam si Christus ad justitiæ legem exactam, neque satisfecit, neque satisfacere potuit. Quid opus erat eum tot miserias & tormenta ferre, annon satis fuit quandoquidem non poterat quod debebatur integrè persolvere, vt quod poterat præstaret citra tantam excarnificationem, quin & vlterius progredior. Si enim labores, pœnæ, cruciatus & cætera quæ Christus susceptit, debitum ab humano genere contractum ex se non adæquabant, sed tantùm ex liberalitate Dei ea qualiacunque erant acceptantis ad nostram redemptionem, nulla videtur fuisse necessaria ratio, quare oportuerit filium Dei hominem fieri, vt homo factus eam satisfactionem præstaret, & quare non potuerit nudus homo idem effectum dare: Nam sicut Deus Christi satisfactionem debito nostro imparem, adeóque infinitam veluti parem liberaliter admisit: ita puri hominis opus in totius humani generis ἀντίτυπον admittere potuisset, ex eadem scilicet liberalitate, quæ rem non pensat ex rigore justitiæ, sed ex gratiæ largitate; atque nemo non videt, quàm sit hoc in totam redemptionis œconomiam contumeliosum!

Quartò ille plenè & ex Iustitiæ rigore satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod offensus æquè, vel magis diligit, quàm oderat offensam. Atqui Christus ex charitate & obedientia exhibuit patiendo aliquid Deo gratius, quàm fuerat offensa odiosa, adeóque majus quid præstitit quàm exigeret compensatio totius offensæ hominum. Majus, inquam, tum propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur Christus, tum propter qualitatem & magnitudinem doloris assumpti, tum denique propter dignitatem Christi vitæ, quam pro satisfactione ponebat, quæque erat vita Dei & hominis.

Vltima ratio ab ista non multùm abludit, & inde sumitur, quòd Deus æque saltem propensus est ad remunerandum opus aliquod

ex

ex perfecta charitate, & obedientia natum, atque ad puniendum crimen ex inobedientia & legis contemptu. Perfectum ergo paribus hinc inde gradibus assignatis majus aut certè non minus erit præmium charitatis & obedientiæ, quàm supplicium contemptus & inobedientiæ. Itaque si charitatis, vel obedientiæ gradus sunt intentiores gradibus inobedientiæ & contemptus, meritum charitatis & obedientiæ multis partibus excedet demeritum rebellionis & inobedientiæ, cùm demeriti quantitas sequatur quantitatem & excellentiam principij sui. Iam autem in nullo vnquam & tanta fuit rebellio aut contumacia, quanta in Christo comperta est charitas & obedientia siue affectum, siue effectum respicias. Nam quod ad affectum salutem nostram sitiebat, non aliquando ardentiùs, aliquando remissiùs, sed semper ardentissimè. Quod ad effectum verò Christus omnem dilectionis modum prætergressus est. Voluit enim pro inimicis suis maledictum fieri, & immanissimo mortis genere occumbere. Itaque præmium obedientiæ Christi longè majus fuit, quàm sit supplicium inobedientiæ nostræ, adeóque cùm in ea obedientia sita sit satisfactio pro peccatis nostris. Sequitur satisfactionem Christi non modò sufficientem esse, sed etiam superabundantem. Concludamus ergo cum Athanas. corpus Christi pro omnibus morti traditum ad plenam satisfactionem pro omnibus sufficere: Et cum Leone, effusionem sanguinis justi pro injustis tam potentem fuisse ad priuilegium, tam diuitem ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: Et cum Proclo in oratione de Natiuitate Christi, necesse fuisse tale pretium in solutionem dependi, quod contractum debitum ad justitiæ amussim exæquaret.

Obiicitvr 1. Satisfactionem Christi non esse æqualem offensæ hominum, adeoque non esse secundùm Iustitiæ rigorem, quia peccatum est infinitum non tantùm propter offensam infinitam Dei Majestatem, sed & aliis duabus de causis, prima quia quantum in ipso est Dei destructiuum: Si enim Deus esset destructionis capax, peccatum inferret ipsi tristitiam, adeoque priuaret eum beatitudine, & per consequens essentia sua, cùm in Deo idem sit esse, & esse beatum. 2. Quia pœna peccato constituta habet quandam infinitatem, tum quia boni infiniti, nempe beatitudinis infert tum quia infinita est duratione, id est, æterna. At verò de Christo dici non potest, quòd ipsius satisfactio quantum in ipsa est possit Deum reparare quod ad beatitudinem, siue quod ad esse, si Deus reparationis esset capax: Et præterea pœnæ damnatorum longè superant passiones Christi. Ergo in duobus illis capitibus non exæquat satisfactio Christi offensam hominum. *Resp.* peccatum si consideretur physicè, id est, absolutè secundùm suam entitatem non habet aliquam infinitatem intrinsecam. Constat enim certo aliquo hominis actu. Nullus autem humanus actus secundùm substantiam suam potest esse infinitus. Itaque infinitum est tantùm moraliter, id est, secundùm rectam rationis æstimationem, quatenus in eum fertur, qui infinitus est, & hominem priuat infinito bono nempe ipso Deo, qui summè bonus est, &

beatitudine, quæ ſummum bonum eſt : Quod verò dicitur peccatum quantum in ipſo eſt eſſe deſtructiuum Dei, ſi Deus eſſet interitus capax, in eo proponitur quod abſurdum, & impium eſt, vel cogitare, cùm Deus non modò deſtructionem, ſed ne vmbram quidem mutationis ſubire poſſit. Ea eſt ipſius beatitudo & in ſeipſo oblectatio, vt ad illius cumulum nulla poſſit, vel per ſe, vel per accidens acceſſio fieri, neque vllus omnino doloris ſenſus in eum cadere. Quòd ſi eſſet Deus alicujus affectionis capax, ſanè multò plus oblectationis ex Chriſti obedientia hauſiſſet, quàm ex quolibet peccato hauſerat ægritudinis : Nullum enim quantumuis impium tam exoſum vnquam habuit, quàm charum acceptumque habet filium ſuum. Ergo nihil eſt in peccati ratione vnde colligi poſſit ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe æqualem offenſæ hominis : Deinde non eſt verum aliquam eſſe pœuam quæ quoad acerbitatem fuerit major iis pœnis quæ Chriſtum ita vexarunt, vt quereretur ſe à Patre derelictum eſſe. Duratio porrò æterna pœnarum infernalium obſtare nequit, quin Chriſtus dicatur eas æquiualenter pertuliſſe, propter ſenſum ſcilicet illum exquiſitiſſimum iræ Dei in Chriſtum tanquam ſponſorem noſtrum accenſæ.

Obiicitvr 2. Si ſatisfactio Chriſti ideò infinita eſt, quia perſona eam præſtans infinita eſt, etiam Deo infinitè grata : Sequitur ſingula Chriſti opera fuiſſe propria, & quodlibet eorum ſufficienter ſatisfactorium, quia ſingula procedebant à perſona infinita, adeoque cùm Chriſtus ante mortem, imò & ante natiuitatem à Chriſto plenè fuiſſe ſatisfactum, adeoque & natiuitatem, & vitæ opera, & mortis paſſiones fuiſſe ad Redemptionem inutiles. *Reſp.* 1. Omnia Chriſti opera fuiſſe propria ex parte principij, quia erant ab vna eademque perſona, ſed non fuiſſe propria ſecundùm ſe & à parte rei, verùm illa fuiſſe nobiliora quoad entitatem, quàm erant nobilioris objecti, vel etiam genere ſuo perfectiora : Ita nobilior erat charitas, quâ Deum diligebat, quàm temperantiæ actus, quos exercebat, & nobilius erat docere, vel miracula operari, quàm ambulare aut cibo corpus reficere. 2. In hac cauſa non eſſe indulgendum cogitationibus noſtris, nec quærendum quid fieri potuerit, ſed quid reuera factum ſit. Denique componi debere decretum Dei cum conſideratione qualitatis perſonæ Chriſti, non autem vnum ab altero diuellendum, primum ergo certum eſt quòd Deus voluerit ſatisfieri Iuſtitiæ ſuæ, non per vnum aut alterum opus Chriſti, ſed per plura conjunctim, ac nominatim per paſſiones & mortem ipſius : Voluit enim euidentiſſimo quodam argumento paternum ſuum erga nos affectum declarare, eaque ratione amorem noſtrum in ſe viciſſim prouocare, nec mediocrem aliquam, ſed copioſam Redemptionem nobis parare. Itaque ad pondus ſatisfactionis voluit Chriſti mortem accedere. Iam vt eſſet ſatisfactio illa plena, perfecta, infinita, opus fuit ab infinita perſona præſtari. Ita ſi decretum Patris & infinitatem perſonæ ſatisfacientis conjungas id reapſe comperies Patrem non ſingulas filij ſui actiones, & paſſiones ſeorſim, ſed omnes ſimul in vnam abſolutiſſimam infinitæ ſatisfactionis rationem acceptaſſe.

OBIICITVR 3. Qui debitum proprio nomine contractum exsoluere nequit, multò minùs potest pro aliis rigidè & exactè satisfacere: Atqui Christus pro beneficiis in se collatis, putà pro esse hypostatico, & gratiis habitualibus & aliis donis in humanitatem collatis par reddere non poterat; Nam si parentibus nemo potest par reddere, vt agnoscit & Philosophia, quantò minus Deo, cujus beneficia ipsarum gratiarum actione crescunt, quatenus illud ipsum, quòd gratias agimus, non aliunde est, quàm à Deo. *Resp.* 1. Majoris nullam esse necessitatem: Nam debitum quod est mihi exsoluendum pro me ipso, potest tamen esse vt illi par minimè sim & debitum alterius tam potest esse expeditum, vt vires meas non superet; Imò ita res habet in hac causa: Nam minora sunt nostra debita, quàm beneficia Christo concessa. Itaque licèt diceremus Christum pro beneficiis in se collatis satisfacere non potuisse secundùm exactam Iustitiæ normam, non sequeretur tamen Christum non potuisse ex rigore Iustitiæ pro nobis satisfacere. 2. Quæ collata fuerunt in Christi humanitatem dona propriè loquendo debitorem non constituunt, quippe quæ aliunde petita non essent, cùm Christus totum illud quo satisfaciebat & merebatur, & naturam humanam exornabat, & gratias agebat à seipso peteret, & à seipso haberet: Nam quæcunque sunt Patris, excepta paternitate, sunt etiam filij. Nemo autem est alteri debitor propter ea quæ à seipso habet. 3. Denique oblatio Christi in cruce fuit infiniti pretij, non tantùm in ratione satisfactionis, sed etiam ratione gratiarum actionis: Obtulit enim seipsum totum; Seipso autem toto nihil majus habebat, & nihil majus à Deo acceperat. Ergo cùm totum illud quod acceperat integrè, & in solidum restituerit, Inde fit vt non tantùm pro nobis, sed etiam pro omnibus quæ accepit beneficiis perfectissima ratione satisfecerit. Atque hæc de plenitudine satisfactionis Christi.

TERTIVM hujusce tractationis caput est de necessitate satisfactionis. Quæritur enim vtrum ita necessarium fuerit Iesum Christum pro nobis saluandis mori, vt non fuerit alius modus salutis nostræ possibilis. Hujus quæstionis definitionem si petamus ab antiqua Ecclesia reapse comperiemus plerosque Patres id statuisse parandæ salutis, alios quidem fuisse penes Deum modos, sed alium non fuisse, vel Deo conuenientiorem, vel nobis vtiliorem, quàm vt facta per Christi mortem Redemptione liberaremur. Ita Athan. serm. 3. contra Arrianos, poterat sine vllo aduentu Christi solummodò loqui Deus & soluere maledictionem. Igitur Leo serm. 2. de natiuitate Verax misericordia Dei cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa suppetant, Hanc potissimum consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus Diaboli non virtute vteretur, potentia, sed ratione Iustitiæ. Aug. verò hanc doctrinam sæpe repetit, non alius modus Deo possibilis defuit, cujus potestati cuncta subjacent inquit lib. 3. de Trinit. cap. 10. & serm. 3. de annunciatione Domini, potuit aliter fieri quantùm ad potentiam Domini, sed non potuit commodiùs præparari, vt esset medicina ægroti quantùm ad Iustitiam Dei, & lib. de agone Christi cap. 11. eò vsque progreditur, vt dicat, sunt stulti

qui dicunt non potuisse sapientiam aliter Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia pateretur, quibus dicimus, poterat omnino. Hanc veterum sententiam secuti sunt fermè omnes Scholastici vt videre est apud Thomam parte 3. quæst. 1. ad 2. Et Lomb. lib. 3. dist. 1. lit. 6. Cujus titulus est, quomodo potuisset, si voluisset redimere genus humanum, & Commentatores Lomb. ad eam distinctionem, sed & plerique nostri Doctores. Huc accedunt Caluin. in Iohan. 15. 13. Poteras nos Deus verbo, aut nutu redimere, nisi aliter nostra causa visum fuisset. Beza lib. quæst. & Resp. An verò Deus alia ratione hominem seruare non potuit? Potuit sanè. Martyr Locorum classe secunda, cap. 17. sect. 19. Salus humana multis aliis rationibus & viis, modò ille voluisset, parari poterat. Idem sensus & aliis, Danæo Isagogæ Christianæ, lib. 1. cap. 42. Chimedontio de Redemp. generis humani, lib. 1. cap. 5. Trelcatio Seniori loco de persona Christi, sect. 2. Tileno syntagmatis parte 2. de Incarn. Thesi 52. Thuisso qui causam ex professo tractat lib. 1. de vindiciis gratiæ, parte 2. dist. 8.

Sed contra pro absoluta necessitate satisfactionis non desunt veterum & recentiorum testimonia. Ex Veteribus Fulgent. ad Trasimundum Reuera homo saluari non potuit, si vel successor hominis naturaliter Deus non fuit, vel in veri Dei susceptione aliquid hominis defuit. Anselm. hanc causam latè tractauit, *lib. Cur Deus homo*, vbi omnia fermè reuocat ad ista capita, 1. cùm homo creatus fuerit ad beatitudinem, & tamen per peccatum ab ea sese deturbauit, necesse fuisse eum per iustitiam reparari. 2. Reparationem eam fieri non potuisse sine satisfactione. 3. Satisfieri non potuisse per eum qui esset homo tantùm, itaque oportuisse satisfactorem esse Deum. 4. Eundem tamen ita Deum esse, vt oportuerit quoque fieri hominem, quò scilicet omnibus satisfactoriis partibus defungi posset fecit & hoc præsertim sæculo Sociniſtarum importunitas Christi satisfactionem non præfractè minùs, quàm hæreticè negantium, & axioma illud suum identidem in hac causa ingerentium Deum remittere posse de jure suo quantum voluerit, adeoque condonare posse peccata citra omnem satisfactionis rationem. Fecit inquam vt Theologi præstantissimi huic sententiæ firmiter adhæresceant, quo Deus sine vlla defectus nota dicitur mentiri & peccare non posse. Ita etiam non posse impunita peccata dimittere, quippe cùm hoc ipsius Iustitiæ, quæ essentialis est Dei proprietas, adeoque naturalis & necessaria, euidenter repugnet. Vnde colligunt nos non omnino aliter redimi potuisse quàm per satisfactionem Christi. Quòd si objicias alium fuisse Caluino, Bezæ, Martyri sensum, facile responderi poterit nondum ipsorum tempore ita in vulgus innotuisse Socinianismum, quare non mirum esse si magni illi viri minùs diligenter causam istam egerint, neque omnia in cogitationem venerint, ad quorum seriam explicationem posteriores Theologos periculosa hæreticorum subtilitas compulit, nempe quomodo fermè legimus in causa liberi arbitrij minùs diligentes fuisse veteres, dum tandem Pelagianorum hæresis eos excitauit, & ad tantæ

causæ

causæ accuratius examen adegit, nimirum vetustiores illi, vt inquit Aug. in Ecclesia Catholica scribentes esse, nisi Catholico sensu sese intelligendos putarunt.

Nos sententiam nostram quibusdam propositionibus declarabimus, 1. Nullum ex vtrauis sententia fundamento fidei præjudicium infertur: Nam & qui alios modos fuisse Deo possibiles aiunt, & qui alium liberationis modum potuisse reperiri negant. In eo tamen ex æquo conueniunt non aliam à Deo rationem constitutam fuisse salutis nostræ quàm vnam hanc, vt per Christi satisfactionem à seruitute peccati liberaremur & gratiæ gloriæque diuinæ fieremus participes: Neque enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus præter nomen Christi, in quo nos salutem & quærere & obtinere oporteat, Act. 4. 10. 12.

Secvndò ex prioris sententiæ positione nihil reapse accedit emolumenti ad causam Sociniſticam: Nam etsi reapse fatemur Deo non defuisse alios salutis modos præter eum qui exhibitus est in Christo, nemo tamen inde confecturus esse legitima vlla argumentatione nos alia ratione à peccatis liberari, quàm per Christi satisfactionem cùm longè sit aliud quærere. An Deus alium modum potuerit in sapientia sua reperire; aliud verò; An aliam reuera salutis rationem nobis in magistra salutis nostræ Scriptura reuelari. Nobis certum est fidem pasci non in iis, quæ se velle declarauit, alioqui quid obstabit quò minus dicat aliquis Christum ne exemplo quidem nostrum esse seruatorem, quod Sociniſtæ docent, quia scilicet etiam absque exemplo illius in Christo præmonstratione Deus absolutè potest hominem ad salutem perducere, quam conclusionem non arbitror amplexuros esse Socini asseclas.

Tertiò necessarium dupliciter dicitur, absolutè scilicet, & secundùm quid. Absolutè quod ita est, vt simpliciter impossibile sit aliter esse. Ita Deus se necessariò vult & amat, quia nulla ratione fieri potest, vt sese oderit, vel à se amando per tantillum temporis abstineat. Secundùm quid, siue ex hypothesi, cujus necessitas pendet ex aliquo præsuppositio, quomodo media necessaria sunt ex præsuppositione finis, quatenus ad finem pertingi, nisi per ea non potest: Ita quæ Deus decreuit fieri, fiunt necessariò, quia decretum Dei irritum esse non potest. De posteriori hoc necessitatis genere si agatur nemo negaturus est necessariam fuisse Christi satisfactionem saluandis electis, cùm Scriptura passim doceat, ideò Christum incarnatum & mortuum fuisse, vt nos à peccato & morte vindicatos in libertatem regni sui transferret, ad quàm necessitatem referenda sunt, quæ Fulgentius, Anselm. & alij docent, non potuisse hominem aliter seruari quàm per Christi mortem, quia scilicet illud ab æterno ita constituit diuina prouidentia. Adde huic necessitati decreti etiam illam quæ vocatur necessitas congruentiæ: Nam certè maximè congruum fuit diuinæ Majestati, ne impunè violari dicerentur ejus præcepta, adeoque ipsius iustitiæ satisfieret & misericordiæ diuinæ effectus ad nos pertingerent. Necessitate verò absoluta non videtur necessariam esse satisfactionem, vt mox dicetur.

QVARTÒ cùm sæpius apud Theologos legatur esse Deo naturalem illam justitiam, quam exercet in punitione peccatorum, quomodo dicit Caluinus in Psal.55. ipsius Dei naturam ferre non posse sceleratos inultos, & Musculus ibidem hoc esse ingenium diuinæ Iustitiæ, quia qui justus est injustitiam hominum reproborum ferre non potest. Ideò ad intelligentiam hujus locutionis notandum naturam Physicis dici, aliter Ethicis, & Theologis: Physicis enim est principium motus & quietis, siue illud ex quo constituitur intrinsecè res aliqua, aut quod ex internis principiis per se & immediatè fluit. Ita naturam hominis constituunt in materia & forma ipsius, & naturale vocant quod merè pendet ex illis constitutionis principiis. Sed Ethici & Theologi naturale vocant non modò substantiam, sed & qualitates, affectiones, operationes, & generatim omne illud ad quod natura inclinat, sed mediante voluntate, & libero arbitrio. Priori sensu naturale est homini, vt sit rationalis, & vt sit risibilis, quia & rationale constituit naturam hominis, & risibile ex natura illa constituta ita merè necessarióque pendet, vt nulla vis, aut causa efficere aliter possit. Posteriori sensu ridere est naturale homini, quia scilicet humana natura inclinat ad eam operationem siue actum qui risus vocatur, ita tamen vt homo non rideat, nisi quando vult, & mediante suo libero arbitrio, adeoque à risu abstinere possit. Ergo Iustitia Dei sicut & misericordia, quæ si considerentur in Deo, vt diuinitatis attributa sunt ipsa Dei natura, quatenus cum aliis proprietatibus in vnam rationem essentiæ diuinæ transeunt: Si spectentur ratione exercitij, siue effectuum, quos producunt exterius, quatenus Iustitia versatur in puniendo, misericordia in parcendo, sunt naturales Deo posteriori sensu, quia scilicet eo inclinat natura diuina, sed mediante tamen Dei voluntate, ita vt nihil hic ex mera necessitate naturali, sed ex voluntaria Dei dispensatione omnia fiant, cùm certum sit Deum extra se nihil necessariò agere.

QVINTÒ cùm quæritur possitne Deus peccatum impunitum omnino dimittere, ita vt nec ipse peccans, nec alius pro ipso plectatur, distinguenda venit Dei potentia, quæ consideratur, vel vt absoluta, vel vt ordinata. Absoluta dicitur, quâ Deus omnia potest, quæ sub ratione possibilis continentur. Sicut enim adæquatum objectum diuinæ scientiæ est scibile: Ita & absolutæ potentiæ objectum est quod possibile. Itaque per hanc potentiam Deus potest omnia, quæ non sunt simpliciter & omnino impossibilia, siue quæ non implicant contradictionem: Nam dicere quòd impossibile simpliciter possit ab aliqua potentia fieri, est contradicentia dicere, quia si potest fieri non est impossibile. Donec ergo ostendatur esse aliquam contradictionem in hac sententia, peccatum non punitur, aut eam componi ex terminis impossibilibus agnoscendum est peccati impunitatem non esse extra numerum possibilium, nec efficere potest vlla potentia, vt peccatum non sit punitione dignum: Cùm enim peccatum sit aliquid inconforme supremæ regulæ, nimirum æternæ legi siue voluntati diuinæ, fieri nulla ratione potest, vt non Deo displiceat,

adeoque

adeóque peccatorem obliget ad pœnam : Qui enim Deo displicet, dignus est eo ipso, qui rejiciatur à Deo. Sed peccatum reapse manere impunitum non est aliquid quod numerari debeat inter ἀδύνατα. At verò *potentia ordinata* ea dicitur, quæ per diuinam prouidentiam & diuinæ voluntatis decretum est ad agendum determinata. Atque illa est propriè considerationis Theologicæ, & ad eam Christianis præcipuè respiciendum est. Certè quòd Deus absolutè possit Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, nec ad eam altitudinem mens nostra penetrare potest. Itaque in potentia Dei ordinata, id est, quæ ex suppositione decreti diuini operatur quæcunque vult, nobis vnicè hærendum est. Hanc autem vbi respicimus, rectè affirmamus non posse Deum peccata simpliciter immunita relinquere. 1. Quia verax est, neque vlla ratione fieri potest vt mentiatur, Hebr. 6. 18. Ipse autem sententiam suam ab initio mundi promulgauit de puniendo certissimè peccato, Genes. 2. 17. 2. Quia condecet ipsius Iustitiam ne peccatoribus suum peccatum impunè abeat, Psal. 50. 5. sed ipsis afflictio pro merito retribuatur, 2. Thessal. 1. 6. cùm sit Deus zelotes, adeóque Iustitiæ suæ amantissimus, Exod. 20. 5. nec ferat, vt Maiestas sua contemptui habeatur, 1. Sam. 2. 30. & jus exerceat in terra, Genes. 18. 25. Ius autem illud, tum in aliis, tum in eo nominatim consistit, vt qui mala patrant, digni morte habeantur, Rom. 1. 31. 3. Quia quæ Deus odit, ea non condonat, cùm condonatio sit amoris effectus, sed potiùs punit & debito supplicio mactat. Itaque Propheta ex eo quòd Deus odit iniquitatem concludit eam non impunè mansuram, Psal. 5. 6. 7. quo significatur eam esse se connexionem inter odium & displicentiam peccati, & eius punitionem, seu vltionem, vt tantùm vinculum omnino resolui non possit. Itaque siue ad diuinam constitutionem, siue ad rei congruentiam, καὶ τὸ πρεπὸν respiciamus, concludimus necessarium esse, vt peccata puniantur, neque aliter ex ordinata Dei potentia posse fieri. Vnde jam consequitur, cùm Deus erga nonnullos misericordiam suam exercere decreuerit eisque ignoscere necesse fuisse, vt ipsorum peccata in Christo sponsore puniret. Quo posito, manifestè patet, quanta sit satisfactionis Christi necessitas.

Sextò denique potest etiam non absurdè distingui inter liberationem simpliciter dictam & liberationem per modum λύτρου, siue satisfactionis, quam dicere possumus liberationem redemptoriam : Nam si de liberatione simplici loquamur, potuit homo aliis modis liberari, quàm reipsa liberatus est, quia sicut solo verbo potuit Christus langorum omne genus sanare, Matth. 8. 8. Ita non est apud Deum impossibile vllum verbum, Luc. 1. 17. Et potuit Deus loqui, & sine vllo Christi aduentu soluere maledictionem, vt supra dicebat Athanas. Enimuerò qui peccatum per aliquot dies impunitum relinquit, potest etiam per menses, & qui per menses etiam per annos & centurias & chiliadas annorum, adeoque in perpetuum. Neque vlla impossibilitas est ex parte Dei, vt cùm peccator perpetrat aliquod peccatum suum nullam aliquando peculiarem pœnam sentiat in hac vita, eodem modo neque in futura sentiat : Nulla

enim ratio dici potest, quare punitio quæ non fuit necessaria in hoc sæculo incipiat post aliquod tempus esse absolutè necessaria, sed longè aliud est, si de liberatione redemptoria loquamur, quæ nimirum fieri debeat sufficientis alicujus perfectique pretij interuentu, nimirum fuit omnino impossibile vt Deus per plenæ satisfactionis viam nos liberare voleus alia quam Iesu Christi satisfactione vteretur. Atque hac dere quidem noui non omnes ita asseueranter ausos fuisse loqui. Ita enim Bonau. in 3. distinct. 20. quæst. vltima sub finem. Esto quod non alio modo potuisset satisfieri pro genere humano, nec genus humanum aliter redimi, sicut multi concedunt, tamen ex hoc non sequitur quod alio modo potuit liberari: De Redemptione verò nec nego, nec audeo affirmare, quia temerarium est, cùm de diuina potentia agitur, terminum ei præfigere. Ampliùs enim potest, quàm nos possumus cogitare; hæc Bonau. sed nos asseueranter audemus pronuntiare nullam pœnam satisfactionem esse potuisse, quàm quæ per Christum præstita est. Quod & necessaria ratio demonstrat : Nam peccato quod læderat infinitam Dei justitiam infinita pœna debebatur. Ergo si perfectè satisfaciendum erat, opus erat satisfactione infinita, cùm satisfactio pertineat ad rationem Iustitiæ commutatiuæ, quæ reddit tantum pro tanto, vnde satisfactio definitur redditio æquiualentis. Iam autem infinitè satisfacere non potest, nisi qui infinitus est adeoque Deus, quare cùm nullus homo præter Christum Deus esse possit, nullus præter Christum etiam potuit pro nobis satisfacere. Atque hac distinctione possent aliquatenus conciliari diuersæ Theologorum sententiæ, vt nempe qui affirmant alios salutis modos extra Christum fuisse possibiles, intelligant loqui de liberatione simplici: Qui verò negant, de liberatione satisfactoria loquantur.

Postremo loco de vnitate satisfactionis nobis agendum est, vt scilicet ostendamus vnum Christum ita pro nobis Iustitiæ diuinæ satisfeciisse, & omnia quæ debebamus, dependisse, vt nulla sit agnoscenda hominum satisfactio, quæ Christi satisfactioni assui adiungique debeat, & quâ homines verè propriéque Deo satisfaciant, siue pro seipsis, siue pro aliis. Atque hic primùm obseruari conuenit duplicem esse peccatorum satisfactionem, aliam quæ Deo fiat, aliam quæ præstetur hominibus. Et vt ab hac posteriore ducatur exordium hominibus in quibus peccatum est, & quibus illatum est damnum aut iniuria satisfieri non posse & debere ab illis iniuriam intulerunt extra dubitationem positum est. Ita enim qui fraudem perpetrauerat super boue, aut oue, aut vestimento alterius, aut super aliquo quod damnum inferre poterat, tenebatur lege duplum restituere, Exod. 22. 9. Ita profitetur Zachæus solitum se, si quem defraudasset, ei quadruplum restituere, Luc. 19. 8. Ejusmodi autem restitutiones nihil aliud sunt quàm satisfactiones hominibus præstitæ. Cæterùm cùm possit vel publico, vel priuatis injuria inferri dupla agnosci debet eiusmodi satisfactio, priuata scilicet & publica. Priuatam voco cum proximo qui aut verbis, aut factis læsus est per offensæ deprecationem, vel ablati restitutionem satisfit. Publicæ verò fuit frequentissimus

tissimus in veteri Ecclesia vsus, quam etiam publicam, canonicam, & Ecclesiasticam satisfactionem dixerunt. Publicam quòd publico per eam satisfieret. Ecclesiasticam quòd in media Ecclesia exhiberi soleret. Canonicam quòd certis Canonibus & regulis veteris disciplinæ contineretur. De illa Hieron. in Matth. 6. Ecclesia quando læsione accepit, & offensa est publicè suum judicium interponit, indicens satisfactionem publicam & grauiorem, vt innotescat omnibus verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant, quidquid Ecclesia decreuerit. Cùm ergo aliquis fidelium, vel persecutionum tempore fidei professionem ex metu, aut infirmitate abjecisset, vel alioqui graui aliquo & manifesto crimine se se implicuisset excommunicationis vinculo ita innodabatur, vt neque cum reliquis fidelibus versari, neque in Ecclesiasticam concionem introire, neque ad sacrorum mysteriorum participationem accedere illi liceret, priusquam certis multis, castigationibus & publicis pœnitentiæ ritibus defunctus fuisset, quos Ecclesiasticæ disciplinæ leges præscribebant. Ejus satisfactionis triplex omnino videtur finis fuisse. 1. Vt pœnitentis animus exploraretur, num scilicet seriò, an simulatè criminis admissi eum pœniteret. 2. Vt Ecclesia quæ scandalum passa fuerat externa hac pœnitentiæ testificatione ædificaretur, adeoque ipsi hac ratione satisfieret. 3. Vt reliqui fideles publico illo pœnitentiæ spectaculo ad vitanda studiosiùs peccata compellerentur, vno verbo id sibi volunt Patres etiam respectu Dei veros pœnitentiæ fructus in conuersis necessariò requiri eos fructus per duram κατάχρησιν vocant compensationes peccati & satisfactiones Deo præstitas. Sed cùm scriptura nullibi sic loquatur, nec verò sit omnino locus vllus, vbi tantillum posse hominem Deo pro peccatis suis satisfacere, imò cùm ex phrasibus ejusmodi arrepta fuerit ansa introducendarum in Ecclesia humanarum satisfactionum, tutissimum est vt abjudicatis ejusmodi loquutionibus ex Scriptura sapiamus & loquamur quę vnicam Christi apud Deum satisfactionem subinde proponat, nullam cujuspiam hominis agnoscit.

Sed nobis de satisfactione peccatorum hîc agendum, quæ coram Deo præstatur, & per quàm diuinæ Iustitiæ satisfit. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia cap. primo, satisfactionem in genere definit actionem, quâ is qui alterum læsit tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam, siue quantum is qui læsus est, justè exigit Valent. in 3. Thomæ disput. 7. quæst. 14. puncto. 1. dicit esse compensationem, quæ secundùm æqualitatem quandam fit alteri pro illata ipsi injuria. Sed ille diminuente particula de Iustitiæ æqualitate quadam vulgatam apud Scholasticos definitionem eneruat, quâ dicunt satisfactionem esse redditionem æquiualentis : Nam vbi est æquiualens, ibi non est quædam inæqualitas, sed plena æqualitas Iustitiæ. Satisfactionem autem coram Deo definit Valent. ibidem compensationem offensæ siue injuriæ illatæ Deo per peccatum. Porrò quanquam in eo consentiant Pontificij omnes esse aliquam hominis apud Deum verè dictam operis satisfactionem, quæ vnà cùm contritione cordis & confessione oris totam absoluat

rationem pœnitentiæ illius, quam Sacramentalem vocant, & à pœnitentia distinguunt, quæ virtus est animi, tamen vbi ad specialia ventum est, variis inter se opinionibus digladiantur, quas hîc enumerare haud absre factum est, quippe cùm inde facilè negatio colligi possit totam hanc satisfactionum humanarum molem, non scripturæ fundamento subniti, quod certissimam fidem facit, sed humanis commentis suffulciri, quæ nihil in se solidi habent, & in quibus fingendis variè ludit ingenium humanum, vt quod vnus adstruit, alius sibi subuertendum putet.

PRIMÒ quærunt qualis esse debeat satisfaciens, an scilicet necessarium sit, vt gratia diuina potiatur, & charitate sit præditus. Hoc enim quamuis extra dubium ponere videtur Bellarm. vbi supra, cùm ait non posse vllum, nisi per gratiam gratis facientem Deo satisfacere, intercedit tamen Peltanus qui lib. de nostra satisfactione sect. 1. asserit esse genus quoddam satisfactionis imperfectum, quod sola creditoris gratia & liberalitate nitatur, quodque nullis sit proprium, sed malis & bonis commune: Nam, inquit, injustorum quoque preces pro sua clementia Deus interdum exaudit, eorundemque pœnas & cruciatus vndecunque illatos in satisfactionis partem nonnunquam admittit. 2. Dicunt satisfactionem Deo præstari non posse, nisi ab amicis Dei, siue ab iis qui sunt in gratia aliud tantum habent quòd inter se disputent, nempe vtrum satisfactio qui exhibita est Deo sine charitate, præsertim si fuerit à sacerdote injuncta; in confessione postea reuiuiscat, id est, valere incipiat, cùm homo redit in Dei gratiam, & intermissam suam charitatem resumit, aiunt multi, sed plures negant. 3. Non est inter ipsos certum, vtrum satisfactionem à Confessario injunctam pœnitens implere teneatur, aiunt multi, negant alij, eo nomine quod integrum sit pœnitenti, pœnitentiam impositam non acceptare, sed remittere se ad purgatorium vbi scilicet eam exsoluere licebit. Vide Valent. de hac & priori quæst. latè discernentem in 3. Thom. disp. 7. quæst. 14. punct. 3. & 4. 4. Etsi distingunt in peccato cùlpam & pœnam, &c. Iterum pœnam in æternam, & temporalem, adeoque satisfactionem faciant aliam pro culpa, aliam pro pœna æterna, aliam pro pœna temporali. Tamen & hîc magna sententiarum diuersitate jactantur Tapperus & Vega, referente Bellarmino lib. 4. de pœnitentia, cap. 1. Pertendunt hominem posse satisfacere pro culpa, atque ita abeunt à communiori sententia quæ docet nonnisi pro pœna satisfieri posse ab hominibus. Neque est quod Bellarm. excipiat eos ab aliis quod ad rem minimè differre, quia scilicet intelligant satisfieri pro culpa, quatenus habet reatum pœnæ, quod idem est atque satisfacere pro pœna adeoque nonnisi de nomine quæst. esse: Tapperus enim articulo 6. manifestè, & culpam & pœnam nominat & vult satisfieri posse Deo, tum pro culpa, tum pro pœna æterna, à qua sententia non recedit etiam Valentian. qui supra dicta quæstione puncto 1. docet compensationem quæ satisfactione fit habere respectum non modò ad pœnam persoluendam, sed etiam ad nonnullam offensam & iram Dei, quæ per hujusmodi compensationem auerti debeat: Adde quòd de culpis

etiam

etiam distingunt, vt videre est apud Bonau. in 3.dist.20.qæst.3. Vbi fatetur pro peccato quidem originali neminem potuisse satisfacere, nisi Christum, sed pro actuali contendit purum hominum adjutum gratia satisfacere posse. 5. Quanquã vulgò asserãt satisfactiones humanas accipere vim, valorem & complementum suum à satisfactione Christi, sunt tantum qui concludant, atque inter eos nobilis Iesuita Vasques hominem justum pro veniali peccato perfectè ex Dei auxilio posse satisfacere & ad hoc non indigere alterius cujusdam, ac ne quidem Christi satisfactione. 6. Qui objectum satisfactionis humanæ volunt esse non culpam, sed pœnam, inter se tamen non satis consentiunt: Tapperus enim vbi supra vult pro pœnis æternis satisfieri posse ab homine: At plerique pro pœna tantùm temporali satisfieri posse affirmant, quæ scilicet remisso peccato & exsoluta per Christi satisfactionem æterna pœna superstit in hoc sęculo, vel in purgatorio luenda. 7. Id communiter asseritur satisfactionis opera esse debere primò pœnalia & laboriosa, quia cùm per satisfactionem sit puniendus peccator, necesse esse vt ipse habeat aliquid molestum. 2. Injungenda opera satisfactionis, quæ non sunt alioqui debita: Nam cùm quis ad satisfaciendum jubetur, jejunare non est illud intelligendum de jejuniis ex præcepto adimplendis, sed de singularibus quibusdam abstinentiis extra communes illas. Verùm Valent. his nihil obstantibus asserit, 1. Per omnia bona opera, non modò externa, sed & interna, putà per internos virtutum actus posse satisfieri. Vnde concluditur etiam non per solos actus pœnales satisfieri, aut actus virtutum internos esse actus actus pœnales, & per quos homo puniatur. Quod nescio quis stomachus concoquere valeat. 2. Asserit etiam per opera quæ sint simpliciter debita posse satisfieri; quod idem est ac si dicas quando debitor soluit quod debet, eo ipso quod debitum soluit obstringere sibi creditorem, & satisfacere pro injuria, quam fortè creditori intulerit. Bellarm. antequam satisfactionum humanarum causam argumentis confirmandam suscipiat, tria proponit lib.4.de pœnitentia cap.1.primò nullam esse inter Deum & homines justitiam perfectam & absolutam. Itaque nullam esse posse justi hominis coram Deo satisfactionem, nisi imperfectam, quæ scilicet non æqualitate rei, sed acceptatione & donatione Dei nitatur. Atque hac de re longè aliter philosophatur Peltanus lib. de nostra satisfactione sect. prima, vbi imperfectam satisfactionem, vel ab impiis præstari posse contendit: Eam verò quæ præstatur à justis, vocat sufficientem, quippe quæ impensæ rei pondere nitatur & exsoluat, quantum debebatur: Nam, inquit, cùm propter finiti temporis pœnam, & prauos quosdam habitus nihil post peccatum condonatum in justis maneat reliquum, nihil est quòd ab integra vtriusque solutione ipsos impediat. 2. Bellarm. dum satisfactionem, quamuis humanam imperfectam esse fatetur, nihil minus proponit, quam veram satisfactionem: sicut enim satisfacere non est imperfectè facere, sed facere quantum sufficit, siue quantum fieri oportet: Ita satisfactio dici non potest quæ non sufficiens est, sed imperfecta: Esset enim potiùs semifactio, vt ita loquar, quàm satisfactio.

SECVNDÒ ait Bellarm. per peccatum hominis violari, tum amicitiam cum Deo, tum etiam Iustitiam, & pro instauranda quidem amicitia satisfieri non posse ab homine. Itaque confugiendum ad solam Christi satisfactionem in hac causa, sed posse tamen hominem satisfacere pro Iustitia Dei placanda; Sed contra qui pro Iustitia satisfacere potest, quidni etiam potest pro restauranda amicitia satisfacere: Nam certè Christus non aliter amicitiam cum Deo instaurauit, nisi quatenus Deus satisfecit Iustitiæ, pœnas scilicet illas perferendo, quæ ad placandam Dei Iustitiam satis erant. Atque hæc etiam est doctrina Thomæ supplementi quæst.12.art.2. ad primum satisfactio, inquit, est quædam injuriæ illatæ compensatio. Vnde sicut injuria illata immediatè ad inæqualitatem Iustitiæ pertingit, & per consequens ad inæqualitatem amicitiæ oppositam: Ita & satisfactio directè ad æqualitatem Iustitiæ perducit & ad æqualitatem amicitiæ ex consequenti. 2. Si post amicitiam restauratam debet satisfieri pro Iustitia, luendo scilicet pœnam peccati commissi, pœna verò luenda infert condemnationem aduersus puniendum consequitur eum qui amicus est Dei & in gratiam restitutus esse obnoxium condemnationi diuinæ, adeoque eum qui justificatus est, simul tamen manere condemnatum, quod scripturis manifestissimè repugnat, quæ docent nullam esse condemnationem iis qui sunt in Christo, Rom.8.1. & quæ justificationem & condemnationem opponunt, tanquam inter se opposita & ἀντίστροφα, Rom.8.33.34. 3. Cùm homines quoties in Deum peccant amicitiam simul ejus & justitiam violant, & ad amicitiam reformandam sola Christi satisfactio sufficiat, vt fatetur Bellar. quæ causa dici potest, cur non etiam ad placandam Dei Iustitiam ita sufficere credatur, vt alia nulla satisfactione sit opus: An enim erit Christi satisfactio minus efficax ad placandum Deum, quàm ad ipsius amicitiam obtinendam, vel an Deus nobis quidem amicus fiet propter solum Christum, & interim tamen ipsius justitia inimicitias aduersus nos exercet propter peccata nostra. Hoc certè quàm sit absurdum nemo non videt.

TERTIÒ BELLARM. qui cum reliquis Pontificiis & illud humanarum satisfactionum fundamentum peristruit, quòd remissa culpa exsolui da remaneat pœna. Quædam de pœna illius exsolutione philosophatur. Eam pœnam esse ipsam pœnæ sensus, quam in gehenna pati debuisset peccator remota tamen æternitate: Nam ex tribus constituit pœnam gehennalem, nimirum ex pœna damni, pœna sensus, & vtriusque æternitate, quemadmodum tria sunt in peccato, auersio à Deo, conuersio inordinata ad creaturam, & inde exsurgens cum sempiterno rege inimicitia, ita vt pœna damni respondeat auersioni à Deo, pœna sensus conuersionis ad creaturas, & pœnæ æternitas inimicitiæ cum Deo. Quando igitur homo ad amicitiam & gratiam Dei redit, quod fit per solam Christi satisfactionem: Fatetur quidem Bellarm. liberari hominem continuò, tum à pœna damni, tum ab æternitate pœnæ, sed vt tamen remaneat debitum illud: Secundum enim debitum pœnæ sensus ad tempus luendæ, sed pro cujus expiando reatu possit homo satisfacere non modò in purgatorio

post hanc

post hanc vitam, verùm & in hoc sæculo per opera pœnalia & laboriosa, quæ notum est ad tria capita reuocari, Orationes, jejunia, & Eleemosynas. *Resp.* nos quidem haud illibenter concedimus posse tria illa tum in peccato, tum in pœna gehennali considerari. Verùm quod addit Bellarm. partem illam gehennæ, quæ consistit in pœna sensus remanere luendam fidelibus & justis post remissionem culpæ, falsissimum esse pertendimus. Nam, 1. Si pars quædam gehennæ toleranda superest fidelibus. Ergo Christus satisfactione sua non liberauit à tota gehenna, contra quàm testatur Apostolus, 1. Corinth. 15. 55. 56. 57. Vbi docet Deum ita nobis dedisse victoriam per Christum, vt nullus jam sit inferni stimulus, quo fideles percelli possint. Quis autem dubitat, quin pœna sensus gehennalis sit vnus ex inferni stimulis? 2. Pœna damni est aliquid mitius & tolerabilius pœna sensus, quemadmodum satis indicat illud Pontificiorum dogma, infantes sine baptismo decedentes affici pœna mitissima, nimirum pœna damni siue carentia visionis diuinæ. Si ergo pœna sensus luenda remanet, post præstitam à Christo satisfactionem: Sequitur per satisfactiones humanas tolli aliquid durius & grauius, quàm quod per satisfactionem Christi sublatum est. Quis autem non fateatur se plus ei debere qui supplicium grauius remouit, quàm qui in mitiori tolerando laborauit: Vnde sequitur ex Aduersariorum sententia deferre plus hominem sibi ipsi, dum satisfacit pro pœna sensus, quàm Christo dum satisfecit pro pœna damni. 3. Pœna sensus gehennalis non tantùm habet æternitatem, sed etiam desperationem & obstinationem in malo. Ergo si pœna illa remanet, remota tamen æternitate, sequetur etiam remanere quoad desperationem & obstinationem in malo, adeoque qui eam pœnam patitur desperare & in malo obfirmari, adeoque quod quis de fidelibus, vel cogitare audeat. Denique pœna sensus in inferno tanta est, vt ei æquiualentem nullus mortalis vnquam possit luendo superare, certè fatente Valent. vbi supra, sicuti majestas infinita Dei per peccatum ita læditur, vt in eo sit infinitas quædam offensæ: Ita peccatum pœnam sensus meretur infinitam, non modò secundùm durationem, sed & secundùm cruciatus intensionem, si natura finita capax esset cruciatus infinitè intensi. Quomodo igitur valeat cùm aliqua pœna temporali commutari, cùm commutationis ratio postulet, vt tantùm reddatur pro tanto: Enimuero pœnam sensus infernalem commutare cum jejunio paucorum dierum, aut etiam cum solutione certæ pecuniæ est aliquid absurdius, quàm si quis juxta prouerbium χύτρα χαλκίων, ideſt, ingentem auri molem tantula æris massa commutare velit.

Verùm vt totam satisfactionum humanarum molem euertamus & solum Christum eum esse doceamus qui Deo pro nobis ita cumulatè satisfecit, vt nullis opus sit quarumcunque satisfactionum, siue nostrarum, siue alienarum assumentis proportionibus quibusdam, siue Theorematibus rem totam explanabimus, vt simul strophis & distinctiunculis Aduersariorum in hac causa omnibus occurramus.

Theorema primum Christus *& pro culpa originali & pro peccatis*

nostris actualibus Deo satisfecit. Ad cujus theorematis confirmationem, vel illud satis esse possit quod Scriptura vbi de exhibita Christi pro peccatis satisfactione loquitur generaliter docet ipsum fuisse traditum peccatis nostris factum hostiam pro peccatis, & esse agnum qui tollat peccatum mundi, Esa.53.58.10. Rom.4.2.5. 1.Petr.2.24. Iohan.1.29.&c. Nam vbi Scriptura vniuersaliter loquitur, non est ejus sensus ad specialia quædam restringendus, nisi aliunde pateat addendam esse limitationem, quemadmodum ipse Bellarm. agnouit: Nam, inquit, lib.3.de patientia cap.4. Vbi Scriptura cùm de peccatis absolutè loquitur de omnibus peccatis intelligi solet & debet, & si liceret exponere de quibusdam, & non de omnibus absurdissimæ sententiæ in diuinis literis inuenirentur, sed Scriptura non tantùm dicit peccata nostra portasse, verùm etiam portasse omnia, & omnium nostrum peccata conjecit Deus in Christum Esa.53.6. Et Christus redemit nos ab omni iniquitate, Tit.2.4. Et sanguis ejus emundat nos ab omni peccato, 1.Iohan.1.7. Vnde ita concluditur à quo Christus nos redemit, pro eo satisfecit: Redemit autem ab omni peccato. Ergo ab omni peccato siue originali, siue actuali satisfecit. Adde quod ne quid dubitationi superesit etiam peccata actualia satisfactionis Christi ambitu contineri Scriptura manifestissimè docet. Certè peccatum originale non opus est aut actus, sed habitus malus & fons omnis impuritatis. Ergo quod peccatum opus est, aut actus illud est peccatum actuale. Iam autem Christi sanguis purgat conscientiam ab operibus mortuis, Hebr.9.14. Ergo purgat à peccatis actualibus: Deinde quid est vana illa conuersatio, quam edocti sumus à majoribus, nisi peccatum actuale: Originalis enim culpa non docetur, sed transmittitur: Atqui à vana illa conuersatione redempti sumus sanguine Christi, 1.Petr.1.18.19. Denique postquam longum peccatorum actualium texuit Apostolus, subjungit nos ab illis ablutos & justificatos fuisse per Christum, 1.Corinth.5.10.11. Vt scilicet concludamus cum Aug.lib.1. de peccato, meritis & remissione, cap.13. nos à Christo in quo omnes justificamur non tantùm originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addimus, peccatorum remissionem consequi.

Atque hæc omnia argumenta sicut distinctionem euertunt, quâ distinguitur satisfactio pro originali culpa à satisfactione pro actualibus peccatis. Ita & militant adversus alteram illam stropham, quâ pertendunt Adversarij secernenda esse peccata mortalia à venialibus, vt scilicet satisfactio Christi pertingat quidem ad omnem culpam mortalem, id est, quæ mortem æternam mereatur, & amicitiam cum Deo nata sit dissoluere, sed humanæ curæ relinquatur satisfactio pro peccatis venialibus, id est, quæ ex natura & ingenio suo mortem æternam non inferant aut mereantur, neque amicitiæ diuinæ vinculum ex se abrumpere possint: Pro his enim volunt plenè satisfieri posse ab homine, etiam secluso Christo, vt supra dicebat Vasques. Satisfieri autem tum in purgatorio per pœnas ibi tolerandas, tum in hac vita per faciliora quædam remedia, putà aquæ benedictæ asperſionem eleemosynarum largitionem, orationis

tionis Dominicæ recitationem, pectoris deuotam compunctionem, generalem peccatorum confessionem, &c. Certè si pro peccatis omnibus actualibus Christus satisfecit vt audiuimus, nihil obstat quò minus & pro venialibus, quæ peccata sunt actualia, satisfeciſſe dicatur. Sed & hîc frustrà se fatigant Aduersarij & magno conatu nihil agunt, cùm peccatum veniale sit nomen sine re, inanis titulus, & vigilantium delirium. Quanquam enim peccata omnia fidelium sint venialia ex accidenti, & ratione euentus, quatenus scilicet ex Dei misericordia veniam eorum in Christo obtinent, ex natura tamen & propria sua conditione peccatum quodlibet si metiamur mortale est, adeoque mortis æternæ meritorium, quod etiam Aduersariorum nonnulli negare non sustinuerunt. Hoc certè concessit Rofensis art.32. Cùm enim dixisset Lutherus peccatum veniale non natura sua, sed ex Dei misericordia tale esse, Respondet Rofensis, in hoc tecum sentio; Sic Almanain in moralib. tract.3. cap.20. Concludit omne peccatum eo ipso quod est contra legem, esse mortale, & Gerson. lib. de vita spirituali animæ lect.1. Illud ex professo docet, & post varias rationes adductas concludit peccatum veniale & mortale non distingui essentialiter & intrinsecè, sed tantùm per respectum ad diuinam gratiam, quæ vnum peccatum imputat ad mortem, aliud non.

PATET ergo omnia peccata esse natura sua mortalia. 1. Ex his Scripturæ locis, quæ aduersus peccata quæcunque ita loquuntur, vt ostendant incurri per ea in Dei maledictionem, Deut.27.26. Et animam quæ illa fecerit morituram, Ezech.18.20. Et peccatorum stipendium esse mortem, Rom.6.23. Quæ cùm generaliter enuntientur, neque fiat, aut insinuetur vlla peccatorum hoc quidem respectu distinctio, non est quod laborent Aduersarij in explicandis iis locis, quasi non de omnibus peccatis in genere ageretur, sed de quadam tantùm peccatorum specie, putà eorum quæ dicuntur mortalia. Certè maledictionem de qua Deuter.27.26. extendit Apostolus Galal.3.10. ad omnia omnino peccata per quæ quis legem transgreditur. Iam autem qui confessus fuerit peccatum veniale esse veri nominis peccatum eadem ratione confiteatur necesse est, esse transgressionem legis, cùm essentialis peccati ratio in hoc consistat, quod sit ἀνομία siue præuaricatio legis, 1.Iohan. 3.4. Propterea opera quæcunque mortalia necesse est esse opera, vel vitæ, vel mortis: Neque enim dari potest aliquod medium, cùm inter mortem & vitam nihil sit medium. Itaque cùm peccata sint opera moralia, neque verò sint opera vitæ, necesse est vt sint opera mortis, adeoque mortalia: Adde quod quibuscunque lex moralis posita est, Illi vel benedictionis legi oppositæ participes esse debent, vel maledictioni legis subjacere possunt, duobus capitibus lex comprehenditur: Quorum alterum est, hoc fac, & viues, siue benediceris: Alterum si non permanseris in omnibus maledictus eris: At quicunque peccat, quomodocunque peccet, demum non potest per peccatum illud suum ad benedictionem pertingere, cùm nullum sit peccatum de quo dictum fuerit,

hoc fac & vives. Ergo per illud peccatum maledictioni, adeoque morti subjacebit, tum consideretur etiam de quo peccato dixerit Apostolus, Rom 6.23. illius stipendium esse mortem, nempe de illo de quo ab initio capitis illius dixerat non esse permanendum in eo, non esse ei seruiendum, neque obediendum cupiditatibus ejus, sed esse potiùs erubescendum de ipso, quippe quòd habeat immunditiam contrariam justitiæ: Atqui nullum est omnino peccatum, de quo ista dici non possint & debeant, Ergo & nullum peccatum de quo non doceat Apostolus ejus stipendium esse mortem. Nec est quod opponat Bellarm. si allegata Scripturæ loca loquantur de omni peccato, & de veniali. Concludendum inde fore etiam verè fideles & renatos qui peccant non modò dignos esse qui excidant à gratia Dei, sed etiam ab ipsa reuera excidere, adeoque damnari, quia scilicet in testimoniis illis dicitur eum qui peccat non modò posse maledici, aut mori, aut mortem referre pro stipendio, sed etiam reuera maledictum esse, & reuera moriturum esse, & reuera mortem relaturum pro stipendio: Nam certè aut ratio ista Bellarm. nulla est, aut ex ea concludendum erit Dauidem, Petrum, & alios omnes fideles, qui semel mortale aliquod peccatum perpetrarunt mori & in æternum damnati, quod tamen absit vt cogitemus, ergo loca illa Scripturæ non docent quid simpliciter & necessariò eueniat quibuscunque peccatoribus, sed quòd ipsum peccatum de se non mereatur, & sanè quod fideles, quamuis peccatores mprte tamen æterna non damnantur, id non peccatorum naturæ transcribendum est, sed diuinæ gratiæ à peccato nos per Christum liberanti, adeoque iis locis declaratur quid Iustitia legalis postulet, non autem negatur ex Iustitia Euangelica, seu diuina in Christo misericordia accedere posse peccatorum remissionem.

Secvndò quidquid est contra legem sine dubio mortiferum est. Hoc enim sibi vult Scriptura quoties minis & maledictionibus intonat aduersus quemcumq; diuinæ legis transgressorem, Deut. 27.26. Gal. 3.10. Iam autem certò certiùs est quodcunque peccatum cujuscunque demum generis esse possit, siue quamlibet actionem moralem malam esse contra legem & aberrare à regula, quam Deus præscripsit. Itaque peccati naturam cùm scriptura explicat, docet ἁμαρτίαν esse ἀνομίαν, id est, transgressionem & violationem legis, 1. Ioh. 3.4. Hanc enim esse generalem peccati definitionem & Bellarm. agnoscit lib. 1. de amissione gratiæ cap. 1.21. Ambr. insinuat, qui peccatum ita definit docente & approbante Canisio in Catechismo tract. de Iustitia, Chrys. in peccato in genere art. 2. Quid est peccatum nisi diuinæ legis transgressio & cœlestium præceptorum inobedientia? Hinc verò nemo est qui non facilè colligat nullam esse actionem moralem quæ peccati nomine veniat, quæ non eadem ratione mortem inferre nata sit, adeóque nullum hominem qui non sit apud Deum æternæ mortis reus nisi Deus peccanti misericorditer ignoscat; Neque absimile est argumentum quod ex Iac. 2.10. desumitur vbi testatur Apostolus si quis totam legem obseruauerit, & tantùm in vno offenderit, esse tamen reum omnium, nimirum docet illo cap. Iacob. non

esse

esse vtendum personarum acceptione, quod faciebant quidam in concionibus sacris qui pauperem stare, at diuitem & bene cultum secum considere iubebant, quam sanè culpam mirum est nisi Aduersarij inter veniales & leuiusculas computent; At verò Apostolus eos docet à lege tanquam transgressores redargui: At ne quis forte obiceret non esse culpandos ejusmodi leuiculos peccatores, quippe qui in aliis legem ex amussi obseruent. *Resp.* Apostolus quamuis concederetur ipsos in vno illo capite offendisse esse tamen violatores totius legis, quia scilicet omnium reus est, qui vel in vno offenderit. Hinc ita arguo qui reus est omnium mortaliter peccat: At qui in vno aliquo leuiculo offenderit, est reus omnium. Ergo. Sed explicatu digna hæc est Apostoli sententia; Nec verò putandum est id sibi Iacobum velle peccatum vnicum quod ab homine committitur omnia peccata complecti, vel sua amplitudine continere: Nam quemadmodum distinguuntur præcepta legis, nec in vno contineatur idem quod continetur in altero: Ita peccata inter se distinguuntur, nec idem est adulterium cum homicidio, vel homicidium cum facto, sed neque id significat Apostolus eũdem per omnia reatum incurri, cùm quis vnum peccatum perpetrat, & cùm ingente peccatorum multitudine sese contaminat, nec denique docere vult quempiam esse, qui totam legem perfecta obseruatione adimpleat, cùm cap. sequenti doceat ℣.3. nos omnes in multis offendere, sed is verus est Apostoli sensus, si daretur aliquem esse qui reliqua omnia legis præcepta adimpleret, & in vno tantùm aliquo præcepto offenderet, quodcunque demum illud sit, cum tamen teneri reatu totius legis, adeoque ex diuinæ Iustitiæ rigore maledictioni & condemnationi subjacere: Nam, 1. reus est non reatu quidem particulari qui specialiter exsurgit ex præcepti vniuscujusque speciali violatione cùm certum sit actionem quamlibet malam singularem suum reatum habere ab aliorum peccatorum reatibus distinctum, sed esse reum reatu generali, quatenus per quamlibet violationem legis incurrit in diuinam maledictionem juxta dictum, Deut. 27.26. 2. qui peccat in vno violare dicitur totam legem variis de causis, nempe propter nexum præceptorum, propter Dei contemptum, propter formalem peccati rationem, propter fontem transgressionis & denique propter finem & summam legis. 1. Propter nexum præceptorum, quia tota lex est totum aliquid integrale, quod suis partibus ita cohæret & compaginatur, vt non possit vna pars violari, quin totum violatum, nimirum eodem fermè modo quo læsa aliqua corporis humani parte dicimus læsum esse totum hominem propter scilicet naturalem partium inter se omnium connexionem & συμπάθειαν. 2. Propter Dei contemptum, quia diuina majestas in vnoquoque peccato non minùs verè contemnitur, quàm in omnibus, Deus autem minatur se vilipensurum quemcumque eum vilipenderit. 3. propter formalem peccati rationem: Duo enim in quolibet peccato concurrere certum est; Quorum alterum materiale: quod est nimirum conuersio inordinata ad rem creatam siue ad bonum caducum & mutabile; Alterum verò quasi formale, nimirum auersio à Deo. At materiale

quidem diuersum est, prout diuersæ sunt res creatæ & caducæ, ad quas homo per peccatum inordinatè conuertitur. Itaque per diuersam huiusmodi conuersionem diuersa peccata committuntur, sed formale vnum est quandocunque peccato sese inuoluat homo, nimirum auersio à Deo. Itaque cùm qui se auertit à Deo in totam legem peccet (lex enim nos ad Deum dirigit & adducit) ideò haud immeritò dicitur peccator per quodlibet peccatum reus fieri totius legis violatæ. 4. propter fontem transgressionis: Nam proculdubio cujuslibet peccati causa hæc est, quòd interiùs corrupti sumus, & in amore qui Deo debetur, deficimus. Itaque cùm cujuslibet peccati violatio inde procedat, vnde proficiscitur omnium transgressio. Hæc etiam ratio est quare qui in vno peccat reus dicatur omnium. Denique propter finem & summam legis, quam Scriptura docet esse charitatem, Matth.22.40. Rom.13.10.1.Tim.1.5. Qui summam legis violat, totam legem violat, quia ab hac summa tota lex & Prophetæ dependent, inquit Christus.

Sed hic videndum est quæ Φαφάσματα in hac causa Pontificij solent adhibere, nimirum vt miri sint distinctionum artifices, & ut variis Scripturæ locis expediant, suffugia ita captare solent. 1. peccatum veniale non esse perfectè sed imperfectè peccatum. 2. peccati vocem de mortali & veniali non vniuocè, sed ἀναλόγως dici. 3. Veniale non esse contra legem, sed tantùm præter legem. 4. Si dicendum sit esse contra legem, non tamen perfectè, sed imperfectè contra illam esse. Denique vt sit contra legem, non esse tamen contra finem legis. Videatur Bellarm. de statu peccati lib.1.cap.11. Et Becan. Theologiæ Scholasticæ part.2. tract.2.cap.2. quæst.7.8. Sed hæ meræ sunt offuciæ, vt ex singulorum examine patebit. 1. Veniale inquiunt, non esse perfectè, sed imperfectè peccatum. *Resp.* plures quidem esse gradus malitiæ in peccato aliquo grauiori, quàm in leuiori, putà in adulterio, quàm in verbo otioso nemo nostrum inficiatur, sed inde non consequitur quod leuius est alio non esse, nisi imperfectè peccatum alioquin eadem ratione conficeretur etiam multa mortalia esse imperfectè peccata, quippe cùm alia grauiora sint, alia leuiora: Parricidium enim multò grauius est furto, neque tamen ideò dixerit furtum esse imperfectè peccatum, nempe cùm ratio & essentia peccati in eo consistat, quod sit ἀνομία, id est, aberratio à lege & regula diuina. Sanè quæcumque actio eam regulam transgreditur, habet veram peccati essentiam, adeóque non est dicendum esse imperfectè peccatum. Itaque Asorius lib.4.Inst. Moral.cap.8. & Medina in primam secundæ quæst.88. art.1. agnoscunt esse veniale simpliciter & absolutè peccatum, adeóque non imperfectè, quippe quòd nulla additione, aut limitatione facta peccatum in Scriptura nominetur, breuiter etsi leuius peccatum imperfectum dici possit ratione gradus, perfectum tamen est peccatum ratione essentiæ. Iam autem gradus imperfectio, sicut non tollit rationem & essentiam peccati, ita neque tollit meritum mortis & damnationis æternæ, Adeóque hac sua distinctione nunquam id effecerint Aduersarij peccatum quod vocant veniale non esse dignum æterna morte.

Secvn-

SECVNDÒ dicunt peccatum veniale non esse peccatum vniuocè, sed analogicè, quomodo scilicet accidens non dicitur ens συνώνυμως sed ἀναλόγως. *Resp.* 1. analoga dicutur ea quæ licèt simpliciter in vna quadam communi ratione conueniant, inæqualiter tamen commune ejusmodi rationem participant, inquit Azorius, vbi supra. Quo sensu etsi fateremur veniale esse analogicè peccatum, non tamen ideò sequeretur non esse communem aliquam rationem peccati, in qua mortale & veniale vniuocè conueniant. Hæc autem quod vtrumque sit ἀνομία, adeóque diuinæ maledictionis meritorium. 2. peccatum de mortali & veniali quod vocant, analogicè tantùm dici falsum est. Idque triplici de causa 1. quia vbi non est ordo, vel respectus, vel dependentia vnius ab altero, ibi non est analogia propriè dicta. Certè ens dicitur analogicè de substantia & accidente, quia accidens non est ens nisi per ordinem ad substantiam à qua dependet, atque veniale non habet dependentiam à mortali: Veniale enim sine vllo respectu ad mortale habet suam propriam priuationem rectitudinis debitæ. Et vero Bell. vbi supra agnoscit justos aliquos, putà Zachariam & Elizabetham habuisse tantùm peccata venialia. In iis ergo tantùm peccatum veniale nullum habet respectum, aut dependentiam à mortali. 2. quia in analogis principaliori deficiente deficit etiam necessariò minùs principale, vt si substantia non esset non posset esse accidens. Quippe ergo fundatur in substantia atque vbi nullum peccatum mortale est, docent Aduersarij posse esse veniale, ita vt animæ purgatorianæ dicantur carere mortalibus & habere tantùm venialia 3. quia in analogis propriè dictis, quod est minus & inferius, quantumuis multiplicetur, transire non potest in naturam principalioris & superioris: Nonnunquam enim accidens potest euadere in substantiam: Atqui venialia multiplicata non tantùm, si contemnantur, disponunt ad aliquod mortale, vt vult Becanus, sed etiam fiunt ipsa mortalia, sicut ait Aug. tract. 1. in Epist. Ioh. multa peccata leuia faciunt vnum grande, sicut multæ guttæ implent flumen & multa grana faciunt massam, & serm. 41. de sanctis non solùm majora, sed & minuta, si nimirum plura sunt, mergunt. Denique ad felicialium illa quæ humana fragilitate, quamuis parua, tamen crebra subrepunt, si collecta contra nos fuerint, nos grauabunt & oppriment. In quæ verba ita commentatur glossa decreti de pœnitentia dist. 1. can. tres sunt, Perinde ergo judicandum est de pluribus minutis, & de vno graui delicto, cui minora coaceruata æquantur.

TERTIÒ veniale esse quidem præter legem dicunt, sed tamen non esse contra legem. Ita Bellarm. & alij multi post Thomam. *Resp.* 1. qui hanc distinctionem tam fidenter ingerunt, dicuntur plerisque suorum sociorum ludibrium. Enimuero Pontificij doctores magno numero distinctionem hanc damnant, & peccatum quodcunque siue veniale, siue mortale agnoscunt esse contra diuinam legem: Ita Scotus & Scotistæ omnes vt videre est apud Ioh. de Rada in 2. sent. Cont. LXX. art. 1. conc. 1. Quibus adjunxit sese Durandus in 2. dist. 42. quæst. 6. Sic recentiores plurimi Andreas Vega lib. 14. in Conc. Trid. cap. 13. Iosephus Angles in

2.dist.37. quæst.3.art.2.diffic.4. Nauerrus in Enchyridio piludio 70. filiu mor.tract.21.cap.6. 55.2.44. Azorius mor.lib.4.cap.8. Valen.tom.2.disp. 6.quæst.18.p.1. Vasques in primam secundæ disp.1.4.3. Becan. compendio Theologicæ Schol. parte 2.tract.2.quæst.7. 2. consentiunt in hoc veteres omnes, ne minimum quidem esse peccatum quod non sit contra legem. Aduersarij certè mendacium officiosum computant inter peccata venialia atque Aug.lib. de mendacio cap.5. ostendit mendacium ejusmodi justum esse non posse quia contra legem fiat: Ita Bern. de præcepto & dispensatione verbum otiosum cùm non est indictum silentium docet vsurpari contra regulam veritatis: Alioqui enim quæ contra mandata non veniunt, nequidem peccata futura esse. 3. certissimis rationibus id ipsum demonstratur. Nam, 1. Omne peccatum in ratione sua formali includit significationem alicujus malitiæ. Ergo & offensam alicujus legis & defectum ab ea & pugnantiam cum ea, Vnde est peccatum, inquit Aug. nisi justitiæ contrarium. 2. omnis actus moraliter malus est contra rectam rationem. Omnis autem recta ratio habet vim legis, vel certè est significatio legis alicujus. Ergo aut negandum est peccatum esse actum moraliter malum, aut fatendum illud esse contra legem. 3. Augustinianam peccati definitionem omnes accipiunt; quòd nempe peccatum sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Cùm igitur veniale peccatum hac definitione comprehendatur, necesse est esse contra legem æternam, adeóque contra moralem, quæ illius æternæ explicatio vel promulgatio est. 4. Vel est aliqua lex prohibens peccatum veniale vel nulla est. Si aliqua lex est, peccatum veniale est contra legem. Si nulla est, veniale non est peccatum, quia nullam legem violat, nec ab vlla regula deflectit. 5. Si ea consideremus quæ vocantur venialia ab Aduersariis facilè deprehendemus esse omnia contra legem: triplex enim faciunt venialium genus, scilicet eorum quæ sunt venialia ex suo genere, & quæ ex paruitate materiæ, & quæ ex subreptione. Veniale ex suo genere est, v.g. mendacium officiosum, aut jocosum, atque illud est contra legem, ne mentiamini, Leuit.19. 11. Veniale ex paruitate materiæ est, v.g. furtum vnius oboli, atque & illud est contra legem, non furaberis. Denique veniale ex subreptione est motus concupiscentiæ indeliberatus, & tamen ille est contra legem, non concupisces. Horum argumentorum vim cùm expenderet Azorius vbi supra concludit in hæc verba dicendum esse veniale peccatum esse contra legem Dei, id quod argumenta Aduersariorum comprobarunt.

Qvartò veniale esse contra legem, sed imperfectè non perfectè. Ita Becan. *Resp.* distinctio hæc nihil est, 1. Quia quidquid lex prohibet id non imperfectè, sed perfectè prohibet. Ergo quidquid ab illa prohibitione perfecta discessit, non imperfectè sed perfectè est contra legem illam. 2. Lex habet instar viæ, vt sæpius repetitur, Psal.119. Iam autem qui à recta via deficit, siue longiùs, siue minùs longè recesserit, dicetur semper verè & non imperfectè à via recessisse. 3. Peccatum seu perfectè, seu imperfectè contra legem esse dicatur, nihil inde accedet

Aduersa-

Adversariorum causæ : Nam cùm Deus transgressoribus legis suæ maledictionem denuntiat, Deut. 27. nullam perfectè, vel imperfectè legem violantium distinctionem facit, sed minatur se destructurum eos omnes qui non in omnibus permanserint. Ergo siue perfectè, siue imperfectè feceris contra legem, maledictionem incurris.

Ab hac distinctione non multùm abit altera illa Nauarri & aliorum aliquid dici legi contrarium dupliciter nimirum contrarietate simpliciter dicta & contrarietate secundùm quid. Contrarium legi priori modo illud dici quod habet contrarietatem legi sufficientem ad possessionem vitæ æternæ impediendam. Hoc igitur sensu peccatum veniale non esse contra legem. Ita scilicet vt impediat assecutionem vitæ: Contrarium verò posteriori modo dici quod habet contrarietatem legi sufficientem ad differendum tantùm vitam æternam & hoc sensu veniale esse contra legem. *Resp.* neque in hac distinctione aliquid esse sani: Nam 1. Omnis impuritas sufficiens est non tantùm ad differendum, sed ad impediendam etiam cœlestis gloriæ consecutionem, cùm nihil inquinatum in cœlum intrare possit, Apoc. 21. 27. Et peccatum veniale habeat in se impuritatem aliquam. Sufficit igitur ad impediendam vitæ consecutionem. 2. Omnis pœnæ reatus impedit assecutionem vitæ, quia impossibile est esse reum pœnæ, & tamen in vitam introduci ab omni pœna immunem: Atqui peccatum veniale facit hominem reum & debitorem alicujus pœnæ fatentibus Adversariis. 3. Si peccatum veniale differt tantùm assecutionem vitæ. Quæro quonam vsque differat: Nam vel in æternum differt, vel in breuius aliquod tempus. In æternum si dicis hoc sanè nihil aliud est quàm impedire assecutionem vitæ, & arcere ab æterna beatitudine. Sin differre dicat ad aliquod tempus tantùm, quæro quando demum tempus illud differendæ beatitudinis terminetur, dices opinor tum demum terminari cùm veniale purgatum fuerit, sed an ideò dicendum est differre, non impedire vitam & non simpliciter, sed secundùm quid esse legi contrarium: Atqui de peccato mortali eadem ratione hoc dici posset: Nam sanè vbi mortale purgatum fuerit, non amplius differet vitæ assecutionem. Quis autem est qui propterea dicat mortale non esse, nisi secundùm quid legi contrarium: Præterea si veniale differt consecutionem vitæ donec purgetur. Ergo si nunquam purgetur semper differet, adeoque verè impediret introitum in vitam: Ita igitur colligo, quod impedit vitæ assecutionem contrarium est legi contrarietate simpliciter dicta vt volunt Adversarij. Atqui veniale non purgatum differt in æternum, adeoque impedit vitæ assecutionem. Ergo veniale non purgatum contrarium est legi contrarietate simpliciter dicta.

Hvic genuinum est χρεσφύγετον, Iohan. de Reda & aliorum legem dupliciter considerari, nempe vel quatenus præcipit necessaria ad gloriam assequendam, vel quatenus præcipit aliquid, non vt necessarium, sed vt vtile ad vitæ assecutionem, & tamen minimè liberum à legis obseruatione. Peccatum ergo veniale non esse contra legem, quatenus lex obligat ad aliquid non necessarium, sed esse contra legem, quat. lex obli-

gat ad aliquid non necessarium, sed vtile ad consecutionem vitæ. *Resp.* has esse meras inanias, 1. quia in causa morum aliquid esse necessarium & aliquid esse vtile idem est ex vsu Scripturæ: Nam quæ mandata legis dicuntur esse vtilia, Esa.48.17. Rom.2.18. Tit.3.8. 1.Tim.4.8. Eadem dicuntur esse necessaria, Act.15.28. 2. Si quid valeret hæc necessariorum & vtilium distinctio, posset quis profanè argumentari pietatem non esse necessariam, quia Apostolus dicit eam esse vtilem, 1.Tim.4.8. quia ea vt necessaria habenda sunt, quorum assecutionem ita Deus à nobis exigit, vt ne latum quidem vnguem nos ab eis discedere patiatur: Atqui de omnibus legis moralis præceptis id Deus docet, non esse ad dextram, vel ad sinistram ab eis recedendum, Deut.28.14. 4. Ea sunt ad vitam assequendam necessaria sine quorum obseruatione non possumus ad vitam ingredi, serua mandata, Matth.19.17. Vbi Christus inter ea mandata hoc nominatim computat, non facies furtum, quo & magnum & præcipuum furtum prohibetur, & furtum vnius oboli, quod Adversarij dicunt esse veniale peccatum. Vnde colligo hoc præcepto etiam furtum veniale comprehendi & qui vult ad vitam ingredi ei necessarium esse hoc præceptum exactè seruare. Ergo necessarium est, vt à veniali abstineat. Itaque lex quæ prohibet veniales culpas præcipit aliquid quod necessarium est ad vitam æternam consequendam.

Denique dicunt Bellarm. Becan. Azorius, & alij venialia esse contra legem, sed non contrà finem legis. 1. Contra Charitatem, quippe quæ non valeant dissoluere amicitiam cum Deo, sicut Leuiores offensæ non abrumpunt charitatis vinculum inter homines. *Resp.* hanc distinctionem pugnantia dicere, quia quod est contra legem, aduersatur ei quod lex jubet: At lex jubet charitatem Dei. Ergo quod est contra legem aduersatur charitati, adeoque amicitiam cum Deo violat. 2. Mandatorum Dei obseruatio cum charitate indiuiduo nexu conjuncta est, Ioh.14.15.23. & 1.Ioh.5.3. At qui facit contra legem qualis est venialiter peccans mandatorum Dei obseruationem excutit. Ergo dici non potest in charitate manere. Item qui sermones Christi non seruat, non diligit eum, Iohan.14.24. At qui facit contra legem sermonem Christi non seruat. Ergo non diligit eum. Nec est quod dicas leues offensas non abrumpere vinculum charitatis humanæ, quia non eadem est ratio Dei & hominum, neque sunt æquanda officia hominum inter se officiis hominum in Deum; & homo non debet tantùm hominini, quantum Deo. Denique quòd leues offensæ non dissoluunt amicitiam hominum, non tamen est ex natura ipsarum offensarum, quàm aliunde putà ex bonitate ejus qui offenditur, vel ex officiis præteritis ejus qui offendit. Quòd si hæc comparatio alicujus momenti esset, eadem ratione probari posset ne culpas quidem mortales dissoluere posse amicitiam cum Deo quia nequidem propter grauiores offensas debemus hominum amicitiæ renuntiare ex præcepto Christi.

Theorema secundum. *Sicut Christus pro peccatis nostris quibuscunque satisfecit, ita & pro peccatorum pœnis omnibus, siue æternis, siue tempo-*

temporalibus, vel in hoc, vel in futuro sæculo luendis cumulatè satisfecit.

DIXIMVS jam antea triplicem satisfactionem vulgò à Pontificiis constitui, nempe pro culpa, pro pœna æterna & pro pœna temporali, quam distinctionem eo fine ingerunt, vt detur hujus satisfactionis locus, nimirum id plerique concedunt à solo Christo satisfactum, tum pro peccatis, tum pro pœna æterna peccatorum, sed remanere tamen soluendas, partim in hac vita, partim in purgatorio, post hanc vitam pœnas temporales, quibus defungi necessariò debeant fideles, antequam in cœlestem gloriam valeant introduci. Quæ doctrina non video quomodo conciliari possit cum celebri Canonistarum disticho.

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit,
Aut nihil, aut totum te vigilante dabit.

Certè qui in remittendis peccatis hominem quidem ab æterna pœna soluit, sed varias temporales retinet veniam dimidiabit, neque totum largitur. Nobis autem certum est verè remissi peccati nullam esse ampliùs pœnam, siue condonato semel peccato nullas pœnas, siue æternas, siue temporales luendas remanere, neque id confirmare difficile est.

PRIMÒ enim reconciliationem nostram cum Deo, & peccatorum remissionem Scriptura ita describit, vt euidentissimè ostendat nullas esse pœnas, quas Deus retineat reconciliatis infligendas. Certè Dauid, Psal. 32. 1.2.3. remissionem peccatorum explicat, per obtectionem, & non imputationem peccati: Nam cùm dixisset beatos quorum remissæ sunt iniquitates, subjungit tamen explicationis vice beatos esse, quorum tecta sunt peccata, & quibus Deus non imputat peccata. Quid est autem tegere peccata Iansenius exponit abscondere ea, vt Deus illa non aspiciat ad vindicandum, quod est non imputare peccatum. Eodem explicante est commeritas pro peccato pœnas non exigere. Ita August. in eum locum si texit peccata Deus noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit animaduertere, si noluit animaduertere noluit punire, noluit agnoscere, noluit ignoscere. Sic Esa. 38.17. Cùm annuntiata esset Ezechiæ Regi per Esaiam liberatio à Lethifero morbo quo detinebatur, beneficium illud temporale sanationis Rex acceptum refert peccatorum suorum remissioni, d fidefasti eruere animam meam à fouea consumptionis, quia projecisti post tergum omnia peccata mea. Quare sanatus est Ezechias, quia Deus projecit peccata ipsius in tergum suum, aut hæc ratiocinatio Ezechiæ non est legitima, aut necessarium pœnarum temporalium remissionem sequi remissionem peccatorum: Sic Esa. 44.22. promissionem de liberandis à seruitute Babylonica Iudæis hac ratione confirmat Propheta, quòd Deus Iudæorum iniquitates deleturus sit tanquam nubem & nebulam. Vnde concluditur remisso peccato succedere pœnarum temporalium relaxationem, vbi notandum est peccata nubis & nebulæ vocabulis designari, quia vt nubes cœlis serenioris aspectum intercipiunt, sed à solis radiis, vel à vento ita discutiuntur, vt earum nullum compareat vestigium. Ita peccata quidem disterminantur inter nos & Deum nostrum, vt vultus ejus serenitas nobis non illucescat, Esa. 59.2. Sed per

Dei gratiam ita abolentur vt pœnarum peccata consequentium nihil amplius compareat. In iis obseruatu dignum est quod remissio peccatorum ita explicat, vt Deus peccata remittens dicatur non recordari, sed obliuiisci ea, Esa.43.25.Ier.31.34.Hebr.10.17. Non est autem quòd putemus aliquam in Deum obliuionem reapse cadere, sed phrasis illa est ab humano more desumpta: Cum enim aliquid memoria nostra excidit in eo nihil amplius agimus, sed nominatim in reconciliationis negotio, quando redimus in gratiam cum proximo à quo aliqua injuria fueramus a ecti, & pollicemur offensæ nos nunquam futuros memores, eo ipso significamus nos nullum omnino vindictæ genus in eum qui læsit exercituros esse. Haud aliter ergo Deus dicitur peccatorum non recordari, quia restituta semel cum ipso amicitia nullam vult à peccatore vindictam sumere, sed pœnam quamlibet relaxare, quod & ex oppositio satis patet: Cùm enim Deus minatur se recordaturum iniquitatis hominum, hoc non aliud sanè est quàm se pœnis, vel temporalibus vel æternis mulctaturum peccatores. Ita cùm Deus grauissimam famem Iudææ denuntiaret dicit se recordaturum peccati ipsorum, Ier.14.10.Ita & Oseæ.8.13. ait se recordaturum iniquitatis Israëlitarum, vt eos reuerti faciat in Ægyptum: Atque jam recordatur Deus peccati, cùm illud punit pœnis temporalibus.Ergo cùm non recordatur, non punit iis pœnis. Cùm autem remittit peccata non recordatur peccatorum. Ergo neque peccatores pœnis temporalibus mulctat: Illud etiam adde Deum ita nobis in Christo remisisse quomodo & nos jubemur remittere proximis nostris vt liquet ex Matth.6.14. Atqui jubemur ita remittere, vt nihil omnino pœnarum à proximis reposcamus.Ergo Deus ita remittit, vt nullam vel temporalem, vel æternam vindictam à nobis exigat.

Secvndò de Christi satisfactione ita loquitur Scriptura vt inde multis modis appareat post eam nihil remanere pro quo debeant fideles Deo satisfacere: Nam 1. Christi satisfactionem Scriptura proponit, vt infinitam, id est, infinitum habentem pretium atque meritum, vt ex supra dictis patet. Ergo non pro quibusdam pœnis, sed pro omnibus satisfecit: Nam certè quod est efficax ad quoddam genus tantùm pœnarum tollendum, sed ad aliud, illud non sufficit, non rectè dicitur infinitum. Secundò Christus absque omni dubitatione pro iis pœnis satisfecit, quas ipse perpessus est: quo enim fine tot passiones subiit, nisi vt Iustitiæ diuinæ satisfaceret: Atqui pœnas temporales in corpore suo & viuens & moriens perpessus est, vt tota Scriptura docet. Ergo & satisfecit pro pœnis temporalibus. 3. à Christi satisfactione non excludendam esse liberationem à pœnis temporalibus vel ex ipsa Aduersariorum doctrina patet: Quando enim aliquis per Baptismum recipitur inter Filios Dei, aut quando quis martyrium subit pro nomine Christi docent Pontificij ei penitus condonari debitum vniuersæ pœnæ, ita vt pro peccatis ante baptismum aut martyrium commissis nulla pœna temporalis exsoluenda remaneat. Sicut inter alios disertè docet Bellarm.lib.4. de pœnitentia cap.1.sect. Restat igitur quod si condonatur pœna temporalis si-

lis: sine dubio condonatur propter Christum, nihil autem propter Christum condonatur pro quo Christus non satisfecerit. Itaque huc compulsus est Bellarm. vt ibidem fateatur etiam restituta amicitia per Dei misericordiam, & per redemptionem quæ est in Christo Iesu posse Deum vniuersum pœnæ debitum semper condonare. 4. nos Christus ab omni legis maledictione redemit: Atqui pœnæ etiam temporales faciunt partem maledictionis legis vnde & in denuntiatione illius maledictionis multa mentio est pœnarum temporalium, Deut.28.15.16. &c. Ergo Christus nos redemit à pœnis temporalibus, pro iis itaque satisfecit. 5. Nulla condemnatio est iis quibus remissa sunt peccata, Rom.8.1. Vbi notat Thomas nihil iis esse damnationis residuum, quia damnatio tollitur quantum ad culpam & quantum ad pœnam, quod & Apostolus explicat postea v.34. cùm ait Deum esse qui nos Iustificat, adeoque neminem esse posse qui nos condemnet. Condemnari eum qui justificatus est, ἀδιάκτον est, cùm Iustificatio & condemnatio vnà subsistere in eodem subjecto nequeant. Vnde ita colligitur, ibi nulla est condemnatio ibi nulla est pœna, quia pœna propriè dicta est aliqua condemnatio, vnde Iesu Christi pœnam definiunt noxæ vindictæ, quæ suos tenet actores: At iis qui per Christi satisfactionem obtinuerint remissionem peccatorum nulla est condemnatio. Ergo nec vlla pœna luenda restat.

Tertiò nullas post hanc vitam remanere fidelibus luendas pœnas in igne purgatorio, quanquam pluribus scripturæ testimoniis confirmari potest, tamen hic sufficerit illustrem proferre locum ex Apoc.14.13. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modo etiam, dicit Spiritus, requiescunt à laboribus suis, opera verò eorum sequuntur post eos;* quæ verba vt clariora euadant & omnibus Sophismatis & tergiuersationibus occurratur, quibus Aduersarij sese conantur expedire. Quædam hîc notare operæ pretium est. 1. notandum hæc verba non de solis martyribus intelligenda, quod quidam volunt, sed ad omnes fideles ex æquo pertinere quod ipsa loci analysis satis manifestum facit. Vbi enim conferuntur pij cum impiis in ratione status & conditionis, quam vtrique sortiti sunt, scilicet impij qui bestiam adorarint, torquebuntur igne & sulphure in conspectum Angelorum & agni ipsius. At verò piis reposita est corona gloriæ, requies laborum, operum merces. Vnde liquet non de solis martyribus, quippe qui soli non opponantur impiis, neque soli habeant statum contrarium, sed de cunctis verè fidelibus agit. Itaque verba illa ad fideles omnes referunt antiqui, & recentiores Interpretes Primasius, Beda, Andreas Cæsarienſis, Anselm. Bern. Biegas, Ribera & alij, adeòque Aug. lib.2. de ciuit. Dei cap.9. locum illum intelligit de iis qui pro Christo patiuntur, monet tamen in parte totum intelligendum, nec excludendos à beatitudine reliquos pios, qui cum Christo regnaturi sunt. 2. Notandum est phrasim illam in Domino mori aliquid designare quod in omnes pios & fideles conueniat: Nam qui in Domino moriuntur, ji sunt qui ante mortem in Domino fuerant. Iam verò quid est esse in Domino, in Domino viuere, Dominum vera fide amplecti, & in eo manere, ita

Rom.16. Salutate Andronicum & Iuniam qui ante me fuerunt in Christo, id est, qui ante fidem Christi amplexi sunt, vt post Chrys. Prim. Theo. explicat & Iustinianus & ibidem ℣.16. Salutate eos qui sunt in domo Narcissi qui sunt in Domino; id est, iisdem Interpretibus qui Christo adhærent & fideles sunt. Sic Gal.1.22. Ecclesiæ Iudææ qui erant in Christo, id est, secundùm eosdem qui in Christum crediderant. Hinc liquidò patet quod esse in Domino sit jus omnibus fidelibus commune, adeoque mori in Domino etiam omnibus fidelibus competat, quia quales viuimus tales etiam morimur, si viuimus in Domino, etiam morimur in Domino, vt & viuentes & morientes Domini simus, Rom.14.8. Ergo mortui sunt in Domino, quos Apostlus vocat in Christo mortuos, 1.Thess.4.16. nempe fideles omnes qui in Christi fide discesserunt. Atque ibidem patet effugij Bellarminiani vanitas aliquos esse fideles (quos scilicet in purgatorium compingendos sciscit) qui partim in Domino moriuntur nempe ratione charitatis quam secum ferunt, partim non in Domino ratione peccatorum cum quibus moriũtur: Vt enim absurdum est dicere fideles, dum viuunt non esse in Christo, quia qui non est in Christo, non est Christi, adeoque nec Spiritum Christi habet, nec vitam spiritualem à Christo trahit. Ita absurdum est dicere fideles non mori in Domino: Cùm enim moriantur in aliquo certè si non omnino moriantur in Domino, necessarium est vt dicãtur aliquatenus mori in Aduersario Domini, quod horrendum est dictu. Præterea cùm charitas certissimum sit peccatorum argumentum docente Christo, Luc.7.47. Qui in charitate moritur, moritur cum remissione omnium peccatorum, adeoque dici non potest & charitatem & peccata secum simul ferre dum moritur. 3. notati conuenit voculam ἀπαρτὶ hinc *à modo*, vt vertit vulgata versio eam vim habere quam latum vocabulum *posthac*, vel *jam nunc*, & ab *hoc ipso tempore*, vt patet collatione locorum, Es.9.7. Ier.3.4. Matth.23.39. & 26.29. adeoque non esse vocem illam ἀπαρτὶ referendam ad extremum Iudicium, alioquin enim falsam efficeret sententiam: Nam qui beandi sunt in extremo demum judicio, quomodo dici possent, quando moriuntur. Ita requiescere à laboribus suis, vt opera eorum immediatè sequantur eos. Ergo ἀπαρτὶ est jam, nunc, statim *à morte*, vt explicat Ambr. quia scilicet fidelibus exitus à corpore, est reapse laborum requies, vt exponunt Scholia Græca, quam etiam communem esse Interpretationem agnoscunt Viegas & Ribera, vt sit nimirum idem fermè quod Esaias docet cap.57.1.2. Iustos quando moriuntur, ingredi pacem, & requiescere in cubilibus suis. 4. notandum requiem à laboribus non esse intelligendum tantùm de laboribus hujus vitæ, sed de molestiis aut pœnis quibuscunque: Aliàs enim si ita soluerentur hujus vitæ molestiis, vt grauissimæ tamen pœnæ tolerandæ supereſſent post hanc vitam, qua ratione dicerentur Beati cùm vera beatitudo plena sit ab omnibus malis immunitas. Aut verò quodnam esset illud beatitudinis genus immunem esse ab hujus vitæ afflictionibus & ea interim tormenta sustinere quorum minus, ne omnes quidem hujus vitæ labores conferendi sunt (id enim sentiunt & docent Aduersarij de pœnis in purga-

purgatorio ferendis) qui enim beatitudinis nomine prædicares qui culicum, aut pulicum aculeos non sentit & tamen grauissimis articulorum: aut intestinorum doloribus angitur: Neque hîc aliquis distinctionem aggerat beatitudinis *In spe* & *in re*, quasi fideles post mortem beati dicerentur in spe, quanquam beati nondum sunt in re: Nam hic de vera realique siue actuali fœlicitate agi verba clamant, & ex sequentibus obseruationibus manifestum erit. 3. notanda phrasis opera eorum sequuntur cum ipsis μετ' αὐτῶν; Vbi enim operum nomine μετονυμικῶς merces & præmium operum intelligitur quomodo dicit Apostolus vnumquemque reportaturum quod gesserit in corpore, primò præmia eorum quæ gesserit, quia enim opus, & præmium operis necessariam habent conjunctionem vnde fit vt opus in scriptura non rarò pro consequente operis sumatur: Deinde quòd opera dicuntur sequi cum ipsis, efficacius est quàm si diceretur simpliciter, sequi ipsos nempe qui alios sequuntur, aliquando sequuntur à longè vt Petrus dicitur sequutus Christum Matth.26.58. Et gat. poëta Thebaidem alloquens.

------ Nec tu inquam diuinam Æneida tenta,
Sed longè sequere ----------

Atqui ἀκολούθεια μετ' ἀλλοῦ ita sequi significatur, vt cum eo quem sequitur vnà ingrediatur, adeoque ἀκουλουθεῖν μετ' αὐτῶν. Idem est ac si diceret comitantur eos immediatè. Porrò merces ea quæ fideles comitatur, non alibi redditur, quàm in cœlis, Matth.5.12. Vnde colligitur fidelium animas statim & immediatè post mortem in cœlum recipi.

His positis varia licet ex eo loco argumenta colligere pro veritate 1. Quicunque post mortem beati sunt nullis post mortem doloribus aut pœnis cruciantur: Atqui fideles omnes post mortem beati sunt. Ergo, majorem nemo negaturus est qui modò nouit beatitudinem definiente Boëtio, & probantibus Theologis omnibus esse statum bonorum omnium aggregatione perfectum. Et vt ait Tullius lib.5. Tuscul. beatum illum tantùm dicendum qui sit in bonis nullo adjecto malo. Et docente Isidoro beatum dici, quasi bene habitum, ab habendo quod vellet & nihil habendo quod nollet. Minorem ℣. Angeli verba euidenter confirmant: Nam qui in Domino moriuntur, beati sunt post mortem: At fideles omnes moriuntur in Domino, & verò Apostolus fideles defunctos notans vocat in Christo mortuos, 1.Thess.14.17. 2. Qui statim à morte recipiuntur in cœlestia gaudia. Beati enim sunt ἀπάρτι, id est, ab instanti mortis. 3. qui post mortem requiescunt à laboribus suis omnibus, nullis post mortem cruciatibus torquentur: Atqui fideles requiescunt à laboribus suis omnibus post mortem. 4. Ergo. Quorum merces sequitur cum ipsis & ipsos immediatè comitatur post mortem, Ij nullis pœnis post mortem plectuntur. Atqui fidelium morientium merces est cum ipsis eósque immediatè comitatur. Ex iis omnibus firmiter colligimus nullas dependendas manere fidelibus pœnas post istius vitæ spatium decursum.

Adversarii vt pœnas aliquas temporales post remissionem peccati luendas superesse confirment, ante omnia variis solent Scripturarum

exemplis certare. Num. 14. populus qui murmurat in deserto conciliatus est intercedente Mose, & omnes tamen excepto Calebo & Iosua propter obmurmurationem illam mortui sunt in deserto, Num. 20. Moses & Aaron quando glorificarint Deum ad petram, vnde fluxerunt aquæ, mortui dicuntur in deserto, 2. Sam. 12. Dauid post impetratam peccati sui veniam filioli tamen morte plectitur, Psal. 99. 8. dicitur Deus propitius Deus fuisse Mosi & Aaroni, & tamen fuisse vltus omnes adinuentiones siue studia ipsorum. Denique cùm fideles omnes variis pœnis in hoc mundo, adeoque morte ipsa tandem afficiantur, facilè concludi putant post remissionem culpæ pœnas remanere soluendas. *Resp.* 1. infantes baptismate percepto variis calamitatibus, adeoque morti obnoxij sunt: Et Aduersarij tamen fatentur ipsos per baptismum percepisse remissionem, tum culpæ originalis, tum pœnatum quarumlibet quæ ipsis ante baptismum debebantur. Ergo ex calamitatibus & morte quam fideles subeunt, confici nequaquam potest eos non impetrasse vnà cum culpæ remissione, & pœnarum omnium peccato debitarum condonationem. 2. non omnibus post culpæ remissionem, eiusmodi pœnæ imponuntur: Nam quando Christus paralytico, mulieri peccatrici, publicano Zachæo peccatorum remissionem largitur nullam retinet pœnam quam luere debeant, vt patet ex Matth. 9. 6. 7. Luc. 7. 47. 48. & 18. 13. 14. 19. 9. Hinc infero eas castigationes, quas Israelitis, Dauidi, & aliis Deus immisit post remissum peccatum non existimandas esse pœnas & vindictas, quibus Deus de eorum peccatis satisfactionem capere voluerit: Cùm enim sit eadem ratio remissionis peecatorum in omnibus fidelibus, si nonnullis pœnas retineret ad peccata puniendo etiam retineret omnibus, & quoniam quibusdam non retinet, inde sequitur propter eas esse à Christo plenè satisfactum. Quis autem dixerit Christum pro pœnis quorundam temporalibus satisfeciisse, sed non satisfeciisse pro aliis, cùm Christi satisfactio non dimidietur, sed ad omnes fideles æqualiter pertineat. 3. Non quæritur vtrum Deus in fideles animaduertat post remissum peccatum: Hoc enim experientia ponit extra omnem dubitationem, sed vtrum animadvertat eo fine vt peccatores puniat & ab ipsis vindictam sumat, siue vtrum eiusmodi animadversiones haberi debeant pro pœnis satisfactoriis, ita vt fideles per eas dici debeant Deo satisfacere pro peccatis suis: Hoc enim vnum est quod exertè negamus, neque ex iis locis confici potest quàm intelligant Aduersarij. Dices denuntiari Dauidi filioli sui mortem iis verbis quæ ostendunt mortem illam eo fine immissam, vt Dauidis peccatum puniretur, adeóque vt ea pœnæ satisfactio esset pro peccato commisso: Ita enim habetur 2. Sam. 12. 14. quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, ideò filius tibi morietur. Sed resp. illa verba non finem illius mortis significare, sed actionem: Non enim id sibi vult peccasse Dauidem & eo fine mori debere filium ipsius, vt ea sit pœna satisfaciens Deo pro Dauidis peccato, sed hoc potius designat & peccatum quidem & pœnam peccati fuisse Dauidi remissam, sed moriturum tamen ipsius filium vt in memoriam reuocans peccatum suum ab eo sibi

ponò

porrò caueat, vt nimirum hæc sit non vindicta præteriti, sed cautio futuri: Dices præterea Deum propitium fuisse suis, & tamen vltum fuisse adinuentiones & studia ipsorum, Psalm. 99. 8. Vnde concluditur vindictam peccati, adeoque satisfactionem pro peccato remanere post ipsum propitiatum. Sed *Resp.* Si hæc verba referantur ad calamitates in ipsos fideles immissas, vindictæ nomen non propriè accipiendum, sed impropriè, in eo scilicet significatur pœna non Dei Iustitiæ satisfaciens, sed paterna correctione castigans, sicut explicat August. vindicabat non irascens, sed propitius, ad hoc vindicabat, vt perficeret inceptum, non vt damnaret ejectum. Verùm aliis magis arridet loqui Prophetam de vltione Dei aduersus hostes Mosis & Aaronis. Ita Euchimius, vlciscens omnes adinuentiones eorum, quæ nimirum aduersus illos compositæ & structæ fuissent, & Genebrardus hoc non dicit de viris sanctis, sed de iis qui aduersus eos seditionem excitarant. Itaque in opera eorum, 1. Non quæ faciebant, sed quæ patiebantur à Core & cæteris conspirationibus. Ita etiam Kimni Ianssenius & alij quo sensu si accipiantur verba nemo non videt quàm nihil ad causam præsentem pertineat. 4. Calamitates illæ bonis & malis communes in hac vita ante remissionem peccatorum quidem sunt supplicia peccatorum, sed post remissionem peccatorum sunt certamina exercitationesque Iustorum, vt loquitur August. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 34. Non igitur infliguntur piis, vt culpas suas hoc modo redimant, aut Deo satisfaciant pro peccatis suis longè alios fines sibi Deus proponit, quos ad tria capita reuocamus, gloriam scilicet Dei, salutem fidelium afflictorum, & proximorum ædificationem: Nam, 1. in ejusmodi calamitatibus eluceſcit Dei gloria, quia inde clarum euadit Deum peccata nec velle, nec approbare, sed id potiùs velle vt stetur legis suæ præceptis, nec trahantur in exemplum fidelium lapsus, sed potiùs ad legem & immutabilem Dei voluntatem examinentur quorumcunque hominum actiones, & ita intelligat vnusquisque quid sperare debeant reprobi, qui continuam peccandi artem faciunt, cùm justis etiam in hoc mundo tot paratæ sint calamitates: Si enim in ligno viridi ita fit, quid futurum est in arido vt loquitur Christus, Luc. 23. 31. Iudicium enim incipit à Domo Dei, 1. Petr. 4 17. Et in Ciuitate quæ de ipsius nomine vocatur Deus initium facit affligendi, Ierem. 26. 29. vt norint impij sibi impunè non abitura sua scelera, 2. Ad salutem fidelium, quia Deus hac ratione maiorem in dies peccati detestationem accendit in suorum cordibus & vult, tum vt peccatis quæ patrarunt, ingemiscant, tum vt ab iis in posterum sibi caueant, eosque corripit ne cum mundo pereant, 1. Corinth. 11. 32. In quem locum ita Chrysost. cùm corripimur à Domino magis est admonitionis, quàm damnationis, medicinæ quàm supplicij, correctionis quàm pœnæ. 3. Spectat ad ædificationem aliorum fidelium: Deus enim fideles afflictos exponit aliorum oculis, vt iis calamitatum exemplis edocti diligentiùs peccata fugiant, ardentiùs Deum colant, & per tot calamitatis humanæ testimonia salutem suam cum tremore ac timore conficiant. Sed interim hac spe se sul-

se fulciant, omnia tandem electis in bonum cedere & latum esse discrimen inter piorum & impiorum calamitates: Esse enim imprimis mortalia vulnera diuinæ indignationis testimonia, pœnarum æternarum præludia, & quoddam quasi vestibulum inferorum: At piis tantùm esse Leuiculas correctiones, paternas castigationes, remedia fouendæ pietatis salutaria, fidei exercitia, humilitatis præcepta, scholam patientiæ & quasi securim qua exscindantur radices, & fibræ quibus mundo adhæremus, vt fidem & spem attollamus ad cœlestia. Ita mors Iusto non pœna est, sed beneficium, tum ne peccet ipse, tum ne aliorum peccatis interfit, neque fideles absorbet, sed ipsorum potiùs peccatum neque tam fidelibus dominatur, quàm in ipsa dominantur fideles, & triumphant, quippe ad vitam æternam subuecti, & ab omnibus malis atque periculis plene liberati, dicam breuiter cum magno Theologo quæ fideles patiuntur mala pœnas esse materialiter, quia suo genere eædem sunt cum pœnis, quibus peccata vindicantur, sed pœnas non esse formaliter, quia non immittuntur à Deo propter peccata punienda, verùm propter præstandam Iustitiæ suæ satisfactionem. 5. Mortem quod attinet, nec ipsa fidelibus peccati pœna est, sed quod rectè ait Lor. in Sap. 4. 11. Mors justo beneficium est, tum ne peccet, tum ne interfit peccatis vel etiam damnis temporalibus suorum; non absorbet ea fideles, sed peccatum absorbet fidelium. Neque tam fidelibus dominatur quàm ipsi & in ipsa dominantur fideles & triumphant, ad vitam æternam subuecti, & ab omnibus periculis plenè liberati.

Præterea satisfieri posse Deo ab hominibus pro pœna temporali post dimissam culpam colligere sibi videntur Aduersarij ex Dan. 4. 27. vbi Propheta Regem Nebucadnetzar monet vt peccata sua eleemosynis redimat. Vnde ita argumentatur Bellarm. non minùs ad Iustitiam pertinet Redemptio, quàm satisfactio, nec absurdius est dicere nostris operibus satisfieri pro peccatis, quàm nostris operibus redimi peccata. Atque hoc posterius euidenter Scriptura docet, non igitur abhorret ab vsu Scripturæ nostris operibus satisfieri pro peccatis. *Resp.* hunc locum si benignè expendatur nihil omnino facere ad causam Aduersariorum. 1. Quia Aduersarij loquuntur de Redemptione pœnarum, quæ dantur propter peccata, sed Daniel loquitur de Redemptione peccatorum. Sunt longè diuersissima autem redimere culpam & redimere pœnam: Neque est quod dicat Bellarm. peccati nomine intelligi pœnam peccati, cùm nihil sit quod cogat hoc sensu ibi vocem peccati accipere, Imò contrà cùm satis pateat intelligi peccatum propriè dictum, quippe quod opponatur Iustitiæ Redimere peccata tua בצדקה, in Iustitia siue per Iustitiam: Quid enim Iustitiæ contrarium est, nisi peccatum propriè dictum? 2. Quia satisfactio pro pœna temporali post dimissam culpam non pertinet, nisi ad eos quibus jam remissa sunt peccata, adeoque ad pios & verè fideles, quod & ipsi Aduersarij agnoscunt: At verò ille quem alloquitur Daniel erat Rex infidelis, profanus, & impius, sicut agnoscit Bellarm. neque diffitetur Vasques in 3. Thom. quæst. 94. art. 1. Neque constat, inquam, Nabucad-

bucadnetzari fuisse remissa peccata quoad culpam, imò verisimilius est non fuisse remissa. Igitur aut probandum est Adversar. & ab impiis satisfieri posse Deo, quod hactenus plerique omnes negarunt, aut alia quercus excutienda. Neque est quod dicat Bellarm. continere verbis istis Danielis cohortationem ad frequentes eleemosynas, quibus primùm disponatur Rex ad reconciliationem: Deinde pœnam ex condigno redimat: Nam & ita Christus docere patet, Luc. 11.41. Si dentur Eleemosynæ omnia homini munda futura quod insinuat Salomo, Prouerb. 16.6. Vbi ait benignitate & veritate expiari iniquitatem. *Resp.* enim falsum esse quod Bellarm. supponit, nimirum frequentes impiorum eleemosynas disponere ipsos ad remissionem peccatorum consequendam, quod tota Scriptura falsitatis arguit, cùm doceat sine fide Deo placere non posse, & quidquid sine fide peccatum esse medium vt disponat ad gratiam, & Apostolus etiam nominatim largissimæ perfusiones quæ fiant sine fide & charitate planè inutiles esse docet, 1. Corinth. 13.3. Quod ad verba Christi, Luc. 11.41. Certum est ea ad Pharisæos dirigi qui cùm essent intus rapina & malitia pleni, pietatis summam in hoc collocabant, vt exterius mundo apparerent, ideóque satis esse existimabant, si exteriùs legis ceremoniis defungerentur de interiori conscientiæ purgatione parum omnino solliciti. Hunc errorem vt Christus refellat, docet veram cordis munditiem non per externas illas ceremonias declarari, sed magis per vera charitatis officia in proximum. Itaque non docet quomodo quis purgetur interiùs à peccato, sed potius quomodo apud homines verè se confirmari possit se à peccato esse purgatum nimirum vt bona arbor illa indicatur, quæ bonos fructus profert, non quòd arboris bonitas pendeat à bonis fructibus, sed quia per bonos fructus bonitas declaratur. Sic etiam interior mundatio est, quæ non pendet à bonis operibus tanquam à causa sua per bona tamen opera tanquam per fructus proprios sese profert, & exerit. Quod verò dicit Salomo non tam intelligi debet de officiis nostræ charitatis erga homines, quàm de misericordia & charitate Dei erga nos, per quam certus est nos habere redemptionem & expiationem peccati, quod si daretur referendum esse illud ad nostram erga alios charitatem & beneficentiam, non inde tamen aliud confici potest expiationis verorum peccatorum declarationem non aliunde melius haberi, quàm ex testimoniis externisque signis Iustificationis nostræ, quæ sunt bona opera: Quoniam verò juxta Theologorum regulam res sæpius dicitur fieri quando facta esse manifestatur, mirum esse debet quòd opera bona dicantur expiare peccatum, cùm illud expiatum esse declarant. 3. Verbum Hebræum פרק quo hîc Propheta vtitur, propria sua significatione aliud est quàm abrumpere, siue frangere, & exterere, quod vt plurimùm vsurpatur in Scriptura, vt videri potest, Genes. 27.40. Exod. 32.2. Psalm. 7.3. Zach. 11.16. & alibi, qui sensus huic loco & scopo Prophetæ aptissimus est: Docet enim Nabucadnet. abrumpenda esse peccata per justitiam, id est, excutiendum peccati habitum per contrarios Iustitiæ actus, adeóque cessandum ab iniquitate, vt

veræ pietati ferìò incumbatur. Ex hoc autem sensu qui opera hominum satisfactoria extruderit, eadem ratione aquam elicuerit ex pumice. 4. Sed etsi vocabulum per Latinam vocem redimendi reddatur, non ideò causam obtenturus est Adversarius, cujus est probare ab hominibus satisfieri posse pro pœnis peccati temporalibus : Atqui hoc ex voce simplici Redemptionis inferri non potest, quia non omnis Redemptio infert satisfactionem, sed ea tantùm quæ fit pretio numerato: Atqui verbum פדה, cùm redimendi significatione accipitur, notat redemptionem simplicem, & quæ fit extra pretium solutum, vt Psalm. 136.24. Tren. 5.8. Non est igitur פדה redimere per opera satisfactoria, sed abjicere iugum peccati per veram & salutarem pœnitentiam æternis suis fructibus declaratam siue à peccati vinculis per transitum ad seriam conuersionem esse liberare.

Theorema tertium. *Plena Christi satisfactione posita nullus potest esse satisfactionibus hominis locus.*

Hæc thesis confirmatu difficilis non est. Prob. enim 1. ex Es. 63. 3.5. Vbi Christus ita loquitur de liberatione, quâ nos ab hostium spiritualium dominio eripuit vt excludat externum omne auxilium & sibi soli vnicè tantum opus adscribat : Dicit enim se solum torcular calcauisse nec de populis quemquam fuisse secum, nullum fuisse auxiliatorem & nullum qui fulciret. Itaque salutem se brachio suo præstitisse sibi. Sibi verò, id est, Ecclesiæ suæ, Christus enim se & Ecclesiam considerat tanquam personam vnam mysticam, quomodo & considerauit Apostolus, cùm Christi appellatione Ecclesiam designaret, 1. Corint. 12. 12. Vnde jam ita arguitur qui solus nullo auxiliante alio nos saluauit, etiam solus nullo alio satisfaciente pro nobis satisfecit, cùm satisfactio Christi pertineat ad salutem quam sanguine suo nobis parauit : Atqui Christus testante Propheta solus nullo alio auxiliante nos saluauit. Ergo & nulla alterius interueniente satisfactione solus pro nobis satisfecit. 2. Ex 1. Tim. 2.5.6. Vbi dicitur vnicus esse Mediator Christus, qui seipsum pro nobis dederit in Redemptionis pretium. Iam autem agnoscit Bellarm. lib. 4. de pœnitentia, cap. 3. vocem Redemptionis æquiualere voci satisfactionis. Vnde sequitur cùm Christus solus Redemptionis pretium soluerit pro nobis, neque aliquem habuerit socium, aut sibi adjunctum in eo opere, etiam solum pro nobis satisfactionem præstitisse. 3. Idem certa ratio confirmat : Nam quod est plenum, perfectum omnibus suis numeris, partibus & gradibus absolutum, adeoque infinitum, nullam patitur adjectionem aut accessionem rerum ejusdem generis. Est autem Christi satisfactio perfectissima & infinita. Ergo nullam alterius cujuspiam satisfactionis accessionem ferre potest.

Excipiunt Aduersarij satisfactionem Christi & hominum non esse causas socias & ejusdem ordinis, quam causandi vim inter se patiantur, sed subalternatas & subordinatas ea ratione, vt humana satisfactio tanquam inferior à Christi satisfactione superiore pendeat, vt inde vim suam & efficaciam omnem mutuetur. Ideoque ex doctrina satisfactionum

num humanarum nihil decedere Christi satisfactioni, sed potiùs laudem accedere quòd scilicet ad Dei gloriam facit quòd natura, sole & causis inferioribus vtitur in producendis naturalibus effectibus, sed facilè disperguntur hi fumi : Nam 1. Vbi causa solitaria est ibi ridiculum est subordinationem quæ plures causas supponit velle fingere. Atqui vt audiuimus Scriptura clarissimè testatur in præstanda pro nobis satisfactione Christum esse causam solitariam. Nullæ igitur causæ in hoc opere putandæ sunt ipsi subordinari. 2. in causis Ethicis moralibus subalterna derogat primæ cùm propter ejus authoritatem instituitur. Neque enim Rex absque authoritatis suæ detrimento pati potest vt sibi nihil tale ordinati prorex aliquis substituatur : Atqui satisfactiones humanæ Christi satisfactionibus præter ejus authoritatem subordinantur, vnde subordinatione ejusmodi ne vocula quidem extat in Scripturis. 3. Redemptio & satisfactio sunt æquipollentia ex Pellarm. Atqui dici non potest Redemptionem, aliam esse principalem, aliam subalternam : Hoc enim esset dicere Christum alium esse principalem, alium subalternum. Ergo neque dici potest satisfactionem aliam esse primam, aliam subalternam. 4. causæ omnes subordinatæ totales sunt, id est, totum effectum quælibet earum producit suo ordine : Ita enim & Deus, & sol & homo totum hominem producit. Deus vt causa verbalis, sol vt principium commune, homo vt principium singulare generationis. Si ergo Christi satisfactioni subordinentur humanæ satisfactiones, consequens erit vt sicut Christi satisfactio, totum effectum producit, nimirum & culpæ & pœnæ remissionem, ita & humana satisfactio dicatur causa totius illius effecti, quod tamen Aduersarij negant. 5. causæ illæ non sunt subordinatæ, quæ diuersos effectus producunt. Subordinatarum enim quà talium idem est effectus, At Christi & hominum satisfactio ex Aduersariis diuersos effectus producunt, nam Christi satisfactio liberat à peccatis & pœnis æternis, sed satisfactio humana dicitur præstari tantùm pro pœnis temporalibus. 6. in causis subordinationem habentibus inter se ea est ratio causarum inferiorum, vt superior absque iis effectum suum producere nequeat : Sol enim non potest absque homine hominem generare. Atque absque satisfactionibus humanis Christi satisfactio potest liberare ab omni culpa & pœna, tum æterna, tum temporali, vt patet in iis qui baptizantur, quos fatentur Aduersarij per Christum remissionem totius culpæ & totius pœnæ debitæ propter peccata præcedentia recipere. Atque hæc de satisfactione.

CAPVT IX.

De oratione & Intercessione Christi.

SACERDOTALE Christi officium duobus capitibus contineri supra diximus, nempe nos Deo reconciliauit, & reconciliationem factam fir-

mauit: Prius illud per satisfactionem obtinuit, Posterius hoc per intercessionem suam impetrat. Postquam igitur de satisfactione dictum est ad Intercessionem nunc accedimus, vt ita huic tractatui de Christi sacerdotio finem imponamus. Atque hîc ante omnia obseruandum est cùm dicimus satisfactionem Christi comparandæ, intercessionem verò firmandæ reconciliationi destinati non esse hoc ita ad ordinem temporis referendum quod Christus primò corpus suum in cruce ad satisfactionem præstandam exhibuerit,& post factam demum in hoc mundo reconciliationem ad Intercessionis officium se comparauerit: Certum enim est tum ex aliis locis, tum nominatim ex Ioh.17. orasse Christum pro suis antequam moreretur, sed pertinere hoc ad verum ordinem, siue ad gratiarum diuinarum respectum, siue χάριν inter se, vt significetur Deum primò nobis placari,& propitium fieri, quod contingit per meritum mortis Christi, cùm non aliter gratiosi esse possimus, quàm in dilecto illo Eph.1.6. Deinde illius placationis fructum nos percipere per interuenientem Christi satisfactionem.

Quanquam autem orationis & Intercessionis vocabula in hoc negotio promiscuè sæpius vsurpentur: Idem enim sensus est, siue dicatur Christus orare pro nobis Ioh.17.9. siue pro nobis intercedere Heb.7.25. si tamen accuratè rem explicare libeat, latiùs patet orandi, quàm intercedendi verbum: pro aliis enim tantùm intercedimus, sed non minùs pro nobis, quàm pro aliis oramus. Christus itaque vtrumque præstitit orationis inquam,& Intercessionis officium.

Ac Primùm vt de oratione Christi dicamus non modò Christum orasse, vel exorasse pro nobis legimus, sed & pro seipso exorasse nouimus. Certè oratio est expressio desiderij in Deum directi ad bonum adipiscendum, vel malum remouendum. Atque à Christo pro seipso factum Scriptura testatur. 1. enim pro mali, quo premebatur, vel quod imminebat, remotione preces fudit cùm petiit, vt à se transiret calix mortis, Matth.26.39. & vt liberaretur ab illa hora, Ioh.12.27. Quod etiam significat Apostolus vbi ait Christum cum clamore valido & lachrymis deprecationes & supplicationes obtulisse apud eum qui poterat eum seruare à morte Heb.5.7. Denique etiam pro boni quo carebat ipsius humanitas adeptione Patrem supplicasse legitur, cùm peracto jam opere, propter cujus impletionem venerat in mundum, petit sese à Patre glorificari, Ioh. 17.1.5. Quamuis enim perfectè nosset Christus quod sibi suisque rebus futurum esset, non eo tamen minùs pro iis orare debuit, quatenus nouerat futura illa non aliter sibi ex Dei decreto, quàm per interuenientem orationem contingere debere. Neque est quòd objicias orationem esse ascensionem, siue eleuationem per nouum mentis desiderium in Deum accedere, cùm ipsi semper à conceptionis momento fuerit conjunctissimus: Quanquam enim non potuit Christus ascendere per nouam aliquam humanitatis vnionem, id est, per nouum affectum aliquid à Patre suo impetrandi.

Christvs non orauit tantùm, sed & verè & ex animo orauit. Nam,

Nam 1. qui non ex animo orat, ille de precum suarum exauditione certus esse non potest, cùm Deus vt sinceritate delectatur in præcordiis nostris, Psal.51.8. Ita etiam nonnisi sinceram orationem accipiat: Atqui Christus de precum suarum exauditione fuit certissimus, Ioh.4.11.42. 2. Christus exemplum proposuit, quod imitaremur, Ioh.13.15. Atque nos non fictè aut simulatè, vel voce tantùm externa, sed verè & ex animo atque interiori affectu orare debemus, cùm Deus eos oderit, qui non inclamant ipsum ex animo, Os.7.14. Christus itaque Deum ex animo inclamauit. 3. Christus non modò orationem suam ad Deum effudit coram hominibus, sed sæpius etiam secessum petiuit & solus orauit, Matth. 14.13. Adeoque in oratione pernoctauit, Luc.6.12. Simulatio autem in cœtibus hominum locum habere potest, sed in solitudine locum habere non potest & quis prudens simulatione vti velit, vbi cum Deo solus agit. 4. Fines propter quos Christus orauit, & quos statim expositum imus satis docent Christum in orationibus suis nihil fucosè, aut simulatè egisse, sed omnia seriò & ex animo præstitisse. Itaque mirum est quid sibi voluerit Damascenus lib.4.cap.19. cùm inter ea quæ à Christo docet κατὰ προσποίησιν, siue per simulationem quandam facta fuisse enumerat ipsius preces quòd nempe simularet se orare quamuis verè, & ex corde nequaquam oraret: Nam hoc certè, aut falsum est, aut mala καταχρηστικῶς dictum, & benigna interpretatione molliendum, vt dicamus non negasse Damascenum; quin Christus verè orauerit, sed id tantùm sibi voluisse quòd non orauerit ea de causa quæ cæteri homines orant: Nos enim oramus, quia nihil est ex parte nostra, quo possimus citra orationem postulata obtinere: At Christus cùm verè Deus sit habuit in se & ex se vnde posset ea omnia efficere sine oratione quæ per orationem petebat.

CHRISTVS non modò verè, sed & efficaciter orauit. Itaque in precibus illis, quas pro seipso fudit semper exauditus fuerit quod manifestè docet Apostolus, Heb.5.7. Vbi ait Christum cùm preces apud Deum obtulisset, qui poterat eum seruare à morte exauditum fuisse ab eo quod timebat, sed scrupulum injicere potest, quòd Matth.26.39. petit à Deo vt calix mortis à se transeat quem tamen non transiisse certum est. Cùm necessarium fuerit vt Christus mortem pateretur, & ita intraret in gloriam suam, Luc.24.26. Respondent quidam atque inter eos Becanus aliud esse orare, Aliud verò simplex & naturale suum desiderium proponere. Ergo hanc fuisse tantùm simplicem manifestationem naturalis desiderij. Quod semper impleri non fuit necessarium, cùm ejusmodi desideria in Christo fuerint, non vt deducerentur in effectum omnia, sed vt ostenderentur Christum ea omnia assumpsisse, quæ ad naturam humanam pertinent, excepto peccato. Sunt autem in nobis multa desideria non mala per se, quæ nunquam tamen implentur. Sed non fuisse hanc aliquam veram Christi orationem: At verò qui negant hanc esse orationem Christi Scripturæ manifestè contradicunt, cùm Christus hæc verba pronuntians dicatur προσευχόμενος, & cùm vel ipso gestu procidens in faciem suam satis significauerit hanc esse veram orationem. Dicamus ergo potius Chri-

ſtum ſemper exauditum fuiſſe in iis orationibus, quas ſine conditione direxit ad Patrem, verùm in conditionalibus & aliqua limitatione reſtrictis non eſſe quærendam ejuſmodi exauditionem, niſi conditione poſita: Atqui cùm Chriſtus petiuit, vt calix à ſe tranſiret, ſubijcit conditionem ſcilicet ſi ita ferre poſſet Dei Patris voluntas, cui ſe Chriſtus planè ſubjiciebat, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Dei autem voluntas erat, vt Chriſtus pro electis mortem pateretur, vnde fortaſſe haud abſurdè quis dixerit Chriſtum exauditum fuiſſe eo ipſo quòd non tranſiit ab ipſo calix, quippe qui ea oratione ſignificauit ſe nolle vt tranſiret, niſi ſecundùm voluntatem Patris. Voluntas autem Patris erat, vt minimè tranſiret.

PORRÒ varij fuerunt fines propter quos Chriſtus orationibus tam crebris vti voluit tempore ſuæ in carne conuerſationis. 1. Hac ratione idem oſtendit quod pluribus etiam aliis modis manifeſtum faciebat, nimirum ſe verum hominem eſſe: Non enim ad diuinam & infinitam naturam, ſed ad creaturam rationalem & intelligentem pertinet orationis officium: Nam ſine dubio ſicut impium eſt inſinuatio, ſiue declaratio voluntatis quæ fit apud inferiorem ab eo qui ſuperior eſt: Ita oratio eſt actus animi verbo declaratus, quo quis aliquod ab illo petit, quem ſuperiorem agnoſcit, reſpectu ſaltem ejus rei quam petit: Vt enim cùm æqualis æqualem orat eo ipſo agnoſcit & ſe minùs idoneum eſſe ad conſecutionem rei quam petit & alterum quem precatur habere virium ſatis & potentiæ ad rem petitam efficiendam: Atqui natura diuina nihil videt, vel nouit ſe ſuperius, aut ſibi æquale. Ergo neque dici poteſt orare. Vnde patet Rabbinorum ineptia, qui Deum fingunt per ſingulos dies momenta quædam ad orandum ſeligere. Itaque quando Chriſtus orauit, eo ipſo manifeſtè declarauit ſe naturæ humanæ quæ diuina ſit inferior, eſſe verè participem. 2. cùm Chriſtus Deum orauit, & orauit tanquam Patrem ſuum eo ſatis patefecit ſe eſſe ſummi Patris filium & à Patre miſſum in has terras, vnde, Ioh. 11. 42. cùm exauditus eſſet à Patre in oratione quam tacitus apud ſeipſum habuerat pro excitatione Lazari, ita loquitur, ego ſciebam quod ſemper me audis, ſed tamen hoc dixi, id eſt, poſt tacitam orationem verba gratiarum actionis protuli propter populum circumſtantem vt ſcilicet tantùm & tam miraculoſum orationis meæ effectum vſurpantes credant, quòd tu me miſeris. 3. Significare voluit ſe bonorum ſuorum authorem agnoſcere Patrem cœleſtem: Hoc enim vt teſtatum fecit in ſermonibus ſuis, vbi opera ſua omnia ſolitus eſt Patri adſcribere, ita voluit vt in precibus ſuis appareret, & ſimul ſua erga Patrem cœleſtem ſubjectio declararetur. 4. Sicut omnium virtutum actus exercere voluit ita etiam par erat vt actus religionis exerceret, inter quos orationem eſſe nemo dubitat: Cùm enim religionis virtus præcipuè ad hoc pertineat, vt quæ Deo debetur reuerentia, honor & ſubmiſſio ipſi præſtetur. Per orationem autem vel maximè honorem illud & reuerentiam teſtificemur, ſicut dicitur ſacrificium laudis oratio putà, & gratiarum actio Deum honore afficere, Pſal. 50. 23. Certè facilè colligitur orationem in præcipuis religionis actibus eſſe habendam 5. cùm oratio indigentiæ

noſtræ teſtimonium ſit: Petimus enim ea quibus indigemus, & quorum conſecutio ab illo dependet à quo petimus. Chriſtus in orationibus frequens eſſe voluit, vt oſtenderet, ſe indigentiam non minùs, quàm alias infirmitates noſtras ἀδιαλήπτως ſubire voluiſſe, vt ait Apoſtolus, 2. Cor. 8. 9. Chriſtum propter nos factum fuiſſe pauperem. 6. quemadmodum in aliis ſuis virtutibus exemplum nobis præbuit, quod imitaremur, Ita & orandi exemplum præbere voluit Cyprian. oratione Dominica, non verbis tantùm, ſed & factis Dominus nos orare docuit ipſe orans frequenter & deprecans quod facere nos oportet exempli ſui conteſtatione differat. Quod ſi ille orabat, qui ſine peccato erat, quantò magis peccatores oportet orare? Docuit autem exemplo ſuo & quem, & quomodo inuocare conuenit, quem nimirum Patrem cœleſtem illum ac quem ſolum ſemper ſuas orationes direxit, vt & nos eum vnum in precibus religioſis appellare diſcamus: Nam cùm oratio deſtinetur & ordinetur ad gratiam & gloriam conſequendam. Gratiam autem & gloriam dare ſit vnius Patris, Pſal. 84. 12. Et vnus ille eſt quem preces noſtræ reſpicere debent. Quomodo verò orandum ſit, Chriſtus etiam docuit, nempe primò humiliter & cum profunda reuerentia, ſicut videmus ipſum oraſſe flexis genibus. 1. corpore ad reuerentiam & humilitatem compoſito, Matth. 26. 39. Luc. 22. 41. 2. Confidenter & cum certa exauditionis fiducia, ſicut ipſe certus erat ſe exaudiri à Patre, Iohan. 11. 42. 3. Feruidè & magno cum ardore, quem Chriſtus teſtificatus eſt non modò cùm inter orandum oculos in cœlum attollebat, Iohan. 11. 41. & 17. 1. Sed etiam aliquando ſingulariter per expreſſos è corpore ſuo ſanguinis grumos. Nam intentiùs orabat, & erat ſudor ejus, quaſi grumi ſanguinis, Luc. 22. 44. 4. Perſeueranter & ſine tædio, ac defatigatione. Ita enim Chriſtus iterum atque iterum oraſſe dicitur eundem ſermonem dicens, Matth. 26. 44. Imò totam noctem orando tranſiuiſſe, Luc. 6. 12. Non quòd per totum illud tempus indeſinenter & ſine intermiſſione verba orationis exterius perfuderit, ſed quòd ipſius anima in Deum maximo & continuo affectu dirigeretur, imò ne illud orandi officium interrumperetur, dicitur Chriſtus ſeceſſum petiuiſſe & orauiſſe ſolus, Matth. 14. 23.

Sed nos hîc de oratione Chriſti propriè agimus quà intercedit apud Patrem pro aliis, vnde vocatur Interceſſor, Interpellator, Patronus, Advocatus, παράκλητος noſter, de quibus vocibus ſuprà latiùs diximus, nec repetere opus eſt, ſed & eam quæſtionem excutimus, vtrum Chriſtus haberi debeat, pro noſtro apud Deum Patrem Interceſſore. An verò quæ Pontificiorum ſententia eſt ipſi ſubjungi debeant inferiores quidam, & ſubalterni interceſſores, ita vt pauca nobis jam examinanda ſuperſint. Ego ad duo capita reuocabo, vt 1. videamus quotuplex ſit Chriſti interceſſio: Deinde quænam ſit ejus interceſſionis ratio, ſiue quomodo Chriſtus pro nobis intercedat.

Qvod ad prius attinet obſeruandum eſt Chriſtum Mediatorem noſtrum ea omnia officia præſtare debuiſſe, & reuera præſtitiſſe quæ Mediatorem decebant. Sunt autem ejuſmodi officia duorum generum: Alia

quidem ipsi fuerunt communia cum hominibus omnibus. Alia verò Christo propria & singularia, quæ nimirum ipse ita præstitit, vt talia præstare nulli alteri præter ipsum competat. Quod est autem commune omnibus hominibus, satis priuatus vnusquisq; præstare tenetur. Ergo huc pertinent actiones omnes, quas diuina lex decalogo comprehensa præscribit, & quarum bonam partem Christus expoſuit, Matth.5.6.7. Vbi etiam docet se non ad dissoluendam, sed potiùs ad implendam legem venisse, Matth.5.17. talia sunt injurias patienter ferre, non reddere malum pro malo, vindictam non exercere, bene cupere, & bene velle omnibus, orare etiam pro persecutoribus & inimicis, &c. Hæc enim omnes ita obseruare tenentur, vt se, & sua omnia cogitata, affectus, vota, preces Dei voluntati humiliter subjiciant. Ergo & ea omnia Christum præstare par fuit, quippe qui verus homo nobis per omnia similis fuerit, excepto peccato, adeoque communibus illis officiis non minùs quàm nos fungi debuerit, quippe qui se legi libenter subjecerit. Huc pertinet quod ait Petr.1.2.22.23. Christum conuitiis affectum non fuisse vicissim conuitiatum, & malis affectum non fuisse minatum, sed alia sunt, quæ præstare Christus debuit ex propria & singulari ratione officij illius œconomici, quod ipsi tanquam Mediatori nostro vnicè demandatum est, quò pertinet quòd obediens factus est vsque ad mortem crucis, quòd seipsum pro nobis victimam obtulit, quòd Advocatus & Patronus à Deo constitutus est vt pro nobis continuò intercedat & intercessione sua meritum suæ passionis nobis applicet: Hæc enim ita conueniunt Christo, vt in nullum alium, siue hominem, siue Angelum competere possint.

His ita explicatis dicemus Iesum Christum dum in terris ageret ita orasse pro aliis, vt agnosci debeat duplex ejus intercessio, altera quidem generalis, altera specialis. Generalem voco, quâ ex officij communis ratione orauit, etiam pro inimicis suis omnibus inter quos non est dubium, quin fuerint plures reprobi. Huc referri potest oratio illa, Luc.23.34. quâ pro crucifixoribus suis ita orabat. Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt, nam quamuis inter eos potuerint esse aliqui qui per simplicem ignorantiam crimen illud in Christum commiserant, & postea per Apostolos edocti ad meliorem frugem conuersi sunt, quemadmodum confirmari potest ex iis, quæ à Diuo Petro, Actor.2.23.41.42. inter se collatis, & ex Actor.3.17. tamen crucifigendum Christum nomine venire debent non milites tantùm & satellites & ministri qui Christum ad patibulum adduxerunt & egerunt in crucem, verùm etiam primores Israelitarum, & Sacerdotes atque Pharisæi, qui Conciliis & factionibus suis eam Christo mortem procurarunt, adeoque præses ille Pilatus, qui mortis sententiam aduersus Christum tulit, quorum pleroſque non fuisse ad Christum conuersos certum est, sed ex affectata atque malitiosa ignorantia peccasse, & in peccatis suis obduruisse quippe qui resisterent Spiritui per Christum tanta euidentia loquenti, vt ipsis exprobratur, Actor. 7.51. & qui occiso semel Christo etiam ipsius ministros & Apostolos, &

odio

odio persecuti sunt, & in carcerem compegerunt, & pœnis affecerunt, Act.4.15.16.17.18.& 5.39.40. Cùm ergo Christus legatur pro Crucifixoribus suis orasse nulla restrictione addita, non difficulter inde colligitur Christum & pro reprobis nonnullis orasse, non quidem quà Redemptorem, & ex officij Sacerdotalis propria ratione, sed intercessione quadam generali, & ex ratione illa humani affectus, quà potuit, quatenus homo, & ex officij communis regula bene cupere illis, quos diuina ipsius natura probè norat esse reprobos, quosque adeò justo judicio æternis pœnis addixerat. Certè humanum illum affectum manifestè exhibuit, Luc.19.41.42.cùm lachrymas effunderet super Ierosolymis, cujus tamen vrbis excidium & horrendam vastationem pro perfecta diuinitatis suæ scientia norat fuisse ab æterno decretam. Verùm alia est intercessio specialis Christi, qua fungitur ex officio proprio & singulari Mediatoris & Sacerdotis, & quæ illa demum intercessio est, quam facimus propriam partem officij Sacerdotalis, quæque necessariò nexu cohæret cum satisfactione Christi, eam ipse Christus Iohan.17. ita determinat, vt ostendat, & quid & pro quibus roget, dum ait se rogare pro suis, vt Deus seruet ipsos propter nomen suum, vt habeant gaudium Christi impletum in semetipsis vt seruentur à malo vt sanctificentur per veritatem Dei vt sint vnum inter se & perfecti sint in vnum, & vbi est Christus, ipsi etiam ibi sint vt spectent ipsius gloriam. Quæ beneficia omnia, cùm fidelibus tantùm concessa sint, vel inde satis apparet intercessionem Christi Sacerdotalem, non ad homines quoscunque pertinere, sed esse fidelibus tantùm & electis destinatam, ideoque ait se non rogare pro mundo, sed pro illis quos Pater ipsi dedit, Vbi cùm manifestè instituatur oppositio inter mundum & eos qui Christo dati à Patre. Christo autem à Patre dati sunt tantùm electi. Consequens est vt dicamus nomine mundi designari reprobos adeoque concludamus intercessionem Christi Mediatoriam, non ad reprobos, sed ad Electos solos pertinere. Quod etiam versu 20. euidenter docetur. Vbi illi pro quibus Christus orat distinguuntur in duos gradus Apostolos putà & qui per verbum Apostolorum omnibus sæculis credituri sunt in Christum, vt significetur Christum non pro aliis intercedere, quàm pro Apostolis & qui postea futuri erant fideles vsque ad consummationem sæculi.

Atqvi in priori quidem intercessionis specie, quam communem diximus, siue generalem, exemplum habemus quod imitemur, vt scilicet ex ratione humani adeoque Christiani affectus pro quibus suis indiscriminatim precemur, cùm nemo planè sit cui non istud officium præstare teneamur, nisi si forte patere possit esse aliquem qui peccato in Spiritum Sanctum se implicuerit, pro quo orationes ad Deum Iohannes prohibet fundere, 1.Iohan.5.16. Sed in ea intercessione generali non est quærenda efficacia precum Christi: Omnes enim ejusmodi orationes implexam habuerunt conditionem & submissionem qua Christus suam voluntatem & affectum humanum diuino consilio subjiciebat, vt scilicet fieret, quod petebat saluo jure voluntatis atque decreti diuini. Ve-

rum quod ad posterius genus intercessionis attinet, singalaris, inquam, illius quam adhibet ex officio Mediatoris. Et quam dicere possumus intercessionem Sacerdotalem, dubium non est quin ea sit semper efficacissima & finem suum infallibiliter consequatur, quippe absoluta est ab omni limitatione atque restrictione, & ex certa officij Mediatorij conscientia atque diuini decreti agnitione proficiscitur: Nouit enim Dominus qui sint sui, 2. Timoth. 2. 19. Neque fit ejusmodi intercessio nisi pro illis, qui per æternam electionem à Patre sunt Christo dati, Iohan. 17. 19.

Porrò longè differt hæc nostra intercessionis distinctio ab ea, quam Nouatores quidam commenti sunt: Nos enim intercessionem illam generalem negamus esse Mediatoriam, aut Christum ea in cœlis defungi, sed restringendum dicimus ad ipsius conuersationem in hoc mundo, & non aliunde profectam asserimus, quàm ex communi illo officio quo homo homini bene cupere debet ex lege charitatis: At illi quamuis eandem distinctionem quod ad verba obtrudunt, longè tamen alio sensu intelligunt & exponunt, quippe qui vtramque volunt esse Mediatoriam & à Christo tanquam Sacerdote præstari, & nunc etiam in cœlis continuò fieri contendunt, igitur aliquam esse intercessionem quæ fiat pro solis fidelibus, nempe qua postulantur quæ spectant ad solos fideles, sed etiam esse aliam communem, quæ omnes homines ex æquo respiciat. Quod ita explicant esse duplicem Dei voluntatem respectu salutis hominum. Alteram, quâ vult indifferenter omnibus impetrare reconciliationem & salutem. Alteram verò quâ vult salutem impetratam applicare quibusdam. Cùm ergo intercessio Christi sequatur voluntatem diuinam, concludunt Christum quâ Mediatorem intercedere pro omnibus generaliter, & à Deo petere, vt omnes credant & credendo possint accipere remissionem peccatorum. Sed intercedere speciatim pro fidelibus, vt impetratam salutem per fidem reapse accipiant. Volunt ergo intercessione generali non peti à Deo immediatè salutem, sed fidem atque conuersionem peccatorum. Intercessione verò speciali peti immediatè salutem & vitam æternam, & vtriusque intercessionis exemplum haberi dicunt, Ioh. 17. nempe specialis quidem pro solis fidelibus vers. 9. generalis autem pro omnibus hominibus, Ioh. 17. 21.

Sed ista quàm procul à vero abeant, nobis videndum est 1. Quid fundamenti loco substernunt de duplici Dei voluntate. Certè vult Deus impetrari salutem & applicari, sed non sunt hi duo actus impetrationis & applicationis ita discerpendi quasi pro aliis impetratio fieret, aliis applicatio destinaretur: Nam cùm salutis applicatio finis sit. Impetratio verò medium simpliciter necessarium ad finem illum simpliciter consequendum (quippe impetrata salus est eo fine vt applicaretur per fidem, Ioh. 3. 16.) non differt impetrandi, id est, præparandi medij voluntas à voluntate applicandi, id est, communicandi finis separari, cùm volitio mediorum pendeat à volitione finis. Cùm ergo solis Electis Deus voluit salutem applicari, etiam solis Electis voluit impetrari. Atque adeò si Christi

Sacerdo-

Sacerdotalis Intercessio sequitur voluntatem Dei, sequitur eam non ad omnes generaliter pertinere, sed solis Electis specialiter destinari. 2. Intercessionem quâ functus est Christus quatenus Sacerdos & quâ etiamnum in cœlis fungitur, ad solos Electos pertinere, vel illud manifestum facit quod ea precatione tantùm consistit, sed etiam in ea defensione Christi, quâ nos aduersus Satanæ accusationes apud Deum tutatur, sicut explicat ipse Arminius disput. de officiis Christi, pro nobis continet & simul defensionem seu patrocinium nostrum aduersus accusationem, quæ nobis ab Aduersario intentatur. Quis autem nescit Christum non reprobis, sed Electis tantùm patrocinari eosque defendere à malo Intercessione sua. Et verò ita agnoscunt Aduersarij collationis Hagiensis pagina 198. vbi illam orationem Christi, Ioh.17.15. Serua eos à malo fatentur fieri pro solis fidelibus, non autem pro mundo, id est, pro infidelibus. 3. Intercessio Christi Sacerdotalis fit pro perfectè saluandis iis, pro quibus interceditur, vt docetur Heb.7.25. Atqui fatentur Aduersarij Christum non petere à Deo salutem pro reprobis. Ergo neque pro iis in cœlo intercedit. 4. nemo qui sapienter orat, orare potest pro obtinendo medio, quod necessariam & infallibilem habet connexionem cum fine, quin etiam oret eadem ratione pro obtinendo fine: Sicut nemo potest cupere, vt sol in hemisphærium ascendat, quin etiam cupiat, vt sol aërem illuminet: Atqui fides medium est quod necessariam habet connexionem cum æterna salute, Ioh.3.16. Cùm igitur fateantur Aduersarij Christum non orare pro salute reproborum, neque etiam pro eorum fide orare putandus est. 5. cùm Intercessio Christi pro donatione fidei & communicatione salutis prodeat ab eadem Christi voluntate & eodem fundamento nitatur Impetratione nimirum per Christi mortem facta, quomodo intercessio qua petitur salus, est semper efficax, & vincit omnia quæ intercurrere possunt obstacula: Intercessio verò quâ petitur fides non est semper efficax, cùm multi, pro quibus precari dicitur Christus, nunquam reapse perueniant ad fidem, ita vt effectus ejusmodi intercessionis impediatur per aliquod ex parte hominum accedens. Præsertim cùm Christus de precibus suis Sacerdotalibus dicat absolutè & nulla facta distinctione eas semper exaudire, Ioh.11.42. 6. Si quemadmodum agnoscunt Aduersarij Intercessio Christi sequitur voluntatem diuinam qui dicunt Dei voluntatem esse, vt omnes reapse perueniant ad salutem æternam, quomodo dicere possunt Christi intercessionem non fieri pro salute omnium, sed pro omnium tantùm fide atque conuersione? Hæc enim vix possunt inter se componi, nec est quòd excipiant Christum etiam petere omnium salutem, sed mediatè etiam si credant: Nam si negant Christum orare pro salute reproborum, quia pro ea non erat nisi mediatè & sub conditione, vt volunt Aduersarij nimirum si reprobi sibi non desint & si non resistant primæ gratiæ. 7. quæro ab Aduersariis velit-ne Christus hanc suam generalem intercessionem mediatoriam pro infidelibus & reprobis esse efficacem & effectum suum obtinere nec-ne? Nam si nolit, non tam orat pro ipsis, quàm eos irridet, Quod & absurdum est dicere. Si autem

reapse velit, cùm satis non erit non posse reprobos ad fidem pertingere, nisi primæ gratiæ resistant? Quòd si orat, cùm oret absolutè, & sine conditione: (Neque enim fingi posse videtur aliqua conditio superior sub qua Christus oret pro reprobis, vt cùm vocantur per Euangelium sibi ipsis non desint & primæ gratiæ non resistant) consequetur orationem illam esse exaudiendam à Deo, cùm Christus in omnibus quæ sine conditione petit, exaudiatur, Ioh.11.42. Adeóque reprobos non restituros gratiæ, sed crediturosque, & per consequens salutem consecuturos ex vi promissionis, Ioh.3.16. Denique cùm in hac causa vrgeant Aduersarij typum summi Pontificis in Israele, vt videre est in collatione Hagiensi pag.189. Dico vel ex illo typo refutari manifestè ipsorum sententiam. Certè sicut summus Pontifex Christi typum gerebat, vt à nobis superiùs explicatum est: Ita & populus Israeliticus typus erat Ecclesiæ veræ per Euangelium ad Christi communionem efficaciter vocatæ: Ideò enim Electorum Ecclesia vocatur Israel Dei, super quem est pax & misericordia, Gal.6.16. Ergo sicut summus Pontifex pro solo Israele intercedebat, non autem pro nationibus externis, & à fœdere alienis: Ita & Christus pro solo Israele Dei, id est, pro solis Electis precatur, non autem pro reprobis & infidelibus in infidelitate mansuris.

Sed videntur sibi Aduersarij duplicis illius Intercessionis, quam primi commenti sunt, testimonia deprehendisse, Ioh.17. Nam ℣. quidem 9. proponere Christum Intercessionem suam particularem & propriam, quam pro solis Electis præstat, cùm ait se non orare pro mundo, sed pro iis qui dati sunt ipsi à Patre, sed postea ℣.21. generalem Intercessionem in medium proferre, quam scilicet pro omnibus indiscriminatim præstet, vbi orat vt credat mundus ipsum à Patre esse missum. Ita enim Remonstrantes in collatione Hagiensi vbi supra. Verùm miror quomodo tam subitò exciderit ipsis de memoria, quod eadem pagina superius dicebant *particularem* Christi Intercessionem, quæ est fidelium, esse scriptam, Ioh.17. quæ ad nullos, quàm ad discipulos pertineat, & eos qui per verbum ipsorum essent *credituri*: Ita enim significant eo capite non aliam quàm particularem Christi Intercessionem contineri, nimirum vt addunt eandem cum illa quæ habetur, Rom.8.34. Et cujus virtute fit, vt nemo fideles condemnare possit, sed & eadem est Arminij doctrina oratione de Sacerdotio Christi pag.18.19. Vbi precationem quam Christus pro seipso offert, & Intercessionem quam offert pro fidelibus ait, Ioh.17. luculentissimè describi, & illud caput continere perpetuum Canonem precum, & Intercessionis quam Christus offert Patri in cœlis, vt perpetuò sit nobis in terris solatio, & vt inde certò certiùs nobis concludere liceat illius preces nunquam rejectum iri, & nos si illius nomine quidquid petierimus, vi illius Intercessionis exauditum iri: At inquit ℣.21. rogat vt mundus credat eum esse à Patre missum. *Resp.* 1. Nihil obstare quo minus mundi nomine intelligantur illi, qui cùm eo tempore à Christo alieni essent, postea tamen vi prædicationis Apostolicæ ad veram Christi communionem reipsa peruenire debeant, id est, qui ab æterno Electi, suo

postea

postea tempore efficaciter vocandi erant, quomodo locum non modò multi nostrorum explicant, sed & antiquorum plerique Chrys. Aug. Beda & alij à Maldonato laudati, nec alia mens Toleto, Attende, inquit, mundum hoc loco non malos & incredulos, sed credentes de mundo vocatos significare. 2. Demus nomine mundi reprobos intelligi, quemadmodum à viris doctissimis nouimus expositum; Nunquam tamen inde confeceris generalem aliquam & Mediatoriam pro reprobis Christi Intercessionem, sed illud tantùm colligere poteris Christum quidem intercedere pro Ecclesia, vt propagetur & conseruetur in mundo, & vigeat inter fideles omnes per orbem dispersos sancta concordia, sed ex propagatione & mirabili Ecclesiæ conseruatione pioque fidelium consensu, idem esse consecuturum, vt vel infideles, vel jurati Ecclesiæ hostes agnoscere cogantur, quantumuis inuiti Christum non impostorem fuisse, sed à Deo missum, cùm talia tamque mirabilia patrauerit. Itaque verba illa vt *mundus credat*, non aliquod objectum Intercessionis Christi designant, sed solum euentum ex fructu Intercessionis Christi pro fidelibus consecuturum.

Vltimo loco videndum est quomodo Christus pro nobis oret, siue intercedat in cœlo: Quanquam enim inter scholasticos atque inter eos Vasques distinguant in hac causa orationem ab Intercessione, ita vt Christum quidem intercedere pro nobis inficientur, tamen certum est ex Scriptura esse vtrumque Christo attribuendum: Nam sicut intercedere dicitur, Rom.8.34. Heb.7.25. Ita etiam dicitur, Rom.8.34. Heb.7.25. Ita etiam dicitur orare, siue rogare Patrem pro nobis, Rogabo, inquit, Patrem Ioh.14.16. nempe postquam in cœlum ingressus fuero, vt patet ex præcedentibus. Nobis res ita explicatur. 1. oratio considerari potest, vel quoad substantiam, vel quoad Circumstantiam. Substantiam, in eo consistit, quod oratione manifestatur bonum recipiendum: Circumstantia verò æterna quæ ad essentiam orationis non pertinet in eo constituenda est, quòd manus in cœlum attolluntur, quòd in genua procumbitur, *quod corpus in terram* prosternitur &c. Hoc enim esse gestus in oratione vsitatus notum est. Quanquam ergo non sit negandum Christum in cœlis orare, si orationis substantiam respicias, tamen cùm Christus in gloria sua nobis proponatur tanquam sedens ad dextram majestatis in Excelsis, Heb.13. Non est quòd putemus eum his gestibus & circumstantiis in cœlo vti, quas in terra vsurpabat, ita vt vel in genua prouoluatur, vel manus & oculos in altum tollat, vel aliqua corporis sui prostratione sese coram Deo abjiciat: Nam sessionis gloria non satis cum gestibus ejusmodi conuenire videtur. 2. Cùm Christum in cœlo orare dicimus, potest id de oratione intelligi, vel expressa, vel propriè dicta, vel impropriè & interpretatiuè accepta. Orationem expressam voco, cùm lingua in preces soluitur, & verba vsurpantur ad manifestationem desiderij nostri. Interpretatiuam verò dico quæ magis in rebus ipsis quàm in verbis consistit vt cùm Christus mortem suam Deo repræsentat in cœlis ad salutem nostram. Hæc repræsentatio est oratio interpretatiuè

dicta. Iam ergo nihil absurdi est si quis dicat Christum in cœlo pro nobis verè & expresè orare, cùm in ejusmodi oratione nihil sit quod Christum dedeceat, siue quatenus hominem, siue quatenus beatum, imò cùm in hoc appareat charitatis ipsius erga nos non leue testimonium. Itaque nec ab hac sententia Iustinus, Aug. & alij veteres Patres, nec ipsi Scholastici Thomas Carthusianus, Abulensis, Suarez, & alij abhorruerunt, sed non videtur tamen ea sententia satis firmiter ex Scriptura determinari posse: Nam quod ait Christus, Ioh.14.16. Se rogaturum Patrem non est necessarium, vt intelligatur de oratione expressa, cùm de ea intelligi rectè possit, quam interpretatiuam dicebamus. Et verò cùm Stephanus ad Christum exaltatum preces suas dirigit, Act.7.56.6. non ab eo petit vt pro se oret, sed vt Spiritum suum recipiat & carnificibus suis peccatum remittat, quam formulam secutæ veteres Lithaniæ non ita Christum conpellant, ora pro nobis, sed orationem ita formant Κύριε ἐλέησον, χριστε ἐλέησον; Christus enim in cœlis existens non opus habet aliquid à Patre per orationem expressam pro nobis petere, cùm habeat quà Mediator omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth.28.18. adeoque de rebus omnibus spiritualibus, & ad vitam æternam pertinentibus pro arbitrio suo statuere possit. 3. siue propriè, siue Interpretatiuè Christus orare dicatur, ejus tamen oratio non est existimanda fieri ad impetrandum aliquid per modum noui meriti: Nam Christus per mortem & passionem suam opus nostræ redemptionis perfecit, sicut ipse testatus est cùm diceret, consummatum. Ioh.19.30. & Ioh.17.2. peregi opus quod mihi dedisti perficiendum, atque ita omnia nobis impetrauit, & meruit quæ sunt ad salutem nobis necessaria, ingressus quippe est semel per proprium sanguinem in sacrarium æternam redemptionem nactus, Heb.9.1. Et vnica oblatione consummauit in perpetuum eos qui sanctificantur, Heb.10.14. oratio ergo Christi in cœlis eo fine præstatur, vt quod merito suæ mortis antea nobis acquisiuit reapse & efficaciter nobis ad salutem applicet, sicut ipse ait Ioh.14.16. Se rogaturum Patrem vt Spiritum consolatorem nobis mittat: Atque ita nobis applicentur & in nobis conseruentur beneficia per Christi mortem impetrata.

Denique intercessionis Christi ratio in his capitibus meritò constituitur, 1. Quòd apparet in cœlis in conspectu Dei pro nobis, Hebr.9.24. nempe alluditur ad illud quod fieri solebat olim in summo Pontifice qui quotannis semel in sanctuarium ingressus apparere dicebatur coram facie Domini pro populo, quando cum sanguine hirci sese Deo præsentem sistebat, orationes pro populo fundens. Ergo & Christus dicitur nunc apparere in perpetuum coram Deo scilicet per continuam repræsentationem sui, suæque Iustitiæ, meriti, & amoris, vt ita in Dei gratia & dilectione conseruemur, & propterea dicitur Advocatus noster, 1.Iohan.2.1. quia sicut in humanis Iudiciis reus habet aliquem patronum & Advocatum, qui pro ipso in conspectu Iudicis apparet eumque defendit: Ita Christus causam nostram in Dei Iudicio sustinet & patrocinium nostrum suscipit aduersus accusatores quoscunque

que. 2. Quod perpetuam habet & constantem voluntatem pro nostra salute, vt ad eam nos infallibiliter adducat, Cupio, inquit, vt vbi ego sum ibi sint & illi quos Pater dedit mihi, vt videant gloriam meam, Ioh. 17.24. Atque huic Christi desiderio consentit etiam voluntas Patris apud quem efficax est semper filij intercessio, Iohan. 11.42. 2. Quòd perpetua est & indefecta virtus sacrificij semel in cruce peracti: Idcò enim per illius oblationem dicimur sanctificari in perpetuum, Hebr. 10.14. quia illius efficacia nullo tempore finitur, sed in æternum eadem perseuerat. 4. Quòd orationes nostras tanquam sacrificia, vel suffimenta quædam spiritualia Christus ipse Deo offert sacrificij sui fragrantissimo odore, quasi delibuta, vt in ipso & per ipsum grata sint Deo, 1. Petr. 2.5. Est enim Christus Angelus ille Sacerdotalis, cui dantur suffitus multi, vt offerat cum precibus Sanctorum super altare aureum quod est ante thronum, Apoc. 8.3. *Atque hæc de Intercessione, adeóque de officio Sacerdotali.*

CAPVT X.

De Regio Christi officio.

EX tribus Christi officiis vltimum nobis explicandum superest, Regia nimirum illa Christi dignitas & authoritas, quam in media Ecclesia ad Dei gloriam & electorum salutem exercet, de qua vt agamus methodicè illud ante omnia notandum est, Regnum Dei, cujus aduentum expetere jubemur, Matth. 6.10. duplex à Theologis constitui, vt alterum naturale, siue essentiale dicatur, nec non & Regnum Prouidentiæ potentiæque diuinæ: Alterum autem vocetur, *Personale; Mediatorium; Oeconomicum.* Item regnum gratiæ & gloriæ: Gratiæ quidem quatenus consideratur vt inchoatum in hoc sęculo; Gloriæ verò quatenus spectatur, vt consummandum in vita futura. *Essentiale est illud* quod Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus exercet in omnes omnino creaturas, quas sicut quando libuit imperio efficaci ex nihilo in lucem naturæ pertraxit. Ita porrò productas conseruat & gubernat, earumque naturas, facultates, motus, operationes singulas in laudem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ moderatur, ac regit, de quo regno cùm Propheta loquitur, dicit illud esse Regnum omnium sæculorum, Psalm. 145.23. quia ab initio mundi vsque ad consummationem sæculi per omnes creaturas peruadit & peruasurus est. Atque hujus respectu Deus dicitur Dominus cœli & terræ, Matth. 11.25. & Ierem. 10.7. Rex Gentium, quippe qui summam authoritatem exercet etiam in eas nationes, quæ ipsum ignorant, nec sunt ad gratuiti fœderis participationem admissæ. Item Rex magnus super omnes Deos, Psalm. 95.3. id est, supremum habens & absolutissimum dominium super illud omne, quod Dei nomine inter homines nuncupatur, sueper κατάχρησιν, vt sunt falsi Dij, siue per aliquam analogiam dignitatis

& gloriæ, quomodo Reges & Iudices dij vocantur, Psalm. 82. 6. *Regnum gratiæ* dicitur suprema illa & absoluta potestas, quâ Deus gratia sua in Electorum cordibus viuens & regnans salutem ipsorum verbo & spiritu suo hîc inchoat, & promouet, vt eam tandem in futura vita omnibus suis partibus & numeris absolutissimè perficiat. Hoc regnum, quia in cordibus fidelium stabilitur, dicitur ita venire, vt oculis externis obseruari non possit, quippe quòd sit intra fideles, Luc. 17. 20. 21. Rom. 14. 17. non consistere in cibo & potu, id est, in rebus, aut obseruationibus externis, sed esse Iustitia, pax, & Lætitia in Spiritu S. Iustitia quidem, quia consistit in bonis operibus: Pax verò quia concordiam, & veram charitatem continet. Denique lætitia, quia situm est in consolatione gaudioque inenarrabili quod percipiunt fideles Iustitiæ Christi participes.

Hæc Regna multis inter se modis differunt. 1. Ratione causarum. Prius enim non datur in decreto Prouidentiæ, cùm sit executio externa & temporalis illius æterni apud Deum propositi, quo res & euentus omnes præsciuit ac præfinijuit, sicut dicit Apostolus Deum efficere omnia secundùm consilium voluntatis suæ, Eph. 1. 11. Sed posterius fundamentum habet in Electionis decreto secundùm quam Deus nos prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum in sese ex beneuolo affectu voluntatis suæ, Eph. 1, 5. 2. Ratione effectorum: Longè enim alia sunt diuinæ prouidentiæ effecta in regno vniuersali potentiæ, quippe communia & in omnes creaturas variis licèt gradibus sese pertendentia: Alia verò specialis gratiæ beneficia quæ fidelibus solis in regno Christi communicantur, qualia sunt vocatio, adoptio, justificatio, &c. Neque opus est vt in re clarissima declaranda latiùs operam occupemus. 3. Ratione obiectorum: Regnum enim potentiæ creaturas omnes ambitu suo complectitur: Regnum gratiæ specialiter ad Ecclesiam terminatur, atque hoc etiam respectu Deus dicitur Rex Israelis, Esa. 44. 6. & Rex filiarum Sion, id est, singulorum fidelium, Ps. 149. 20. Vnde Propheta vocat ipsum Regem suum & Deum suum, Psalm. 5. 6. 4. Ratione administrationis: Regnum enim potentiæ administratur quidem & exercetur à Christo, sed ratione diuinæ naturæ, siue quatenus Deus est in æternum cum Patre, & Spiritu S. benedictus, sicut ipse dicit Ioh. 5. 17. Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor, quibus verbis indiuisam significari Patris & filij operationem rectè obseruatum est ab Athanasio serm. de Deipara, quòd & Iohan. 5 19. clarè innuitur, cùm dicitur Filius, non tantùm facere quæcunque Pater facit, sed etiam facere ὁμοίως, id est, eadem potentia, authoritate, virtute, majestate quâ Pater operatur. Atque hinc est quòd regnum illud, sicut regnum naturæ dicitur, quia totam naturam creaturarum limitibus suis continet: Ita & essentiale vocatur quoniam totius diuinæ essentiæ commune est; sed regnum gratiæ à Christo administratur, quà Christus est, id est, quà ἄνθρωπος & Mediator à Deo constitutus ad opus Redemptionis perficiendum, quo fit, vt Regnum istud vulgò personale dicatur, quia ad filij personam peculiariter pertinet: Itaque Mediatorium, & Oeconomicum nuncupatur, quia Mediatoris proprium est

Dominium

Dominium & quasi peculium secundùm gratiosam illam dispensationem quæ reuelatur Euangelio de saluandis per Christum electis & credentibus. Itaque cùm de hoc regno ait, Esa. 9.6. illud præstruit & præmonet. Puer natus est nobis, filius datus est nobis, tum statim subjicit ejus humero impositus est principatus, vt nouimus Regnum hoc ipsi datum esse, quatenus natus est & factus particeps carnis & sanguinis, Hebr. 2. 14. adeoque quatenus est verus Deus & verus homo: Sic & Actor. 2.36. dicitur cœlestis. Pater ipsum fecisse Dominum & Christum vt intelligamus eum constitutum fuisse Dominum siue Regem super Ecclesiam quatenus Christus est à Deo vnctus atque consecratus in Mediatorem nostrum. 5. Denique ratione causarum ministrantium, siue Instrumentorum quibus causa principalis iis regnis administrandis vtitur: Nam in essentialis regni gubernatione, etsi Deus possit omnia, causas tamen secundas adhibere solet, cœlum putà, Solem & cœlestium corporum motum, lumen atque illapsum ad illa omnia terrena conseruanda & vegetanda, rerumque naturalium ortus atque interitus promouendos: Ita ad humanæ societatis continenda vincula legum humanarum pœnas & præmia statuentium repagulis vtitur, varias gubernandi species Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam pro ratione personarum, locorum, & temporum instituit, viros virtutibus Heroicis splendentes excitat, nec-non & ministerium Angelorum adhibet aliquando, quomodo Dan. 10.13. significatur Angelus Domini stetisse pro Rep. Iudaica aduersus Persarum Principem & Dan. 11.1. adstetisse Dariomedo vt ei esset confirmationi & robori. Itaq; cùm cœlestem Hierarchiam Dionysius ille quem Areopagitam vocant, in tres ordines diuideret, & vnicuique Angelicorum spirituum classes attribueret in ordine. 2. Principatus & partes posuit; & principatus quidem Regnorum vniuersale regimen adscripsit: Potestates verò in id incumbere docuit, vt caueant ne aduersariæ Diabolorum partes tantam mundo perniciem inferant, quantam cupiunt nimirum id fundamenti loco substernens Angelicos spiritus ex Dei jussu rebus hisce mortalibus & humanis ministerium suum accommodare in regno gratiæ omnia illa instrumenta locum propriè non habent. Quanquam enim nihil sit in mundo quod fidelium vtilitati non inseruiat & quod non ipsis cooperetur in bonum, Rom. 8.28. ita vt omnia sint ipsorum, 1. Corinth. 3.21.22. quatenus scilicet vsibus ipsorum non corporalibus modò, sed spiritualibus deseruiunt: Nam vt aiunt Ambr. & Anselm. noster est mundus, si de illo secundùm Dei voluntatem sentimus, & decretos cursus in Dei voluntate & vita si modestè illam & cum Dei gloria transigimus & mors si consideramus eam esse transitum de hac miseria ad æternam beatitudinem & præsentia si sic eis vtimur ne offendamus & futura si ea credentes magis optamus vtpote æterna & meliora, tamen certum est Mundum, Cœlum, Solem, elementa & res alias externas atque visibiles ex ratione ordinis naturalis à Deo primitus institutas non esse media & instrumenta propriè dicta, quorum ministerio regnum gratiæ promoueatur, aut Ecclesiæ salus adjuuetur: Prædicant

ea quidem diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis gloriam, Psalm.19.& 148. sed gratiam ejus salutarem nullomodo declarare possunt, tamen Cœlum & Solem impertitus est Deus omnibus populis sub vniuerso cœlo, Deut.4.19. Sed cœlestis in Christo gratiæ mysterium non modò non fuit omnibus expositum, sed potiùs à temporibus æternis tacitum fuit, Rom.16.25. Itaque cùm de fide in Christum agitur, non ad creaturas visibiles nos Deus ablegat, sed ad Euangelicam tantùm prædicationem quippe citra quam fides Christi non potest repetiri, Rom.10.14.15.16.17. cùm Iustitia Dei non alibi quàm in Euangelio reueletur ex fide in fidem, id est, ex fide quæ continuis argumentis maior in dies euadat, Rom.1.17. Et cùm salutaris gratiæ arcana non caro aut sanguis, id est, sublimitas humanæ rationis per visibilia euntis aut omnino aliquod numen & virtus naturalis, sed Pater tantùm cœlestis patefacere valeat, Matth.16.17. Causæ igitur in hoc regno ministrantes duplici genere continentur: Sunt enim aliæ ordinariæ, aliæ verò extraordinariæ. Ordinarias voco Dei verbum ac nominatim Euangelium quod ideò, Roman.1.16. dicitur potentia Dei ad salutem, id est, organum efficacissimum per quod mediante fide in Christum ad veræ salutis professionem adducimur, & cum verbo legitimus Sacramentorum vsus, quæ signa sunt & sigilla Iustificationis nostræ, Rom.4.11. Atque adeò doctores & pastores, quos Deus instituit ad ædificationem corporis sui donec euaserimus in viros perfectos, Ephes. 4.11.12. Et quibus aliquando saluandi munus attribuitur, Abd.vers.21. 1.Corinth.9.22. 1.Timoth.4.16. non quòd αὐτοκρατορικῶς quandam partem nostræ salutis obtineant: Hoc enim vnius Dei est qui etiam Deus fortis est, & nullus præterea Deus fortis præbens cœlatibulum, Deus Israelis saluator, Esa.45.14.15. Sed quia causæ sunt Dei consilio & voluntati subministrantes ad piorum salutem: Paulus enim plantat, Apollos rigat, sed Deus vnus est qui dat incrementum, 1.Corinth.3.6. Extraordinariè verò Deus Angelorum suorum ministerio vtitur, qui assiduè quidem excubant pro salute fidelium, Psalm.34.8. Hebr.1.14. Sed aliquando tantùm & extra ordinem ad annuntianda regni cœlestis mysteria mittuntur: Ita enim & Danieli 70. septimanarum arcanum & beatæ Virgini conceptionem Christi & Pastoribus Bethlehematicis eius natiuitatem, & Apostolis ejus resurrectionem declararunt.

Sed Misso regno illo naturæ atque potentiæ, siue Dominio vniuersali, quod Christus exercet in mundo quà Deus de regno gratiæ & œconomico Dominio nobis est agendum, quod in Christum competit quà Mediatorem & Θεάνθρωπον. De hoc igitur esto nobis hoc

Theorema. *Regium Christi munus in spirituali illa dignitate situm est, quâ Christus tanquam vnicus Ecclesiæ Monarcha eam regit & conseruat & per varios gratiæ suæ gradus ad æternam fœlicitatem tandem perducit.*

Christvs Rex siue princeps nominatur, quia habet eam rationem & relationem ad Ecclesiam quam Princeps, & Rex mortalis ad suum regnum: Nam vt Rex summam habet in regno suo potestatem: Ita Christo omnis potestas in cœlo & in terra data est, Matth.28.18. vt princeps

suas

suas habet leges, quibus populum dirigat, & præfectos per quos toto regno dominatum exerceat: Ita Christus verbo suo regit Ecclesiam & per Pastores ac Doctores societatem subditorum suorum continet, Psal.110. 2. Eph.4.11.12. Vt princeps à Deo constituitur ad bonorum protectionem & vindictam erga impios exercendam, Rom.13.3.4. Ita Christus habet virgam ferream, quâ præfractos & contumaces conterat, Psal.2.9. Et coronas quibus fideles suos impertiatur, Apoc.2.10. Denique sicut Principi suppetunt præsidia sua & arces limitaneæ, quibus Aduersariorum impetus frangat: Ita & Christus eam penes se potentiam ac prouidentiam habet, quâ uti præstentur fideles omnes aduersus hostium machinas & molimina, Matth.11.28. Verùm vt omnia clariùs explicemus Præcedentis Theorematis Iustam expositionem instituamus: Quatuor capitibus rem totam expediemus, quorum primum erit de necessitate regni Christi, secundum de veritate, tertium qualitates ejus & conditiones expendet. Vltimum de illius functionibus aget.

Necessitas regni Christi pendet ex tribus partim capitibus 1. ex ratione decreti & constitutionis diuinæ; Nam cùm decreta Dei necessarium sit in effectum deduci, neque irrita esse possit ejus institutio aut consilium dissolui, Es.46.10. Act.5.39. Necessitas regij istius officij euidenter colligitur: Pater enim cœlestis Christum Regem elegit ab æterno & constituit, in tempore cùm fecit eum Dominum & Christum, Act.2. 35. & cœlesti vnctione sacrauit in Regem, Ps.2.6. Itaque scriptura de potestate istius officii loquens nimirum de exaltatione necessitatem ejus satis insinuat, cùm ait oportuisse Christum intrare in gloriam suam, Luc. 24.26.46. 2. Ex ratione salutis nostræ ad quam Deus nos ab æterno prædestinauit tanquam vasa misericordiæ quæ præparauit ad gloriam, Rom.9.23. Est enim Christus seruator corporis sui, id est, Ecclesiæ Eph. 5.23. Iam autem vt eam seruet, non modò necessarium vt salutis viam ei præmonstret tanquam Prophera, & salutem impetret, tanquam Sacerdos, verùm etiam vt salutem & impetratam applicet, & applicatam conseruet in æternum, sicut dicitur, Es.33.22. Iehoua est Rex noster, ipse saluabit nos, & vero regis munus in hoc propriè situm est, vt subditorum suorum salutem procuret prout esse agnoscit Philosophia Principatum siue Monarchiam tum demum verè obtinere nomen regni, cùm in eo saluti communi consulitur & omnia ad eum finem diriguntur. Aristoteles lib.3. pol. cap.7. 3. ex ratione ingentis & formidandæ hostium in Ecclesiam insurgentium multitudinis, nempe regnum ad bonorum profugium aduersus impiorum audaciam & injurias comparatum est, vt docet Philosophus lib.5. polit.cap.10. Et Apostolus significat Rom. 13.3.4. hostium a. & impiorum Ecclesiæ aduersantium, quantus sit numerus nemo nescit: Habet enim luctam non modo aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus imperia, & potestates, & mundi dominos & rectores tenebrarum hujus sæculi & spirituales malitias quæ sunt in sublimi, Eph.6. 12. Inter tot salutis impedimenta tantamque pereundi facilitatem non aliud fidelibus perfugium, quàm vt sub vmbra Regis alicujus deliteſcant.

qui sit mundo & inferno potentior. Talis autem Christus vnus Rex Regum & Dominus Dominantium, Apoc.17.14. Cujus conspectum non ferunt Diaboli, Matth.8.29. & cujus vnius sunt illa Verba, ero Pestis tua, ô mors, & perditio tua ô inferne, Os.13.14. quique adeò discipulis suis animos addit. *Confidite*, inquit, *ego vici mundum*, Ioh.16.33. Vbi Aug. tract.104.in Ioh.confiderunt & vicerunt in quo nisi in Christo: Non enim vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus, vnde agit Apostolus gratias Deo qui dat nobis victoriam, continuoque subjicit, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixerat suis, *Ego vici mundum*.

Secvndvm caput est de veritate regni Christi muneris, quòd nimirum Christus non verbo tenus, sed verè ac reipsa sit Rex Ecclesiæ suæ, Quanquam enim illa Regis appellatio desumpta sit ab ordine, quem in humana societate Deus instituit, vbi Rex dicitur, qui rerum ita potitur, vt vnus reliquis omnibus præsit, non eo tamen minùs verè Rex putandus est Christus, cùm Scriptura veritatem etiam in iis rebus constituat, quæ tales dicuntur per similitudinem aliquam, cùm scilicet in statuta diligenti comparatione liquet ea quæ patent in figura corporali etiam in re spirituali modo reperiri. Ita enim Christus, Ioh.1.9. dicitur Christus esse vera lux, id est, verè respondens illis proprietatibus quæ sunt in luce corporali; & Ioh.6.32. Verus panis è cœlo nimirum verè continens proprietates spirituales figuratas per manna è cœlo quondam depluens, & Ioh.6.55. Caro ejus verus cibus, & sanguis verè potus, quia illud ipsum est animabus fidelium, quod cibus & potus est corpori, & Ioh.15.1. Vera vitis, quia quod in vite figuratur, in Christo spiritualiter inuenitur. Itaque Christus verè Rex & Princeps dicitur, quia quod est Princeps in statu suo, idem Christus est in Ecclesia. 1. Rex supremus est in Regno magistratus Christus potestatem habet absolutam in Ecclesiam suam militantem, siue triumphantem. 2. Rex per leges & præfectos & Magistratus inferiores populum suum regit: Christus Ecclesiam suam verbo suo moderatur, quasi sceptro spirituali, Psal.110.2. & ad opus ministerij, ædificationem Ecclesiæ & consummationem sanctorum doctores atque Pastores in Ecclesia constituit, Eph.4.11.12. 3. Rex a Deo constitutus est ad bonos conseruandos & compescendos improbos, Rom.13.3.4. Et Christus virgam habet ferream, quâ præfractos conterat, Ps.2.9. & coronas, quibus fideles suos impertiatur, Apoc.2.10. 4. Princeps præsidiis suis & arcibus limitaneis Aduersariorum impetus frangit. Christus & prouidentiæ suæ præsidium & Angelorum refugia parat, vt tuti præstentur fideles aduersus omnes hostium machinas & molimina, Matth.21.28.Heb.1.14.&c.

Messiam Patribus sub Veteri Testamento promissum verum regem futurum inter Iudæos nemo hactenus dubitauit. Certè, Matt.2.3. Principes Sacerdotum & Scribæ populi, cùm vocati essent ab Herode, quem illa Magorum ex oriente interrogatio protulerat: Vbi est Rex ille Iudæorum qui natus est? Christum Bethleemi oriturum, & dominatorem populi futurum non agnoscunt modò, sed confirmant ex Mich.5.1.

Sed &

Sed & miraculis clarum fore crediderunt. Vnde cùm Christus miraculosa panum multiplicatione turbis innotuisset, quærebant eum in Regem instituere, Ioh.6.14.15. vt planè abeat à Gentilium suorum sententia Rabbi Maimon Ægyptius qui tractatu suo de Messia, quem Latinum dedit Genebrardus, negat Regem Christum effecturum signa & prodigia, & contrariam sententiam fatuitati fatuus ipse deputat. Verùm quoniam regnum sibi terrenum & corporale imaginabantur, inde factum est vt toties delusi fuerint in Theuda & Iuda Galilæo, Act.5.36.37. In Barcosba, quem posteà fraude detecta, Bencuziba id est non ampliùs filium stellæ, sed filium mendacij dixerunt, in Mose Cretensi, qui persuasionibus suis multos eò dementiæ compulit, vt ex alto monte sese præcipites darent; & forsan in quibusdam aliis.

EXTANT autem in Scriptura Sancta luculentissima testimonia, & figuræ atque typi nobilissimi, quibus Regium Christi officium præmonstratum fuit. Ac testimoniorum quidem cùm sit alia in verbo sita, alia in reipsa constituta, vnde distingui solent in verbalia & realia vtrisque voluit Deus in antecessum confirmari regnum illud Mediatorium filij sui: Nam 1. testimoniis realibus id comprobatum est, quoties sub Veteri Testamento Filius æternus Dei exhibuit sese in visibili specie tanquam Regem & Principem: Ita enim, Iosu.5.13.14.15. Cùm vellet Deus Iosuæ imperatoris animum ipso rerum gerendarum initio, vbi de oppugnanda Iericunte agebatur, in certam futuri successus spem atque fiduciam exrigere objecit ipsius oculis speciem viri stantis ex aduerso, cui strictus erat in manu gladius, quem cùm interrogaret Iosue, es-ne ex amicis, an ex Aduersariis, Responsum tulit, *Ego sum princeps exercitus Iehouæ: Ac ne* quis dicat eum non Filium Dei fuisse sed Archangelum quendam Creatū cæteris Angelis præsidentem, quæ statim ibidem subjunguntur, scrupulum omnem tollunt. Nam 1. Iosue ipsum agnoscit pro Domino suo, seque seruum ipsius vocat, vbi seruitus intelligitur, non charitatis, sed religionis, sicut actiones Iosuæ satis declarant. Iam autem fideles non creaturarum sed Dei vnius seruos se profitentur, neq; creaturis, sed vni Deo religiosè seruiunt, Matth.4.10. neque alium præter Christum agnoscunt pro Domino, 1.Cor.8.5.6. 2. Iosue pronus in terram cadit & virum illum adorat, Illamque adorationem vir ille recipit, non igitur Angelus, cùm adorari se non patiantur Angeli, Apoc.22.8.9. Denique jubetur Iosue calceamenta sua de pedibus suis detrahere, quoniam sanctus est locus in quo stat. Atque ejusmodi præceptis non vtitur Deus, nisi vbi ipse potentiam suam singulariter exhibet, vt scilicet ad majorem reuerentiam homo sese coram creatore suo componat, vt patet, Exod.3.5.6. Ergo vir ille non alius fuit, quàm Filius æternus Dei hac specie Incarnationi futuræ præludens, qui se Principem exercitus Iehouæ dicit, quia Rex est cœlestis qui & Angelis præest, & Ecclesiæ in omnibus semper necessitatibus præsto est & habet in manu sua paratum & quasi strictum potentiæ suæ gladium, quo & fideles tueatur, & Aduersarios conficiat.

EXCELLENTI quoque visione regia Christi Mediatoris dignitas re-

repræsentatur, Es.6. per versus 10. continuos: Nam 1. de Christo hîc agi certissimum est ex ipso Spiritus Sancti testimonio, qui hæc loquutum esse Esaiam de Christo testatur, Ioh.12.39.40.41. 2. De regno Christi quà Mediatoris sermonem esse duo demonstrant, alterum quia se Christus specie humana exhibet, Atque ita præludit incarnationi futuræ seque docet hîc esse considerandum quatenus olim in carne appatiturum: Alterum quòd repræsentatur Christus visionem illam in templo exhibens: Templum enim Ierosolymitanum figuram Ecclesiæ prætulisse nemo dubitat. Christus igitur hîc spectandus est, quatenus agit, & regnum exercet in sua Ecclesia Mediator regius, & Rex Mediatorius. 3. Regia Christi dignitas explicatur variis nominibus & rebus. 1. nominibus quæ quatuor hic occurrunt: Vocatur enim Dominus, adeoque significatur Ius & potestatem habere in templum suum, vnde vocatur Dominus templi Malach.3.1. Dominus autem non tam creationis, quàm Prouidentiæ, quàm Redemptionis & gratiæ ratione vocatur sanctus, idque ter repetito vocabulo, vt significetur pollere ipsum sanctitate non communi & vulgari, sed eximia & partibus gradibusque suis absolutissima nec esse modò in se sanctissimum, sed sanctitatis etiam in omnibus piis conciliatorem & largitorem. Sanctificationis autem officium ad Regium Christi munus pertinere postea docebimus. Vocatur *Iehoua exercituum*, id est Angelorum quos Deus habet circa se, quasi cœlestem aciem dispositos, vt pateat Christum non hominum modò, sed & Angelorum esse caput & Principem. Denique ipso *regis* vocabulo insignitur, vt clarius pateat præcedentes istos titulos ad munus ipsius regium esse referendos. 2. *rebus*, quo nomine intelligo actiones Christi, Angelorum, Philosophiæ, quæ omnia regiam Christi dignitatem ostendunt, & Christus quidem eam declarat multipliciter 1. quia sedet in sublimi solio, nimirum elevatus supra omnes Reges terræ, tanquam Iudex omnium supremus, qui & bonis præmia rependere, & improbos meritis suppliciis afficere paratus sit, prout dicitur ei omnis potestas & omne judicium datum, Iohan. 5.22. Matth.28.18. 2. Quia vestimenti sui fimbriis totum templum replet & occupat. Certè Deum Scriptura subinde proponit tanquam indutum justitia, fortitudine, lumine, gloria, Psalm.93.1. & 104.2. Es.59.17. Quia metaphorica loquendi ratione significantur effecta & gloriosa testimonia personæ, sapientiæ, prouidentiæ, &c. quibus diuina Majestas in mundo radiantissimè fulgescit. Sed hîc nominatim dicuntur fimbriæ vestis Christi templum replere, vt significetur amplitudo gratiarum quæ à Christo rege dimanant in totam Ecclesiam, cùm in Christo absconditi sint scientiæ & sapientiæ Thesauri, vt ex ejus plenitudine fideles hauriant gratiam pro gratia, Coll.2.3. Iohan.1.16. Quantum autem putamus inesse Christo gratiarum thesaurum quem gloriosè splendere in solio ipso, id est, cœlesti gloria totum ejus amictum, siquidem vel ipsius fimbriæ pars vestis infima replendo templo sufficit hoc est Ecclesiæ beandæ & omnibus fidelium votis ac necessitatibus explendis. 3. Quia totum templum fumo & caligine repletum est: Nam gloriosa supremi

Regis

Regis apparitio ita sæpe nobis describitur, vt circa ipsum nubes, caligo, & obscuritas esse dicatur, Exod. 19.16. & 40.34. Num. 9.15. 1. Reg. 8.12. Ps. 18.12. & 97.1. Scilicet ita vult Scriptura non modò nobis suum terrorem incutere, vt coram diuina majestate tremamus vt habent tenebræ quòd nobis horrorem commoueant, verùm etiam nobis significare quàm sit incomprehensibilis illa Majestas, & quàm sit arcanorum ejus profunditas atque altitudo mentibus nostris inscrutabilis. 4. Quia tanquam summus omnium in Ecclesia administrator & Dominus Messiæ. Prophetæ mandata dat, vt eat ad populum, & constantiam debitam præstet in eo officio peccatores arguens & Dei Iudicia denuntians. Certè non alterius est quàm Domini vineæ vinitores in eam mittere, & doctores atque Pastores euocare ad opus ministerij, Ephes. 4.11,12. Considerandæ sunt etiam actiones Angelorum circa Christum: Seraphini enim ministerium, obedientiam, reuerentiam erga Christum suam luculenter testificantur, addita etiam eximia confessione laudis. Ministerium quatenus circumstant Domini thronum, nempe ad jussa ejus præstanda, siue in communicandis beneficiis, siue in pœnis infligendis longè expeditissimi obedientiam: Circumuolant enim thronum, & illo suo volatu significant se feruentissimo affectu obsequium Christo præstare, reuerentiam in eo quòd alis faciem & pedes obtegunt, scilicet ad Christi adorationem & cultum toti compositi, quoniam & hoc gestu agnoscunt se non esse dignos, qui vel Christum aspiciant, vel à Christo respiciantur. Addunt & Angeli confessionem quam alta voce proferunt, vt à sono clamantium super liminaria postium semouerint, quâ confessione Christi sanctitatem in primis celebrant. Nomine autem sanctitatis complectuntur omnia diuinitatis attributa, cùm sanctitas Dei nihil aliud sit quàm integerrima illa & omnem captum superans essentiæ diuinæ puritas, quæ omnimodam perfectionem includit; Vnde etiam Deus identidem sanctitatis titulo celebratur in Scriptura, Exod. 39.30. 1. Sam. 2.2. Es. 1.4. Ioh. 17.11. Agnoscunt item diuina Christi gloria totam terram plenam esse, nimirum non est Christus in tenuibus illis Principibus habendus, quorum dominia breuibus & angustis limitibus continentur, verùm gloriosus ipsius Principatus toto terrarum orbe longè lateque diffusus est. Atque adeò his verbis futura sub N. Testamento Ecclesiæ propagatio designatur alta illa & terribili voce Angelorum, quippe quæ repræsentaret efficaciam diuini Verbi, cujus sonitu totus orbis commouendus esset, & portæ inferorum concutiendæ. Denique adjunguntur in eundem finem Prophetæ actiones: Nam, 1. totus horrore concutitur & contremiscit ad visionem Regis Domini exercituum, qui ex sensu tum infirmitatis suæ, tum diuinæ majestati qui seipsi conspicuam exhibebat. 2. Vbi confirmatus est Seraphini ministerio diuino dicenti, quis ibit nobis? Respondet significata jam confidentia plenus, ecce ego, mitte me. Atque ita Christo tanquam summo Domino ministerium officiumque suum defert in iis omnibus nihil est quod ad regiæ Christi dignitatis declarationem non pertineat.

Nec minùs eximia illa visio quæ Dan.7. à vers.13. ad 15. explicatur, vbi quanquam illustris extremi Iudicij typus proponatur (quo factum vt plerique visionem ad Iudicium extremum retulerint) tamen si omnia libeat accuratiùs expendere, patebit hæc eò præcipuè pertinere, vt Ecclesia Iudaica aduersus ingentem illam futurarum calamitatum molem confirmetur promissione certissima regni Messiæ, qui post veterum illarum Monarchiarum Ecclesiæ infestissimarum destructionem suo tempore in mundum venturus sit, regnumque suum aduersus quascunque hostium molitiones in æternum firmaturus.

Primò veterum illorum Imperiorum abolitio, quam quia instituti nostri nunc non est, nunc mitto. 2. Oeconomici regni Christi stabilimentum: Nam de regno Christi œconomico agi vel illud satis adstruit, quòd dicitur hoc regnum datum fuisse filio hominis: Regnum enim quod essentiale vocauimus suprà, Filius Dei æquo jure cum reliquis personis Scripturæ Sanctæ Triados ab initio possidet, sed Mediatorium istud habet qua ἀνθρωπος à Patre sibi donatum, Matth.28.18. Ioh.13.3.& 17.2. Hîc ergo distinctè docetur 1. quis. 2. in cujus manu. 3. quomodo regnum istud stabilierit. 1. quod ad eum spectat qui regnum istud instituit & stabiliuit, docet visio illum non alium esse quàm Deum Patrem, qui describitur, tum à *majestate nominis* tum à *magnificentia patris*: Nomine augustissimo vocatur *antiquus dierum*, id est, qui omnibus diebus & toto temporum fluxu antiquior est, adeóque veram æternitatem possidet, & cum æternitate intelligentiam & sapientiam infinitam. Certè prudentia, consilium & sapientia sunt propria senum hæreditas, Iobi 12. 12. Vt quemadmodum Ibidis auis pennas ferunt esse odoratiores, quò magis ipsa vergit in senium: Ita senectus sibi quid optimum & magis suave est in vita, nimirum sapientiam & intelligentiam vindicet. Quanquam autem filius nec minùs sapiens sit quàm Pater, Prou.8.1. nec minùs æternus, Es.9.5. Hæc tamen antiqui dierum appellatio Patrem singulariter notat, tum quia ipse reliquarum personarum est origo, & vt dixerunt veteres πηγαι θεότης, tum partim quia Christus, quà Rex Mediatorius aliquid habet in se, humanitatem scilicet quæ ab æterno non fuit, sed originem concepit in tempore. *Magnificientia* verò Dei variè describitur. 1. Sedet in Throno tanquam Rex totius mundi omnia in regno siue naturæ, siue gratiæ potenter administrans. 2. Thronus illius omnibus regum soliis longè est magnificentior. Dicitur enim totus esse flammeus vt scilicet designetur vis illa Dei & potentia, quæ feruor ignis est aduersarios suos consumens Heb.10.27. & rotas habet instar ignis ardentis (vnde fortasse illud suum desumpsit Plato quod memoratur à Iustino in parainetico ad Gentes Iouem in cœlo volueri curru deuehi) nimirum quia Dei prouidentia vno momento totum mundum percurrit, & sunt ipsius Iudicia, quasi fulgura quædam summa pernicitate quaquà versus permeantia. 3. Fluuius ignis voluitur ac prorui à conspectu Dei, nimirum quia sicut vasti & rapidi fluuij omnia perrumpunt obstacula, neque cursum ipsorum sistere potest vlla vis humana: Ita ruentem cœlitus di-

tus diuinorum Iudiciorum vim nihil est quod morari valeat aut interire. 4. Vt irreprehensa & iustissima esse illa Iudicia agnoscamus proponitur Deus candidis vestibus indutus, & cæsarie mundissima ornatus, vt designetur integerrima & purissima in quibuscunque Iudiciis ipsius Iustitia, Psal.51.6. Nam & cùm innocentiam,puritatem,gloriam animarum beatarum vult scriptura notare,dicit indutas esse ipsas stolis albis Apoc.6.11. & 713. Et eadem de causa vestis alba tribuitur Angelis,Marc.16.Act.10. 5. denique quod in creaturis eminentissimum est, Angeli nimirum cœlestes dicuntur circa Thronum stare. Numerum si quæris, myriades myriadum sunt id est tanta multitudine vt recenseri non valeant, si officium & ministerium adstant Deo, & tanquam satellites Principem suum stipant & ei ministrant, & ad quæuis mandata exequenda sunt expeditissimi. Postea secundo loco repræsentatur ille in cujus manu regnum hoc spirituale stabiliendum est. Qui & ipse, tum nomine tum actione describitur, Nomine, dicitur enim filius hominis quo significari Messiam non tantum illud demonstrat quod in scriptura Noui Testamenti centies appellatione illa Christus designatur, verùm etiam quod ipsi Iudæi Interpretes ad hunc locum agnoscant חומלך המשיח iste est Messias Rex, inquit Iarchi Aben Esra, Saadias, Quæ sit autem ratio hujus appellationis initio diximus, nimirum ita designatur Christum non modò Deum verè esse debuisse, sed & verum hominem naturæ nostræ, & variarum, quæ illam comitantur, infirmitatum sine peccato participem. Quod autem non simpliciter dicitur filius hominis, sed similis filio hominis, qua phrasi vtitur etiam Scriptura Noui Testamenti, Phil.2.10.Apoc.1.13. & 14.14. Id non eo spectatur vt putetur Christus humanitatis nostræ speciem tantùm & similitudinem, non veritatem assumpsisse, cùm carnis & sanguinis eodem modo quo pueri fuerit particeps, Heb.2.14. Sed eò respicit potiùs, vt norimus eadem conditione, si peccatum excipias,Christum in his terris egisse, easdem infirmitates habuisse, quibus nostra natura obnoxia est, vt sit vocula illa quæ Hebraicè כ litera significatur nota veritatis non similitudinis tantùm : Deinde designatur Christus actione sua quòd nimirum venisse dicitur cum nubibus cœli, vt hac ratione originis Christi dignitas insinuetur : Non enim ideò venisse dicitur de cœlo, quòd materia corporis & humanitatis Christi de cœlo fuerit in vterum virginis deuecta, cùm norimus Christi semen fuisse Abrahami ex tribu Iuda & familia Dauidis oriundum, sed quòd humanitas ipsius non terreno modo, aut ordinaria formatione formata fuerit, sed operatione cœlesti Spiritus sancti : Oportuit nempe Admirabilem admirabiliter concipi, & noua formatione creari, qui nouæ & spiritualis generationis author futurus erat & œconomia singulari fieri hominis filium, qui gratia spirituali nos effecturus erat Filios Dei. Itaque non caro sed Spiritus, non sensualitas sed fides conceptionem hanc admirandam præuenit & beatam virginem fœcundauit, cui si adjungas doctrinam Christi totam esse cœlestem cùm Christus nobis à Deo magister venerit, Ioh.3.12. & totam eius vitam verè cœlestem nihilque terreni sapientem & verè cœlestis ejus

opera, qualia nemo facere potest nisi sit cum ipso Deus Ioh.3.12. Satis patebit quàm verè hîc & Ioh.3.13.31. dicatur à cœlo venisse: Nec verò absre est quòd & nubium fit hîc mentio cùm dicitur filius hominis venisse in nubibus cœli: Nam quia duo sunt nubium officia, terram immissis pluuiis fœcundare, & solis radios refringere, atque interpositu suo ipsius ardorem temperare, ea facilè possumus ad Christum referre, cùm & ex ejus plenitudine salutares gratiæ cœlestis aquas hauriamus, Ioh.4.10.14.& 7.38. & cùm accedens ipse in hunc terrarum orbem humanitatis velum assumpserit, ne nimio suæ Majestatis splendore nos obrueret; Quod si de monte Sinai progressus Moses faciem ita splendidam præferebat vt Israelitas alloquuturus eam velo cooperire coactus fuerit, quantò magis oportuit ipsum Dei filium de cœlo venientem humanitatis, quasi nube velari, vt cum hominibus agere posset. Ergo in primo aduentu nubem humanitatis assumpsit quæ nubes in vltimo aduentu solij vicem præstaturæ sunt, Matth.24.30. Sequitur tertio loco videndum quomodo regnum in manu Christi stabilitum sit: Nam & hoc visione ista declaratur per gradus primò filius hominis peruenit ad antiquum dierum: Nam postquam variis gradibus ad extremam inanitionem descendisset, oportuit eum ad regiæ majestatis culmen variis gradibus peruenire, resurgendo, ascendendo, sedendo ad dextram Patris, quos omnes gradus complectitur Daniel cùm dicit filium hominis peruenisse ad antiquum dierum, quasi dicat: eum qui à Patre recessisse videbatur per exinationem, ad Patrem regressum fuisse per exaltationem: Nec verò tantùm peruenisse tantùm ad cœlum, sed peruenisse ad antiquum dierum dicitur, vt designetur summa illa Christi Mediatoris gloria quâ ita exaltatus supra omne nomen vt Patri suo sit honore gloriaque proximus. Vnde dicitur consedisse ad dextram Majestatis in excelsis, Heb.1.3. 2. peruenisse dicitur vt sisteretur coram Deo, fecerunt inquit, appropinquare eum coram ipso. Quinam autem illi sunt nisi Angeli qui fecerunt nimirum quomodo magni Principis filius fusis fugatisque hostibus ingenti comitum & nobilium caterua magnificè stipatus regreditur triumphabundus ad Patrem. Haud aliter Christus Diabolo & morte destructis, facta peccatorum expiatione Angelorum satellitio gloriosè circumseptus ad Patrem cœlestem rediit. Itaque dicuntur Angeli fecisse appropinquare Christum, non ita intelligendum est quasi Angeli conciliatores fuerint, qui Christum ad Patrem deducerent quomodo scilicet habent Reges terreni admissionales suos quorum opera & ministerio subditi ad Regem introducuntur, cùm contra suo loco docuerimus Christum esse Angelorum Mediatorem ratione confirmationis in gratia. Est igitur illud simpliciter referendum ad Angelorum ministerium, quo si defuncti sunt, etiam cùm Christus in terris ageret, assumpta serui forma, quantò magis defungi debuerunt, cùm in regni sui gloriosam possessionem ex mandato Patris intromissus est: Interim appropinquationis, siue accessus aut comparitionis nomine insinuatur Intercessio Christi, quâ continuò pro nobis apud Patrem defungitur, non tamen ipse accedens ad Deum, sed illud etiam efficiens vt nos confidenter accedere possimus

simus, Eph.3.12.Heb.4.16. & 7.25. Nominatur autem ejus Interceſſio vbi de regno agitur, vt norimus non eſſe Chriſti Interceſſionem abjectum aliquid & humile, ſed illam eſſe planè glorioſam & regiam, quippe quæ non in lachrymis, ſed in meritis, nec in exteriore ſermone, ſed in admiranda efficacia paſſionis Chriſti conſiſtat vt ante docuimus. 3. quia Chriſtus hîc conſideratur vt Mediator, quo reſpectu quidquid habuit, & quidquid egit, ſolet ipſe in Euangelio ſuo Patri conſcribere, Propterea dicitur ei datus Dominatus & gloria & regnum. Vbi nomen gloriæ reliquis appellationibus adjungitur, quæ Hebraicè eſt, יקר qua voce denotatur res ingentis pretij vt norimus Chriſti regnum eſſe terrenis omnibus incomparabiliter excellentius, quod & ſequentia demonſtrant, vbi tum amplitudo, tum duratio regni Chriſti deſcribitur. Amplitudo quidem; Nam cùm omnia mundi regna ſuis iiſque ſatis anguſtis vt plurimùm limitibus contineantur: E contra Imperium Chriſti vniuerſum terrarum orbem complectitur. Omnes, inquit, populi linguæ nationes ſeruient, id eſt, abjectis Idolis ejus verbum & gratiam amplectentur, & fide, ſpe, charitate adhærebunt, ei vni cultum & adorationem religioſam præſtabunt, ſeruient vt ſubditi Regibus ſuis, vt ſerui Dominis ſuis, vt filij parentibus ſuis, ſeruient cordis affectu, oris confeſſione, operis ſanctitate. Durationem verò ſi reſpicimus, cùm omnia mundi regna, vt ſuos progreſſus, ita ſua decrementa habeant & tandem in nihilum redeant: Dominatus Chriſti è contra æternus eſt, qui nunquam præteribit, aut corrumpetur, ſicut per ſingula cunti patet: Nam ſi regni hujus Imperatorem reſpicis, Is Chriſtus eſt Deus in æternum benedictus, ſapientia & verbum æternum Patris, qui etiam quatenus homo à morte excitatus, non amplius moritur, ſed in æternum viuit apud Patrem, Rom.6.9.10. Si adminiſtrationem ſpectas verbo diuino gubernatur quod eſt ſceptrum diuinæ potentiæ, Pſal.110.2. & quod in æternum perdurat, Matth.24.35. & incorruptibile eſt, 1.Pet.1.23. Si eos conſideras qui ad regni iſtius communionem vocantur, Illi Deo ſociantur vinculo fœderis gratiæ quod eſt in ſæcula duraturum, Eſ.54.10. Si denique ipſius regni qualitates expendis, hoc ſanè regnum ipſa Eccleſia eſt, quatenus in æternum perſeueraturam Chriſtus teſtatur, Matth.16.16. & Deus interpoſito etiam juramento pollicitus eſt, Pſ.89.36.37.38. Sed de his latiùs ſupra cùm de Chriſti dominio loquemur.

Accedvnt ſecundo loco ea quæ diximus teſtimonia verbalia ſiue in verbo ſita frequentiſſima nimirum de regno Chriſti veterum Prophetarum vaticinia, quæ omnia inſtar Commentarij habent ad primordialem illam Prophetiam ipſo Dei ore pronuntiatam de ſemine mulieris contriturо caput ſerpentis, Gen.3.15. cùm certum ſit contritionem illam, id eſt, victoriam Chriſti de Satana & inferno reportandam ad regium præcipuè Chriſti officium pertinere. Iſta igitur Eccleſia in lib.Cant.Cant. ſponſum ſuum Chriſtum Regis appellatione ſubinde deſignat Cant.1.4.& 2.4. Ità Eſa.33.22. vocatur Chriſtus Iudex, legiſlator, Rex Eccleſiæ, qui ſit eam ſine dubio ſeruaturus.

EXIMIVM est illud vaticinium quod habetur, Ierem.23.5.6. Vbi Christus, tum à persona, tum ab officio describitur: Ac personæ quidem denominatur vnitas, cùm certum sit Prophetã de vnico Rege vaticinari, & in vna personæ vnitate personarum vnio demonstratur quòd scilicet futurus sit verus homo, quippe ortum trahens à Dauide & ex semine Dauidis secundùm carnem, Rom.1.4. & germen iustum, id est, homo ab omni peccato alienus, & Iustitia, sanctitate ac puritate splendidissimus, sed etiam quòd sit verus Deus; cùm vocetur etiam ejus nomen Iehoua Iustitia nostra. Est enim nomen Iehouæ nomen, vt aliàs diximus, ita proprium Dei vt sit cuicunque rei creatæ incommunicabile: Officium verò Christi declaratur tum ipsa Regis appellatione, tum administratione, & & effectis ei appellationi respondentibus putà primò quòd sit prosperè acturus, siue vt est, Es.53.10. quòd beneplacitum Iehouæ in ejus manu sit prosperaturum, nempe, ita regnum suum Christus administrat, vt quamuis Diabolus & mundus ei cuertendo perpetuò euigilent in vanum tamen abeunt omnia ipsorum molimina, vt colligat Christus Ecclesiam suam collectamque conseruet in mundo, quemadmodum res ipsa comprobauit non modò dum Christus in terris ageret, & ringentibus quantumuis Sacerdotibus ac Pharisæis miraculorum doctrinæque præstantia per totam Iudæam innotesceret, verùm etiam post Christum in cœlestem gloriam subuectum doctrina Euangelica mirandis incrementis per vniersum orbem longè latéque spargeretur. 2. quòd sit exercitûrus Iudicium & Iustitiam in terra: Iudicium quidem conterendo improbos tanquam vas testaceum: Iustitiam suam Ecclesiam potenter conseruando sicut statim subjungitur, Iudam, id est, Ecclesiam per ipsum à peccatis & æterna morte seruandam, vt habitet securè & in vera conscientiæ pace sub vmbra diuinæ patefactionis, adeóque verè diceretur Christus Iustitia nostra, id est, ille qui non modò Iustitiam & redemptionem morte sua tanquam Sacerdos acquisiuit, sed qui etiam in acquisitæ vitæ possessionem nos introducit tanquam Rex & Princeps Ecclesiæ.

NEQVE silentio prætereunda Prophetia, Zachar.9.9. quam ad Christum esse referendam satis docemur, Matth.21.4.5. ac Propheta quidem Christi Regis aduentum ita proponit vt de ipso lætari mirificè veniat filiam Sionis, id est, Ecclesiam Iudaicam, quippe cui Rex ille venerit vt pateat illius regni donorum & gratiarum veterum illum populum participem fuisse, adeóque Christum non tum demum regio munere defunctum fuisse cùm venit in hunc mundum, sed etiam sub Vet. Testamento munus illud ad Ecclesiæ salutem exercuisse, quia etsi nondum in carne manifestatus esset, operabatur tamen apud Deum quæ ad Antiquorum salutem necessaria erant virtute Incarnationis futuræ, vnde dicitur agnus occisus ab origine mundi, Apoc.13.18. Describitur enim tum à qualitate natiua, quòd nimirum sit Iustus, origine, habitu, actu, tum à conditione aduentitia, quam ex speciali œconomia subjicit quòd scilicet sit pauper, id est, ad humilem statum sese nostri causa voluerit abjicere, ait tamen vt in media illa humilitate gloria sua nonnullos aliquando radios

dios diffuderit, putà cùm asino insidens & Ierosolymam ingressus exceptus est à pueris vestes sternentibus, ramos perferentibus & triumphale illud carmen percinentibus Hosanna filio Dauid, Matth. 21.8.9. Cùm denique à munificentia erga suos quòd nimirum salute præditus sit, id est, id ipse sese voluerit eripere hostium manibus vi ac virtute diuina illa quâ pollet, & alios saluos facere : Vnde ipsi nomen Iesu impositum, Matth. 2.21.

ACCEDVNT secundo loco ea quæ diximus testimonia in verbo constituta præcipuè ex Psalmis Dauidis, vbi non semel & iterum ac veluti per transennam hoc argumentum attingitur, sed in eo explicando ex Professo sanctus vates immoratur. Ita Psalm. 89. 36. &c. docet Dauid fidem sibi à Deo factam etiam Iuramenti sanctissimi interpositione thronum ipsius in æternum esse stabiliendum sicut etiam & Psalm. 133. repetitur. Cùm autem Deus mentiri non possit neque in nihilum abire ipsius promissiones : Et verò res ipsa comprobauerit regnum terrenum aliquid huc vsque inter posteros Dauidis non perseuerasse, necessarium est vt hoc referatur ad regnum illud spirituale quod Christus ad consummationem vsque sæculi in Ecclesia administraturus est, sed & integri hac de re Psalmi compositi fuêre ; talis enim secundus, quem licèt de Dauide simpliciter intelligendum esse hodierni Iudæi contendant, neque negemus ibi esse quædam quæ ad Dauidem facilè possint applicari, totum tamen non nisi ad Christum referri posse certo certius est: Agitur enim de Rege qui vnctus sit in monte Sionis. Ergo non de Dauide, quem Bethleemi vnctum fuisse Scriptura testatur, 1. Sam. 16. 2. de Rege sermo est, qui Dei filius sit per viam generationis, *Ego*, inquit, *hodie genui te*: Atqui hoc Christi proprium est, qui propterea μονογενὴς dicitur, quia vnus est quem Deus ab æterno genuit ineffabili generatione, Esa. 59.8. 3. Huic regi in possessionem cedere debuerunt omnes fines terræ, & cum religioso cultu prosequi Reges ac Principes mundi. Hoc autem Dauidi nunquam obtigit, sed in vnum Christum verè competit. 4. Rex proponitur, qui sit omnes suos aduersarios contriturus, quique ipsos in nihilum redigere valeat, vel solo flatu indignationis suæ : Atqui Dauid neque omnes Israelis hostes contriuit neque perierunt ab exardescente ipsius ira omnes quos habuit Aduersarios. 5. de Rege vaticinium est in quo debeant omnes fiduciam reponere. Quis autem putarit hoc vel in Dauidem, vel in merum quemcunque hominem conuenire posse, cùm incumbat eis certissima maledictio cuicunque fiduciam suam in homine constituerit, Ier. 17.5.6. 6. totum hunc Psalmum ad Christum pertinere Spiritus Sanctus in Nouo Testamento euidenter confirmat. Hæc duo ad Christum subinde referens, Act. 4.25.26. & 15.33. Hebr. 1.5. & 5.5. Apoc. 2.27. & 9.15. Denique res ista clara est, vt ne Rabbini quidem doctiores eam negare sustineant, certè Salomo Iarchi initio Comment. in hunc Psalmum Magistri nostri, inquit totum hoc exposuerunt de rege Messia, Quod idem etiam obseruat Aben-Esra. Sicut apud Galatinum, lib. 7. cap. 14. dicit Rabbi Huma Regem Messiam esse de

quo dictum sit, ego hodie genui te. Et Misdras Tillim super hæc verba *narrabo præceptum*, narrata sunt, inquit, mysteria ejus scilicet Regis Messiæ in Scriptura legis Prophetarum & Agiographorum.

PSALMVS etiam 45. Quanquam multa habeat quæ ad Salomonem referri possint & ad nuptias ejus cùm filia regis Ægyptij de quibus 1.Reg. 3.& 11. tamen ad Messiam Regem præcipuè pertinere veteres Doctores Hebræorum consentiunt teste Galatino lib.5.cap. vltimo. Sed & Paulus docet, Heb.1. ea Psalmi verba *ô Deus thronus tuus &c.* ad Christum referens, & certa ratio confirmat multa ibi contineri, quæ ad Salomonem nulla ratione pertinere possint: Loquitur enim de Rege qui hostes suos bellica virtute confringere debeat. Iam autem Salomo pacis artibus magis quàm belli gloria floruit. Loquitur de rege cujus Thronus futurus sit in æternum, cùm tamen regia dignitas neque in Salomone, neque in posterorum ejus manu semper fuerit Rex de quo hîc agitur, semper amauit Iustitiam & impietatem odit: At Salomo in grauia peccata adeoque in Idolatriam incidit, Hujus Regis filij constituendi fuerunt Principes per vniuersam terram: Hoc verò de filiis Salomonis intelligi non potest, qui ne totum quidem Patris sui regnum conseruare potuerunt, nedum totam terram possederint. Est igitur hoc intelligendum de fidelibus, qui Christo nomen dederunt, quosque Christus regium Sacerdotium, 1.Pet.1.9. Siue Sacerdotes & Reges Patri suo, Apoc.1.6. Denique quod de sponsa Regis hîc dicitur, quòd nimirum tota gloriosa sit intrinsecus, non tam ad filiam Pharaonis pertinet, quæ spiritualium gratiarum ornamentis caruit, quippe superstitionibus Ethnicis polluta, quàm ad Ecclesiam mysticam Christi sponsam, cujus ornatus planè spiritualis est & internus, Rom.2. 29.1.Pet.3.3.4. Vnde dicitur Ecclesia quod ad speciem externam nigra, sed quod ad interiorem ornatum decora. Cant.1.5.

ADDATVR Psal.72. Qui quanquam pleraque habeat ad regnum Salomonis pertinentia, quemadmodum & ipse titulus indicat docens conscriptum esse hunc Ptalmum pro Salomone, quia scilicet in eō Dauid Salomonem successorem suum futurum Deo commendat & precatur, vt ipsi Iudicium det atque Iustitiam, id est, legem suam omnis Iustæ gubernationis normam ipsius animo ita potenter insculpat, vt eam & intellectu percipere & voluntate diligere & opere perficere valeat, adeoque ita justè & sapienter ab ipso administrentur omnia, vt nullo pauperum & diuitum discrimine omnibus ex æquo Ius reddatur, & montes atq; colles proferant Iustitiam & pacem, i.Iudæa montosa regio abundantia foueatur omnium bonorum. Quæ ad duo capita reduci possunt Iustitiam scilic. cujus latitudine comprehenduntur omnes legitimi regiminis virtutes, & pacem quæ benedictionum & fœlicitatis cujuscunque verè significationem habet, tamen cùm Messiæ typus excellentissimus in persona regnoque Salomonis exhibitus fuerit, non est dubium quin Dauid à regno Salomonis incipiens vlteriùs progressus fuerit animumque sustulerit ad spirituale regnum Christi, & in illud præcipuè vota spemque suam defixerit, quod etiam testificari videntur vltima illa Psalmi verba, hic finiunt orationes

tiones Dauidis: Non enim ea ita sunt intelligenda quasi hactenus proposita fuissent Cantica ab ipso Dauide composita. Quæ verò sequuntur vsq; ad finem alios authores habuerint, cùm sequentium Psalmorum multi titulũ Dauidis manifestè præferant, non etiam hoc significant esse vltimũ carmen, siue vltima verba quæ à Dauide diuinitus inspirato ante mortem prolata fuerint, cùm alia illa fuisse doceatur, 2. Sam. 23. Sed eò pertinent hæc verba vt denotetur hunc esse finem & hanc summam votorum omnium & desideriorum Dauidis, & hunc scopum quo pronis affectibus collimauit, vt aduenire regnum illud spirituale Messiæ, & inter Gentes gloriosè stabiliretur. Ita igitur verus est Salomo Rex pacificus, nostræ cum Deo pacis author, de quo magnifica dicuntur. 1. Datum est ei Iudicium & Iustitia, id est, omnibus Spiritus Sancti donis à Patre cœlesti abundantissimè supra omnes homines & Angelos cumulatus est, Psal. 45. 8. Es. 11. 2. 3. 4. Ioh. 3. 34. 2. regni ipsius admiranda est futura fœlicitas, Ille quippe in montibus & collibus, id est, in medio Ecclesiæ suæ quæ mõtis instar habetur, & sæpius repræsentatur. Iustitiam efficit virtute Spiritus sui, & pacem miramque tranquillitatem conscientiis ingenerat. 3. amplitudo regni proponitur & simul vocatio Gentium designatur, quòd scilicet à mari ad mare, & vsque ad extremos terrarum fines ita dominaturus sit, vt omnes orbis regiones sint ad eum accessuræ, & hostès ita deprimendi vt puluerem linant, id est, in terram prono pectore se se abjiciant, & more Orientalium ad testificandam subjectionem sicut etiam dicitur, Es. 42. 23. 4. spiritualem gratiarum omnium sub regno Messiæ abundantiam verbis figuratis Propheta describit, vbi fuerit pusillus tritici in terra commouit se fructus ejus sicut Libanus, quasi dicat, ex pauco semine fœcundam segetem prouenturam & strepitum editura sit parem frondibus cedrorum Libani à vento agitatis, & verò quantum indebatur semen illud Euangelij quod Apostolis à Christo creditum est cùm primùm mitterentur in orbem terrarum: Quos verò fructus edidit patuo tempore, quàm fœliciter excreuit per varias regiones teste Apostolo, Rom. 10. 18. & Coll. 1. 6. Quò pertinet illud, Matth. 13. 31. 32. regnum Dei esse simile grano synapi quod cùm minimum sit ita tamen excrescit vt arbor fiat & aues cœli in ramis ejus nidulentur. 5. additur descriptio gloriæ Regis quòd scilicet nomen ejus in æternum perdurare debeat inter applausus & acclamationes fidelium, qui in eo sibi benedicent, id est, iis beneficiis sanctè gloriabuntur, quæ per ejus meritum possidebunt, & in eo vno positam esse totam salutis suæ rationem confitebuntur. Denique quia totum hoc regnum non hominis viribus aut prudentia stabilitur, sed diuina potentia aut sapientia subnixum est. Ideò adjungitur sub finem δοξολογία diuinam Majestatem celebrans, quippe quæ sola regni ejus mirabilia omnia operetur & efficiat, vt scilicet nouerimus ipsi vni transcribendum esse in solidum quidquid beneficiorum, protectionis, fœlicitatis in hoc regno percipimus.

Denique Psal. 110. totus in regno Christi explicando versatur, nisi quòd v. 4. de æterno ipsius Sacerdotio agitur his de causis. 1. quia in-

separabilis est regni & Sacerdotij Christi nexus : Nam vt est ejus Sacerdotium regale, ita regnum ejus est Sacerdotale. 2. quia per sacrificium mortis suæ peruenit Christus ad culmen illud regiæ dignitatis quâ fruitur in cælesti gloria, vt significatur, Phil. 2.8.9. 3. quia in Christi Sacerdotio fundamentum suum habet illa congregatio & conseruatio, seu salus Ecclesiæ Christi de qua agitur hoc Psalmo. Cætera ergo omnia pertinent ad regium Christi munus: Nam ad Messiam hoc vaticinium pertinere non tantùm veteres Iudæi agnouerunt sicut ex targum Ionathæ & Medras tehillim & Mose Adarsag ostendit Galatinus lib.8.cap.23. verùm etiam testimonia Christi & Apostolorum docent: Christus enim Matth. 22.41. & sequentibus vt opinionem Pharisæorum refutaret, qui Messiam quidem fatebantur futurum Dauidis filium, sed in eo tamen præter humanam naturam nihil agnoscebant, opponit eis initium hujus Psalmi vbi Dauid ita loquitur, dixit Iehoua Domino meo &c. Quomodo, inquit, vocat Dominum si Filius est, Quibus verbis non negat quidem Messiam esse debere filium Dauidis, sed significat altiùs assurgendum esse, neque in Messia esse simpliciter agnoscendam humanam naturam secundùm quam est filius Dauidis, sed habendum esse ipsum pro vero æternoque Deo, qualis scilicet agnitus est à Dauide cùm vocauit ipsum Dominum suum: Dauid enim qui Rex erat & Magistratus supremus neminem Dominum & superiorem habebat in terris, atque adeò quem Dominum suum vocat eum agnoscit superiorem homine, id est, verum Deum Apostoli Christum secuti vaticinium istud eodem modo intelligendum esse docent, Act.2.34.35. 1.Cor.15.27. Hebr.1.13. & 5.6. & 7.17.21. Porrò quanquam Psaltes statim initio personæ Christi dignitatem insinuat atque diuinitatem vt diximus doceri Matth.22. præcipuè tamen circa ejus regium officium explicandum occupatur de quo duo nominatim exponit, destinationem scilicet ad illud officium, & ipsius administrationem. Destinatio primis verbis exponitur dixit Iehoua Domino meo: Nam verbo illo, *dicendi*, duo designantur, quòd scilicet Christus Rex ab æterno destinatus fuerit à Patre & quòd ea destinatio in tempore fuerit mundo manifestata, quod vtrumque docet Petrus primæ. 1. 2. Regia verò Christi dignitas denotatur nomine sessionis ad dextram Patris: Nam quòd Christus non fuerit Ecclesiæ Rex etiam cùm in mundo ageret: Rex enim certè agnitus est à Nathanaële Ioh.1.49. & cùm Christus, Ioh.18.36. regnum suum profitetur non esse de hoc mundo satis etiam docet, cùm hoc diceret se Regem fuisse, quemadmodum & statim expresè fatetur, cùm à Pilato rogatus, num Rex esset, tu dicis, inquit, & ideò veni vt testimonium dem veritati: verùm quia Christi Dominium regium tum glorioſissimum apparuit, cùm est ipse exaltatus ad dextram Majestatis in excelsis, ideò regnum nomine sessionis illius explicatur.

Administratio deinde regni illius proponitur duobus capitibus. Alterum collectionem & propagationem Ecclesiæ spectat: Alterum Aduersariorum, id est, regni Satanæ destructionem. Quod ad prius ostenditur quo medio colligenda sit & propaganda Ecclesia, verbo nimirum

rum Euangelico quod vocatur sceptrum potentiæ Christi, quia eo tanquam sceptro potenter regitur Ecclesia. Est enim Euangelium Dei potentia in salutem credentibus, Rom.1.16. 2. Vnde initium collectionis faciendum nimirum Sione; primùm enim Christus & post Christum Apostoli Ecclesiam in Iudæa colligere cœperunt, vt patet ex Luc.24.47. & tribus primis Actorum Apostolicorum capitibus, prout etiam prædictum fuerat, Es.2.3. Mich.4.3. 3. quò progrediendum nimirum per medium inimicorum, id est, per medias Gentes & varia obstacula quæ passim objecturus erat Satan, sicut ex hist. Apostolica & Ecclesiastica liquet. 4. quis successus secuturus sit, tum quod ad rem, tum quoad multitudinem colligendorum. Quod ad rem, Nam in die fortitudinis, siue copiarum magni hujus Regis, id est, quando Christus Spiritus sui virtutem explicauit in conuertendis ad se per totum terrarum orbem hominibus. Populus ipsius erit primò populus deuotionum seu spontaneitatum, id est, Ecclesia collecta per Euangelij prædicationem præstitura est Christo obedientiam non quomodo solent vt plurimum victi populi dominationibus suis obtemperare inuiti animoque frendentes: Nam viri fideles sponte sese Deo offerunt Iudic.5.2. ipsique voluntariè sacrificant, Ps.54.8. quia norunt amari à Deo hilarem Datorem, 2.Cor.9.7. Deinde præcedit ille populus cum ornatibus sanctitatis, id est, interioris spirituali cultu Dominum suum prosequetur, Cultu inquam illo rationali, sicut vocat Apostolus, Rom.12.1. vt scilicet opponat veteri illi & ceremoniali cultui, quo bruta & irrationalia Deo sacrificabantur. Multitudinem verò colligendorum quod attinet, non pauci erunt qui Christo cultum & obsequium exhibituri sunt, sed ex vtero, inquit, auoræ prodibit tibi ros pueritiæ tuæ; quasi dicat qualiter ros ex auoræ quasi prægnantis sinu sese matutino tempore latè per agros & herbarum cultuina spargere solet: ita vbi Euangelij lux, quasi aurora salubris primùm splenduerit in miram multitudinem excrescet numerus fidelium, qui Christi pueritia vocantur, quia per regenerationem de nouo nascuntur, Ioh.3.3. & sunt quasi modò nati infantes.

SEQVVNTVR deinde victoriæ Christi quas de hostibus suis erat reportaturus. Vbi primò proponitur tot victoriarum supremus author nimirum cœlestis Pater, cui etiam Christus quà Mediator solet in Euangelio totum opus redemptionis adscribere. Dominus, inquit Dauid, ad Messiam *erit ad dextram tuam*, id est, virtute sua diuinitate in tota hac regni sui administratione & pugna aduersus hostes spirituales muniet atque confirmabit: Deus enim ad eorum dextram esse dicitur, quos protegit, fouet & conseruat aduersus imminentia mala, Psalm.16.8. & 109.31. 2. Denotatur tempus vindictæ aduersus hostes, confringet, inquit, eos in die iræ suæ, id est, cùm oportunum ipsi fuerit iram suam exercere. Ita enim tempus non specificè, sed indefinitè positum est vt norimus Deum habere in sua potestate tempora, Act.1.7. neque deficiendum esse impatientia, sed humiliter expectandam esse fidelibus diem vltionis aduersus impios, & liberationis piorum. 3. Designatur locus victoriarum Chri-

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

sti quòd nimirum vindictam suam exerciturus sit super terram multam siue in regionibus plurimis, nimirum per totum terrarum orbem, prout certum est Apostolorum Christo nationes subjugantium sonum exiuisse in omnem terram, Rom.10.18. 4. Explicatur modus & gradus vindictæ terminis figuratis & ex eo desumptis quod in bellis externis fieri solet, nimirum Christus hostes suos non leuiter concussurus est, sed penitus contriturus: franget enim eos, vel juxta vim Hebræi verbi cruentabit, vulnerabit, transiget, transfodiet, atque ita replebit omnia cadaueribus veluti cùm in cruento aliquo prælio victor totum Adversariorum exercitum internecione delet. Ita interim continuanda est hæc vindicta in isto sæculo, vt demum in fine mundi Christus omnes hostes suos sit plenè debellaturus, 1.Corinth.15.24.25.26.54.55. Cæterùm quoniam spiritualem hanc vltionem Christus justissimè administraturus est. Non autem juxta furorem illius & inclementiam, quâ frequenter vtuntur victores, ideò nominatim additur Christum exercituum esse Iudicium suum adversus Gentes. 5. Objectum illius diuinæ vindictæ proponitur, nimirum non hæc, aut illa gens, sed Gentes & nationes terræ: Euangelij enim virtute tanquam spiritualibus armis deuictus est totus orbis & infiniti populi abjecta idololatria Christi crucem amplexi sunt vt per seriem temporum ostendit Iohannes Passus in epitome Ecclesiasticæ historiæ nec populi tantùm sed & Reges deuicti sunt: Quidquid enim in humana societate eminentissimum est, quatenus aut ipsi in Iuga Christi compulsi sunt, aut certè iis quantumlibet inuitis & obnitentibus Euangelium per ipsorum regna latè dispersum est, sed & caput ipsum hostium confractum est, nempe Diabolus mundi Princeps & regni tenebrarum caput. Atque adeò quidquid ipse instrumentorum excitauit aduersus Christi regnum, Luc.10.18.Iohan.12.31. & 16.11.Hebr.2.14. 1.Iohan.3.8. 6. Exponitur via per quam Christus ad cœlestem gloriam regni sui peruenit. Bibit enim de torrente in via, id est, cùm degeret in hoc mundo & per hunc terrarum orbem, quasi per viam quandam iter faceret omnigenis malis, & in animo & in corpore conflictatus est: Ita enim passiones Christi torrentis nomine designantur. Sicut & alibi aquarum voce, Psalm.69.1.2.& calicis amarissimi appellatione, Matth.20.22.& 26.39. nimirum sicut torrens de montibus descendit, & per plana deuolutus agros vastat, sed proprio tempore deficiens agros relinquit vt plurimùm limo & pinguedine obductos. Ita passiones illæ de Dei consilio venientes exundarunt in Christum, vt eum quasi obruisse viderentur, sed paulò post exaruit torrens ille, & facta est conspicua Christi gloria vt ipse caput per ascensionem in cœlos attolleret & glorioso triumpho ad Patris dextram potiretur.

Sed regium istud munus quemadmodum luculentissimis veteris Scripturæ testimoniis explicatur. Ita & excellentissimis olim typis præfiguratum fuit, quos typos in regibus illis & magistratibus summis consideramus, quos Deus populo suo præfecit. Sed hic duplex quæstio enodanda venit: Prior est, annon etiam extra corpus illud populi Dei inter

Gentes

Gentes à vera Dei cognitione alienas rerum ſpiritualium typi exhibiti fuerint. *Reſp.* 1. Typorum duplex eſſe genus, communes alios, alios verò proprios. Communem dico, qui communi ratione non autem peculiari quadam ratione rem adumbrat, ſiue qui per liberam quandam accommodationem ad rei ſpiritualis repræſentationem trahi poteſt ejuſmodi typos & extra Eccleſiam inueniri poſſe non negamus : Sic enim haud abſurdè quis dixerit Regem Darium, cùm Danielem de Leonum fouea liberauit, & Cyrum qui Iudam de captiuitate Babylonica in libertatem aſſeruit, fuiſſe Chriſti typos Eccleſiam ſuam de parte Satanæ, mortiſque dominatione eruentis: Proprius verò typus ille dicitur qui, ex Dei deſtinatione rem ſpiritualem adumbrat. Cùm ergo ejuſmodi conſtitutiones extra Eccleſiam non reperiantur, arbitramur etiam iſtius generis typos non eſſe quærendos extra populum Dei : Nam Melchiſedecum abſit vt extra Dei Eccleſiam cenſeamus, cùm fuerit Sacerdos altiſſimi, & eximia Dei cognitione atque pietate præditus. 2. Rerum quæ typis repræſentantur, aliæ bonæ, aliæ malæ. Bonas dico quæ ſalutem & myſteria cœleſtia comprehendunt, Malas quæ idololatriam, tyrannidem, perſecutiones adverſus Eccleſiam continent. Ac rerum quidem malarum typos fatemur extra populum Dei olim fuiſſe exhibitos. Ita enim Anthiochus ille Epiphanes, de quo tam multa dicuntur à Daniele, typus fuit Antichriſti in Chriſtianam Gentem ſæuientis, vnde quæ de Antiocho Daniel dixerat, iiſdem ferè verbis de Antichriſto affirmantur in Apocalypſi, ita Sodoma & Ægyptus, Apoc. 11. 8. Proponuntur tanquam typi Ciuitatis illius magnæ quæ ſedens ſuper aquas multas inebriat multos Reges, inquit, jacebunt in plateis vrbis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, id eſt, quæ ſpirituales qualitates habet carnalibus & mundanis Sodomæ, & Ægypti qualitatibus correſpondentes : Nam Sodoma quidem abominanda ſua impuritate idololatriam; Ægyptus verò violenta ſua Iſraelitarum perſecutione tyrannidem, & violentiam Ciuitatis illius magnæ, id eſt, Eccleſiæ Antichriſtianæ adverſus fideles repræſentauit. Sic veteres doctores Nebucadnetzarem tanquam typum Diaboli proponunt, quando quæ de Nebucadnetzare dicuntur Eſa. 14. ad Daboli caſum accommodant, ſed res bonæ, & ſalutaria Eccleſiæ Chriſtianæ myſteria, quæ vt non alibi quàm in Eccleſia docentur, non etiam alibi quàm in Eccleſia typis exhibitis repræſentantur.

QVÆSTIO altera magis ad cauſam iſtam pertinens eſt. An poſt regni Dauidici dilacerationem & decem tribuum ſeceſſionem regnique Samaritici conſtitutionem ſub Ieroboamo typus Chriſti in Ieroboami, non minùs quàm in Dauidis ſeceſſoribus quærendus ſit. *Reſp.* Non eſt quærendum. 1. Quia abſimile eſt Eccleſiam Schiſmaticam & idololatricam, quæ à vero Dei cultu contumaciter defecerat id retinuiſſe priuilegij vt proprios & peculiares Chriſti typos exhiberet ad rerum ſpiritualium adumbrationem. 2. Nulla major ratio, vt Reges Samariæ habeantur pro veris Chriſti typis, quàm vt Pontifices & ſacrificia Samaritanorum, quæ Dane & Betele immolantur inter figuras, ſiue Sacerdotij,

sine mortis & sacrificij Christi computentur. 3. Quia post regni in populo Dei constitutionem typum regni Christi Deus in solo Dauide & descendentibus ex eo Regibus exhibere voluit : Ideò enim regnum in domo Dauidis dicitur Deus in æternum stabiliisse, Psalm.89.37.38. Non quòd ipsum per omnia sæcula esset duraturum, cùm experientia contrarium docuerit, sed quòd illius regni typus esset, cujus in æternum gloria duratura est & Christus Dauidis nomine insignitur, Ierem.3.9. Ezech.34.23.24. tum aliis de causis tum nominatim quia Dauid & Reges Dauidici figuræ typique fuerunt Christi spiritualis Regis nostri, prout nimirum solent significata & significantia iisdem nominibus censeri vt alibi diximus dices Regem Samariæ vnctum fuisse ministerio Prophetæ, 2.Reg.9.1.2.3. Quidni ergo dicamus vnctionem eam fuisse regiæ Christi vnctionis figuram, adeoque Reges illos fuisse Christi typos. *Resp.* 1. Nullam esse rationem ejusmodi consequentiæ : Nam & Azaelem Prophanum hominem in Regem Syriæ Propheta vngere jubetur, 1.Reg. 19.15. Vnde tamen non est colligendum Azaelem esse Christi typum. 2. quòd Iehu in Regem Israelis vnctus est, 2.Reg.9.1.2.3. peculiare fuit ipsius priuilegium. Neque enim ejusmodi vnctionis aliud habemus exemplum in Scriptura nempe cùm Iehu Achabo successor extraordinaria ratione esse deberet, & ad Achabi posterorum exterminium à Deo delectus esset, opus habuit externa ejusmodi per Prophetam confirmatione non vt aliquem Messiæ typum in sua persona repræsentaret, sed vt ad res illas magnas, quibus patrandis destinatus erat fidentiùs sese præparet. 3. Oleum illud quo Iehu vnctus est, commune fuit, non autem aliqua institutione ad res spirituales designandas à Deo sanctificatum : At non ita fuit oleum, quo vnctus fuit Dauid & ejus posteri, sed oleum fuit sacrum & à Deo in eam rem institutum : Quanquam enim non eodem oleo videntur vncti fuisse Reges quo vngi solebant Pontifices summi, quodque toties in Scriptura dicitur sanctum vnctionis oleum, quemadmodum vel inde patet quòd Regibus vnctis liceret mortuos lugere & funera prosequi, 2.Sam.1.11.12. cùm tamen Pontificibus idem non liceret ideò quòd oleum sanctæ vnctionis Dei super eos esset, Leuit.21.10.11.12. Non est tamen dubium oleum illud regale non commune fuisse, sed in eos vsus singulari ratione consecrandum : Ideò enim non modò vocatur sanctum oleum, Psalm.89.11. sed & desumptum fuisse dicitur è tabernaculo, 1.Reg.1.39. vbi nihil erat, quod non à Deo ad sacros vsus sanctificatum esset.

His præmissis dico typos regalis officij Christi spectari posse in summis Magistratibus quos Deus populo præfecit, tum ante, tum post constitutam in Canaana Rempublicam Israeliticam, & ante constitutionem quidem illius duo fuere populi gubernatores Moses & Iosua, qui sine dubio Christi regis typum in regimine suo prætulerunt : Quanquam enim Apostolus, Heb.3.5.6. oppositionem instituat inter Mosem & Christum respectu dignitatis & conditionis docet illum non nisi famulum fuisse in tota Dei domo fidelem ad testificanda quæ dicenda erant, id est, ad refe-

randa

renda populo mandata quæ à Deo acceptarus erat. Hunc verò esse filium Dominum domus illius cœlestis quæ est Ecclesia, vt ibi pro arbitrio regat & dispenset omnia; hoc tamen non obstat quominus in sua dispensatione Moses dicatur Regis Christi typum exhibuisse, quatenus per varia pericula, fugas, calamitates euasit in Rectorem populi eumque durissimæ ac longissimæ captiuitati eripuit, & sine noxa per diffissas maris aquas deduxit, quibus tamen Ægyptij absorpti fuerunt, & per annorum, 4. spatium ita per varia deserti loca circumtulit vt vbique tutas stationes populus reperiret & hostes suos debellaret, & aduersus serpentum venena certissimum remedium paratum haberet, omnibusque ad vitam & victum necessariis instrueretur, donec tandem in monte Nebo moreretur Moses, cujus montem statim excepit ingressus populi Israelitici in terram Canaanitidem lacte & melle fluentem. Quæ omnia quis non videt quàm manifestè Christum referant, qui per omnigenas calamitates in regiæ dignitatis fastigium & vitæ principem sese ostendit Electos suos à peccati & mortis miseranda seruitute liberans, & omnimodas tentationes quibus obruuntur & percunt infideles & reprobi tutos atque securos præstet & per vitæ hujusce mortalis quasi desertum ita ipsos conseruat, vt omnia sufficiat ad vitam, tum corporalem, sed præcipuè spiritualem necessaria & aduersus hostium impetus veterisque serpentis morsus & venena tutatur, & denique per mortem suam quam in monte perpessus est viam illis ad regni cœlestis gloriam aperuit.

SIC ET in Iosua præcessit magnificus Christi typus. Atque in eo hæc præsertim capita. 1. ipsum Iosuæ, siue Oseæ nomen, quo vtroque iste populi dux nuncupatus est, quodque salutis conseruationis, & defensionis significationem habet. 2. qualitas Iosuæ: fuit enim vir in quo fuit Spiritus, quique repletus erat Spiritu sapientiæ Num. 27. 18. Deu. 34. 9. Id est, qui singulari dono & inspiratione diuina sapientiam omnesque virtutes Heroicas acceperat ad munus illud imperatorium necessarias ad quod Deus ipsum vocauerat. 3. Vocatio ad officium: Nam Deo jubente impositæ sunt ipsi à Mose manus, vt ita significaretur consecrari Iosuam ad tantum munus non hominum voluntate, sed diuina authoritate, neque tantùm consecratus est, verùm & variis donis instructus, sicut dicitur Num. 27. 20. Pones de gloria, siue de majestate aut splendore tuo super illum, nimirum de gloria Mosis dicitur habuisse Iosua, quatenus ad similem authoritatem vocatus est, quâ Moses ante illum pollebat apud populum Dei. Neque abs re est quod quidam Hebræorum docent iis verbis respectum haberi ad splendorem illum, quo conspicua erat facies Mosis post colloquium cum Deo in monte Sina, vt scilicet denotetur præter Internas virtutes mira quædam magnificentia & majestas, quam gestu vultuque prætulit Iosua, quæque similis fuerit cœlesti irradiationi, quâ Moses admirabiliter donatus est, Ideoque dicunt Mosem, quasi Solem fuisse; Iosuam verò instar lunæ ab illo sole fulgorem suum mutuantis. 4. potestas & authoritas Iosuæ: Videtur enim Deus ipsi singulari dispensatione Ius quoddam & imperium dedisse, non modò in aquas, cùm ipse

appropinquante & arcam admouente Iordanis aquæ retrocesserunt vt via Israeli fieret in Canaanitidem, nec modò in terram vbi muros Iericuntis, non armorum vi, sed tubarum sonitu euertit, verùm etiam in cœlum ipsum cùm Iehoua dimisit lapides magnos in exercitum Regum, & cùm ad verbum Iosuæ sol stetit in Gabaon & Luna expectauit in Aialom, donec Israel vlciscereturse de hostibus suis, Ios.10.11.12.13. 5. Actiones victoriæque Iosuæ: fudit enim hostes, & triumphauit, & eos vel ad internecionem deleuit, vel sedibus illis exactos compulit in remotas regiones, prout extitisse suo tempore columnam in Africa Procopus narrat, cui inscripta essent hæc verba, NOS MAVRVSII QVI FVGIMVS A FACIE IOSVÆ FILII NAVM PRÆDONIS. 6. Conseruatio Gabaonitarum qui se in clientelam Iosuæ dederant, quanquam in eorum deditionis consilio & modo nonnihil fraudis interueniisset: Nam illi quidem postquam à Cananæis ad Iosuam transierunt Aduersarios experti sunt populares & ab ipsorum ingenti multitudine impetiti sunt, sed postquam fœdus cum iis Iosua pangere dignatus est & ipsi in fide constantes permansissent, neque ad alia auxilia vertissent oculos, sed vnius Iosuæ potentia & ope freti hostes contempsissent, non modò ab hostium violentia defenduntur, sed & gloriosè de iis triumphantem vident Iosuam. 7. Diuisio etiam Canaanis quam regionem armis parauerat, non sibi asserit, sed inter tribus Israelis justa diuisione partitur. Cæterùm hac distributione dicuntur filij Israel dedisse hæreditatem ipsi Iosuæ in medio sui nimirum Timnatur era, quod aridi tatis & squaloris significationem habet, vbi Iosua ædificauit vrbem & habitauit in ea, Ios.19.49. 50.

Hæc certè omnia nemo non videt, quàm nobile habeant in Christo complementum. 2. Christus nomine & re Iosua, siue Iesu noster est, id est seruator & Redemptor. 2. Supra eum requieuit Spiritus Sapientiæ & scientiæ. 3. Ipse vocatione cœlesti consecratus est in Regem Ecclesiæ & collata ipsi largissimè dona omnia quæcunque ad tanti muneris functionem necessaria erant: Dedit enim ipsi Deus de gloria & majestate sua vngens ipsum oleo lætitiæ supra consortes suos, vt sit Pater ille cœlestis, quasi Sol & fons abundantissimus luminis vnde Mediator fulgorem suum recipit, sicut videmus in Euangelio omnia sua miracula & doctrinam ad Patrem cœlestem referre. 4. Ipse omni potestate & authoritate non modò in terra, sed & in cœlo præditus est, Matth.28.18. & cœlitus tonat vt Aduersarios suos & eorum impetum frangit, Actor.9.3.4. 5. de hostibus nostris omnibus magnificos triumphos agit, suæque victoriæ facit nos participes, 1.Corinth.15.57. & tandem inimicos suos suæque Ecclesiæ in remotas regiones, id est, inferni sedes reprobis destinatas compulsurus, Matth.25.41. 6. Si qui ab hostibus ad ipsum transfugiunt, id est, vera pœnitentia ad ipsum conuertuntur, & in ejus fide constanter permanent, quanquam illi suis næuis iisque non paruis laborent in hoc sæculo, securum tamen confugium in Christi ope & persona reperiunt, aduersus insultum hostium quos triumphatos

in con-

in conspectu suorum Christus olim traducturus est. 7. Christus est qui cœlestem Canaanem suis post hanc vitam ita distribuit, vt sit sua sorte contentus vnusquisque, prout ipse docet Iohan.14.2. Esse in domo Patris sui varias mansiones, quas fidelibus suis præparauerit. Interea nostrum est Israelitas imitari hæreditatem Iosuæ dantes in medio sui, Christo nempe dare habitationem inter nos, scilicet ipse post partam nobis laboribus, ærumnis, omni genere opprobriorum, & ipsa morte crucis hæreditatem cœlestem, non aliud à nobis præmium reposcit, quàm ut sibi locum demus in animis & cœtibus nostris, qui etsi sint Tymnatzera, id est, ariditate & squalore horrentes propter peccatum, non tamen ibi Christus habitare dedignatur, sed domicilium sibi ædificat & expulsis sordibus sedem gratiæ suæ figit, Habitabo, inquit, in medio ipsorum, & vbi erunt duo aut tres in nomine meo congregati ibi sum in medio eorum, 2.Corinth.6.15.Matth.18.20. Vnde fideles dicuntur templa & domus Christi ac Spiritus Sancti, 1.Corinth.3.16.& 6.19.Eph. 2.21.22. Hebr.3.6.

Post constitutam in Cananæa Rempub. Israelitæ duo habuerunt summorum Magistratuum genera, Iudices 1. tum deinde Reges: Quanquam enim Iudicium exercebant Reges in Israele, vnde & Iudicare dicuntur 1.Sam.8.5. 1.Reg.3.9. & Absalom cupit se Iudicem fieri, id est, Regem constitui, 2.Sam.15.4. Certum tamen est ex vsu politiæ Iudaicæ destinatos fuisse Iudices à Regibus, cùm & diuersum fuerit sub vtriusque gubernationis regimen, quippe quod sub Regibus sine dubio Monarchiam fuisse contendunt. Ioseph. certè lib.4.antiq.cap.6.de Mose, Iosua, & consecutis Iudicibus loquens ἀριστοκρατούμενοι, inquit, διετελοῦν, id est, Aristocratiam exercentes perseuerabant. Non monarchicum fuisse Iudicum regimen non negarimus, neque datos illos tantùm in temporarium & extraordinarium subsidium ad vindicandum ab hostibus populum Dei, verùm etiam ordinaria judicia exercuisse, & jus dixisse & lites composuisse. Id enim satis euidenter Scriptura testatur docens Deboram iudicasse Israel & populum ad eam ascendisse in judicium, Iud.4.5. Et verò multi Iudices memorantur, putà *Thola, Iahir, Iihsam, Elom, Abdon, Heli,* qui nulla adversus hostes bella gessisse dicuntur, quosq; adeò necesse est occupatos fuisse in ciuilibus, aut criminalibus Iudiciis exercendis, verumtamen multa supersunt discrimina, quibus illi Iudices à regibus distinguantur, 1. Iudices non erant δεσπόται & domini Israelitarum, neque nouas leges condere poterant, aut pro imperio quidlibet agere, sed tantùm leges à Deo datas proponebant & Remp. ita administrabant, vt lex Domini esset regula dominationis, quo fit vt Ioseph. alicubi regimen sub Iudicibus vocet θεοκράτειαν, gubernationem Dei: Certè cùm Israëlitæ regiam partem Gedeoni deferrent post confectum bellum Madianitarum recusauit eam Gedeon, & testatus est, nec se, nec filios suos dominaturos cum imperio istiusmodi regio, *sed dominabitur,* inquit, *Dominus nobis,* Iud.3.23.q.d. summum imperium Israelitis cùm ad Deum solum spectet, illius est etiam populo suo leges dare, & Iudices ac vindices,

cùm res poſtulat, excitare & potentiam ſuam in eo vel liberando, vel conſeruando exercere. Et Ioſeph.lib.4.antiq.cap.8. Moſem introducit, cùm populum à politia regia dehortatur, ita loquentem ἀρχὴ ὁ θεὸς ἡγεμὼν ἔστω, ſufficit vt Deus nobis ductor ſit & Princeps: At verò certum eſt Reges Dominos fuiſſe & imperium in eum exercuiſſe & nouas leges condere potuiſſe, & alia multa pro libitu agere, ſicut à Deo declaratur 1.Sam.8.11.12. &c. Vbi etiam regia hæc potentia vocatur משפת regis. Quo nomine non tam officium, ſiue Ius legitimum Regis ſignificatur (quippe quod longè aliter deſcribitur,Deut.17.16.17.&c.)quàm diſpoſitio,ſiue mos & conſuetudo plerorumque regum,quæ per Gentium conſenſum Deique tolerantiam ſubditis obedientiam & obſequium imperantis in vim legis abiit, & Iuris ſpeciem habet ratione dominij illius, quod Regibus in ſubditos competit. Vnde jam facilè intelligitur ratio quâ Deus populo Regem petente dicit Samueli, non te ſpreuerunt, ſed me,ne regnem ſuper eos, 1.Sam.8.7. 2. Iudices neque vnctione conſecrabantur, neque hæreditaria ſucceſſione ad illud Iudicandi munus perueniebant, ſed ex variis familiis & tribubus, prout Deo viſum erat aſſumebantur,quemadmodum liber Iudicum teſtatur. Itaque cùm Gedeoni hujuſmodi ſucceſſio in ejus familia offerretur, eam modeſtè recuſauit,Iudic.8.22.23. Quòd enim ipſi ſucceſſit filius ejus Abimelec factum eſt dolo & vſurpatione tyrannica potiùs quàm ratione legitima: Atque adeò Abimelec non tam Iudex dicitur quàm Rex, Iudic.9.6.18.22. At verò Reges vnctione ſacrabantur, & ex quo regnum ad Dauidem peruenit in ejus familia ita conſtitutum eſt, vt aliæ tribus & familiæ ad illud aſpirare vetarentur, quia ſcilicet ex Dauidis ſemine oriundus erat Rex Meſſias. 3. Iudices nec corona aut diademate vtebantur, neque tributorum populo imponendorum Ius habebant,nec ſtipatorum ſatellitio muniti incedebant ſed Reges diadema gerebant, 2.Sam.1.10. & 12. 30. 2.Chron.23.11. & accipiebant à populo tributa, 2.Sam.20.24. 1.Reg. 4.6. quæ etiam Roboamus tanta ſeueritate exegit, vt defectioni decem Tribuum occaſionem dederit, 1.Reg.12. tum etiam longo ſatellitum & ſtipatorum agmine cingebantur & excubitores & præcurſores equites habebant, 1.Sam.8.11. Hoc ordine cenſendi ſunt quos Scriptura Ceretæos & Peletæos vocat, 2.Sam.8.18. Quanquam enim Hieronymo viſum eſt hos non alios fuiſſe quàm LXX. Iudices, quos Sanedrin appellarunt,à quo longè abeunt qui conſiliarios Dauidis fuiſſe dicunt,qui quòd haberent verba præciſa Ceretæi dicti ſunt à כרת quod eſt præcidere, & quòd admirabilia eſſent ipſorum conſilia Peletæorum nomen obtinuerint à פלא, quod admirationis ſignificationem habet.Eorum tamen ſententia præferenda eſt qui dicunt eos fuiſſe Præſidiarios milites & cohortem prætoriam ſiue fuerint ex Iſraelitarum filiis, quos Dauid ad cuſtodiam ſui corporis primùm deſtinauerit, quia eum ſecuti eſſent in illa fuga de qua 1.Sam.22.1.2. ſiue magis placeat Philiſtæos fuiſſe genere, quia ſcilicet cum Ceretæis & Peletæis junguntur & Gitæi 600. quia de Gad venerant & Regem Dauidem ſtipabant, 2.Sam.15.18.ſcilicet veriſimile

mile eos ad religionem Iudaicam transiisse, & ad Regis satellitium delectos fuisse, quòd virtute & robore corporis præstarent, vnde & nomen acceperunt Ceretæorum quidem à חרת quòd noxios facilè possent occidere: Peletæorum verò à פלה, quòd fortitudine corporea essent admirabiles.

INTER Iudices duo fuerunt præstantissimi Gedeon & Samson, in quibus etiam eximius Christi typus exhibitus est. Ac Gedeonem quidem quod attinet, 1. fuit miliare ejus tenue & ipse minimus in domo Patris sui, Iud.6.15. Christus quoque ex humili familia nascitur, & habuit instar surculi surgentis ex arida terra, Esa.53.2. 2. Antequam Gedeon ad præfecturam Israelis vocetur, Propheta Domini concionatur ad populum eique pristina beneficia reducit in memoriam, & gratitudinem simul atque contumaciam exprobrat, vt futuram mox Redemptionem non meritis suis, sed vni Dei gratiæ ferret acceptam. Sic antequam Christus in regium munus inauguraretur, solemni vocatione Deus præmiserat Prophetas, qui docendo populo incumberent, & per legis ministerium & agnitionem peccatorum homines adigerent, vt paratam in Christo Redemptionem non operibus suis, sed diuinæ misericordiæ in solidum adscribere docerentur. 3. Gedeonis vocatio non vno sed triplici signo confirmata est, Iud.6.17.36.39. Christus & vocationem & doctrinam suam omni genere miraculorum confirmatam dedit. 4. Gedeon vocatus extruit altare Deo, cui titulum facit *Iehoua Schalom*, id est, Dominus pax, vel Dominus pacis destruit autem è contra altare Basiliticum, Iud.6.24.25. Et Christus crucem erexit tanquam altare, & ibi nostram cum Deo pacem composuit, & mox Euangelij prædicatione idololatriam falsosque cultus toto passim orbe terrarum pessum dedit. 5. Gedeon collecto magno exercitu, 1. Timidos omnes discedere jubet, tum deinde illos solos ad Madianitarum perniciem destinat, qui lamberent sua manu ad os suum injicientes aquam quales 300. fuerunt. Reliquos autem qui incurnauerant se in genua ad bibendam aquam abire jussit in sedes suas, Iud.7.3.5.6. Christus Rex noster ad bellum spirituale nos vocans non vult nos timidos esse, quippe cùm timidis mors æterna parata sit, Apoc.21.8. Sed spe in Deum erecta certamen hoc decertare Christi victoria fretos, Ioh.16.33. Sed neque patitur vt incuruemus in genua, id est, corpore projecto sensus & oblectationes carnis quæramus, sed jubet potiùs vt tantùm lambamus aquam, id est, iis vtamur tanquam non abutentes, damnosas ipsius delicias à nobis abdicemus. 6. Mira fuit ratio victoriæ Gedeonis: Tradidit buccinas & hydrias vacuas & faces in medio hydriarum in manus 300. quos elegerat: Atque ita comparatis edixit, vt versus se respicerent & se imitarentur, id est, buccinis clangerent & hydrias comminuerent & tenerent manu tua sinistra faces, tum clamarent alta voce *Iehouæ & Gedeoni*. Item, *gladius Iehouæ, & Gedeonis*, vt nimirum pateret esse opus istud merè diuinum quod Iehoua faceret Gedeonis ministerio vsus: Ita Christus Rex noster victoriam reportauit de hostibus virtute diuinitatis, Psalm.118.23. Luc.1.6.8. Sed ita

tamen vt in eum finem Dei filius assumpserit ad se in vnitatem personæ naturam humanam, vt esset quasi Gedeonis gladius strictus in Aduersarios. Vnde gloria hæc fuit, & diuinitatis, & humanitatis Christi. Enimuero in referenda de hostibus per totum orbem victoria Christus Apostolorum suorum, quos in eum finem paucos elegerat ministerio vti voluit, vt per ipsos mundus Christo subjiceretur, non armorum vi, sed buccinarum clangore ac splendore facium, quæ ruptis hydriis conspicuæ fuerunt, id est, prædicationis Euangelicæ tuba & splendore verbi diuini tanquam facis cœlestis, quæ in infirmitate Apostolorum patuit, quemadmodum ait Apostolus, 2. Corinth. 4. 7. præcones illos Euangelicos fuisse instar vasis cuiusdam fragilis & testacei.

Samsonis historia continetur Iudicum 13. vsque ad 16. Eum autem eximium fuisse Christi typum vel illud satis docet quod de Samsone dicitur erit Nazaræus Domino ab vtero Iud. 13. ℣. 7. & Matth. ad Christum Matth. 2. 23. Vt supra dictum est. Typi verò hujus ratio quatuor præcipuè capitibus continetur nomine, officio, conditione & actionibus Samsonis nomen paruum solem significat, paruum sanè, quia vt hæc trahamus quod de Iohanne Baptista dicitur, Ioh. 18. non erat ille lux vera, sed vt de luce testaretur, id est, illius lucis typum in persona sua exhiberet: At Christus verus est ille & magnus Sol Iustitiæ oriens ex alto, lux inextincta mundi quam qui sequitur non ambulabit in tenebris, sed videbit lumen vitæ, Ioh. 8. 12. 2. Officio: Nam & vocatus est Samson ad liberandum Israelem ex hostium manibus, & vt in ejus natiuitate ad hanc liberationis spem erigeretur populus nondum nato Samsone facta est per Angelum hujus Redemptionis promissio Iud. 13. 5. Christus spiritualis Ecclesiæ liberator à Deo constitutus est tantaque liberationis promissio non modò per Prophetas sub Vetere Testamento identidem repetita est, verùm etiam per Angelum eo fine ad beatam virginem missum antè Christi natiuitatem expressè declaratam, Matth. 1. 21. 3. conditione Nascitur Samson ex matre sterili & Nazaræus est ex vtero, vt nempe secundùm illam legem integrè sincereque viueret quæ Nazaræis præscripta legitur Num. 6. Christus ex virgine Nascitur (quid autem Virginitate sterilius) & Nazaræus est ab vtero, nimirum sanctus impollutus & à peccatoribus segregatus vt supra dictum. 4. Actionibus, Samson vxorem sibi elegit ex Gentibus, quod à Christo factum testatur scriptura Iud. 14. 4. & Leonem in itinere incurrentem interfecit Iud. 14. 5. 6. tum rediens per viam illam examen apum cum melle in Leonis cadauere reperit & mel ipse degustauit parentibusque comedendum apponit Iud. 14. 8. 9. mox arrepta asini maxilla mille Philistæos percutit Iud. 15. 15. & cùm vrbis Gazæ portis conclusus teneretur, de media nocte surgens portas conuellit, & in montis proximi fastigium deportat Iud. 16. 2. 3. Denique post ea omnia patrata cùm in manus inimicorum incidisset & ad columnas ædificij in quo festa conuiuia Philistæorum primores agitabant, admoueretur vt ipsis ludo esset concussis euersisque illius ædificij fundamentis occidit quidem ipse, sed moriens maximum hostium numerum collapsæ domus ruinis expressit Iud. 16. 23. 24. &c. Christus pariter Ecclesiam ex media Gentilitate

elegit, & Diabolum opera ipsius intertúrbare conantem oppressit & in mediis tentationibus mel cœlestium consolationum nobis degustandum apponit & morte imbecilli sui corporis hostes suos nostrosque profligat, & vbi hora mortis & potentias tenebrarum aduenit Dei consilio in hostium manus traditus ipse quidem in cruce mortem perpessus est, sed morte sua peccati, mortis, sepulturæ, Diaboli & inferorum victorem atque triumphantem se se demonstrauit vt cum Apostolo dicere possimus Deo gratias qui nobis per Dominum nostrum Iesum Christum victoriam dedit, 1.Cor.15.57.

Inter Reges duo præsertim considerandi veniunt Dauid & Salomo, vterque Regis Messiæ typus præstantissimus: Dauid certè ita manifestè figuram Christi gessit, vt propterea non rarò Dauidis nomine insigniatur vt supra docuimus, atque hinc etiam quòd Veteris Testamenti liber, qui plura de Christo testimonia contineat nullus sit, quàm liber Psalmorum Dauidis iis præsertim locis vbi Dauid, vel calamitates suas enarrat, vel Dei beneficia, & regij sui muneris prærogatiuas explicat quod occasionem dedisse videtur veteribus multis, ac nominatim Augustino, vt singulos ferè Psalmos de Christo ipso explicandos existimauerit. Sed sæpius subtiliores se se quàm solidiores ostendunt, huic tamen fundamento inædificant, quod à Scriptura positum & ab Ecclesia nunquam in dubium reuocatum Dauidem scilicet in actionibus & conditione sua Christi regis figuram pertulisse: Dauid enim ex humili satis loco natus familia nimirum Iesse, cujus nullum inter Israelitas magnum nomen ab ipsa pueritia pastoriam vitam agens arrogantiæ atque inscitiæ insimulatus est à fratribus, 1.Sam.17.28. ab hostibus variis & externis, & domesticis agitatus Dei tamen beneficio ereptus est ab omnibus periculis, & postquam diuina manu corroboratus fuisset vt Leonem & vrsum insidiantes pecori morte percuteret, & Gigantem Goliathum singulari duello prosterneret 1.Sam.17. & postmodum ad majora prouectus hostes suos omnes debellaret, Psal.18.38.39. &c. Regiæ tandem coronæ splendore circumfulsit, & Rex Israelis à Deo constitutus est. Haud aliter Christus ex emortuo jam penè trunco Iesse progerminans tanquam radix è terra solitaria, Es. 11.1. & 53.2. & in domo fabri Ioseph tenuiter educatus est. Matth.13.55. Ioh.6.42. & mox cùm partes sibi à Deo impositas exequeretur & ab externis à suis apud quos venerat contemptui habitus est, Ioh.1.11. omnique afflictionum genere diuexatus & ipsa Dei manu ita percussus, vt non minùs quàm olim Dauid sese quereretur à Deo fuisse derelictum, Matth. 27.46. & tamen in eo se gloriosè vis diuina exeruit per varia quæ patrauit miracula, & varia quæ suis obtinuit beneficia, ipse nimirum est qui nos tanquam oues pascui sui Leonum & vrsorum vnguibus eripuit, id est, de hostium spiritualium manibus vindicatos in veram libertatem asserit. Ipse est qui Diabolum spoliauit, & de omnibus inferni potestatibus glorioſum egit triumphum, atque ita toti Israeli, id est, Ecclesiæ suæ pacem & securitatem præparauit. Ipse denique qui per omnia, quæ pertulit opprobria, dolores, cruciatus, ad regiæ suæ majestatis culmen euasit,

prout dicitur oportuisse Christum pati & ita intrare in gloriam suam, Luc.24.26.

SALOMONEM verò quod attinet, cùm quæ de ipso dicuntur, 2.Sam. 7.14. ad Christum pertinere doceat Apostolus, Hebr.1.5. facilè colligitur id ea ratione factum quæ typis dicta sunt, ad τὸ πνεῦμα certam suam & justam relationem habent: Quæ verò de Salomone notatu dignissima leguntur, hæc sunt. 1. quòd variis nominibus ejus conditionem designatam Scriptura voluit. Dauid cum Salomonem ex Dei jussu nuncupauit, quòd quietus & pacificus futurus esset, 2.Sam.12.24. 1.Chron.22. 12. tum Iedidiati vocatus est, id est, dilectus à Domino, quòd ita factum fuisse dicitur propter Iehouam, 1.Sam.12.25. Id aut propter significandum vel ipso nomine amorem Domini erga Salomonem, aut propter Christum æternum Dei filium cujus typum in administratione regni sui Salomon exhibiturus erat. Dictus est & Lemuel, Prou.31.1. quod idem est ac si dicas ille qui Dei est, aut qui à parte Dei est, id est, ab ipso Deo constitutus & ordinatus in Regem, sed & ipse Salomo Eccl.1.1. sese vocat concionatorem siue prædicatorem, nec pauci sunt qui eadem de causa dictum volunt, Prou.30.1. *Agna*, id est, congregationem, siue conuocationem, quòd scilicet verba sapientiæ congregauit, & quòd sanctissimis suis Concionibus atque constitutionibus Ecclesiam ædificauit. 2. quòd ipsi Deus sapientiam, gloriam & abundantiam dedit, qualem nullum Regum possedisse legitur, 1.Reg.3.12.13. Et quòd ejus sapientiæ fama in longinquas regiones ita peruaserit, vt ejus celebritate commota Regina Sabbæorum ad ipsum accesserit, & fassa sit sapientiam quam audiuit & obseruauit in Salomone fuisse fama longè majorem, 1.Reg.10.7.8. 3. Quòd regnauit pacificè neque aut bellis externis, aut ciuilibus discordiis turbatus est ipsius populus nec tamen eo minùs ea curauit, quæ ad defensionem & conseruationem regni pertinere poterant: Nam & muros Ierosolymorum refecit, & varias ciuitates condidit, & varios habuit bellatores in omnem belli euentum paratissimos & currus, equitesque congregauit magno numero & non soli Israeli dominatus est, verùm etiam in vicinos Reges ab Euphrate vsque ad terram Philistæorum imperium exercuit, 1.Reg.4.9.10. 2.Chron.8.9. 4. Quòd rerum sacrarum præcipuam curam habuit: Nam & templum Deo extruxit & illud omnibus sacris ornatibus magnificentissimè instruxit, vt nihil esset toto oriente quod huic ædificio comparari posset, & ædificati templi dedicationem celebrauit, & in eo populum alloquutus est, & pro populo potenti & futuro feruentissimas ad Deum orationes effudit, 1.Reg.6.7.8.

IAM oculos attollamus ad Christum. 1. Christus verus Rex est paucis Patri suo dilectissimus totus Dei & à Deo consecratus in Regem, sed ita Rex, vt simul sit verus Propheta Spiritu suo congregans Ecclesiam, & eam cœlestis verbi doctrina salutariter imbuens. 2. Spiritu sapientiæ à Deo abundantissimè donatus est & gloria eminentissima potitur, cujus fama quidem Euangelij prædicatione peruenit in totum terrarum orbem, sed quæ tum longè est infra rem ipsam, cùm nulla lingua Christi

virtutes,

virtutes & perfectiones satis enarrare valeat. 3. Regnat Christus in media sua Ecclesia pacificè seque verè Principem pacis ostendit, quatenus & pacem nobis obtinet cum Deo & animis nostris pacis internæ viuidum sensum ingenerat, & nos ad pacem cum omnibus quà fieri potest vocat. Interea ita curat omnia in Ecclesia sua, vt ipsam tutetur & conseruet, ejusque ruinas instauret, & eam aduersus impetum hostilem Spiritus sui virtute muniat & paratum habeat equitatum cœlestem, id est, Angelorum ministerium in salutem Ecclesiæ semper excubantium. 4. Ecclesiam suam ædificat in hoc mundo, & ornamentis omnibus spiritualibus ita instruit, vt nihil sit in toto terrarum orbe ipsa honorabilius, Psal.87.3. eam ædificatam Deo conseruet in obsequium perpetuum & pro omnibus membris vsque ad consummationem sæculi efficacissima oratione intercedit, Ioh.17.9.20.

TERTIVM caput explicandum venit de qualitate & conditionibus scilicet regni Christi, eæ tres sunt præcipuæ. 1. quòd æternum. 2. quòd spirituale. 3. quòd incommunicabile est. Ac de æternitate quidem regni Christi luculentissima sunt Scripturæ testimonia, Psal.89.5.30.37. Es. 9.6. Dan.2.44. Luc.1.32.33. Nam cùm omnia mundana regna certis quibusdam & à Deo fixis limitibus concluſa sunt, vt alia 350. annos, alia 350. nonnulla ad 700. pertingant. Pauca verò sint omnino quæ sine aliqua insigni mutatione vlteriùs porrigantur. Christi regnum è contra tale est vt in æternum absque vlla sui mutatione perseuaturum sit & quanquam aliquando cœpit, nunquam tamen finire debeat, adeoque æternum dicatur non negatione principij sed negatione finis, nempe regnum cùm dicimùs, eo nomine duo complecti solemus, regiam scilicet potestatem in ipso Principe residentem & potestatis illius in gubernandis subditis exercitium. Sicut igitur Ecclesia aliquando esse incipit, sed nunquam esse desinet, Ita par est vt agnoscamus regnum Christi quod in regenda & conseruanda Ecclesia versatur habuisse aliquando suum ortum, sed durationis terminum ignorare. Ortum autem & principium habuit in ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis adeoque in ipso mundi exordio condita: Nam quo momento Deus Adamum post primæuam illam rebellionem in spem salutis erexit semen illud benedictum promittēs, quod conterendum erat caput serpentis, Gen.3.15. eo ipso etiam filium suum regem Electorum declarauit ac constituit. Quare multis sæculis antequam Deus manifestaretur in carne de isto Christi regno instituta fuit vetus Ecclesia: Huc enim pertinet quòd dicitur Angelus Domini, id est, Christus ipse Israelem in deserto ductoris instar præcessisse, Exod.23.20.23. Et quòd Dei filius sese Iosuæ tanquam Principem exercitus Iehouæ exhibuit, Ios. 5. Et quòd ab Esaia tanquam Rex insidens Throno suo conspectus fuit, Es.6. Nec est quòd quæras quomodo potestatem regiam sub Vetere Testamento exercere voluerit, qui nondum factus erat homo cùm officium suum Mediatorium, adeoque etiam regium Christus exerceat secundùm vtramque naturam, vt antè demonstratum fuit: Etenim quemadmodum Christus ἐνεργείᾳ regium suum munus administrat ratione duarum natu-

ratum actu inter se hypostaticæ vnionis vinculo sociatarum: Ita nihil impedit quò minus antea illud exercere possit secundùm vtramque naturam olim & immutabili ratione diuini consilij conjungendam vt scilicet administratio jus & vim suam obtineret ab incarnatione futura. Iam verò in hujus officij administratione certos gradus obseruare consentaneum est. Ac 1. sicut Christus inconcusso decreto in Regem Ecclesiæ à Patre destinatus est. Ita vbi jam existere cœpit Ecclesia ex vocatione Patris Rex Ecclesiæ ad fidelium salutem reapse constitutus est: Quis enim putet corpus illud mysticum aliquando sine capite extitisse, aut fideles & Electos tanquam membra disiecta fuisse quæ nullo inter se vinculo continerentur. 2. regis partes in Veteri Testamento exequutus est cùm leges condidit, Sacramenta populo suo instituit, suos ex statu naturæ in statum gratiæ vocauit & Ecclesiam adversus omnia mundi ac Diaboli molimina tectam saluamque conseruauit, vnde ipsum legislatorem & regem suum agnoscit vetus Ecclesia, Esa.33.22. quòd si petas quomodo legum latorem ad regale munus referam cum ad Propheticum officium pertinere alibi docuerimus, facilis est responsio: Cùm enim lex duplicem respectum indicat nimirum doctrinæ & imperij sanè quatenus doctrinam complectitur officij Prophetici res est, quatenus verò imperij vim habet ad munus regium meritò refertur. 3. in Nouo Testamento Christus non modò eas quas diximus partes exequutus est, verùm etiam inauguratione solemni in æternum Regem consecratus, cùm baptismum à Iohanne recipiens in Iordane fluuio & apertione cœlorum & Patris voce Spiritus Sancti illapsu declaratus est Filius Dei dilectissimus, à cujus nutu omnes dependere oporteat. 4. Per visibilem in cœlos ascensionem sessionemque ad dextram Patris in pleniorem & augustiorem Regni possessionem missus est Rex non hominum solùm, sed & Angelorum declaratus, Ephes.1.20.21. Phil.2.9.10. Et quomodo Dauid primùm Rex super domum Iudææ vnctus est in Hebrone per 7. annos regnauit: Postea verò totius Israelis moderator constitutus regnauit Ierosolymis per 32. annos, 2. Sam.5.4.5. Haud aliter regnum istud œconomicum exercuit primùm inter Iudæos, dum ageret in terris quomodo respiciens ait se non esse missum nisi ad oues Israelis quæ perierant, Matth.15.24. sed post ascensum in cœlos imperium suum in totum terrarum orbem diffudit quacunque per Euangelij prædicationem constitutæ sunt Ecclesiæ, atque inde est quòd in cœlum ascensurus testatur datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra, Matt.28.18. 5. accedet illi regno vltima perfectio in fine sæculi, cùm veniet Christus judicatum viuos & mortuos, vt conjectis in æternum inferorum ignem improbis, electos omnes in æternum congreget & gloriæ suæ participes faciat, & triumphans in medio ipsorum regnet: Quod verò ex 1.Cor.15.24. Adversus regni hujus æternitatem objicitur, solutum est jam antea cùm de dominio Christi ageremus.

Secvndò Christi regnum non temporale est, sed spirituale. Temporale verò regnum voco non quod in tempore cœpit; Iam enim audiuimus

diuimus Mediatorium Christi regnum id cum Ecclesia nascente habuisse initium, sed quod in potentia, viribus & authoritate, mundana, visibili atque externa constitutum, quodque adeò circa curam & administrationem rerum temporalium & ad vitæ hujus mortalis rationem pertinentium versatur. Notum est quod de Messiæ regno & imperio Iudæi sibi olim finxerunt, & nunc imaginentur, quia enim plura apud Prophetas de rege Messia leguntur passim, putà quòd religiosè regnaturus sit, & Ierusalem instauraturus, & populum suum affluenti bonorum omne genus copia beaturus, & gentes toto passim orbe in ditionem suam redacturus. Hinc fuit quòd carnalibus cogitationibus hærentes & affixæ Iudæorum mentes ad regni terreni atque temporalis gloriam ea traxerunt quæ sub figuratis & allegoricis locutionibus de regno Messiæ spirituali Prophetæ vaticinati fuerant, prout ipsis nimirum in more positum est spiritualia Noui Testamenti beneficia sub bonorum externorum atque visibilium velo atque figura fidelibus proponere. Carnalem autem istam & crassam imaginationem etiam ante Christi tempora apud Iudæos obtinuisse, vel inde satis patere potest, quòd ea sese imbutos ostendunt Apostoli, cùm à Christo mox in cœlestem gloriam conscensuro. Quærunt an illo demum tempore regnum esset Israeli restituturus, Actor. 1. 6. quem Apostolorum errorem nescio qua veri specie Salmeron & Lorinus peccato vocare contendant: Nam quod aiunt Christum qui ablaturus peccata, nunquam ab iis hanc opinionem remouisse, imò & contra visum esse post resurrectionem suam multis eam confirmare, & augere mirum, ni manifesta falsitate laboret. Certè Christus ante resurrectionem Apostolos suos de isto capite satis instituerat, 1. quidem eas afflictiones & persecutiones prædicens, quas in toto prædicationis Euangelicæ curriculo propter Christi nomen Apostoli perpessuri erant. Quæ enim erant ejusmodi vaticinia ab iis figmentis aliena de populo subditisque Messiæ qui omnibus essent gaudiis & voluptatibus sub illo suo principe fruituri. 2. Ipsa quam assumpserat conditio pauperrima cumprimis & humilis satis illos docuerat non esse quòd visibilem & externa pompa magnificum Regem sibi fingerent in eo quòd in præsepi natus est, tenuiter educatus est inter opprobria viuens, querebatur se non habere vbi caput reclinaret. Denique apertè significarat suum regnum non esse de hoc mundo, quod & post resurrectionem reapse testatissimum fecit: Nam qui relicto mundo sese mox iturum ad Patrem cœlestem dicebat qui post 40. dies à resurrectione sublatus est in cœlos videntibus Apostolis non inde reuersurus, nisi sub finem sæculi, Act. 1. 11. Ille sanè sufficienter comprobauit non esse regnum suum temporale, adeoque crassum & à peccato immunem non esse illorum errorem qui tot documentis eruditi, in luto tamen illius vanissimæ opinionis hærebant. Cæterùm quando primum hoc de regno Christi temporali figmentum inter Iudæos inualuerit, haud facile est conjicere, cùm in ea re nulla nobis clara & certa historiæ fax præluceat. Hoc autem dicere viuentibus adhuc & in medio Dei populo agentibus Prophetis ni-

hil ejusmodi aut traditum fuisse, aut creditum; Neque enim sancti illi viri diuinitus instituti populum passi fuissent errore tanto dementari. Probabile fortasse videri possit vbi jam defecissent Prophetæ & variis doctrinis circumferretur iste populus iniectam fuisse opinionem illam occasione malorum & continuarum persecutionum, quas à variis hostibus post reditum ex captiuitate Babylonica Iudæi perpessi sunt: Cùm enim ita essent res ipsorum constitutæ, vt ad interitum omnia vergere viderentur, ne inter eos propter calamitatum turbines pij planè desponderent, cùm fieri facilè potuit, vt officiosa quadam fraude doctores ipsorum vterentur & ipsis in bonam spem erigendis promissiones ingererent restituendæ olim & in fœliciſſimum statum recomponendæ externæ Iudæorum Respub. Quibus cùm fauerent vetera de Messiæ regno vaticinia facilè fuit, vt Iudæi sibi palpum obtrudentes, & præsentium malorum sensum melioris sortis expectatione lenientes, tum ipsi hac se imaginatione deluderent, tum posteros suos in hanc sententiam detraherent; interim dubium non est, quin habuerint illi satis in veteribus Prophetis, vnde se ejusmodi erroribus extricarent & hanc veritatem agnoscerent regnum Messiæ non in mundano splendore, sed in spirituali parte situm fore Prophetæ Regis Messiæ humilitatem, opprobria, passiones, mortem, tum ascensionem in cœlos, & sessionem ad dextram Patris personam, Psalm. 22. & 68. & 110. Esa. 53. &c. quæ omnia non temporalis, sed spiritualis regni documenta sunt satis euidentia. Nec moror quòd recentiores Iudæi nugantur de duplici Messia, quorum alter Ioseph filius futurus sit, humilis & pauper, & variis persecutionibus infestus; alter Dauidis filius fortis & potens & splendidè regnaturus in mundo: cùm hæc mera sint somniantium deliria & nugæ nugerrimæ, quæ nec vllo veterum Hebræorum testimonio fulciantur, & totius Iudæorum nationis vnanimi consensu refellantur, quæ nullum nisi vnum Messiam expectauit, quemadmodum de Samaritanis legitur, Iohan. 4. 25. & manifestæ falsitatis reuincantur à Prophetis, qui vno eodemque contextu de vno eodemque Messia loquentes, & ipsius humilitatem atque paupertatem demonstrant, futuras glorias, victorias atque triumphos proponunt, Esa. 53.

Scholastici de regno Christi temporali variis inter se sententiis digladiantur, vt videre est apud Vasquem & Valent. in tertiam Thom. quæst. 22. Quærunt enim, vtrum Christus in omnes singulas res vniuersi dominium habuerit secundùm humanitatem, vtrum Ius Regis temporalis ei competuerit in omnes mundi Monarchias, Vtrum jus regium temporale saltem in Iudæos obtinuerit ex ratione generationis corporeæ, quatenus fuit ex regia Dauidis familia oriundus. Nos missis disputationum tricis veritatem persequi capita explicamus, 1. Certum est Christi Mediatoris officium in regenda, tutandaque & saluanda Ecclesia versari, adeoque in ea ab omnium Adversariorum machinatione & impetu vindicanda. Est autem nobis lucta aduersus hostium duo genera, de quibus Apostolus Ephes. 6. 12. nimirum aduersus carnem & sanguinem, id est,

hostes

hostes mundanos & corporeos & prauam nostram concupiscentiam, & aduersus spirituales malitias habitantes in sublimi, id est, Diabolos. Oportuit igitur Christum quatenus Mediatorem ea pollere potentia atque authoritate, quâ posset omnes illos hostes superare, subjicere, euertere: Nam certè ipsi data est omnis potestas, quæ necessaria est ad defendendam Ecclesiam & sine qua non potuisset obtinere finem sibi propositum, nempe Redemptionem Electorum. Christus igitur ita Rex est Ecclesiæ vt potestatem & authoritatem habeat in omnes omnino res creatas, qua de iis disponere valeat, prout optimum est, & maximè salutare Ecclesiæ suæ. Itaque cùm filium suum Regem Deus constituit, dominari jubet eum in medio inimicorum suorum, vt Reges, scilicet aduersarios frangat in die iræ suæ & judicium exerceat in Gentes, & inuictæ suæ virtutis documenta aduersus Ecclesiæ hostes exerat, Psalm. 110. 2. 5. 6. & Christus ipse testatur sibi omnem potestatem datam in cœlo & in terra, id est, in omnia cœlestia & terrestria, Matth. 28. 18. & Paulus Ephes. 1. 22. docet cœlestem Patrem omnia subjecisse sub pedibus Christi eumque constituisse caput Ecclesiæ, vbi non est de nihilo, quòd, 1. dicuntur omnia subjecta, tum Christus dicitur constitutus in caput Ecclesiæ, vt scilicet intelligamus non potuisse Christum fungi perfecto Regis & capitis Ecclesiæ officio, quin ei omnes creaturæ subjicerentur, & vt nimirum & mala ex parte creaturarum impendentia ab Ecclesia posset auertere & creaturis omnibus in bonum & salutem Ecclesiæ vti posset. 2. Christus secundùm humanitatem non habuit dominium in omnes res vniuersi, quâ Deus dominium quidem illud habet eminentiæ secundùm quod dicitur Dominus omnium & singularum rerum, quatenus eas producit & conseruat, & quoties libet potest eas destruere & in nihilum redigere. Humanitatem verò ipsius quod attinet, quanquam ex ratione vnionis hypostaticæ prærogatiuis excellentissimis supra omnes creaturas donatus sit, non tamen illi datum in singulas res dominium illud quod vocatur proprietatis, siue vtilitatis, quod scilicet ejus est conditionis & naturæ vt res quæ dicitur esse sub illo dominio aliqua ratione ad ejus vtilitatem referatur, qui eam possidet, imò tantùm abest vt Christus dominium ejus habuerit, vt contra conquestus sit non habere se vbi reclinaret caput, Luc. 9. 18. neque verò dominium ejusmodi vnà subsistere potest cum paupertate illa, quam Christus propter nos assumpsisse dicitur, 2. Corinth. 8. 9. Adde quòd Christus hominibus peculiaria sua dominia non eripuit, eripuisset autem si dominium proprietatis singularum rerum sibi assumpsisset, quia fieri non potest, vt vna eademque res sit in solidum sub dominio proprio duorum, vt confirmatur lege si in certo, ff. si duo ff. commodati cùm Dominum esse, sit jus habere disponendi de re eaque vtendi pro libito. Et verò opinio ista de dominio Christi in res singulas vetustioribus Pontificiis videtur ignota fuisse, imò Christum nihil ejusmodi obtinuisse satis patet ex contrariis illis opinionibus. Nicolai IV. & Iohannis XXII. Pontificum Rom. dum Nicolaus teste Almaino judicialiter determinauit Christum nihil habuisse nec in communi,

nec in proprio, Iohan. verò è contra edictum proposuit, vt Platina docet, quo eos declarat pertinaces & hæreticos qui affirmarent Christum nihil priuati vel proprij habuisse. Sed neuter de dominio Christi in res singulas aliquid cogitauit. Cæterùm quòd Iohan. 1. 11. Christus in sua vel propria venisse dicitur, id est, in mundo per Incarnationem apparuisse, non est trahendum ad dominium vtilitatis, quasi res mundi singulæ fuerunt propria possessio Christi, respondetur dominij illius vniuersalis quod diximus dominium excellentiæ, quodque Christus in res creatas obtinet ratione diuinitatis suæ. 3. Christus non fuit temporalis Monarcha vniuersi mundi: Nam temporales Reges, vel electione fiunt, vel jure belli, vel donatione superioris, vel hæreditaria successione, cùm tamen nihil horum de Christo dici debeat electione Rex esse non potuit, quia nec Imperator aut Senatus Romanus summam rerum in optima mundi parte obtinens eum vnquam Regem constituit. Neque Iudæi aut Gentes eum elegisse dici possunt, imò si quando id effectum dare nonnulli cogitarunt, obstitit Christus ne fieret, & procul ab vrbe in montem recessit, Iohan. 6. 15. adeoque negauit se ad causas ciuiles cognoscendas, aut hæreditates partiendas Iudicem esse constitutum, Luc. 12. 14. Non etiam jure belli sese Regem constituit qui nullas collegit copias, nullum fecit militum delectum, nullum bellum temporale, aut suscepit, aut gessit, sed venit tantùm adversus inferorum vim decertaturus, & opera Diaboli destructurus: Sic neque dono superioris aut Dei concessione vllum ejusmodi regnum obtinuit: Pater enim cœlestis eum quidem misisse legitur ad seruandum quod perierat, sed potestatem administrandi regni terreni, nusquam impertiisse legitur. Denique neque hæreditaria successione datum est ipsi in hoc vniuerso regnare temporaliter: Nam successor esse non potest, qui nullum habet præcessorem: At quis nominari potest qui Christum in imperio mundi præcesserit. Certè Deus non vni alicui homini totius terrarum orbis imperium dedit, sed imperiis & regnis suos constituit limites & nationes se disterminauit, Deuter. 32. 8. Hæres quidem mundi Christus dicitur, Hebr. 1. 2. & dedit ei nationes & fines terræ in possessionem, Psalm. 2. 8. Sed hæc ad spirituale regnum pertinent, quod in Gentes omnes extendit, quatenus Christus Redemptionis beneficium populis omnibus ita paranit, vt nullo Iudæorum aut Ethnicorum discrimine à Dæmonis potestate in filiorum Dei libertatem homines asserat, cui addimus quod primum notabamus Christo Regi spirituali vt finem suum obtineret, & Redemptionem hominum procurare posset, necesse fuisse vt homines & Angeli & omnia cœlestia & terrestria subjicerentur, non tamen per proprium aliquod directum & temporale dominium, sed secundariò & ex consequenti quatenus omnis potestas perfecta & omnibus necessariis sufficienter instructa vim suam exercere debet in ea omnia, quæ finem suum vel juuant, vel impediunt, vt illis scilicet vtatur & ista prohibeat. Sicut etiam docet Aristoteles, lib. 3. polit. cap. 4. & 10. 4. Christus jus regni temporalis non habuit in regna & Monarchias mundi: Nam alioqui veniens in mundum

omni-

omnibus mundi Principibus jus ſuum Regium & ſupremum eripuiſſet, neque potuiſſent illi jam verè Reges dici, quippe qui non Regiam, ſed precariam tantùm aut vicariam poteſtatem exercerent. Hoc verò falſum eſſe Chriſtus docet, cùm Reges tunc temporis exiſtentes agnoſcit Gentibus dominari, & ij qui magni ſunt authoritatem in ipſas habere, id eſt, ſummum in ſubditos imperium exercere, Matth.20.25. & cùm jubet reddi Cæſari quæ ſunt Cæſaris, Matth.12.21. ſatis oſtendit ſe non veniſſe vt jus ſuum regibus eriperet, ſed vt potiùs illud ipſis confirmaret, adeoque vt rectè dictum eſt à poëta Chriſtiano non eripit mortalia qui regna dat cœleſtia. 5. Chriſtus ſicut non fuit Rex vniuerſi. Ita neque Rex temporalis Iudæorum: Nam ipſe in hunc mundum veniſſe teſtatur, non vt ſibi ſeruiretur, ſed vt ipſe potiùs aliis miniſtraret, Matth. 20.28. Itaque aufugit à conſpectu Iudæorum, ne rex ab illis conſtitueretur, Iohan.6.15. imò jam Deus ita diſpoſuerat, vt ne rerum ſumma penes Iudæos eſſe poſſet, vnde fatentur ipſi ſibi non licere quemquam morte damnare; Iohan.18.31. & Iudaica natio jam dudum ſub Roman. poteſtate agebat, quam Chriſtus agnouit, eique ſeſe ſubjecit, Iohan.19.11. Iam autem regem eſſe temporalem ſiue ſumma poteſtate præditum eſſe & alteri tanquam ſuperiori ſubjici non bene inter ſe conueniunt, ſed vt res clariùs explicetur Chriſti ſubjectionem docendi gratia diſtinguere poſſumus in tria capita: Nam 1. Chriſtus quà homo Patri ſuo cœleſti ſubjectus fuit, adeoque ſubjicietur in æternum, 1.Cor.15.28. Per illam dependentiæ ſubjectionem, quâ creaturæ omnes dependent à Deo eſſentialiter. Ideò Chriſtus Patrem ſuum fatetur eſſe ſe majorem, Ioh.14. 28. & Pater ipſum vocat ſeruum ſuum, Eſ.53.11. Et Chriſtus aſſumpſiſſe dicitur formam ſerui, Phil.2.7. Ejuſmodi verò ſubjectionem cum dignitate quacunque creaturæ ſiue temporali, ſiue ſpirituali ſubſiſtere notum eſt. 2. Chriſtus ſubjectus fuit legi tum communi, tum ſingulari. Communi rurſus & morali & Ceremoniali, vnde dicitur factus fuiſſe ſub lege, Gal.4.4. Nam quà homo legi morali, ſiue naturali fuit ſubjectus, & ex ea ſubjectione Deum coluit, Ioh.8.49. & parentibus obſequium detulit, Luc.2.5. Quà verò ex ſemine Abrahami oriundus & quà Iudæus, adeoque quà circumciſus debitor fuit legis Ceremonialis faciendæ, *Gal.5.3. Legi quoque ſingulari ſubjectus fuit*, quatenus mandatum accepit à Patre moriendi & ſe pro nobis in ſacrificium offerendi, Ioh.10. 18.Heb.10.5.6.7. Quanquam autem ſubſtitutio, quâ creatura legi communi ſubjicitur, non eſt contraria temporali regum dignitati: Neque enim Reges omnibus legibus abſoluuntur, ſed potiùs ad legis diuinę obſeruantiam obſtringuntur. Deut.17. tamen ſingularis illa lex Chriſto data de oppetenda pro hominibus ignominioſiſſima morte excludebat à Chriſto dignitatem regiam, quia Rex temporalis eſt propriæ ſuæ vocationis potiùs ad honorem & gloriam, quàm ad opprobrium & ignominiam vocatur. 3. accedit tertia ſpecies ſubjectionis quę cum regia dignitate temporali ſubſiſtere non valet, quà ſcilicet Chriſtus Iudæę præfectis & præſidibus ſubjectus fuit, non de facto tantùm ſed eſſe de jure vt

ex Ioh.9.11. patet vbi Christus potestatem Pilati in se agnoscit & esse Pilato diuinitus concessam adeoque legitimam, & non facti tantùm sed & juris, vnde colligitur Christum nullum sibi jus arrogasse regiæ potestatis in Rempublicam Iudaicam: Quòd verò ipse Regem Iudæorum agnoscit, Ioh.18.33.37. Et quòd dicitur sessurus in Throno Dauidis Patris sui, Luc. 1.32. non ad Regnum mundanum referendum est, sed de regno spirituali intelligendum. Certè thronus Dauidis in quo sedere debuit Christus non aliud significat quàm spirituale Christi regnum in Ecclesiam, quod ideò dicitur thronus Dauidis, quia regno temporali Dauidis figuratum fuerat, prout scilicet ex Theologorum regula significantia & significata jisdem nominibus censentur.

Cùm ex iis quæ diximus satis liqueat temporale non esse regnum Christi facilè concluditur esse ergo spirituale. 1. quòd non circa Prouinciarum aut statuum sæcularium curam occupetur, sed totum in *Ecclesiæ gubernatione* versetur, quam Deus elegit ex mundo & quam per spiritualium gratiarum communicationem ad æternam cœlestis gloriæ fruitionem vocat, agnoscendum est interim ad regij Christi muneris rationem pertinere æternum verbi & Sacramentorum atque Ecclesiæ politiæ ministerium: Illud enim Christus quà Rex in medio Ecclesiæ instituit & misit Apostolos ad prædicandum, Matth.28.19. & dedit pastores atque doctores ad coagmentationem Sanctorum & opus ministerij, Eph. 4.11.12. & quod semel instituit, conseruat & potrò conseruaturus est vsque ad consummationem seculorum, Matth.28.20. donec scilicet Christus veniat, 1.Cor.11.26. & euadamus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum in mensuram staturæ adulti Christi, Eph4..13.14. Atque illud quidem ministerium temporale dici posse non inficior, quatenus hujusce sæculi limitibus continetur, neque in futura vita perseueraturum est in qua Prophetiæ abolebuntur, & linguæ cessabunt & cognitio abolebitur, 1.Cor.13.8. quatenus scilicet Deus non amplius vtetur mediis hisce externis & causarum secundarum ministerio, quibus hic ædificationem Ecclesiæ procurat & promouet, sed ipse immediata sui communicatione & intimo in animas nostras illapsu futurus est omnia in omnibus, 1.Cor.15. 28. Enimuerò quia totum illud ministerium per se & propria natura institutionis suæ ad finem spiritualem spectat, nimirum Ecclesiæ salutem & ædificationem corporis Christi, Eph.4.12. non potest externa & temporalis illius administrationis ratio obstare quò minus Christi regnum simpliciter & absolutè spirituale vocemus.

Esse verò spirituale hoc regnum manifestissimè ex Scriptura rationes demonstrant. Nam, 1. eò nos manuducunt appellationes quibus in verbo Dei regnum istud frequentissimè insignitur: Nam subinde regnum cælorum dicitur, quia scilicet non ad sæculum, sed ad cœlum spectat, & est cœleste ortu, quia non humana prudentia, sed cœlestis prouidentia illud disposuit. Est cœleste statu, quia in rebus cœlestibus, mysticis & diuinis totum positum est, non autem in humanis & corporalibus, Est cœleste actu, quia in dispensandis cœlestibus beneficiis totum exercetur

sic

sic & frequentissimè regnum Dei dicitur idque per antonomasiam & singularem quandam prærogatiuam : Quanquam enim omnia regna mundana Dei sunt, quatenus Deus ea habet in potestate, vt pro libito vel donare possit vel aufferre Prouerb.8.15.16. Dan.4.32. Regnum tamen Christi hoc titulo singulariter insignitur, tum ratione causæ efficientis, quia Deus est ipsius author tum ratione personæ regentis, quia illud administrat. Christus verus Deus est in æternum benedictus cum Patre & Spiritu Sancto, tum ratione administrationis quæ tota cœlestis est ac diuina nihil mundanum ac terrestre sapiens, tum denique ratione finis, quia nos ad Dei participationem vocat & parat. Porrò quia regnum hoc suos habet eosque varios progressus, gradus, incrementa & partes. Inde est quòd Scriptura per regnum cœlorum & regnum Dei modò totum illud complexum significat, quo continetur Ecclesiæ gubernatio, modò gradus & partes illius designat. Itaque regnum Dei aliquando significat Ecclesiam in qua regenda & gubernanda Christus curam suam occupet, vt Matth.13.24.33. aliquando statum militantis & visibilis Ecclesiæ, vbi verbi & Sacramentorum administratio viget, vt cùm Matth.21.43. dicitur & Iudæis aufferendum esse regnum Dei, id est, Ecclesiæ nomen & sacrum illud ministerium quo Deus illos tamdiu impertitus fuerat, neque longè abit ab isto significatu quòd, Rom.14.17. dicitur regnum Dei non esse esca aut potus, id est, administratio Ecclesiæ in regno Christi spirituali sub Nouo Testamento consistere non in ritibus & obseruantiis illis externis, quarum vsus sub Vetere Testamento præcesserat aliquando statum Ecclesiæ triumphantis, vt cùm dicuntur injusti non possessuri regnum Dei, 1.Cor.6.10. Sæpius est etiam cùm beneficia spiritualia, quæ Deus in hoc regno fidelibus gratiosè impertitur eodem vocabulo significantur, vt cùm jubemus ante omnia regnum Dei quærere, id est, ad gratias spirituales aspirare, quæ sunt æternæ salutis προξενετρίαι Matth.6. quoniam & Scriptura Christi aduentum Messiæ in carne exhibitionem & Ecclesiæ restaurationem per ipsum regni Dei vocabulum denotat, vt cùm dicitur Ioseph. Arimathensis expectasse regnum Christi, Matth.15.43. Eodem nempe sensu quo dicitur Simeon expectasse consolationem Israelis, Luc.2.25. & multi pij expectasse Redemptionem in Ierusalem, Luc.2.38. Denique gloriosa illa initia manifestationis Christi post ipsius à mortuis excitationem, Eodem nomine veniunt, Luc.22.18. Vbi dicit Christus se non bibiturum de fructu vitis donec regnum Dei venerit, id est, donec per resurrectionem à mortuis sese denuò suis manifestauerit. Hæc, inquam, omnia Ecclesia ejusque siue militantis, siue triumphantis status & beneficia spiritualia & exhibitio siue nati, siue à mortuis excitati, & Ecclesiæ instauratio, cùm vel partes sunt, vel gradus, vel actus regni Christi spiritualis, non immeritò regni Dei & regni cœlorum nomine veniunt.

PROBATVR 2. eadem veritas ex consideratione typorum, qui præcesserunt in Veteri Testamento, nam Mosis & Iosuæ gubernationem, Gedeonis & Samsonis præfecturam, Dauidis & Salomonis regnum figu-

ras fuisse & typos regni Christi extra dubitationem positum est. Atqui corporalia & terrena non sunt rerum terrenarum & corporalium, adeóque sibi homogeneatum, sed meliorum & præstantiorum nempe spiritualium figura. Figuram enim oportet simpliciter inferiorem esse suo significato. Vnde figura dicitur vmbra; Res autem significata dicitur corpus: Atqui corpus est ordinis præstantioris & superioris quàm vmbra. Itaque & gubernationes illæ Mosis, Iosuæ &c. Carnales fuerint & corporeæ oportet regnum Christi quod per illas figuratum & significatum fuerit esse diuinum & spirituale, vnde rectè Bernard. quomodo dedit Christo Dominus sedem Dauid, cùm ipse in Ierusalem regnauerit? Dedit ei Dominus sedem Dauid Patris ejus non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cœlestem.

Tertiò Christi regnum regno Satanæ oppositum ex diametro: Venit enim Christus vt destrueret opera Diaboli, 1.Ioh.3.8. & vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, nempe Diabolum, Heb.2.14. Atque regnum Satanæ quod per Adami lapsum in miseros homines vsurpauit, totum conflatum est ex inquinamentis & sordibus spiritualibus, quibus corda & conscientias hominum deformare conantur & commaculare nequitiæ illæ spirituales, sicut Apostolus Diabolos Eph. 6.12. vocat certè regnum Satanæ illud est quod à tenebris incipit, & per tenebras progrediens in tenebris desinit, scilicet fundamentum suum habet in tenebris ignorantiæ crassimis & veritatis cœlestis ignoratione & mendaciorum impostoris. Inde regnum istud vocatur potestas tenebrarum opposita regno luminis, Coll.1.13. & regni illius Princeps vocatur rector tenebrarum, Eph.6.12. Qui vt in veritate non stetit sed mendax est ab initio, Ioh.8.44. Ita mendaciis dolis & impostoris imperium suum constituit & à fide atque obedientia diuinæ majestati debita homines abducit: Sic enim miseros Ethnicos erroribus, superstitionibus, & idolomaniis omne genus dementauit, qui propterea dicuntur jacere in tenebris & vmbra mortis, Es.9.1. Progressus verò hujus regni consistit in impietatibus omnifariis qui in humano genere grassatur Leo ille rugiens, & obumbulans, & quærens quem deuoret, 1.Pet.5.8. Tales sunt intemperantia, ambitio, auaritia, vindicta, odium, homicidium, & alia, quæ vocantur in scriptura opera infrugifera tenebrarum, Eph.5.11. Et propterea vocatur hoc regnum peccati, Rom.6.12. Finis denique & complementum hujus regni est in miseriis illis interminabilibus & cruciatibus æternis adeóque damnatione & morte, quam illi passuri sunt in inferno quos Diabolus in ditionem suam redegit, Mors quippe stipendium est quod Diabolus peccatoribus tanquam militibus suis persoluit, Rom.6.23. Vnde & hoc regnum significatur esse regnum mortis, Rom.5.14. Hanc tyrannidem spiritualem, quam in hominum conscientias exercet ille qui vocatur Rex hujus mundi, 2.Cor.4.4. nempe mundi illius qui totus in malo situs est, 1.Ioh.5.19. Eam inquam abolere non potuit, nisi Rex spiritualis, cujus regnum à luce incipiens per lucem pergens in luce desinit, exordium quippe ducit à cognitione veritatis cœlestis, quæ vera lux est.

anima-

animarum noſtrarum, promouetur per lucem fidei, charitatis & bonorum operum, quibus, qui ſeriò incumbunt, filij lucis dicuntur & complementum ſuum habebit in luce illa Sanctorum, id eſt, æterna beatitate, ad quam nos Pater cæleſtis idoneos reddidit, Coll.1.14. Venit itaque Chriſtus in hunc mundum non cum Herode, aut Cæſare, aut Principibus terrenis decertaturus, ſed pugnaturus cum Diabolo, cjuſque imperium deſtructurus, Breuiter vt Diabolus erat Princeps hujus mundi, quatenus in conſcientiis hominum per ignorantiam & contumaciam aduerſus Deum inuiſibiliter regnabat. Ita Chriſtus Rex eſt Eccleſiæ quatenus triumphato per mortem crucis Diabolo, Colloſ.2.15. regnat ſpiritualiter in cordibus fidelium per fidem, charitatem, & perſeuerantiam in bono.

QVARTÒ quæ ad regnum Chriſti pertinent omnia ſunt ſpiritualia, Rex lex, cultus ſubditi & bona quæ communicantur, & media, quibus communicantur. 1. Rex Chriſtus eſt quem præſertim ex quo reſurrexit & in gloriam cœleſtem euectus eſt Scriptura vocat hominem cœleſtem & ſpiritualem, 1.Corinth.15.45.46.47. Quarum appellationum rationem ſupra reddidimus cùm de Chriſti nominibus ageremus. Atque huc pertinet celebre illud Apoſtoli dictum, 2.Corinth.5.16. nos poſthac neminem nouimus ſecundùm carnem, quòd ſi etiam nouimus Chriſtum ſecundùm carnem, nunc tamen non ampliùs nouimus. Ex quo loco fruſtrà & olim conabatur Manichæus concludere Chriſtum non habuiſſe verum corpus, & hodie nitantur Schenfeldiani & alij colligere per reſurrectionem & aſcenſionem Chriſti in cœlos aſſumptam & Deificatam fuiſſe ipſius carnem & naturam humanam. Quis enim tam abſurdus fuerit, vt quod ex eo quod teſtatur Apoſtolus ſe nullum ampliùs hominem nouiſſe ſecundùm carnem conficiat omnium hominum naturam abſorptam aut in aliud ſubſtantiæ genus conuerſam fuiſſe. Non ergo loquitur Paulus de ſubſtantia corporis, quaſi ſecundùm carnem ſit ſecundùm carnis ſubſtantiam: Chriſtus enim in qua carne ſemel paſſus eſt in eadem glorioſam vitam nunc obtinet, ſed de externa potiùs ſpecie agit, vt ſecundùm carnem idem ſit atque ſecundùm externam ſpeciem & apparentiam, quæ oculis objicitur, nimirum id ſibi vult Paulus etſi vulgò externa ſpecies ab hominibus plurimi fieri ſolet, qui eloquentiam, ſapientiam humanam & alia ejuſmodi ornamenta externa ſuſcipiunt, ſe tamen hac via nullo loco, aut numero habere, imò ne in Chriſto quidem ſpectare ampliùs illam præſtantiam, ſeu generis, ſeu aliarum dotium quibus excellebat, & in quibus Apoſtoli affectu merè humano & ciuili acquieſcebant dum Chriſtus cum ipſis verſaretur, ſed altiùs aſſurgere, ſed in Chriſto oculis jam fidei contemplari tantùm diuinam ipſius Majeſtatem, & ſpiritualem illum gloriæ in quem euectus eſt, ſtatum, 2. Lex, quâ regnum iſtud gubernatur ſpiritualis eſt, vt ait Scriptura, Rom.7.14. tum quia ejus author eſt Dei Spiritus, tum quia ad cultum Dei verum & ſpiritualem nos informat, nec æternam modò vitæ rationem ſpectat vt leges humanæ, verùm etiam in intima cordium pe-

netrat, & ſuum exercet in conſcientiam imperium, tum quia nonniſi ab iis præſtari poteſt, qui cœlitus diuino ſpiritu præditi ſunt : Caro enim non poteſt Dei legi ſubjici, Rom.8.7. tum denique, quia etiam oportet eam diuino quodam Spiritu interpretari & ſequi, non autem externo tantùm cortici aut literæ adhærere. 3. Cultus qui Regi noſtro debetur ſpiritualis eſt non in externis ceremoniis, aut obſeruantiis ſitus, ſed in fide veraque pœnitentia conſtitutus : Delectatur enim Deus veritate, id eſt, internis motibus & actionibus animæ Dei Spiritu regeneratæ, Ioh. 4.24. Vnde cultus iſte vocatur rationalis, Rom.12.1. id eſt ſpiritualis, vt opponatur cultui ceremoniali, qui conſiſtebat olim in oblatione pecudum, & aliarum rerum externarum. At cultus noſter eſt res rationis & animi, & ſacrificium ſpirituale gratum Deo per Chriſtum, 1.Petr.2.5. Hic enim pro templo eſt pectus noſtrum, vt ait Chryſoſtomus, pro victima affectus & actiones ſanctæ pro igne vera in Deum charitas. 4. Subditi ſunt ſpirituales, quippe Dei Spiritu in nouam vitam regenerati, Iohan.3.5.6. Et illo Spiritu donatur quo mortificantur actiones corporis, Rom.8.13. & quo decertamus adverſus carnem, Gal.5.17. & fideles ſpirituales vocat Apoſtolus, 1.Corinth.2.15. Gal.6.1. Hic nempe ſpirituales ſunt animo, ſed olim corpore ſpirituales futuri, 1.Corinth.15.43. non mutatione ſubſtantiæ corporalis in ſpiritualem, ſed mirandarum qualitatum acceſſione, quatenus quod nunc variis mutationibus affectum eſt corpus, tunc incorruptum & indiſſolubile futurum eſt, neque mediis illis externis ſuſtentandum, quorum vſus eſt in hac vita, ſed ſupernaturali virtute Spiritus in plena diuinitatis communicatione viuificandus. 5. Bona quæ in hoc regno communicantur ſunt ſpiritualia, Roman.1.11. 1.Corinth.4.1. Spiritualis honos quo donantur electi, dum eis qui per fidem jus filiorum conceditur in familia cœleſti, Ioh.1.12. Spirituales diuitiæ. Chriſtus autem ſe pauperem fecit, vt nos ditaret, 2.Cor. 8.9. cœleſtibus putà, & ſpiritualibus opibus locupletati cognitione myſteriorum diuinorum, expiatione peccatorum, Iuſtitia, ſanctitate, &c. Spirituales voluptates, quas vbi deguſtauit Propheta exclamat, Pſalm.16.11. & 34.9. & 36.8.9. ex ejuſmodi voluptatum ſenſu exoriens ſpirituale gaudium quod glorioſum eſt & inenarrabile, 1.Petr.1.8. nec vnquam à nobis aufferendum, ſed omnibus tandem ſuis numeris & partibus perficiendum, Iohan.16.22.24. Spiritualis eſca & potus quo nutrimur in hoc regno : Nam ſpiritualis eſt doctrina, quâ paſcimur & ſaginamur in ſpem æternæ vitæ, vnde vocatur λογικὸν γάλα, lac ſpirituale, quippe non modò corpori, ſed animæ reficiendæ deſtinatum, 1.Petr.2.2. adeoque Chriſtus, Iohan.6.63. verba ſua dicit eſſe ſpiritum & vitam, tum ratione ſenſus, quia non carnalem & craſſam, ſed ſpiritualem intelligentiam depoſcunt, tum ratione materiæ, quia non de rebus carnalibus aut caducis, ſed ſpiritualibus myſticis ſalutem animæ ſpectantibus adeóque viuificis agunt. Sic & caro atque ſanguis Chriſti refectio ſpiritualis eſt, non denti, ſed menti deſtinata, quo ſpiritus noſter internè viuificatur, 1.Corinth.10.3.4. 6. Media quibus Chriſti conjungimur ſpiritualia ſunt. Nam & bona ſua

Chriſtus

Christus in verbo per Spiritum suum offert & communicat, 1.Corinth. 2.12.Et nos ea per fidem recipimus quæ donum spirituale:Per eam enim Christus habitat in cordibus nostris, Ephes.3.17. per eam justificamur à peccatis, Roman.3.28. per eam purificantur corda nostra, Actor.15.9. Iam ergo quis dubitet spirituale regnum esse, in quo omnia sunt spiritualia.

DENIQVE Christus ipse manifestè docuit regnum suum esse spirituale, cùm rogatus à Pilato, num Rex esset Iudæorum, fassus est se quidem Regem esse, sed regnum suum non esse temporale verum spirituale, Iohan.18.36.37. Ac, 1. quidem se regnum temporale habere negat. Regnum,inquit,meum non est ex mundo,non inficiatur quidem regnum suum esse in hoc mundo:Constitutus est enim à Deo, vt dominaretur in medio inimicorum suorum, Psalm.110.2. id est,regnum suum exercet in mundo isto inter homines per adversos hostium spiritualium & corporalium conatus, prout nouimus Ecclesiam quæ Christi regnum est inter hostes hic agere crucibus & variis afflictionibus infestam, sed regnum suum negat esse ex hoc mundo, siue originem spectes, siue substantiam: Nam originem quod attinet,non à mundo,aut hominibus in mundo viuentibus constituitur,sicut fit regnis sæcularibus,quæ ab hominibus fundata sunt, & legibus humanis constant atque fulciuntur, sed Deum agnoscit vnicum & immediatum fundatorem, cujus & authoritate & voluntate constitutum est,& virtute ac potentia firmatur. Substantiam verò quod spectat,regna hujus mundi constant ac defenduntur subditorum multitudine,Prouinciarum latitudine,vrbium ac pagorum frequentia,diuitiarum copia,honorum & dignitatum titulis,castrorum & arcium munimentis,armorum & exercituum præsidio, sociorum confœderationibus,& aliis ejusmodi mediis externis,quibus deficientibus regna collabi necesse est & in nihilum abire. At verò Christi regnum carnis impotentia,vitæ afflictionibus martyrum passionibus subsistit nec alios honores alias opes agnoscit,quàm Iustitiam,sanctitatem, pacem conscientiæ, & in fine vitam æternam, pro oppidis & arcibus corda possidet & conscientias credentium, quæ non armorum viribus, sed verbo Dei & Spiritus virtute reguntur ac defenduntur, fœderatos & custodes non alios quærit,quàm Angelos Dei qui castra metantur circa fideles,& hæc ipse Christus significat subjungens,si regnum meum esset ex hoc mundo ministri mei vtique decertarent ne traderer Iudæis, quasi dicat habent Reges hujus mundi armatum satellitium & instructas copias ad sui defensionem.At ego nihil hujusmodi profero,sed paucos tantùm discipulos habeo imbelles & inermes. Ergo vel hinc patet me non esse Regem temporalem, à quo Romanis,aut Cæsari timendum sit, vel à cujus factione,vel à clandestinis consiliis tibi Pilate cauere debeas. 2. Regnum suum docet esse spirituale. Ego,inquit,veni ad hoc in hunc mundum, vt testimonium perhibeam veritati,& quicunq; ex veritate est,audit vocem meam, nempe regnum suum significat esse regnum veritatis,& se nihil aliud in votis habere, quàm vt cœlestis veritas primas obtineat, ita vt

abolita tenebrarum potestate omnes illam colant & venerentur,& sine dubio Christus per doctrinam veritatis Euangelij quod potentia ad salutem omni credenti dominatur in fidelium cordibus contra crucem, peccatum,mortem,infernum, vt credentes pro cruce gaudium, pro peccato justitiam,pro morte vitam,pro inferno cœlum obtineant.Itaq; quicunque ex veritate est, id est, per Euangelij virtutem interiùs illuminatur eamque habet per Spiritum S.cordi firmiter impressam,& illam sequitur, atque profitetur,audit vocem Christi,id est,Christum vt Regem & Dominum suum recipit eique sese docilem præbet in omnibus.Denique hoc ita Christus explicauit, vt vel Pilatus ipse haud difficulter intellexerit Christi regnum ea esse conditione, vt imperio Cæsaris nihil quicquam incommodet. Certè si putasset Pilatus ex eo præjudicium aliquod inferri Romano imperio, non modò Iudæorum accusationi consensisset Christum seditionis & rebellionis in Cæsarem arguentium, verùm etiam Christum aut capitali supplicio ipse damnasset,aut damnandum ablegasset ad Cæsarem. Cùm igitur nihil immoratus illam Christi de regio munere confessionem ac declarationem ipsum Iustum atque innocentem pronuntiat,nec aliquid culpæ affine in eo reperisse testatur, & cupit eum condemnationi ereptum,quippe quem nosset à Iudæis per inuidiam esse sibi traditum, Matth.26.18. Satis demonstrat id sibi certum esse non habendum pro regno temporali dominatum illum, quem sibi Christus tribuebat & quia norat quàm aduersus esset Iudæorum cultus & Rom. & Gentilium religione facilè sibi persuaderi potuit regnum hoc non aduersari Cæsaris dominio, sed ad singularem quandam & arcanam Iudæorum religionem pertinere,in quam ipse penetrare nec posset, nec vellet, adeoque mera esse ludibria & milignantis animi testimonia quæcunque in ipsum probra in ipsum Iudæi congerebant.

VLTIMAM regni Christi conditionem diximus esse incommunicabilitatem,quod nempe regia Christi in Ecclesiam dominatio ita sit ejus propria,vt in nullam creaturam transferri possit,aut debeat.Itaque hic locus est explicandæ capitalis Controuersiæ aduersus Pontificios,qui constituunt in Petro tanquam Apostolorum principe visibilem Ecclesiæ Monarchiam obstinatè contendunt,vt œcumenica regia,& monarchica,adeoq; ἀκολίτως ἀνυπεύθυνος Rom. Pontificis in Ecclesiam potestas & dominatio stabiliatur.Sed postquam tota hæc causa non eruditè minùs quàm fusè à multis clarissimis Theologis Chamiero & Blondello pertractata est, nolumus hic longa explicatione auditorum animos fatigare, sed præcipua tantummodo ad huius tractationis integritatem in medium proferre.

CHRISTVM vnicum esse Monarcham Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ nomine totum illud corpus fidelium cõprehenditur,quod ab initio sæculi fuit,vel vsq; ad mundi consummationem futurum est,& cujus pars triumphat in cœlis,pars in terris militat,nemo nisi fallor,inuctus est inter Christianos qui non fateatur. Itaque de Ecclesia duntaxat militante quæsitum est, vtrum vniuersa toto terrarum orbe,variis locis & regionibus diffusa præter Christum sed tamen sub Christo Monarcham aliquem inuisibilem habeat

habeat qui summa authoritate præsit omnibus & à quo omnia Ecclesiæ membra in directione rerum spiritualium pendere debeant. Contendunt animosè Pontificij. Nos exertè negamus & negationis nostræ nonnullas hic rationes subjicimus. 1. quæcunque sunt regiæ supremæque potestatis ea Scripturæ S. vni Christo sic attribuunt, vt in nullum alium singularem hominem transferant. Certè quæ ἐξουσίαν & ministerium sonant, ea de hominibus dicta sæpius legimus. Ita enim quibus Ecclesiæ regendæ & instituendorum fidelium cura cõmissa est, Pastores, Pædagogi, Vigiles, œconomi, Angeli adeoque Patres dicuntur, quia semen illud verbi diuini administrant, quo spiritualiter generantur fideles, sed quæ imperium & αὐτοκρατορίαν designat ab eis homini cuiquam adscribendis Scriptura sollicitè cauet: Leges enim subinde Regem, Principem, ἄρχοντα, caput, sponsum Ecclesiæ, &c. Sed vt vel Petrus, vel aliquis Petri successor ita dicatur per specialem quandam & sibi vni debitam prærogatiuam nusquam leges. Atq; hic imprimis consideratione dignum est quòd fideles ad vnum omnes dicuntur constituendi Principes per totam terram, Ps. 45.17. dicuntur regale Sacerdotium, 1. Pet. 2.9. Dicuntur Deo facti Sacerdotes & reges per Christum, Apoc. 1.6. & 5.10. quia scilicet nullum erat periculum, ne quis ex ea appellatione concluderet, quot sunt fideles in Ecclesia tot esse constitutos Monarchas summa in Ecclesiam potestate instructos, cùm nemo tam sit ineptè credulus, vt quot sunt in regno ciues tot credere possit esse αὐτοκράτορας. Itaque cùm audiuimus fideles factos esse per Christum reges & Principes facilè intelligimus hoc eo significatu dictum quod aliquo gradu & mensura participationis regni & gloriæ Christi reges sunt, non Regiam potestatem in alios exercendo fideles, sed quia per Spiritum sanctificationis internas concupiscentias coercent, & ab illecebris mundi sese asserunt, & Satanam paulatim quotidie sub pedibus suis conterere discunt & tandem per Christum victoriam ab hostibus quibuscunque spiritualibus referunt, Rom. 16.20. 1. Cor. 15.57. 1. Ioh. 2.13.14. & 4.4. & 5.4.5. At verò vnus aliquis exclusis aliis Rex dicatur, aut Princeps, aut caput Ecclesiæ, inauditum prorsus est in Scriptura diuinæ veritatis magistra. Quod quis ne judicet ea ratione factum, vt ne hujus singularis tituli obtentu dominatus vnius alicujus hominis in Ecclesia stabiliretur, Iam tum scilicet præuidente Deo quid futuris sæculis, & in Ecclesiæ damnum, & injuriam Christi molitura esset nonnullorum ambitio. Huic simile est quod vbi de Ecclesia militante, siue vniuersa, siue in singularibus suis Regibus cõsiderata agitur Scriptura eam vocat domum Dei viui, regnum Dei, corpus Christi; sed vt domum, regnum, corpus Petri, vel Pontificis Romani dicatur, ne fando quidem auditum est, nimirum vt doceamur non alium præter Christum esse hujus domi Dominum, hujus regni Monarcham, hujus corporis caput. Neque est quòd regerat Bell. Ecclesiam corpus Christi, non Petri dici, tum quia Christus solus est caput principale & perpetuum Ecclesiæ, cùm Pontifex Rom. caput sit tantùm ministeriale, & ad tempus tantùm, cùm mors scilicet imperium alteri tradat, tum quia Christus tanquam corporis hujus hypostasis omnia

membra sustentat, & omnia in omnibus solus operatur, quod in nullum alium hominem conuenit : Hoc enim non respondere est, sed causam prodere. Certè res quæ similitudine declaratur (vt fit in hoc negotio, cùm Pontifex Rom. capitis Ecclesiæ nomine insignitur) non debet discedere penitus à natura rei, vnde similitudo desumitur: Hæc enim non jam similitudo, sed di[illegible]litudo esset dicenda. Atque hæc est natura capitis, quòd sit vnic[illegible] in vno corpore, quòd sit in corpore perpetuum, ita vt quamdiu persona subsistit, tamdiu caput perseueret quòd omnia membra sustentet sensum motumque omnem membris communicet, ita vt absque illo homo ne tantillum moueri, spirare, aut viuere valeat, quòd omnia & singula membra per vim præstantissimam in suis operationibus, & continuò agentem gubernet ac dirigat, quòd motus ac sensus excellentiori ratione in eo vigeat, quàm in toto simul corpore. Quis igitur Pontificem Rom. dicat esse verè caput Ecclesiæ, qui nullam harum capitis conditionum possidet, non est vnicum, non est perpetuum, non communicat sensum, aut motum, non regit per vim præsentem & continuò influentem, non continet omnem perfectionem quæ est in membris : Quis enim vnum Pontificem credat totam sanctitatem, prudentiam, scientiam habere, quæ in omnibus fidelibus reperitur ? Quod ferè nihil habet de proprietatibus capitis quomodo dicatur Ecclesiæ caput, aut Ecclesia corpus ipsius. Noui non infrequenter apud Veteres capitis nomen occurrere Pont. Rom. Paul. attributum. Sed primò in re tanti momenti attendendum quòd Scriptura soli Christo attribuat quidquid veterum indulgentia hominibus adscribat. 2. Neque ita vni Pet. aut Pont. Rom. ista id nominis attribuunt, vt non etiam aliis & Apostolis & Episcopis communicatum fuerit. Certe Greg. lib. 4. in 1. Reg. 1. Paulum vocat nationum caput, & Chrys. Homil. 26. in Acta. Iacobum non minùs quàm Petrum caput agnoscit, & Basil. Epist. 52. Athanasium appellat caput vniuersorum, & Nyssen. cap. de magno Episcopo Melitium Antiochenum Episc. capitis nomine insignit. An vt inde totidem Ecclesiæ Monarchas exculperent? Nihil minùs. 3. Cùm duæ sit præcipuæ capitis conditiones: Altera quòd est omnium corporis membrorum excellentissimum : Altera quod in corpus, quasi quoddam imperium & dominationem exercet. Hinc est quod capitis nomen alicui duabus de causalis attribui potest scilicet vel propter excellentiam, vt cùm Apostolus, 1. Cor. 12. 21. quosdam fidelium capita appellat, eo quòd præstantioribus quam alij donis in Ecclesia splendescant, & cùm Chrysost. in Epist. ad Rom. homil. 18. Eliam nominat caput Prophetarum, id est, inter Prophetas eximium propter dominationem & imperium, vt cùm, Es. 7. 8. 9. Rezut dicitur caput Damasci, & Remalia caput Samariæ, id est, princeps in illo regno summam authoritatem exercens, & cùm Deut. 28. 13. permittit Deus Israelitis legem Dei obseruantibus fore ipsos in caput, non in caudam, quod statim explicatur fore superiores non inferiores. Ergo quòd Pet. & Pont. Rom. dicuntur caput Ecclesiæ, non est trahendum ad potestatem ac dominatum aliquem Monarchicum in Ecclesiam, verùm Petrus & alij Apostoli

capita

capita dicuntur, propter excellentiam tum donorum, quibus maximis & supra communem fidelium sortem præditi erant, tum ministri, quòd non habuerint amplissimum & summa cum authoritate conjunctum imperium, ideoque inter ministros Ecclesiæ Apostoli dicuntur primùm positi, 1.Cor.12.28. Quod non ad tempus modò referendum est, sed vel maximè ad dignitatem, vt exponunt Chrys. Theoph. Ansel. Alij Pontifices verò Rom. capitis nomine cohonestati sunt, non tam propter donorum excellentiam, quam ex ministerij sui ratione, quòd propter principalitatem vrbis, vt loquitur Irenæus prærogatiuas suas quasdam habuit supra aliorum Episcoporum ministeria.

Secvndò Eximivs est ille locus, Matth.20.25.26. Marc.10.42. Luc.22.25.26. Vbi Christus discipulos suos in hæc verba, Alloquitur, Reges Gentium dominantur illis, Vos autem non sic, quæ cùm quis ἀδιακρίματος considerauerit mirum ni statim judicet omnibus Apostolis & Apostolorum successoribus dominationem regiæque dignitatis vsurpationem in Ecclesiam prohiberi, adeoque vt loquitur Bernard. Iudici Apostolis ministerium, Imperium interdici, vt nunquam sibi vsurpare præsumat vel dominatus Apostolatum vel Apostolicus dominatum argumentum ita est quod diserta prohibitione Christus Apostolis suis interdixit. Id neque Petro neque Petri successoribus vlla justa ratione potest attribui atque dominatio & regia seu Monarchica potestas in Ecclesia omnibus discipulis à Christo prohibita est. Nemo igitur siue Petrus ille sit siue aliquis ex Petri successoribus eam sibi meritò vindicare potest Bell. contendit Dominum hisce verbis non modò remouisse Monarchiam ab Ecclesia, sed potiùs eam instituisse, ita tamen vt admonuerit diuersam esse à ciuili Gentium Monarchia primò quia non ait Dominus vos non præsidebitis vllo modo, sed vos non præsidebitis sicut Reges Gentium, & verò Gentes regna sua administrant vt propriam hæreditatem quam filiis derelinquant, sed Prælati Ecclesiæ non Reges, sed vicarij sunt, non Patresfamilias, sed œconomi. 2. Quia dicit Christus qui inter vos major est & ἡγούμενος, id est, dux, siue Princeps fiat sicut ministrator. Vnde patet à Domino vnum inter Apostolos ducem designatum fuisse. 3. Quia Christus exemplo suo rem declarauit, sicut ego non veni ministrari, sed ministrare, & tamen Christus verè præerat, & Dominus erat, Iohan.13.13. Nos huic responsioni sequentia opponimus. 1. Hujus prohibitionis occasio ex eo nota est, quòd discipuli inter se de primatu contenderent, Matth.20.21. Luc.22.24. Vnde liquet nondum aliquod ipsis à Christo dictum fuisse, Vnde concludere possent Petrum fuisse vocatum ad visibilem Ecclesiæ Monarchiam, & tamen præsentibus & audientibus Apostolis dictum jam ante Petro fuerat, Matth.16.18. 19. Super hanc Petram, &c. Et claues regni cœlorum tibi dabo. Ergo intellexerunt Apostoli hæc verba nullam Ecclesiæ Monarchiæ institutionem præ se ferre. Cùm igitur nemo sit inter Pontificios, qui se audeat Apostolis excellentiorem & perspicaciorem dicere, vnde est quod hodie trahunt omnes hæc verba ad ejusmodi Monarchiam stabiliendam,

2. Illa discipulorum contentio non aliunde ortum habuit, quàm ex inueterata opinione regnum Christi fore terrenum ac temporale, in quo scilicet Christus vicarios, præfectos & Proreges constituturus esset, prout regnis hujusce sæculi fieri amat. Illi ergo vana cujusdam sæcularis magnificentiæ spe lactati ad præfecturas & vicariatus illos aspirabant. Quòd cùm Christus probè nosset ambitiosam ipsorum cupiditatem corrigit, & dominationibus, honoribus, & præeminentiis mundanis docet nullum esse debere in Ecclesia locum. 3. Cùm reges Gentium Gentibus dominari dicit, non loquitur de injusta aliqua ex tyrannica inter Gentes dominandi ratione, sed de justa potius & legitima: Loquitur enim de illis Regibus quos subditi benefactores suos agnoscunt & vocât, Luc. 22. 25. quales sanè non sunt tyranni, quippe non tam δυνάσται ἀλλὰ εὐεργέται: Quod vero de Regibus Ethnicorum loquitur, & eos potius in exemplum producit, quàm Reges aliquos pios & fideles, non eo vt sit in eorum dominationem quasi tyrannicam traducat, sed quia tunc temporis nulli vel inter Iudæos, vel inter Christianos erant Reges, ideo necessarium fuit Ethnicorum exempla producere. 4. ex verbis Christi manifestum est quod jus Christus Regibus attribuit in regna sua illud manifestè denegari discipulis Christi in Ecclesia: Atqui Regibus non solùm hunc vel illum dominationis modum, sed & ipsum dominandi jus siue substantiam attribuit. Ergo negat etiam tum dominationis modum, tum ipsam dominationem in Ecclesia locum habere, Ideò falsum est quod pertendit Aduersarius Christum his verbis non tam remouisse quàm instituisse in Ecclesia Monarcham. 5. Atqui hic clarissimè patebit, si consideremus quomodo alibi Scriptura istam Christi prohibitionem explicet. Certè Petr. primæ 5.3. manifestè docet eos qui Ecclesiæ præficiuntur non debere gregem pascere tanquam dominantes Cleris. Vbi manifestum est & dominationem & Dominationis modum omnem simpliciter prohiberi, nec est quod quis vim faciat in verbo κατακυριεύειν, quo Petrus vtitur, quasi eo denotaretur non dominatio simpliciter, sed dominatio tyrannica, cùm certum sit eam vocem frequenter in bonam partem vsurpari: Ita enim LXX. verbum istud explicant Christi dominationem, Psal. 72. 8. & 110. 2. & quod Matth. dixit κατακυριεύουσιν, Matth. 22. 25. Lucas explicat per simplex verbum κυριεύουσιν, Luc. 22. 25. Præterea cùm Paulus Hierarchiam Ecclesiasticam describit, qualem scilicet Christus instituerat, varios quidem ministrorum proponit gradus, partim extraordinariam & ad tempus instituorum, partim ordinariorum, & in perpetuo Ecclesiæ vsu futurorum, 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. Sed de aliquo Monarcha, aut œconomico Episcopo in Ecclesia altissimum est silentium: Nam his locis non tantùm enumerari varia dona quæ sunt in Ecclesia, verùm etiam Hierarchiam Ecclesiasticam delineari patet tum ex eo quòd doctores & Pastores enumerentur, quos nemo ab Ecclesiastica Hierarchia excluserit, tum quòd ordo ille describitur qui varius est, ad opus ministerij, ad coagmentationem sanctorum & ædificationem corporis Christi, Eph. 4. 12. At quis ille ordo, nisi ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ. 6. non est difficile Bellarm.

rati-

ratiunculis respondere: Nam, 1. quod ait de majori & de ἡγουμένῳ nego iis verbis contineri aliquam Ecclesiasticæ Monarchiæ significationem, cùm majores intelligantur qui donis internis & externis qualitatibus alios antecellunt, quibus opponuntur minores, siue νεώτεροι, i.e. illi qui ea sunt conditione quæ ipsos aliis inferiores faciat, neque ἡγούμενος Principem, aut Regem ibi significat, sed eum qui ad aliquod munus Ecclesiasticum vocatus est: Ea enim voce designantur Ecclesiæ ministri, Hebr. 13.7. qui tamen nusquam ἄρχοντες aut μοναρχαὶ aut βασιλῆς dicuntur, quia hæc nostra αὐτοκρατορικὰ potestatem denotant, non autem simplex ministerium. Ergo id sibi vult Christus quocunque gradu aliquis in Ecclesia constitutus fuerit, debere humilitatem & modestiam colere, non autem aliquam dominationem in alios more Regum sibi vsurpare. Exemplum verò Christi, quod Bellarm. objicit, non modò non adstruit aliquam dominationem, sed eam planè destruit: Docet enim Christus quomodo se se discipuli ad ejus imitationem componere debeant, quasi dicat, hæc est œconomia sub cujus lege versor in hoc mundo, vt ministrem & seruiam, non autem vt dominationem exerceam, aut regiam aliquam majestatem aut pompam præferam. Ergo nec aliquem ex meis oportet in mundo ad aliquam dominationem in alios fideles, aut regiam in Ecclesiam magnificentiam aspirare. Iam autem potest quilibet judicare, an Pontifex Rom. intra hos limites se se cohiberi patiatur, qui dum Prouincias, vrbes, palatia, regiam coronam, satellites, stipatores & alia ejusmodi pompatica ornamenta præfert, satis docet se Reges Gentium non tantùm in dominatione, sed & in dominandi modo ac ratione imitari.

Tertiò perpetua Ecclesiæ praxis optimis & innocentissimis sæculis satis ostendit Christum pro vnico Ecclesiæ capite & Monarcha sic habitum, vt nullus sub Christo fuerit agnitus, qui tanquam visibilis Monarcha, aut secundùm & ministeriale caput summo jure & αὐτοκρατορικᾷ quadam potestate Ecclesiam regere deberet: Nam, 1. Christus dum disciplinæ Ecclesiasticæ ratione constituit, & leges ponit omnia vltimo loco referri jubet, non ad vnum aliquem authoritate suprema pollentem; sed ad Ecclesiam, id est, exponente Chrysostomo, & aliis ad Ecclesiæ præfectos, ideoque ad plures à quibus non esse prouocationem ad quempiam in terris superiorem ex eo patet quòd Christus subjungit, si quis Ecclesiam non audit haberi pro publicano & Ethnico, id est, pro homine profano deploratæque salutis, qui ab Ecclesiæ communione non minùs exturbari mereatur, quàm Ethnici olim & publicani ab Ecclesiastica Iudæorum societate excludebantur, Matth. 18.17. 2. eam Christi legem sequuti sunt diligenter Apostoli, qui ad regendam Ecclesiam Dei quæ redempta est Christi sanguine, non vnum aliquem, sed multos à Spiritu Sancto constitutos esse docent Pastores videlicet omnes & Episcopos, Act. 20.28. adeoque cùm in primo Concilio œcumenico Ierosolymis congregato, cui tum alij Apostoli, tum Petrus ipse interfuit decretum de ceremoniarum abrogatione fieri deberet, non est tamen illud dispositum Petri nomine tanquam supremam authoritatem habentis,

sed nomine Apostolorum omnium & Presbyterorum omnium præsentium, Actor. 18. 28. vt haud abs ratione dixerit Hieron. Comment. in Tit. 1. antequam instinctu Diaboli dissidia fierent in religione communi Presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas fuisse. 3. Quanquam nonnullis post Christum sæculis ordo per singulas Christianismi Prouincias institutus est vt aliquis esset primus, quem etiam metropolitanum dixerunt & Archiepiscopum, & paulò post vt totus orbis Christianus in certos Patriarchatus distribueretur putà Romanum, Constant. Alexandrinum, Antioch. & Ierosolym. quorum singuli suum haberent Patriarcham omnibus Episcopis & Metropolitanis ordine superiorem: Ecclesiasticarum tamen rerum administratio non penes vnum erat sed ad plures pertinebat, sicut dicitur Can. 5. Conc. Niceni I. visum fuit per singulas Prouincias singulis annis bis conuocari Synodos, vt in communi concilio Episcoporum omnium ejusdem Prouinciæ in vnum conuenientium quæstiones examinentur. Itaque quanquam vnus haberet primatum ordinis, authoritatem tamen non habebat, cùm nihil absque aliorum Episcoporum consensu & Consilio agere posset, sicut præscriptum est Can. Apostolico 33. 4. Si omnium toto orbe terrarum Ecclesiarum administrationem & politiam consideres, eam manifestè patefecit non ab vno aliquo homine, sed ab Oeconomicis Conciliis curatam fuisse, quæ ideò non à Pontifice Romano, sed ab Imperatoribus conuocari solebant, & verò apud Euseb. lib. 3. de vita Constantini cap. 16. profitetur Constant. Nicenum Concilium a se congregatum fuisse ad stabiliendam vnam fidem, sinceram charitatem, & verum Dei cultum. Quæ omnia negat certo firmoque ordine constitui posse, nisi per conuentum omnium, vel plurimorum Episcoporum, id est, per authoritatem Concilii generalis: Nam quòd reponant Monarchico regimini non repugnare, vt aliquid de communi ordinum consilio consensuque fiat in conuentu publico. Verùm quidem est, sed rem ad nihil præsentem facit, quia ejusmodi statuta vim sumunt non tam ab ipso ordinum conuentu deliberante, quàm ab ipso rege ordines conuocante & res decretas sua authoritate firmante, quod ita non fit in Conciliis œcumenicis, in quibus quæ constituta sunt, vim & robur habent, non ab vno aliquo, qui sit reliquorum caput, sed à tota constituentium authoritate, quod illi ex Pontificiis non negabunt, quatenus Concil. supra Pontificem esse docent, quo numero habenda Synodus Basilienſis, vniuersitas Parisiensis & Cracouiensis Occanus, Gerson, Cuzanus, & alij. 5. Regimen vnius sub Christo Monarchæ longissimè abit ab antiquo illo more quo nequaquam expectatis Rom. Pontificis mandatis, vbi plebs consentienter Episcoporum suffragiis Episcopum delegisset. Conuenire solebant Episcopi Prouinciæ, aut id, si commodè fieri non posset tres saltem congregabantur ad ordinationem faciendam, vt liquet ex Concilij Nic. Can. 4. Vnde jam concludere possumus cum Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ Episcopatum vnum esse cujus à singulis Episcopis pars tenetur in solidum, adeoque non dependenter à Rom. neque per ipsius dele-

delegationem, vt cùm Hieron. Epist. ad Euagrium vbicunque fuerit Episcopus siue Romæ, siue alibi ejusdem meriti, ejusdem esse & Sacerdotij, cùm omnes Apostolorum successores sint, vbi meriti nomine non est dubium quin significetur omnis illa dignitas & eminentia quæ potest esse in Sacerdotio. Itaque quàm injustè clamabant olim Iudæi ad excludendam Christi authoritatem non habemus Regem nisi Cæsarem, tam justè ad explodendam ab Ecclesia cujuscunque hominis Monarchiam dicere possumus non habemus Regem, nisi Christum.

Novi quàm operosè ingentem argumentorum multitudinem Adversarij cumulent, vt œcumenicatum & Monarchiam Rom. Pontificis stabiliant. Sed nos leniter præcipua quædam distinguemus. 1. Monarchiæ laudes prosequuntur & multis probare satagunt illud esse regimen optimum, vt colligant in Ecclesia vigere debere, quippe quàm ex optimi regiminis forma constitui consentaneum sit. Sed nos distinguimus & Monarchiam optimum esse regimen fatemur, sed eam in qua Monarcha, qui reliquis præest, altioris & præstantioris naturæ quàm illi quibus præest. Ita Deus mundum monarchicè regit, sed naturam habet infinitè *sublimiorem mundo*: Sic Pastor ouibus præest optimè qui potiorem habet naturam, & ab aliis longè differt, quib. præest. Ita dicimus à Christo Ecclesiam monarchicè gubernari, qui cùm verè sit Παντοκράτωρ omnibus hominibus & Angelis infinitè præstantior est: At verò si Monarchiam consideremus in qua ejusdem naturæ sunt, & qui regunt, & qui reguntur, tum expendi oportere dico varias circumstantias, ex quarum ratione fit, vt Monarchia in hoc quidem regno sit optimum regimen, quæ tamen alibi apud Venetos putà, aut Heluetios non est optimum. Cùm igitur in externo Ecclesiæ militantis regimine circumstantias istas consideremus quòd dissitis regionibus latissimè diffusa sit, quòd diuersissima sit hominum conditio, ex quibus constat quod fieri non possit, vt vnius hominis mortalis prudentia, sapientia, moderamine ac Iudicio nitatur tota Ecclesiæ moles. Vnde concludimus longè vtiliùs regi Ecclesiam per plures quàm per vnum. 2. Varia loca congerunt, vbi Ecclesia dicitur vnum ouile, quòd habeat vnum pastorem, vnum regnum, quòd habeat vnum Regem, vnum corpus, quòd sibi ponat vnum caput, Ioh. 10.16. Ezech. 37.22. Oseæ 1.11. Sed nescio quibus fidiculis Monarchiam alicujus hominis visibilem inde possint exprimere, cùm si audiantur veteres & optima pars Pontificiorum Interpretum, hęc omnia loca de vno Christo vero Ecclesiæ Rege & Pastorum Principe intelligenda veniant.

Tertiò exemplis rem sibi confici putant: Nam 1. Ecclesia, inquiunt, Israelitica figura fuit Ecclesiæ Christianæ, 1. Cor. 10.6.11. Eam autem figuram in varia capita distribuit, quòd sicut Moses primus fuit Monarcha, seu visibile caput Synagogæ: Ita & Christus Ecclesiæ & sicut Synogoga post mortem Mosis gubernata semper fuit ab vno visibili capite, nimirum summo Sacerdote ita Ecclesia post mortem Christi à Petro & Petri successoribus Rom. Pontif. 2. Ecclesia Angelica exem-

plar est & quasi id-ea Ecclesiæ militantis, Heb.8.5. Ea autem præter Deum & sub Deo Principem habet & caput suum nempe Michaelem, vt dicitur, Apoc.12.7. Michael & Angeli ejus &c. 3. In Christianismi primordiis Ecclesia autem à Christo congregata habuit regimen monarchicum externum & visibile: Christus enim eam administrauit, vt summus rector & Pastor. Ergo & nunc idem regimen perseuerare debet, aut non est nunc Ecclesia eadem Dei ciuitas cum illa prima, quia mutato communi gubernationis modo mutatur & ciuitas ex Philos.lib.3. polit. cap.3. *Resp.* 1. Generaliter exempla legibus opponi non debere: At Christi lex & institutio contra regimen Monarchicum clara est. Vos autem non sic, Matth.20.26. Quam Apostoli subinde repetunt est nobis vnus Dominus, 1.Cor.8.6. Eph.4.5. & nemo dominatur fidei nostræ, 2. Cor.1.24. Et qui pascunt gregem non debent dominari cleris, 1.Petr.5.3. 2. Specialiter nullum horum exemplorum aliquid præjudicat causæ nostræ: Nam Synagogam quod attinet falsum est eam fuisse figuram Ecclesiæ Christianæ: Nam vt diximus antea figuræ & typi respiciunt ad res spirituales & inuisibiles, non autem ad visibiles & temporales, Quemadmodum manifestè adstruit Bellarm. in Recogn. librorum de summo Pontifice vbi de Christi regno agit, Probat id regnum Christi non esse temporale, sed altioris ordinis, quia figuratum fuit per Mosem & Melchisedecum qui fuerunt Reges temporales: Atqui figura, inquit, semper esse inferior suo figurato. Vnde jam colligo temporalia non sunt figuræ temporalium, sed potiùs altioris ordinis, siue spiritualium. Ergo temporale & visibile regimen Veteris Ecclesiæ non potest dici figura visibilis & temporalis Ecclesiæ Christianæ regiminis, sed tantùm inuisibilis illius & interni, quo Christus defungitur in Ecclesia nec Apostolus, 1.Cor.10.6. contrarium docet, quippe qui non de figura speciali & destinata loquitur, quam appropriato nomine vmbram siue typum dicimus, sed de figura communi, quam exemplum vocamus: Significat enim Ecclesiæ veter. euentus illos qui in Israele olim paruerunt exemplo nobis esse debere, ne prærogatiuis Ecclesiæ Christianæ abutamur, sicut Iudæi suis olim abusi sunt, sed metuamus nobis & caueamus, ne peccatis nostris in paria supplicia cum veteri populo incidamus. 2. Vnde habet Becan. Mosem fuisse figuram Christi, summum verò Sacerdotem figuram Petri & ejus successorum: Hoc enim certè nulla Scriptura dicit, aut docet, sed potius Apostolus identidem in Exempla ad Hebræos typum summi Pontificis refert ad vnum Christum. Et nos supra rationem illius typi fusiùs executi sumus. 3. non est verum summum Sacerdotem Ecclesiam gubernasse Μοναρχικῶς, cùm superiorem agnoscere debuerit, non modò Regem penes quem fuit summi Sacerdotis munus abrogare, vt Abiathari factum legimus à Salomone verum Concilium Sanedrim ex LXX. viris conflatum, & à Mose primò institutum, quod de tribu Pseudoproph. & Sacerdote magno indicabat, sicut ex Hebræorum doctoribus probant Galatinus 4. cap.5. & Sigoni de Rep.Heb.lib.6. cap.7. 4. nec si exercuisset olim Pontif. x ejusdem regimen, consequeretur exercendum esse etiam ab vno aliquo ho-

quo homine in Ecclesia Christiana, Quis enim totum orbem comparauerit cum exigua ejus particula, præcipuè cùm doceat Bellarm. lib. 3. de Ecclesia cap. 16. populum Iudæorum non fuisse Ecclesiam vniuersalem vt est populus Christianorum sed Ecclesiam particularem. Quis autem conclusionem hanc concoxerit Vnus homo par fuit moderandæ synagogæ quæ particularis extat Ecclesia, & angustis Iudææ limitibus cohibebatur. Ergo vnus homo par est etiam moderandæ & administrandæ toti Ecclesiæ catholicæ, quæ per vniuersum mundum latissimè diffusa est. De Ecclesia Angelica non est difficilius negotium 1. quia nullibi docemur Ecclesiam illam esse ideam & exemplar hujus militantis, nec illud significat Apostolus, Heb. 8. 5. Vbi loquitur de exemplari & vmbra rerum cœlestium, cùm non agat de iis quæ fiunt in Ecclesia Angelica, sed de iis quæ olim administrabantur in Ecclesia Iudaica, ut essent vmbræ rerum spiritualium sub Nouo Testamento, sicut etiam explicat Ribera; Hi Sacerdotes, inquit, constituti sunt, vt exemplar quoddam & quandam similitudinem nobis exhibeant eorum quæ per Christum fiunt in cœlo, nec aliter Iustinianus & alij. 2. quia etsi exemplar esset Ecclesiæ Christianæ, non sequeretur exemplar esse istius regiminis: Non enim exemplar in omnibus quæri debet, quæ in mentem hujus aut illius cadere possunt, alioquin eadem ratione conficeretur, quia Ecclesia Angelica exemplar est Christianæ, in Ecclesia Christiana omnes esse debere cœlibes, quia in Angelica nullus est connubiis locus. 3. negamus Angelis aliud caput datum esse præter Christum, quia caput est omnis principatus & potestatis Colloss. 2. 10. Is enim est verus ille Michael, qui Angelos habet sub ductu suo præliantes, Apoc. 12. 7. Sicut etiam Augustin. Amb. & alij explicant 4. Denique si Angelos sub Christo aliquem habere Principem agnoscamus, Is tamen eorum Princeps dicendus erit secundùm Institutionem naturę, quatenus sunt Angeli, non autem secundùm ordinationem gratiæ, quatenus sunt Ecclesiæ triumphantis membra: Hoc enim posteriori respectu non aliud caput, vel habent, vel agnoscunt quam Christum. Itaque ex Angelorum exemplo nemo aliud elicuerit, nisi hoc vnum homines, quà homines habere posse aliquod caput politicum ex hominibus, sed quà componunt Ecclesiam, vel membra sunt Ecclesiæ non aliud habere caput præter Christum de Ecclesia tempore Christi. Respondemus 1. Si summus Iudæorum Pontifex Ecclesiam gubernauit Monarchicè, vt volunt Aduersarij, & summum Sacerdotium legale, nonnisi morte Christi expunctum est, consequens esse vt dicamus, aut duos fuisse simul Ecclesiæ visibilis Monarchas, Christum & Pontificem Iudæorum, aut Christum non se gessisse in hoc mundo tanquam Monarcham visibilem Ecclesiæ, & verò testatur ipse se venisse, non vt sibi ministraretur, sed vt ipse aliis ministraret, Matth. 20. 28. Non quod non sit verus Rex & Dominus Ecclesiæ, sed quia extraordinaria sua potentia hunc terrarum orbem ad aliquod tempus dignatus est, non tam vt externam Monarchiam exerceret, quàm vt morte sua nos redimeret, & saluum faceret, quod perierat, Matt. 8. 11. 2. etsi Christus Ecclesiam visibiliter rexit in hoc mun-

do tanquam summus ipsius Pastor, non sequitur tamen vt vnum aliquem ipsi substitui oportuerit, qui post ejus mortem Ecclesiam visibiliter regeret, cùm pateat illud muneris Apostolis omnibus datum fuisse, quos Christus ad Ecclesiæ administrationem ex æquo destinauit: Quanquam, vt ait Cyprian. pari consortio fuerunt honoris & potestatis, neque ideò verendum est, ne mutata fuerit forma Ecclesiæ: Forma enim Ecclesiæ non est in subalternis præfectis, sed in summo rectore constituitur, sicut forma Reip. non in subalternis Magistratibus, sed in summo consistit. Vt ergo Principatus idem manet, quamdiu idem Rex gubernat, siue vnum, siue plures præfectos constituat; Ita Ecclesiæ vna est semper ciuitas, quia semper vnum habet Monarcham Christum, etsi Christus varios sub se Præfectos ad Ecclesiæ gubernationem instituerit.

QVARTÒ Scripturæ loca proponunt, tria nominatim ex Matth.16. 18.19. & Iohan.21.15.16.17. nempe quòd Petrus dicitur Petra, siue fundamentum Ecclesiæ quòd ipsi traduntur claues regni cœlorum, & quòd Iubetur oues Christi pascere. Iis enim omnibus summam & Monarchicam in Ecclesia potestatem significari pertendunt. 1. Quod est caput in corpore, Rector in Ciuitate, Rex in regno, Idem, inquiunt, est fundamentum in ædificio. Est enim fundamenti proprium totam ædificationem regere & sustentare: At Christus docet Petrum esse Petram, seu fundamentum Ecclesiæ. Ergo Petrus & ejus successores Ecclesiam regunt & sustentant. *Resp.* tantùm abesse vt hoc loco dicatur Petrus fundamentum Ecclesiæ, vt Christus manifestè distinguat Petrum à Petra, tum persona, tum genere, scilicet vt petra sit nomen: Petrus verò inde denominatus, sicut obseruauit Aug.tract.124. in Ioh. Ecclesia, inquit, fundata est super Petram, vnde Petrus nomen accepit: Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, sicut Christus non à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur, & cum nomine Ecclesiæ quæ super petram ædificari dicitur; non hæc aut illa Ecclesia intelligenda veniat & totum quantumcunque patet corpus fidelium, adeoque Ecclesia non militans modò, verùm etiam triumphans. Petrus verò nulla ratione triumphantis Ecclesiæ est fundamentum; Necessarium est vt concludamus hanc petram non aliam esse, quàm Christum ipsum, quod etiam antiqui frequentissimè docent Hilar. Ambr. Niss. Theod. Aug. &c. nimirùm ea ratione moti quòd scriptura non aliud agnoscat Ecclesiæ fundamentum præter Christum, Es.28. 16. & 1.Cor.3.11. Vbi cùm ait Paulus non posse poni fundamentum aliud præter Christum euertit manifestè distinctionem Pontificiam fundamenti, In principale, siue primarium, & ministeriale, siue secundarium, vt conficiatur, quemadmodum Christus principale fundamentum, Ita Petrum esse fundamentum ministeriale. Certè cùm aliud ab illo principali, qui Christus est, proponi non possit; Ministeriale verò sit longè aliud à Christo, non modò ratione individui, quâ Petrus alius est à Christo, verùm etiam ratione naturæ, siue speciei, quia principalis & absoluta potestas natura differt à potestate participata & subordinata: Sequitur ministeriale ejusmodi fundamentum poni non posse in Ecclesia: Quod verò sæpiùs

rò sæpius apud eosdem Patres legitur, Petram hanc de qua loquitur Christus esse fidem, siue confessionem fidei à Petro editam nihil præjudicat huic sententiæ de Christo vnico fundamento: Nam vt ait Aug. de fide & operibus cap.16. Si Christus est fundamentum procul dubio eadem etiam ratione fides Christi per fidem quippe Christus habitat in cordibus nostris & qui dicunt fidem & confessionem Christi esse fundamentum, nihil aliud dicunt, nisi Christum quem fide & confessione amplectimur esse fundamentum, nec tamen negamus Petrum fundamentum Ecclesiæ dici posse, sed quomodo Apostoli dicuntur fundamenta duodecim, Apoc.21.14. ita vt nihil inde fiat præjudicium Christo, Christus enim solus est fundamentum Ecclesiæ, tum ratione salutis, quæ in ipso solo est, tum ratione doctrinæ, quæ ab ipso solo est: Habet enim omnes proprietates fundamenti propriè dicti. 1. est firmum & inconcussum, est enim rupes illa sæculorum immobilis, cui inædificata domus aduersus pluuias, & ventos, & tempestates consistit, Matt.7.24.25. 2. Primum & præcipuum locum habet in ædificio: Tenet enim Christus primas in omnibus, Col.1.18. 3. à nulla parte ædificij nullomodo pendet, sed ipse vnus est qui totam Ecclesiæ molem sustinet, & in quo omnium Ecclesiæ membrorum fundatur salus, Act.4.12. Apostoli verò fundamenta dicuntur. 1. Quia ipsi primi sunt qui à Christo missi per orbem terrarum Ecclesias vbique fundarunt. 2. quia tum prædicatione, tum literis eam doctrinam patefecerunt à Christo reuelatam, quę vocatur fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Eph.2.20. 3. quia fuerunt Rectores & Pastores, quibus incubuit Ecclesię vniuersæ cura, 2.Cor.11.28. In tribus istis pares fuerunt inter se omnes Apostoli: Nam quòd Aduersarij differentiam in hoc tertio quærunt, quasi reliqui Apostoli plenitudinem quidem potestatis habuerint in Ecclesia, sed tamquam Apostoli seu legati. Petrus autem tanquam Pastor ordinarius, à quo tanquam à capite reliqui penderent, tam facilè rejicitur, quàm ponitur imò satis confutatur à Paulo, cùm ait se nulla in re fuisse inferiorem summis Apostolis, 2.Corint.11.5. & verò si plenitudo potestatis in Ecclesia nihil aliud est quàm summum jus administrandæ Ecclesiæ, & fatentur Aduersarij Apostolos habuisse plenitudinem potestatis, necesse est concedant habuisse summum jus in Ecclesiam adeoque à Petro non dependisse, quia qui ab alio pendet non est reuera summus. Denique quam potestatem Petrus habuit, eam habuit, vt Apostolus missus siue legatus à Christo: neque ipsius munus minùs fuit extraordinarium, quàm aliorum, neque reliquis meliùs quàm Petro commissa fuit cura omnium Ecclesiarum, 2.Corinth. 11.28.

Secvndò argumentantur à clauibus. Claues, inquiunt, significant principatum & summam potestatem. Ita enim dicitur Christus habere clauem Domus Dauid, Apoc.3.7. & cùm deduntur vrbes alicui Principi, offerri solent ei claues in signum submissionis. Atqui Christus Petro dedit peculiariter claues regni cœlorum. Ergo eum constituit summum Ecclesiæ Monarcham. *Resp.* 1. Clauium nomine aliquando significari summam

potestatem fateor sed semper significari nego: Nam vt claues regni tradunt subditi in significationem summæ potestatis & imperij: Ita claues seruis & œconomis suis tradere solet Dominus in significationem ministerij. Iam autem Christus Petro claues dedisse in signum *ministerij*, non *imperij*, satis explicatur, Matth.16.19. Vbi traditio clauium explicatur per ligationem & solutionem. Quid verò est ligare & soluere, non aliud sanè quàm remittere, vel retinere peccata vt exponitur Iohan.20.23. Quomodo porro remittunt homines, aut retinent peccata, nonnisi ministerialiter, quatenus Euangelica prædicatione pœnitentibus dimissa, obstinatis retenta esse significantur. 2. Non vni Petro sed omnibus Apostolis claues traditæ sunt, sicut ait Hieron. lib.1. in Dominianum cuncti discipuli claues regni cœlorum accipiunt. Et Gaudentius serm.in die ordinationis suæ. Omnes Apostoli cum Petro cœlestis regni claues ab ipso Domino accipiunt, quomodo dicit illis accipite Spiritum Sanctum, quorum dimiseritis peccata, dimissa erunt & quorum remiseritis, &c. Ergo vel omnes Apostoli Ecclesiæ Monarchæ dici debent, vel Petrus eo nomine dici non debet, quod ipsi traditæ sint claues.

TERTIÒ vim faciunt in mandato, pasce oues meas. Pascere, inquiunt demonstrat summam potestatem. Ita enim Rex Cyrus vocatur Pastor, Esa.44.28. & Christus dicitur pascere populum suum, Matth.2.6. Et apud Homerum Reges vocantur ποιμενες λαων: At Petrus jubetur oues Christi, id est, ECCLESIAM pascere. Ergo datur ei summa potestas in ECCLESIA. *Resp.* 1. Pascendi vocabulum, tum ad summam, tum ad subalternam regendi potestatem refertur pro ratione rerum quæ aguntur: Nam cum Christo, aut summis Magistratibus attribuitur, non est dubium ea voce significari supremum imperium, sed cùm de ECCLESIÆ munere dicitur, de subalterna, non summa potestate intelligendum venit. Certè ECCLESIÆ ministri vocantur Pastores, Ephes.4.11. & dicuntur gregem sibi commissum atque ECCLESIAM pascere, Ierem.3.15. Actor.20.28. 1.Petr.5.2. Quis tamen inde concludat tot esse Monarchas ECCLESIÆ, quot sunt in ea præfecti. 2. Non est soli Petro commissum pascendi officium, id est, docendæ pascendæque ECCLESIÆ, sed omnibus Apostolis ex æquo mandatum, Matth.28.19. Iohan.20.21. Itaque alij discipuli non minùs quàm Petrus pauisse oues dicuntur apud Cyprian. Epist.3. Imò Basil. constitutionum Monasticarum cap.22. docet à Christo parem omnibus pastoribus ac ministris authoritatem esse tributam. Quod verò Petro Christus nominatim jubet pascere oues & agnos suos & mandatum illud ter repetit, eo factum est vt trinæ negationi redderetur trina confessio, nec minus amori lingua seruiret, quàm timori, nec plus vocis videretur elicuisse mors imminens, quàm vita præsens, inquit August. in Iohan.123. Igitur vt Apostolatus Petro renouaretur dignitas, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accesserat labefacta videretur, vt ait Cyrill. lib.12. in Iohan.cap.64. Atque hæc de conditionibus regni Christi.

SUPEREST vltimo loco vt actiones ad regium istud officium spectantes

ctantes breuiter, enumeremus. Cùm enim ea per varias Theologiæ partes latissimè fundantur, hic explicari pro merito nequeunt. Certum est igitur omnia quæ in Christo habuimus beneficia saluationis nomine contineri. Quæ causa est, quare etiam Christus nomen IESVS habuerit, Matth.1.21. nec minùs certum ad perfectam saluandi rationem duos actus pertinere: Quorum alter in promerenda salute consistit: Alter in eadem applicanda; seu communicanda versatur. At ratione quidem prioris actus Christus Redemptor *meritò* dicitur: Ratione verò posterioris Redemptor *efficacia* illud fuit per sanguinis Christi effusionem in cruce, iste est per Spiritus Christi communicationem in anima: In illo Sacerdotale officium vires suas explicuit, quippe salutis acquisitioni destinatum in isto regale officium exercetur, quippe ad salutis jam acquisitæ communicationem comparatur. Vnde facile colligimus salutis vel paratæ, vel donatæ totam rationem in his duobus officiis Sacerdotali & regio constitui. Atque hinc est, 1. quòd Christus qui per nullum Prophetam quà Prophetam typicè repræsentatur legitur, tamen in typo Melchisedeci positus est, tanquam Rex simul & Sacerdos, Hebr.7. Et posteà distinctè figuratus quà Rex per Iudices & Reges populi, quà Sacerdos autem per Aaronem & summos Pontifices. 2. Quòd Scriptura instituens Christianos de participatione officiorum Christi, hæc duo nominatim exprimit: Vocat enim fideles regale Sacerdotium, 1.Petri 2.9. & eos testatur esse factos Patri per Christum Reges & Sacerdotes, Apoc.1.6.& 10.5.& 20.6. Quid ergo inquies, an Propheticum Christi officium pro κύριω προσώπω, & re nihili in causa salutis nostræ habendum erit? Absit verò, imò in salutis applicatione suas sibi partes illud meritò deposcit: Nam salus per Christum comparata, adeoque Sacerdotij & regni Christi beneficia non nisi ad fideles & electos pertinent fides autem nonnisi per auditum & receptionem verbi efficitur, Roman.10.17.quia Deo visum est credentes saluare per stultitiam prædicationis, 1.Cor.1.21. Ergo cùm prædicationis ratio ad officium Christi Propheticum pertineat facilè colligimus officium Christi Propheticum necessariam habere relationem ad salutem nostram, adeóque Christus, qui perfectus Redemptor esse debuit, non minùs Prophetam seu doctorem, quàm Regem & Sacerdotem nostrum esse debuisse.

Ex istis patet sicut ad Christi Sacerdotium pertinent ea quæ sunt impetrationis, acquisitionis & meriti. Ita ad regale ipsius officium spectare quæ sunt distributionis efficaciæ & beneficij, id est, ea in quibus communicandis Christi bonitas & spiritualis potentia exercetur. Illa verò maximo sanè sunt numero, sed ad quatuor tamen capita reuocantur à Theologis, nimirum vocationem, legislationem bonorum communicationem & judicandi authoritatem. Vocatio prima functio est, qua Christus Rex homines ex corruptæ naturæ, atque peccati statu euocat ad gratiæ statum & participationem fœderis illius gratuiti & æterni, quod confirmauit proprio suo sanguine, quia propterea sanguis fœderis, seu Testamenti dicitur, Matth.26.28. taque id eximium & singulare ha-

bet Rex noſter Chriſtus præ Regibus aliis omnibus, quòd alij quidem primùm regni habenas capeſſunt, ſubditos inueniunt non exiſtentes modò, verùm etiam ad debiti obſequij præſtationem ſeſe comparantes. At verò Chriſtus in rerum natura ſubditos non inuenit, ſed facit, quia ſicut eos ſibi per Sacerdotium acquiſiuit, ita per regiam poteſtatem ex morte ad vitam excitat, ex nolentibus volentes facit, & admiranda Spiritus ſui efficacia ad ſe adducit, vt ſedulam præſtent mandatis ſuis obſequelam, neque modo ab iis pœnitentiam atque fidem exigit, verùm & in iis pœnitentiam & fidem efficit, conuertit eos, & conuertuntur, eos trahit & trahuntur atque ſequuntur, Eſa. 65. 1. 2. Ierem. 31. 18. Cant. 1. 4. 2. accedit ad vocationem legiſlatio: Chriſtus non vbi jam homines vocauit & ſubditos ſuos fecit, ne in officij ſui ignorantia verſentur, inſtituit ipſos de voluntate ſua, & piè ſancteque viuendi regulam ita præſcribit, vt carneum cor ipſis largiatur quo in mandatis ſuis ambulare valeant, Ezech. 11. 19. 20. & 36. 26. 27. tum ad leges & ſtatuta ſua promiſſiones addit luculentiſſimas, vt potentiùs alliciantur pij, ſed & comminationibus intonat, vt pij faciliùs abſterreantur.

Tertiò Regia Chriſti functio conſiſtit in bonorum communicatione ſine qua perueniri poſſet ad participationem bonorum. Ea bona fermè ſunt hæc Iuſtificatio, Sanctificatio, adoptionis gratia, liberatio à miſeriis, conſolatio in miſeriis & gloria demum æterna. Quod vt faciliùs euadat, ita habendum eſt malorum, quibus premimur duo eſſe genera culpam, ſeu peccatum, & pœnam, ſiue afflictionem. In peccato iterum conſiderari duo reatum, ſeu obligationem ad pœnam, & maculam, qua inquinatur anima peccatoris. His duobus malis remedij loco appoſitum eſt à Chriſto Rege duplex bonum: Chriſtus enim reatum expungit per gratuitam remiſſionem peccatorum in Iuſtificationis dono & maculam ſenſim eliminat per gratiam ſanctificationis. Vnde ex exterminio peccati beneficium hoc vtrumque Paulus commemorat, 2. Corinth. 6. 11. Malum verò pœnæ primùm in eo conſideratur, quòd natura ſumus iræ filij, Eph. 2. 3. Huic malo oppoſitum eſt contrarium bonum, quod habemus in Chriſto quatenus adoptione gratuita in cœleſtem Dei familiam cooptamur, vt Dei filij cenſeamur & ſimus, eoque nomine hæreditatis æternæ jus cooptamus, Rom. 8. 15. 16. 17. 2. Malum pœnæ in eo conſpectatur, quòd variis moleſtiis & miſeriis, inopia, ignominia, bellis, morbis conflictamur in hoc ſæculo & huic malo Rex Chriſtus medelam adfert, modò per realem liberationem, dum ſcilicet victum & veſtitum, honorem, pacem, ſanitatem largitur, modò per Chriſtianam patientiam & Spiritus ſui conſolationem firmam, quam abundare facit ad ſuam gloriam & ſalutem noſtram inter afflictiones vrgentiſſimas, 2. Corinth. 1. 5. dum tandem omnibus vitæ miſeriis exemptos in cœleſtem gloriam euehat & omni beneficiorum cumulo beatos nos præſtet in æternum. 4. accedet ad hæc omnia externum illud & vniuerſale Iudicium, quod à Chriſto rege adminiſtrabitur, quippe cui Pater omne judicium dedit, & Iohan. 5. 22. & à quo totus mundus olim iudicandus eſt, Actor. 17. 31.

cùm

cùm ſiſtentur omnes coram tribunali Chriſti vt recipiat vnuſquiſque prout fecerit bonum aut malum in corpore ſuo, 2. Corinth. 5. 10. Tunc enim plublicam Iuſtificationis ſententiam coram omnibus à Chriſto electi accipient. Reprobi verò publicè Chriſti ore condemnabuntur, atque ita & hi projicientur in ignem Tartareum & cruciatibus æternis afficiendi, & illi anima ſimul & corpore ſuſcipientur in cœlum æternis præmiis & nunquam deſitura gloria coronandi cum Rege ſuo Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto Deus eſt benedictus in æternum. AMEN.

FINIS LIBRI TERTII.



DE CHRISTIANIS EORVMQVE DIGNITATE & Officiis.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De appellatione Christianorum.

QVEM de Christo institueramus tractatum eum duobus capitibus distinctum dedimus, vt primò quidem personæ Christi dignitas; tum deinde officia explicarentur, quibus ex cœlestis Patris voluntate defungi debuit ad electorum salutem, pro quibus ipse se sanctificauit, Iohan.17.19. Id verò quicquid fuit operæ, quia, Deo faciente satis ex animi voto successit, curæ precium nobis facturi videbamur, si prout naturalis est capitis & membrorum compaginatio postquam de Christo diximus, etiam breuem de Christianis commentationem subtexeremus, & eodem progressi ordine. Dignitatem & officium Christianorum Christianis poneremus ob oculos: quia fidelium quorumcunque interest, & probè nosse quo statu sint à Deo collocati, & probè meminisse quos ab ipsis actus ratio tanta dignitatis exposcat. Illi ergo cogitationi debet ortum ista tractatio, quæ si aliquo plausu fuerit excepta, præibit majoribus curis, & quæ hactenus Musæi claustris cohibita latuerunt, protrahet in publicam lucem.

2. Christianos qui tanquam nouos homines habuerunt & nuperrimos vocamus & posteriores Iudæis atque paganis fuisse creatos docuerunt, eos haud immeritò videatur antiquus autor Philastrius inter hæreticos deputauisse. Nempe Christianum facit Christi cultus & salutaris notitia, quibus cùm splenduisse dicuntur & pater fidelium Abrahamus, Ioan.8.

Ioan.8.56. & Dauid Principum decus, Psal.118.24. Et Prophetarum coryphæus Esaias, Esa.33. Et quicunque olim Christo testimonium perhibuerunt, remissionem peccatorũ accepturum per ipsum, quisquis in eum crediderit Actor.10.43. Non est quòd Christianorum albo expungantur, qui ante Christum natum sæculis Christi gratiã amplexi sint: aut quòd illi tot Augustini sententiæ denegemus assensum, Rem ipsam, quæ nunc Christiana Religio nuncupatur fuisse etiam apud antiquos, nec defuisse ab initio Generis humani quousque ipse Christus veniet in carne. August. l.1. Retract.c.13. Sed recentiorem esse Abrahamo & Dauide Christianorum appellationem, nemo negauerit, qui non sit planè vel Scripturarum ignarus, vel in Ecclesiastica historia peregrinus: Nam & Tertullianus testis est in Apologetico, Tiberianis temporibus introijsse Christianorum nomen in sæculum, cui assensum faciliùs accommodo, quàm aliis sub Claudio factam primùm hanc nomenclaturam contendentibus: Et eos qui anteà discipulorũ nomine gaudebãt Antiochiæ primùm Christianorum appellatione decoratos testis est omni exceptione major B. Lucas Actor.11.26. à quo etiam tempore commune fuisse illud nominis fidelibus vbiuis agentibus, tum diuinarum litterarum testimonio comprobatur, Actor.26.28. 1.Pet.4.15.16. tum Ethnici scriptores satis testificantur Suetonius, Tacitus, Plinius, & alij: nisi quòd ex verâ Etymi ignoratione, quemadmodum Christum dixere pro Christo, Ita Christianos pro Christianis vocitasse leguntur.

3. Notum ergo Ethnicis nomen, sed & odiosum super omniã, & quibus eo titulo insigni gloriosum fuit, mirum quanta apud omnes laborârint inuidia: quod ex variis capitibus facilè colligas. 1. Quòd nominibus eos aut ridiculis aut probrosis indigetarunt. Dixêre, Nazarenos & Galilæos, quòd Christi fidem & cultum profiterentur, quem nouimus Nazareni & Galilæi nomine tum ab aliis tum nominatim ab Apostata Iuliano fuisse Infamatum. Dixêre Sibyllistas, indigetatione scopticâ, quòd ex libris sibyllarum subinde solerent scriptores Christiani conuincendis Gentilium erroribus, nonnulla depromere. Dixêre γραικοὺς ἐπιθέτους, Græcos Impostores, salsâ cumprimis notatione, quòd qui ad Christianam Religionem à paganicâ prophanitate transferrentur, deposita Romanâ togâ, Græcum pallium testificandæ modestiæ superuestire solebant; quod nos Tertull. lib. de pallio docuit. Dixêre Asinarios, quód ab ipsis adorari caput asininum per summam imprudentiam criminabantur. Dixêre Sarmentitios & Semassios, vt ab eodem Tertull. notatum in Apologet. quòd ad stipitem dimidij assis reuincti, sarmentorum accensorum & picatorum ambitu crudelissimè necarentur: quò spectauit etiam Βιοθανάτων, appellatio id. violentâ morte occumbentium, quia in illis Christianismi primordiis solebant qui religionem Christianam profiterentur, ad varia supplicia deposci, & per cruces & infinita tormenta, Martyrio coronari. Cùm nulla ratione possent à sanctissima Christi doctrina abduci. Vnde illud apud Galenum prouerbiale, θᾶττον τὶς τοὺς ἀπὸ χριστοῦ μεταδιδάξεις citiùs quis Christianos à sua doctrina abduxerit & August. memoratur

Apollinis oraculum quod quærenti quânam ratione Vxorem à Christiana Religione posset auocare respondit faciliùs eum flumini aut rapido inscripturum literas aut in aëre volaturum Grot. in Eu. 415. 2. Quod atrocissimorum criminum homines innocentissimi postulabantur, Majestatis perduellionis, seditionis, infanticidij, maleficarum artium, promiscui in synaxibus seu conuentibus suis concubitus. Imò si qua calamitas vrbem, prouincias, Imperium funestaret, omnium illarum cladium caussa continuò accusatione iniquissima transferebatur in Christianos. 3. Quòd ad concitandum in ipsos infestius odium, siquid Iudæi mouebant aut nugabantur siquid perperàm gerebant aut sentiebant, hæretici illud omne Christianis impingi solitum, qui tamen neque aliquid habebant cum Iudaismo commune, & in hæreticis aut re vincendis, aut à societate sua repellendis, nihil reliqui faciebant ad summam diligentiam. 4. Quòd Edictis Imperatoriis infames declarabantur, & ad spectacula publica protrahebantur objiciendi bestiis & miserè dilaniandi, vnde vulgatum illud apud Ethnicos, Christianos ad Leonem. Neque prætereundum silentio, quod à Iuliano παραβάτῃ docere & Christianam Iuuentutem in humanioribus litteris instituere prohibiti sunt, nec ad politicas administrationes admissi, & publicis professionibus priuati, & à militiâ discedere jussi; quodque adeò Diocletianus, non vetuit modò, nequis Christiano victum aut vestitum & alia vitæ necessaria, ministraret, sed & tanquam miserabiles victimas publico furori exposuit, & voluit vnicuique liberum esse, indictâ causâ, nullo Iure, Christianos passim impunè trucidare.

4. Sed missis Ethnicorum calumniis & furoribus, videamus quænam sit Christiana appellationis ratio. Certè Christiani nomen primùm ad distinctionem pertinet, deinde excellentiæ nomen est & Officij. De quibus vt agatur ordine, primò dicimus, esse nomen distinctionis, quo scilicet in causa Religionis Christi doctrinam & cultum profitentur, distinguantur à reliquis omnibus hominum societatibus.

5. Et olim quidem, antequam Christus venisset in mundum, duo fuerunt in Scripturis hominum ordines propositi, Israelitæ & Gentes, Psal. 147. 19. 20. quam distinctionem frequenter reponit Apostolus, Rom. 1. 16. & 2. 9. & 3. 9. & c. Nisi quòd Gentes solet Græcorum appellatione designare, siue quia ex Græcis dimanarat Ethnica superstitio in alios populos siue quia intra fines Imperij Rom. Maxima prouinciarum pars Græco sermone vtebatur; siue præsertim quia omnes fermè Iudæorum vicini linguam istam frequentabant. Et Iudaismus quidem exturbatâ Deorum multitudine, vnius veri Dei cultum secundùm ritus & ceremonias à Mose præscriptas profitebatur. Ethnicismus verò siue paganismus πολυθείαν inuehebat, & infinitorum fermè Deorum idolis sibi delicias faciebat, vt in vna Româ vsque ad triginta millia Deorum numerata fuisse doceat ex Varrone Augustinus.

6. Enimuerò quia diuersissimæ erant Gentilium circa religionem & sententiæ & ceremoniæ vt fieri necessum est vbi semel ab ordine diuinitùs instituto disceditur, visum est Epiphanio vniuersum Ethnicismi cultum in

tum in tres Religiones partiri, Helleniſmum, Scythiſmum, Barbariſmum, cujus diuiſionis fundum & autorem habuit Apoſtolum Coloſſ.3.11. Græcos, Scythas, & Barbaros nominantem. Helleniſmus, quanquam nomen habet à Græcis, omnes tamen eos populos complectitur, quorum paulò politior fuit & humanior cultûs ratio, qualis erat ſcilicet Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, Perſarum, Gallorum. Scythiſmi voce deſignatur ea Religio, quæ ſua quidem Sacra & Ceremonias habet legibus quibuſdam præſcriptas, ſed quæ tamen humano ſanguine delectatur in ſacrificiis, adeoque primâ ſui ſpecie horrorem alienigenis ſpectantibus incutit & ingenerat. Barbariſmi denique nomen eas nationes continet quæ nullâ lege, nullis certis ritibus, bruto tantùm & cæco impetu ad adorationem fertur ejus quod quisque ſibi fingit numinis: quales multos in orbe Nouo populos, ſuperiore ſæculo Argonautæ noſtri obſeruâſſe leguntur.

7. Verùm poſtquam illuxit mundo Seruatoris gratia, & Euangelij prædicatione paſſim innotuit, & à Iudæorum corpore ita præfactè & contumaciter rejecta eſt, vt Apoſtoli ad Gentes ſeſe conuertere cogerentur, Actor.13.46. inter quas etiam admirandi fuerunt Euangelicæ doctrinæ progreſſus Coloſſ.1.6. Neceſſarium fuit aliquo appellationis diſcrimine ſecerni à Iudæis & Gentilibus illos qui Chriſti doctrinam & gratiam amplexi publicè profitebantur: quemadmodum nouimus ſolenter fieri, vt ſectæ, vbi jam in magnam multitudinem excreuerunt, propria quadam & δμωνυμικῶ appellatione inſigniantur, vnde nata inter Philoſophos, Platonicorum, Peripateticorum, & Stoicorum nomina. E. cum fideles primò fratrum aut diſcipulorum titulo vocarentur, Actor.9.36. & 11.26. & 21.16. &c. Propterea fortè quòd ea nomina nimiùm viderentur communia, cùm & Philoſophis ſui eſſent Diſcipuli; Et Sacerdotibus Ethnicis ſui fratres, prout fratrum carnalium nota fuit apud Romanos ſodalitas, videbatur res ipſa poſtulare, vt adhiberetur ſpecialius nomen, quod nemo ſiue Iudæorum, ſiue Ethnicorum ſibi tranſcribere poſſet: quale ſine dubio eſt Chriſtianorum nomen, quod nulla alia Religio ſibi vindicat, quamuis etiam ab eo nomine in ſæculum introducto, ad peruagatas & notas orbe toto Religiones Chriſtianam, Iudaicam, Ethnicam, acceſſerit quarta veluti ſtruma quædam & exanthema, nimirum Mahumetiſmus ſiue Arabiſmus, qui ſub annum demum Chriſti 600. infeliciter emerſit, ex Impoſturis & nugis atque blaſphemiis execrandi Mahumetis conflatus qui ferri non argumentorum acie formidandus Religionem inuexit ex Chriſtianiſmo, Iudaiſmo, adeoque Paganiſmo inconditè conſarcinatam, & eo libro comprehenſam, cui nomen factum eſt Alcorani ſiue Alphurcani in varias Azoaras ſiue ſectiones diſtincti. Alphurcanum ſcilicet vocamus à diuiſione (eſt enim פרך rumpere ſeu diuidere) ſiue quia eum in plura tmemata diſpertitus eſt Mahumetes, ſiue quia verſus illius libri non omnes effudit vno tempore, ſed diuerſis cacodæmonis afflatibus diſtinctos accepit. Alcoranum verò à lectione (nam קרא legere eſt) quaſi librum dicas omni lectione dignum, qui tamen totus ferè ex nugis eſt aut impie-

tatibus consutus: sed autori placuit eum angusto titulo venditare, vt faciliùs ab ignaris & stupidis reciperetur: Forsan etiam allusum voluit ad Sacrorum Bibliorum nomen quæ Iudæi, appellatione ex Nehem. 8.8. desumpta, vocare solens מקרא ab eadem radice, à qua Coran siue Alcoran, vt tituli similitudine incautis illuderet, & pro veris Scripturis sua somnia obtruderet.

8. Sed post introductum & cognitum Christianorum nomen, factamque illam totius orbis distinctionem in Iudæos, Christianos, & Ethnicos, mirum nonnullis videri poterit quòd Apostolus Paulus passim in Epistolis suis Iudæorum & Græcorum siue Gentium mentionem injicit, sed Christianos nusquam in eâ distinctione memorat. Cujus facti rationem cùm exquiro id mihi videre videor, quia Pauli temporibus Christiani fermè omnes ex Iudæis aut Gentibus emergebant, vt inde Euangelij præconio ad fidem & communionem Christi vocarentur, facile potuisse earum appellationum ambitu contineri aut certè quod verisimilius est, sub Iudæorum nomine Christianos comprehensos eadem ratione qua Christianam Ecclesiam vocat Apostolus Israëlem Dei, Gal. 6.16. & eum dicit esse verum Iudæum qui intus & in occulto talis est, Roman. 2.28.29. Et verum Abrahæ semen esse, non qui sunt filij carnis, sed qui sunt filij promissionis, Rom. 9.7.8. Cùm sint multi qui se dicunt esse Iudæos & non sunt, sed synagoga Satanæ, Apoc. 2.9. Nempe quia illud subinde Christianis exprobrabant carnales Iudæj, per introductionem Christianæ Religionis, Mosem, legem, prophetas & quicquid erat Veteris doctrinæ ac fidei abire in nihilum, Paulus eam Israelitarum & Iudæorum appellationem ad Christianos transferens docere voluit, sicut Christianus, non venerat legem & Prophetas abolere sed implere, Matth. 5.17. Ita neque per fidem Christianam quæri legis abrogationem sed stabilimentum potiùs, Rom. 3.30. Et Christianos esse veros Iudæos, sed à littera ad Spiritum, ab vmbris ad corpus, & à figuris ad veritatem translatos.

9. Illud interim consideratione dignum est, quod cùm Redemptor noster & Iesus dicatur & Christus, fideles tamen qui ad ejus communionem spiritualem vocantur Christiani tantùm à Christo dicti fuisse leguntur, sed ab appellatione Iesu nullum vnquam sibi nomen asciuerunt, ante exortum superiori sæculo nouum hominum genus, quibus non satis fuit Christianos dici, diuisi etiam à Iesu sibi nomenclaturam ascisserent: An etiam, si contingeret eis aliquando pro Christiana religione pati, non satis esse pati vt Christianos, in quo neminé pudefieri jubet Script. 1. Pet. 4.16. nisi etiam paterentur vt Iesu sodales, quod passionis genus nullus hactenus martyr subjit? Nimirum Iesu nomen eatenus est incommunicabile, quatenus propriè notat actionem Christi salutiferam, saluationem, inquam, siue Redemptionem, quæ tanti meriti est atque dignitatis, vt nequeat ipsa vlli creaturæ communicari, sed ejus tantummodò fructus percipi; nomen Iesu vnicum illud nomen est, quod sub cœlo datum hominibus, vt in eo saluentur, Actor. 4.12. Designat enim finem, nimirum salutem æternam, quæ in nullius potestate posita est. Sed à Redemptore

nostro

noſtro dependet in ſolidum, eiq́ue adeò ſoli tranſcribenda eſt. At Chriſti nomen vnctionem deſignat, nimirum receptionem ſiue collationem gratiarum, quas pater cœleſtis per Spiritum S. in filij ſui humanitatem effudit pleniſſimè, vt ex eâ plenitudine hauriamus gratiam pro gratiâ, Ioan.1.16. Quod enim recepit Chriſtus, eo fine recepit, vt nobis gratioſa communicatione largiretur; accepit dona, vt ea daret hominibus, Pſalm. 68.19. à Ieſu ergo nomen non accipimus, quia Ieſus actionem ſaluandi ſignificat, quàm abſit vt quiſquam noſtrum ſibi præſumat quouis obtentu tranſcribere; ſed à Chriſto nomen accipimus, quia Chriſtus vnctionis gratiam deſignat, qua fideles quoſcunque ſuos dignatur bonus Dominus, 2.Cor.1.21.22.

10. Videri tamen poſſit Paulus, ne illud quidem concedere, vt à Chriſto Chriſtianorum nobis appellationem adſciſcamus: nam qui Corinthios arguit, quòd alius ſe diceret eſſe Pauli, alius Cephæ, alius Chriſti, nonne tam improbat vt à Chriſto dicamur Chriſtiani, quàm vt à Paulo Pauliani, vel à Petro Petriani? ſed certa eſt reſponſio, non eò ſpectare cenſuram Apoſtolicam, vt abſtinere diſcat vnuſquiſque à Chriſtiani appellatione. Abſit verò. Nam cùm Agrippam Paulus audiret dicentem, propemodùm perſuades mihi vt fiam Chriſtianus: teſtificatus eſt illico, ſiquidem ita accideret, id ſibi fore longè gratiſſimum, Actor.26.28.29. Ad ſcopum ergo Pauli reſpice, & nihil erit quod te remoretur. Sua ſcilicet ſchiſmata & diſſidia Corinthiis exprobrat, qui tum in duas diuiderentur factiones in Religionis negotio. Alij in doctorum ſuorum admirationem ita rapiebantur, vt ab eis nomen partium aſciſcerent, Paulianos aut Petrianos aut alio ejuſmodi nomine ſeſe indigitantes. Alij contra ita ſe Chriſto adhæreſcere profitebantur, vt quoſlibet Chriſti miniſtros parui omnino penderent, & ſuas ſibi res habere juberent, quaſi eorum miniſterio & opera vel parùm vel eſſet nihil juuari poſſent. Vtrumque Paulo æqualiter ingratum & exoſum. Ergo prius quod attinet, id Paulus, ſignificat, nobis ab vno Chriſto dominationem eſſe ſumendam, quia ab vnius Chriſti, non à miniſtri cujuſquam autoritate in ſalutis negotio pendere debemus. *Rectè* Hieron.adv.Lucifer. ſicubi audieris eos qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quopiam alio nuncupari, puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes ſiue Campitas, ſcito, non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Quo nihil diſertius eſſe potuit adverſus infinitos illos Monachorum ordines, qui ſibi ab Auguſtino, Hieronymo, Benedicto, Franciſco, &c. religioſum nomen aſſumunt, & haud aliter ſunt cognominibus diſtincti, quàm ij de quibus Iuſtin.loquitur Dial.contra Tryphonem. Nihil diſertius adverſus Eccleſiæ Rom.aſſeclas, qui ſe Papiſtas & Pontificios dici non modò patiuntur, vt patet ex Bell.4. de Not. Eccl. c.4. verùm etiam gloriantur vt agnoſcit Bajolus in Pharo Veritatis, cap.vlt. Nihil diſertius adverſus Eccleſiarum illarum vſum quæ ſe Lutheranas dicunt & ab aliis dici volunt, quocunque demum prætextu vti ſoleant, quippe quem præcludat Apoſtoli argumentatio. Vt enim oſtendat à Petro ve Paulo vel alio quolibet nemi-

nem Christianum accipere appellationem debere, hæc subjungit, 1.Cor. 1.13. Num Christus diuisus est? Num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati estis? Argumentare jam cum Apostolo. Non est ab iis nomen sacrum & religiosum accipiendum, qui pro nobis non sunt crucifixi, & in quorum nomen non sumus baptizati: Atqui nec Basilius, nec Augustinus, nec Papa, nec Lutherus pro nobis crucifixi sunt, nec nos in eorum nomen baptizati. Igitur nullo prætextu, nulla de causa possumus aut debemus accipere ab eis nomen. Iam posterius reprehensionis Apostolicæ membrum quod spectat, cùm Paulus eos arguit qui se dicebant esse Christi, non eò facit quasi nobis non esset nomen assumendum à Christo: sed quòd qui Christiani sunt, non debent sanctæ illius appellationis obtentu eos insuper habere, quorum opera Deus vtitur ad Ecclesiæ suæ institutionem, quippe quorum ministerium nobis à Christo vel maximè commendatum fuerit, Luc.10.16. vt certè qui Christi est, Dei est, & qui Dei est, verbum Dei audit, Ioh.8.47. & qui verbum Dei audit, ministros Dei non rejicit, sed debita potiùs reuerentia prosequitur.

CAPVT II.

De excellentia Christiani nominis, & de nomine Catholici.

CHRISTIANVS non distinctionis modò, sed & excellentiæ nomen est, quemadmodum ex multis colligitur. 1. Quòd nomen illud non Iudæi, non fideles primulum ab idolis ad Christum conuersi, non Gentiles imposuerunt, sed ab institutione diuina descendit. Atque hoc quidem Veteres Eusebius, Cyrillus Ierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus & alij quæsierunt in Vet. Test. liberis, & huc illud soliti sunt accommodare, quod Esa.62.2. dicitur de impositione nominis noui, quod os Domini imposuerit: quam loci adaptationem quamuis arguendam non arbitror; quia tamen ibi certum est ad literam de Babylonica captiuitate sermonem esse, vt intelligat nouum nomen indendum esse Iudæis, quatenus status ipsorum renouandus, & conditio procurante Deo mutanda erat in melius: suppetit alius locus vnde id haud difficulter concludatur. Nam cùm Antiochiæ primùm (vbi tum agebant Paulus, Barnabas & multi Prophetæ ex Hierosolymis) Christianorum nomen inuenerit, vt liquet ex Actor.11.26. quis dixerit esse merè humanum, quod præsentibus & consentientibus viris illis θεοπρεπῶς factum esse constat? Itaque in Concilio quod dicuntur Apostoli Antiochiæ celebrasse, primus ille Canon fuit, vt credentes in Dominum Iesum Christiani deinceps dicerentur. Et cùm indubium sit à Christo dimanauisse discipulorum nomen, quo fideles priùs vocabantur, prout ipse se eorum διδάσκαλον & magistrum agnoscit, Ioan.13.13. & nomina quæ Christus imposuit

posuit & frequentauit nemini liceat nisi jubente ipso mutare, vel inde liquere potest hoc nominis non nisi Christo faciente & mandante fuisse vsurpatum. Quis porrò dubitet excellentissima & conuenientissima esse nomina quæ Deus ipse imposuit? 2. Quòd Apostolici viri & sancti Dei martyres non alio magis quàm Christianorum nomine gloriati sunt, quòd vbique tanquam insigne glorioſissimum prætulerunt. Itaque siue ad Iudicum tribunalia vocarentur, siue in vinculis & carceris pædore detinerentur, siue in caueam & arenam bestiis exponendis traherentur, siue ad cruces & patibula raperentur, illud identidem magno animo inter admiranda fiduciæ lætitiæque testimonia ingeminabant, se Christianos esse, vt appellationis hujus satis esset recordatio, ad expectorandum de ipsorum animis quemlibet suppliciorum metum & horrorem. 3. Quod Vetus Ecclesiâ tanti fecit hoc nomen, vt hæreticis & schismaticis, qui vel Euangelij doctrinam opinionibus suis corrumperent, vel Ecclesiæ concordiam & vnitatem tumultibus suis discerperent. Illud esse denegandum omnibus calculis confirmarent. Ita Tertullianus lib. de pudic. Christianum negat esse dicendum qui ab Ecclesiæ grege alterauerit. Ita Cyprian. epist. 56. Quisquis ille est, inquit, & qualiscunque est, Christianus non est qui in Christi Ecclesia non est. Nempe hæretici & schismatici, dealbati sunt tantùm nomine Christiano, vt ait August. lib. 1. cont. epist. Panu. cap. 7. & Christiani nominis præter externam superficiem nihil habent. 4. Quòd in ipso Ecclesiæ gremio, eos qui veram doctrinam profitentur, si peccatis indulgeant, & vitiis ac prophanitatibus habenas laxent, Christianorum titulo indignos testificantur antiqui. Qui nos Christianos esse dicimus, prodimus vim tanti nominis vitio prauitatis: omnino enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Quæ verba sunt Salviani, lib. 3. de Prouid. Itaque illud meminisse debemus quòd Theofridus Abbas scitè dixit, Christianam religionem vocabulum propterea habere à Christo, vt Christianos semper habeat in memoria, quo tantæ dignitatis custodiatur gloria, ne dissonum aliquid videatur in opere, ab eo quod lingua sonat in nomine. Denique Ecclesia Gallicana non putauit se Regem suum illustriori appellatione cohonestare posse, quàm si Christianissimum vocaret, quo titulo Galliæ Reges jam ab eo tempore insigniuntur, quo primùm Clodoueus M. abdicatis Paganismi superstitionibus & idolomaniis Christo nomen dedisse narratur.

2. Ex iis liquet non esse nomen augustius quo fidelis nuncupari valeat, adeoque Christiani nomine nobilius aliquid designari, quàm nomine Catholici, quo superbiunt hodie, qui alios Christianos vocari patiuntur, se solos Catholicos dici volunt, & ipsum Catholici nomen tanquam primam Ecclesiæ notam obtrudunt, Bellarm. lib. de Not. Eccl. cap. 4. & vtrumque sanè nomen in eos fatemur competere, qui Christi doctrinam amplectuntur, quæ primùm ab Apostolis prædicata, semper ab eorum temporibus in vera Ecclesia obtinuit. At vbi nominum institu-

enda comparatio, Christiani appellationem præcellere non dubitamus. 1. Christiani nomen diuinæ institutionis est; Catholici, homines habet autores: illud expressa habet Scripturæ testimonia, quibus istud carere certum est. 2. Christiani nomen ab ipsis est exorientis primulùm Ecclesiæ incunabulis Catholici, multò post increbuit: Itaque quanquam Pacianus vetus autor pro Catholici nomine diligenter pugnat epist. 1. concedit tamen id nominis Apostolico tempore nondum in Ecclesia fuisse auditum: Nec verò Symbolum Christianum, vbi Ecclesiæ Catholicæ appellatio continetur, ab eâ nos sententiâ dimouerit, quia sicut ex doctrina Apostolica depromptum fuisse non dubitamus ita Apostolorum tempore constitutum fuisse inficiamur. 3. Christiani nomen Religionem ex se significat, extra cujus professionem & fidem non est salus, Christi nempe doctrinam & cultum. Quid enim est esse Christianum, & ipsa vocis originatione, nisi Christum sequi, in Christi doctrinam se tradere, totum à Christo pendere & in ejus Redemptione acquiescere? Itaque 1. Petr. 4. 16. Ille pati dicitur vt Christianus, qui cùm sit & innoxius discipulus & imitator Christi, non alia de causa patitur, quàm quia Christum amat & colit & rebus omnibus præfert, & ab ejus Euangelio ne latum quidem vnguem discedere velit. At verò Catholici seu Vniuersalis nomen nihil ejusmodi ex se & ex etymi ratione insinuat, neque vllam habet de se rei diuinæ significationem: sed vocabulum est medium & variis rebus conueniens: Ita Quintilianus artis oratoriæ præcepta quædam Catholica dicit, & Philo, legem de successione hæreditatis in Israele, νόμον vocat καθολικὸν. Ita norunt Philologi, Præfectum Orientis prætorio, propter Iurisdictionis amplitudinem dictum fuisse Catholicum: & procuratorem Cæsaris, quòd totius Prouinciæ fiscalem procurationem haberet, eadem appellatione insignitum: adeoque Pagani non minùs fuerunt in erroribus suis Catholici, quàm sint veri Christiani in veræ doctrinæ professione Catholici. 4. Denique Christiani nomen aliquid significat, quod in Ecclesiam veram semper conueniat, quacunque conditione, loco, tempore agat. Itaque Ecclesia Christiana fuit ab ipsis primordiis: neque primùm Ecclesia fuit, vt posteà in Triuianam euaderet: sed simulatque incepit Ecclesia esse, incepit esse Christiana, cum Christiana sit quatenus Christum pro doctore, Sacerdote, Rege suo summè agnoscit & colit. Vt Christiani nomen ipsam Ecclesiæ naturam designet & essentiam. De appellatione Catholici quis idem dicat? Cur enim primùm Catholica dicta est? quia à solis ortu ad solis occasum omnibus locis fidei splendore diffunditur, vt ex Augustino notat Catech. Trident. pag. 1. cap. 10. nu. 16. ejusmodi porrò diffusio nulla fuit cùm Christus in mundo ageret, quia nondum Apostoli Euangelicæ prædicationis splendore terrarum orbem collustrauerant. Pertinebat tum ad paucos Iudæos Ecclesiæ nomen, quos scilicet Christus ad sui communionem spiritu & verbo suo vocauerat. Erat tum Ecclesia, & Christiana erat, sed Catholica nondum erat. Quod si aduersarios audiamus, cum extremis temporibus Antichristo rerum potiente futura sit

ita

ita grauis persecutio, vt cessare debeant omnes publicæ Christianæ religionis ceremoniæ & sacrificia, Bellarm. lib. 3. de Rom. pont. cap. 7. & Ecclesia quæ priùs latè patebat, sit in angustius contrahenda, Coster. Enchirid. tract. de Eccles. Erit quidem tum Ecclesia Christiana, sed Catholica non erit; cùm Catholicam definiant. Cætum hominum ejusdem fidei professione & eorundem sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè Rom. Pontificis.

3. Intereà haud grauatè fatemur eximiam esse Catholici appellationem, quæ in veterum scriptis frequentissimè occurrat, quæque adeò latè pateat, siquidem ad omnes eius indigitamenti rationes respicere voluerimus. Nam primitùs quidem ea fuit introducendi huius nominis causa, vt inter Iudaicam & Christianam Ecclesiam discrimen notaretur, quatenus illa finibus angustis comprehensa fuerat, cùm ista deberet Euangelij prædicatione in totum orbem pertingere, Psal. 2. 8. Apoc. 5. 9. vt Catholica scilicet diceretur propter vniuersalitatem locorum. Sed obseruatæ sunt postea aliæ appellationis huius rationes, quarum altera temporum, altera dogmatum vniuersalitatem respicit. Catholica ergo est, quatenus ad eam pertinere censendi sunt omnium sæculorum fideles ab Adamo ad consummationem vsque mundi. Catholica est propter vnitatem doctrinæ, quæ eadem semper insonuit & insonabit in vera Ecclesia. Nam eadem Mediatoris fides, quæ nos hodie saluos facit, etiam olim Israelitas saluauit, inquit August. lib. 2. de nupt. & concup. cap. 12. sicut eadem est Christi gratia qua & nos & illos dignatus est Deus, Actor. 15. 11. Quod quia fortasse nomine Catholici non satis significabatur, additum est in Niceno symbolo nomen Apostolici, credo vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, vt omnibus innotesceret, eam demum habendam esse Catholicam Ecclesiam, quæ doctrinam sequeretur & teneret ab Apostolis traditam: neque tam locorum spaciis, quàm doctrina cum Apostolis metiendam esse veritatem Ecclesiæ.

4. Hinc facile indicatur, quid sentiendum sit de aduersariorum doctrina, nomen Ecclesiæ Catholicæ inter veras Ecclesiæ notas computantium, apud Bellarm. lib. de not. Eccles. cap. 4. Etenim si non aliud pertendunt, quam eam esse veram Ecclesiam quæ Catholicam & Apostolicam doctrinam sincera professione tenet, frustra se fatigant in eo probando, quod nemo nostrum non facilè largiatur. Sin de solâ appellatione Catholici disputant, vt ipsum per se Catholici nomen velint haberi pro vera necessaria & inseparabili Ecclesiæ nota, neminem nostrum astipulatorem habituri sunt. Sanè sub initia nascentis Ecclesiæ nondum in hac causa vsurpabatur vel innotuerat id nominis; itaque non conuenit Ecclesiæ inseparabiliter, Et Ecclesia Iudaica erat olim vera Ecclesiâ, quæ tamen Catholicæ appellatione donari non poterat. Nec esse ponitur propria Ecclesiæ appellatio, quam nouimus ab hæreticis ferè omnibus fuisse vsurpatam. Omnes enim hæretici se Catholicos dici volunt, inquit August. lib. cont. Epist. fundam. cap. 4. Et suam esse Ecclesiam Catholicam

putant, ait Lactant. lib. 4. Instit. cap. 30. Ita Nouatiani Ecclesiæ Catholicæ veritatem sibi vindicabant. Cyprian. Epist. 73. Ita Arriani se Catholicos; Orthodoxos verò Homousianos & Athanasianos dicebant. Sixt. Senens. Bibl. lib. 4. Ita Donatistæ sibi Catholicorum nomen attribuebant, & libello cuidam ad Imperatorem aduersus Cæcilianum Orthodoxum misso, titulum præstruebant, libelli Ecclesiæ Catholicæ. Augustin. Epist. 48. Denique si ipsum per se nomen potest esse vera rei ab eo nuncupatæ nota, quid impedit quominus & Pharisæi pro veris Doctoribus, & Christi persecutores pro vera Ecclesia haberentur, quia scilicet se Abrahami filios esse jactabant, Ioan. 8. 31. & Mosis successores audiebant Matth. 23. 2. Illud potiùs consideremus, vt erant Apostolorum tempore qui se Iudæos dicerent, qui reapse, non aliud erant, quàm Synagoga Satanæ Apoc. 2. 9. Ita neque hodie tam spectandum, quinam dicant se vel ab aliis dicantur Catholici, quàm qui demum illud, nominis verâ sibi ratione transcribant. Non sunt ex natura nomina, sed ex institutione, neque ab interna rei essentia, sed ab externa imponentium voluntate trahunt originem: Itaque aut notæ rerum non sunt, aut si notæ dicantur, contingentes sunt, communes, separabiles, non propriæ, necessariæ, essentiales notæ.

5. Enimuerò, inquies, monent subinde Veteres, Ecclesiam veram ab hæreticorum conuenticulis ipso Catholicæ nomine fuisse distinctam: vt hæretici quidem ab hæreseos autoribus nomen acciperent, Catholicorum appellatio solis Orthodoxis relinquitur, juxta illud Paciani, Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. *Resp.* 1. Veterum illorum temporibus potuisse opponi Catholici nomen hæreticis cùm esset Orthodoxa Ecclesia Ciuitati similis supra montem positæ, nec vllo pacto dubia esset, sed nota omnibus, longè lateque per orbem diffusa, sub Imperatoribus florens, quorum dominatio ad quatuor orbis plagas diffundebatur, cùm hæretici contra & Schismatici in quibusdam angulis laterent, & pauci essent, & Ecclesiæ orthodoxæ splendore obtuerentur. At postquàm *Ecclesiæ distractio* facta est, & omnia illa cessarunt, quæ conseruandæ vnioni hactenus optimè seruierunt, & quòd ad communionem externam essent penitus separatæ, Ecclesia Romana, Græca, Syra, Ægyptia, Æthiopica, non sic ampliùs opponi potuit hæreticis nomen illud Catholicum, quippe quod vnionem designat, quæ tunc erat soluta exteriùs. Hoc jam notarunt antè viri præstantissimi. 2. Catholicæ appellationem cùm Veteres hæreticis opposuerunt, non illud agebant vt merum & siccum nomen jactarent, sed vnà cum nomine rem per illud significatam præcipuè intelligebant, communem scilicet in verâ Christi doctrina consensum, non aliunde quàm ex Scripturæ thesauris stabiliendum. 3. Catholici nomen non primo sed vltimo loco ponebant, vt ex August. patet l. cont. Epist. fundam. c. 4. postremo inquit, tenet me & ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen. Atque adeò neque nomen, neque externa alia, quæ ibidem Augustinus commemorat tanti faciebat, vt non subjungat sanctus pater, si Manichæi possint liquidò veritatem monstrare quam jactant, & promittant velle se hæc omnia abjicere & ad illos transire.

CAPVT III.

Dignitas Christianorum in Vnione cum Christo constituta est.

1. EXCELLENTIAM Christiani nominis non in solâ exteriori appellatione, quâ etiam hæretici, & Schismatici, & pessimi quique in externâ Ecclesiæ communione gloriari possunt, sed in ipsa re præsertim spectare debemus, quæ hac nuncupatione designatur. Non dicitur Christianus eâ solum ratione, quâ Platonicum aut Aristotelicum vocamus, qui Aristotelis placita vel Platonis sectatur, cum quibus tamen nullo necessitudinis, cognationis, affinitatis, fœderis vinculo sociatus est. Christianum facit non sola doctrinæ professio, sed fidei veritas, Spiritus S. gubernatio, & ipsa cum Christo vera & indissolubilis conjunctio. Vnde tria illa de Christianis dicuntur in Scriptura, esse illos Christi, esse in Christo, esse vnum cum Christo.

2. Primum enim Apostolus Christianorum σωτηρία describens 1.Cor. 3.22.23. testatur ipsorum esse omnia, ipsos Christi, Christum Dei. Vbi ordine progressus exponit, & quid à Deo consequantur fideles, & quare consequantur, & vnde illa sit consequendi ratio. Quæ tria paucis sed efficacibus verbis explicantur. Id igitur à Deo consequuntur, vt sint ipsorum omnia vsu puta & fruitione, quatenus in ipsorum vtilitatem & salutem nihil est quod non dirigatur, Rom.8.27. quod quia magni est ad nostram consolationem momenti, non dedignatus est Apostolus in speciali variarum rerum enumeratione demonstrare. Ipsorum est, 1. Paulus, Cephas, Apollo, & quotquot sunt Euangelicæ doctrinæ præcones, quippe qui siue ad fidelium ministerium à Deo instituti, 2.Cor.4.5.Eph.4. 11.12. 2. Mundus, tota putà Vniuersi Machina; scilicet per res istas exteriores omnes & mundanas iuuatur fidelis, non quod ad victum modò & vestitum & alia vitæ corporali inseruientia, Deuter.4. in 1.Tim.4.3.4. Verùm & quod ad cognitionem Dei, naturalem illam puta, quæ ex mundi contemplatione hauritur, Psal.19.2.3.4. Rom.1.19.20. Sapient.13.5. 3. Vita & mors. Vita nimirum à Deo concessa nobis est, vt eam modestè ac tranquillè ad gloriam Dei salutemque nostram ipsorum transigamus, Tit.2.2. Philip.2.12. Mors quoque ipsa nonne cedit in salutem; siue nostram cùm per eam à peccandi jugo liberemur Rom.6.7.& in æterna gaudia introducamur, 2.Cor.5.1.2.3.4. siue fidelium Christi Martyrum, qui & nos exemplo suo animant ad extrema quælibet pro Christo patienter & generosè ferendi, Hebr.13.7. & sua illa pro Euangelio constantia in Veritate Christianæ religionis & amplectenda & tuenda nos magis ac magis confirmant. 4. Præsentia & futura. Intellige tum ea quibus in hoc sæculo vti debemus, vt nusquam labamur aut impingamus: tum ea quibus in futuro sæculo ita fruemur, vt eâ fruitione nunquam excidamus.

Tum, inquam, præsentes gratiæ quas reapse à Deo possidemus, tum promissa bona, quæ & jam nostra sunt spei apprehensione, & olim nostra erunt comprehensione gloriæ. Quare verò illa omnia ita nostra sunt? Quia nos sumus Christi. Omnia, inquit, vestra sunt, vos autem Christi ut scilicet causam bonorum illorum omnium doceamur, non aliunde esse, quàm ex Vnione nostra cum Christo. Nam Christi cùm esse dicimur, non spectat illud simpliciter ad Creationis, Conseruationis, Redemptionis beneficium: Sed præsertim ad eam societatem pertinet, quà Christo insiti sumus & incorporati, vt ab eo vitam spiritualem hauriamus, & ab ejus regimine tum exteriùs pendeamus in tota ratione vitæ, tùm interiùs gubernemur per salutarem Spiritûs Christi ductum. Iam si altiùs conscendamus, & causam expendamus, propter quam illius Communionis cum Christo Gratia ad nos pertingit, neq; illam tacitam Paulus præterire voluit: Adjungit enim: Christum esse Dei; Dei verò, non modò quia filius est Patris per æternam generationem, sed etiam præcipuè quia destinatus & constitutus à Deo, ut mediator esset noui fœderis & administrator donorum cœlestium, & seruator Ecclesiæ.

3. Neque tantùm docet Scriptura nos esse Christi, sed adjungit etiam nos esse in Christo: quæ phrasis humanæ philosophiæ penitus ignota est, adeoque vnum est ex iis, de quibus ait Paulus, res Dei stultitiam esse Gentibus. 1.Cor.1.23. Nec dubito Socratem, Platonem, Aristotelem, & totum illum Veterum sapientum chorum ludibrio habituros fuisse si quis dixisset, vnam personam esse posse in aliâ. Mysterium ergo est soli Theologiæ Christianæ cognitum quæ in eo salutis nostræ veluti proram & puppim constitutam esse docet, quod sumus in Christo. Nam & Apostolus propterea fideles ab omni condemnatione liberos facit, quia sunt in Christo, Rom.8.1. Et in eo votorum suorum summam constituit, vt inueniatur in Christo, Philipp.3.9. Et producendorum Iusticiæ fructuum ratio in eo posita est, vt maneamus in Christo, Ioan.14.5. Neque aliud designatur alterâ illa phrasi, Christum esse in nobis & in nobis manere, atque in cordibus nostris habitare, Ioan.14.20. & 15.3.4.2.Cor.13.5.Ephes.3. 17. 1.Ioan.3.24.

4. Atque vt nihil dubij relinquatur docet Scriptura nos esse participes Christi, Heb.3.14. & communionem habere cum illo, 1.Ioan.1.3. Et denique vnum esse cum illo Iohan.17.11. vt ipsi sint vnum, sicut & nos: quâ comparatione ita utitur Christus, vt non sit ad omnimodam æqualitatem referenda, sed tantùm ad aliquam similitudinem pertineat, quæ inter vnionem Patris & filij, & vnionem fidelium & Christi intercedit: Quia enim Conjunctio mystica Christi cum fidelibus, viua & maximè expressa imago Vnionis illius, quæ est Patris cum filio, tum ratione naturæ, tum ratione consensus & voluntatis, ideò dixit Christus nos esse vnum secum, sicut ipse vnum est cum Patre. Cæterùm ex omnibus illis locis extinctus est haud dubiè articulus Symboli de Communione sanctorum. Vbi quemadmodum sanctorum nomine omnes veri Christiani veniunt, tum qui militantem Ecclesiam incolunt, tum qui ad Ecclesiæ triumphantis consortium

portum translati sunt; ita eam communionem intelligi par est quam habent illi omnes cum Christo: Sic nempe communionem gratiæ in cœlis aut communionem gloriæ. Quanquam vlteriùs extendendam articuli significationem non inficior. Habent enim fideles in hac vita degentes & colunt inter se mutuam quandam communionem ex illa priori dependentem, quatenus commercium quoddam inter se instituere possunt & exercere ratione ministerij, institutionis, exhortationis, correptionis, crucis & calamitatum, consolationis, & aliorum ejusmodi siue corporalium siue spiritualium subsidiorum, vel verbo & coràm, si præsentes sunt, vel nunciis aut literis, si sunt absentes & locorum intercapidine sejuncti. Etenim quæ à Deo acceperunt beneficia ea debent in commune alacriter conferre, & omnibus Christianis officiis sese mutuò fouere, Roman. 12. 13. Hebr. 13. 2. 1. Petr. 4. 9. & c. atque hæc etiam causa est cur alij aliorum preces & appellare possint & expectare debeant. Quia verò ejusmodi commercium & communionis ratio inter viuentes & defunctos exerceri non potest, cùm defuncti nullam ampliùs partem habeant in iis quæ fiunt sub cœlo, inde est, quòd mortuos appellare, & eorum auxilia precibus postulare viuentibus, nec licitum est, & inutile est.

CAPVT IV.

Vnionis illius veritas ab internâ fidelium experientia probatur.

HVIVS nostræ cum Christo vnionis justa explicatio inde pendet, vt tria capita consideremus, Vnionis nimirum Veritatem, Necessitatem, Modum: Modum autè cùm dico tum vnionis qualitatem siue conditionem, tum vniendi rationem intelligo; vt si tertium hoc caput in duo distribuere libeat, quatuor habituri simus hujus tractationis partes. Quanquam autem vnionis veritatem illa probant euidenter, quæ superiori capite ex Scriptura proposuimus, tanti tamen ponderis doctrina hæc est, vt latiorem à nobis explanationem postulare per se videatur. Duo sunt ergo, quæ omnem de vnionis hujus veritate dubitandi occasionem remouent & eliminant: Alterum in ipsa fidelium experientia consistit: Alterum in iis similitudinibus, quas ad mysterii hujus intelligentiam Dei Spiritus in Scripturis vsurpauit.

2. Ad experientiam cùm hic prouocamus non externam illam & carnalem intelligimus, quæ ex sensibus nascitur homini à naturâ concessis: Sed internam, spiritualem, & viuidam illam, quam efficit Spiritus S. in cordibus regeneratorum. Nimirum Spiritus S. nobis est datus, vt ea omnia norimus & sensu interiori percipiamus, quæ nobis est gratificatus Dominus, 1. Corinth. 2. 12. Inter ea verò non dubium est, quin primo

& eminentissimo loco reponendum sit istud nostræ cum Christo communionis beneficium: Et verò, inquit Apostolus, per hoc nouimus Iesum Christum habitare in nobis, nempe ex Spiritu quem dedit nobis, 1. Ioan. 3. 24. Itaque postquam Christus promisit discipulis suis Spiritum S. qui cum ipsis maneat & eos in omnem veritatem salutarem deducat, subjungit, Ioan. 14. 20. tum cognituros discipulos, quòd ipse sit in eis, & illi in ipso, quia scilicet habitantem in cordibus spiritum consequitur hauddubiè dulcissimus ille sensus & experientia, quæ certos facit fideles de illa sui cum Christo & Christi cum ipsis vnione intima.

3. Experientia illa quæ à Spiritu S. est tanquam à causa producente, ad fidem tamen etiam pertinere dicitur. Viuo enim per fidem Filij Dei, inquit Paulus, Galat. 2. 20. Nam cùm vnio illa fiat ad salutem hominis, consentaneum est vt homo ejus veritatem sentiat & præsentiam. Fides igitur illud est organum quo intercedente sensus ille recipitur in corde fidelis: adeoque dicitur sensus fidei, nonnihil differens à fidei actu. Actus fidei est motus ille directus quò fides rectà tendit in objectum, & illud cognoscit: sensus verò fidei est motus quo fides in sese redit & reflectitur, & quo sentit præsentiam & vim rei cognitæ, putà vnionem illam arcanam, & alia ejusmodi à Deo per Christum beneficia. Ejus rei eximiam habemus confirmationem in exemplo illo Apostoli. Viuo, non jam ego, sed Christus viuit in me: quod autē viuo, in carne viuo per fidem Filij Dei. Quid hoc est, quòd in vna eademque verborum complexione, & se viuere negat Apostolus, & se viuere confirmat? Audite Gregorium hac de re ita commentantem hom. 12. in Euang. Tunc nosmetipsos relinquimus & abnegamus, cùm mutamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatem vocamur. Pensemus, quomodo se Paulus abnegauerit, qui dicebat, viuo aut jam non ego. Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cæperat pius prædicator; si non ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat, & protinùs subdit; viuit verò in me Christus, ac si apertè dicat; Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo. Quod si diligentius in hæc Apostoli verba introspiciamus, reperiemus ab ipso vitam proponi quadruplicem, naturæ, peccati, Christi, fidei. De vita naturæ, scilicet mortali hac & fluxâ, quæ in exercitio & functione facultatum vitalium consistit, se viuere dicit in carne, eodem planè sensu, quo Philipp. 1. 22. testatur esse sibi propter Philippenses necessarium, vt permaneat in carne. Vitam verò peccati extinctam esse significat, cùm se jam viuere inficiatur, prout Scriptura docet, quicunque sunt in Christo mortuos esse peccato, & carnem crucifixisse cum suis concupiscentiis. Iam in illius extinctæ locum, aliam dicit longè optimam successisse, vitam, inquam, Christi, viuit in me Christus: quo significat se ita intimè & indiuisè in mysticam vnam cum Christo personam coaluisse, & ipsi esse [illegible] ejus virtute ac spiritu vegetatum; vt meritò dici possit Chri-

sit Christus in ipso viuere. Verùm quia illa Christi vnio, & ex vnione vita per fidem efficaciter percipitur, ideò se viuere subjungit per fidem Filij Dei, quatenus putà fides instrumentum est illam vnionem & efficiens organicè, & potenter ac viuidè percipiens.

4. Docetur illud ipsum etiam 2.Cor.13.5. Vbi operæpretium est obseruari verborum Apostolicorum ordinem: priùs enim hortatur nos Apostolus, vt exploremus an simus in fide; tum deinde vt probemus, sitne Christus in nobis. Hic sanè demonstrat 1. vnionem quam habemus cum Christo nobis posse cognitam & manifestam esse; imò qui eam nunquam percipimus, sed fluctuamus semper incerti. Num Christi sint facti participes, eos inter reprobos potius quàm inter verè fideles connumerandos esse Iudicas: nisi, inquit, reprobi estis. 2. Ejus vnionis sensum non aliter haberi posse, quàm per fidem: vt qui se fide præditum esse non dubitat, eadem ratione possit Christi in corde suo habitationem cognoscere, cùm Christus in conscientiis nostris habitet per fidem, Eph.3.17. & vnio Christi nobiscum sit cum verâ fide indissolubili nexu conjuncta.

V. Iam verò nequis obducat, quicunque norit fidem suam, eadem ratione certum fore de suâ vnione cum Christo: sed neminem esse, nisi siquem Deus singulari priuilegio donauerit, qui scire certo & cognoscere possit se veram fidem habere: Illud etiam adjungimus, esse veram fidem vnicuique fideli non per fallaces aliquas conjecturas, sed certis & indubiis argumentis cognitam. De hoc certè non dubitauit Augustinus, cujus hæc sunt lib.13. de Trin. cap.1. fidem suam videt vnusquisque in corde suo esse si credit, vel non esse si non credit. Non dubitauit Bonauentura, cum in 3.d.23. num.5. docet hominem cognoscere fidem suam, non modò scientia notitiæ, verùm etiam scientia discretionis, ita scilicet vt eam ab aliis omnibus donis discernere valeat. Non dubitauit Occam in 1. qu.1. prologi l.y. patet, inquit, quòd ipsa fides, quæ ad nullum sensum pertinet corporis, potest cognosci notitia, quæ sufficiens est ad judicandum an sit, vel non sit. Sed & firmis rationibus idem confici tur. 1. Apostolus ab vnoquoque fideli postulat, vt exploret an sit in fide, 2.Cor.13.5 notum est autem probationes & explorationes in eum finem institui, vt res manifesta fiat & extra omnem dubitationis aleam ponatur. Ergo aut ludit nos Apostolus aut ostendit posse esse fideli fidem suam cognitissimam. 2. Si nemo certus esse possit, se credere, nemo potest nisi titubanter dicere, credo in Deum Patrem, &c. Neque Apostolicum illud effari, scio cui credidi: neque in fine vitæ hac se consolatione fulcire, cursum consummauit, fidem seruauit. Et annon erat illis nota sua fides, quos audimus testantes, credidi, ideò locutus sum, Psalm.116. 10. 2.Cor.4.13. credo, Domine, succurre incredulitati meæ, Marc.9.24. Adauge nobis fidem, Luc.17.5. Credo filium Dei esse Iesum Christum, Act.8.37. 3. Quòd si fides sua nemini certo cognita est, quid est quod Christus & Apostoli ab hominibus ad se accedentibus petebant, an crederent, Matth.9.28. Actor.8.37. an enim de iis rebus interrogassent, de

quibus nouerant, nihil posse certi à quoquam responderi? 4. Denique si per eandem facultatem, quâ res cognoscimus, nouimus etiam nos cognoscere, quidni per eandem fidem, per quam homo credit, nôrit etiam se credere.

6. Neque est quod regeratur, esse posse hominem de actu fidei certum, sed de habitu fidei certum esse non posse: siquidem 1. cùm actus ducant nos in cognitionem habituum, qui fidei suæ actus potest cognoscere, eâ ratione poterit ad habitus cognitionem peruenire. 2. Explorare possumus, adeoque scire an simus in fide, 2.Cor.13.5. at esse in fide non est simpliciter actum fidei exercere, sed etiam fidem habere siue habitum fidei possidere. 3. Spiritus hominis nôsse potest quæ sunt in ipso, 1.Cor. 2.11. Quidni ergo cor fidelis nôsse poterit thesaurum fidei, quem in penetralibus suis continet. Objicies, multos esse qui putent se credere, cùm tamen reuerâ non credant. Quis igitur certus esse poterit se fidem veram habere: neque in eâ sententia falli? *Resp.* Et multi sunt, qui cùm dormiunt, se vigilare somniant; nec tamen inde sequitur eos qui vigilent non cognoscere certo an vigilent. Vana præsumptio veritatis absentis, non præjudicat certitudini veritatis præsentis. Qui veritatem fidei non possidet, ex inani veritatis præsumptione decipi potest: sed veritatem fidei qui habet, de illius possessione, nihil dubitat.

7. Perget aliquis in objiciendo, & propheticum illud reponet, fraudulentum esse cor hominis, ita vt nullus illud cognoscat, Ierem.17.9. R. 1. Ignotum est cor hominis omnibus prætet eum cujus est cor; Nam & ita Theodoretus hæc verba exposuit. 2. est ignotum & ipsi homini suum cor, sed non ita, vt non possit per diligens & serium examen explorari, alioqui frustra essent exhortationes ad illud officium suscipiendum Soph. 2.2. 2.Cor.13.5. Negare videtur Propheta cor probari posse, non quòd non possit omnino, sed quòd nonnisi difficulter possit. 3. Distingui oportet inter irregenitos & Regenitos: item, inter statum & cursum vitæ generalem, & actiones aliquas singulares. Irregenitorum corda sunt omnino fraudulenta, & perpetuâ hypocrisi turgescunt, adeoque satis cognosci non possunt, quanquam in singularibus quibusdam suis actionibus sunt aliquando fraudis expertia, quomodo testatur Deus, in causa Saræ integrum fuisse & doli expers cor Abimelechi, Gen.20.8. E contra Regenitorum corda in nonnullis actionibus fraudulenta esse possunt, quæ tamen, si statum & cursum vitæ generalem spectes, fraudem non occultant, atque adeò à Regenitis cognosci possunt. Dauid cùm statum vitæ suæ in meliùs per Dei gratiam restitutæ considerat, integritatis sibi suæ conscius est Psal.17.3. Huc respicit, quòd 1.Reg.11.5. dicitur Dauid fecisse quod rectum erat in oculis Iehouæ, excepto facto Vriæ, Vbi habes duo illa, dolum in actione particulari, & integritatem tamen oppositam fraudi & hypocrisi in cursu vitæ generali.

CAPVT

CAPVT V.

Veritas Vnionis iis similitudinibus declaratur, quas Scriptura desumit à rebus naturalibus, œconomicis, Arte factis.

1. SEQVANTVR Experientiam fidelium similitudines Scripturarum, in hac causa frequentiores, quam in alio quolibet mysterio; quia vt nihil est magis vel ad salutem necessarium vel ad consolationem momentosum; ita nihil reliqui facit ad summam diligentiam Scriptura Sacra, vt hujus arcani thesauros nobis aperiat. Desumuntur eæ similitudines vel ex rebus naturalibus, vel ex societate politica, vel ex iis quæ arte fiunt & industria humana. Ad naturam pertinent Comparationes Capitis & membrorum, Radicis & Ramorum, Rei nutritæ & rei nutrientis.

2. Vnio capitis & membrorum in corpore arctissima est. Ex ea fit quòd membra viuunt, mouentur, operantur, quia cum capite suo neruorum vinculis & Spirituum interuentu colligata sunt. Ea etiam ratio Christi & fidelium tum omnium tum singulorum, vt Christus tanquam caput, fideles tanquam membra proponantur: quia nulla nobis vita, sensus, motus, actus spiritualis, nisi per conjunctionem cum Christo, quod caput est in nos continuò & efficaciter per Spiritum influens, 2.Cor.6.15.& 12.27. Eph.1.22. & 4.15. & 5.30. Coloss.1.18. & 2.19. Sed hic notari par est diuersos loquendi modos. 1. Non modò dicit Scriptura nos esse membra Christi, verùm & corpora nostra esse membra Christi, 1.Cor. 6.15. Vbi corporis nomine vt tota persona intelligi potest, ita pars illa nominatim comprehenditur, quæ vnà cum anima totum hominem constituit. Est quidem ista communio tota spiritualis & mystica, adeoque in anima præcipuè locum habet: neque tamen ideò etiam ad corpus pertinere neganda est, quod veræ sanctitatis particeps esse potest, vt Deo consecretur ad perpetuæ obedientiæ sacrificium, & instrumentum Iustitiæ Deo sit, Rom.6.12.13. & 12.1. Vnde autem sanctitas nisi ex communione Christi, & ipsius in nobis habitantis Spiritu, cùm sine ipso nihil boni facere valeamus, Ioh.15.5. Cujus communionis effectus tum demum in corpore manifestè patebit, cùm resurget illud & incorruptionem induet atque Immortalitatem; sicut ex Christi in nobis habitantis Spiritu colligit Apostotus resurrectura in vitam æternam corpora nostra, Rom.8:11. 2. Non tantùm membra Christi, sed & Ecclesiæ membra dicimur, membra enim sumus corporis ejus i.e. Ecclesiæ, Eph.5.30. quatenus scilicet Ecclesia siue corporis Christi integra constitutio est ex omnibus piis, tanquam partibus ad illud totum componendum spectantibus, adeoque quatenus fideles singuli suo loco & ordine pro ratione fidei suæ & vocationis Christi, Ecclesiæ vsibus ad ejus ædificationem & adjumentum inseruiunt. 3. Dicuntur fideles alij aliorum membra, Rom.12.5. Ephes.4.25.

Non ratione dependentiæ, quasi aliud membrum corporis ab alio influxum traheret & sensum, cùm hoc ad capitis tantùm dignitatem pertineat, sed ministerij & connexionis ratione, quatenus scilicet omnia inter se cohærent & connexa sunt vinculo Spiritus Christi Ephes. 4.3.4. & quatenus sese mutuis auxiliis juuare tenentur ac fouere, & mutuam sibi præstare operam, sicut solent membra in vno corpore consociata. Breuiter fideles membra sunt Christi ratione influxûs & dependentiæ; membra sunt Ecclesiæ ratione constitutionis & totalitatis, membra sunt alij aliorum ratione connexionis & ministerij.

3. Similitudinem Radicis & Ramorum, Trunci & surculi, Vitis & palmitum Scriptura frequenter vsurpat. Ideò dicimur in Trunco radicati, Colos. 2.7. quia vt rami à radice sitecum, ita nos à Christo gratiam omnem salutarem haurimus: & vt arbor radicibus suis firmiter defixa nec ventorum nec tempestatum impetu decutitur; Ita fideles Christo per fidem conjuncti quati possunt, dejici non possunt, Psalm. 12.1.5. Et quomodo arbor secus decursum fluminis plantata viret & suo tempore copiosè fructificat: Haud secus vniti Christo fideles Iustitiæ fructibus & sanctitatis abundant, Psal. 1.3. & 92.13.14.15. Ideò Christus se vitem dicit, nos palmites qui ex illius virtute vim accipiamus & gratiam fructificandi, Ioan. 15.1.2.3.4. Sic Rom. 11.24. Gentes per Euangelij prædicationem ad Christum conuersæ, dicuntur ex naturali oleastro fuisse defractæ, id est reuocatæ ex idololatrarum ordine, nullo Dei verbo hactenus exultorum & omni vero gratiæ salutaris fructu carentium, vt præter naturalem suam propensionem in veram oleam insererentur, id est adducerentur ad salutarem Christi communionem, & ex ejus Spiritu viuerent & fœcundarentur ad opera Iusticiæ. Roman. 6.5. dicimur complantati fuisse similitudine mortis Christi, vt & similitudine resurrectionis ejus complantemur. Ita Christum proponit quasi truncum, nos quasi surculos in eum insitos, vt arcanam illam nostram cum Christo conjunctionem designet, per quam ita cum ipso coaluimus, vt ipse in nos virtutem suam transfundat & Spiritu suo nos vegetet. Excellenti metaphorâ. Nam vt surculus eandem habet vitæ & mortis conditionem cum arbore in quam insitus est, vt eâ moriente moriatur, eâ reuigescente reuigescat: Ita fit & nobis. Qui Christo moriente participes simus mortis ejus, quemadmodum in Baptismo denotatur per aspersionem siue immersionem in aquam: Christo resurgente, participes simus resurrectionis ipsius & ad nouam vitam reuocamur, sicut in Baptismo significatur per emersionem ex aquâ. Omnis planta post hyemis mortem, resurrectionem veris expectat (verba sunt Origenis) & Christo hyems fuit tempus passionis & mortis; nec autem tempus resurrectionis. Nos quoque Christo complantati in hyeme hujus sæculi, præsentis vitæ peccatis morimur, vt futuro resurrectionis vere inueniamur digni, fructus nouæ Iustitiæ ex Christi radice proferentes.

4. Adjungamus similitudinẽ ex cibo & potu corporeo desumpta quæ cùm per instrumenta in hunc finem à natura præparata nobis intimè con-

jungan-

jungantur, adeoque post varias mutationes in substantiam nostram transeant, ita vt inde viuamus & nutriamur, longè sunt aptissima isti communioni repręsentandæ. Nec verò est alia cui Christus pressiùs immoretur, Ioan.6, accepta ex panibus multiplicatis exponendi hujusce, mysterij occasione, docet & quomodo sit cibus, & qualis cibus. Quod ad prius, ℣.51. dicit panem esse carnem suam quam daturus sit pro mundi vita. Nec dubium quin de morte sua loquatur, quâ corpus & animam suam oblaturus erat Deo in cruce ad procurandam mundo salutem. Illud ergo significat carnem suam non esse cibum animis nostris salutarem, nisi quatenus crucifixa est. Vt triticum non est aptus nutriendis corporibus cibus, nisi postquam varias mutationes subjit & illum mola contriuit, manus pinsuit, clibanus coxit. Ita vt fieret caro Christi accommodatus pascendis animis cibus, oportuit per varias afflictiones consecrari, & ipsam tãdem mortem crucis ignominiosam subire. Quid quòd sanguinem suum potum esse dicit sanguinem autem vt fiat potus, effundi necessarium est, adeoq; mori Christum, si ejus sanguine probari debeamus. Vt jam pateat quare Christus non personam suam, non diuinitatem, sed nominatim carnem & sanguinem proponat in cibum & potum: nimirum quia Christus non nisi quà oblatus & mortuus nobis est cibus & potus. Diuinitas autem non est oblata, sed caro per diuinitatem. Obtulit enim seipsum Deo per Spiritum æternum, id est obtulit humanitatem per diuinitatem, Heb.9.14.

5. Explicat deinde Christus qualis sit cibus. Nempe non qualis cibus erat manna quem qui ederunt mortui sunt, ℣.32. & 49. Sed panis vitæ qui è cœlo descendit, vt qui eo vescitur non moriatur, ℣.48.51. Et manna quidem vocatur frumentum cœlorum, panis angelorum, Psal.78.34.35. quia nempe non hominum industria vel operatione naturæ productus fuit, sed vi Dei supernaturali creatus: quodque non in terra creseeret sed ex aëre siue cœlo descenderet: panis tamen cœlestis fuisse, negatur; quia non animabus alendis destinatus, quæ nonnisi esca cœlesti & diuina cibari possunt, sed nutriendis tantùm corporibus à Deo paratus extra ordinem fuit, sed ita vt ea in vitam perpetuam sustentare non posset, cùm qui eo pane vsi sunt, non minùs morti tributum soluerint, quàm qui aliis cibis vti solent. Quæ intelligenda sunt de manna dici, prout spectatur in substantia suâ, cum eo respectu cibus tantùm esset corporalis & ad vitám tantùm mortalem nutriendam paratus; non autem prout consideratur in significatione sua, siue quatenus Sacramentum erat ad Christum respiciens; Hoc enim sensu non dubitat Apostolus eum cibum spiritualem dicere, 1.Cor.10.3. At Christus panem se dicit esse 1. verum. 2. de cœlo. 3. viuum siue panem vitæ. Verùm cùm dicit non est quòd aliquid de Christo nobis fingamus, quasi corporeo terrenoque pane & cibo. Verus panis est, quia in Christo illud verè inuenitur, quod in corporeo pane significatur. Vt panis verè nutrit corpus in vitam mortalem; ita Christus carnis & sanguinis sui communione verè nutrit animas in vitam spiritualem. Verus ergo non respectu naturæ, quasi sit ejusdem substantiæ cum pane corporeo; sed ratione efficaciæ propter vim illam cœlestem in pascen-

dis & sustentandis animabus. Eadem ratione carnem suam dicit verè cibum, & sanguinem suum verè potum: Imò eo veriùs quòd cibus & potus corporeus ad breue spacium vitam conseruat: Christi caro & sanguis in sempiternam vitam nos alit. 2. Panis est de cœlo siue cœlestis. Quid autem illud est quod de cœlo dicitur esse; primò, quod ex Dei non hominum institutione promanat. Ioannis Baptisma de cœlo fuit, id. diuinitùs institutum, Luc.20.4. Et Christus constitutus est à Deo nostræ salutis autor Actor.2.36.1.Cor.1.30. Deinde de cœlo est quod ipsa sui origine non terrenum est, sed diuinum. Et Christi humanitas, cujus respectu panis dicitur, non humana operatione, sed diuinâ Spiritûs obumbratione creata est, Luc.1.35. Denique de cœlo illud esse dicitur, quod spirituale est, & spiritui nostro beando destinatum, quomodo dicitur vocatio cælestis, Hebr.3.1. & donum cœleste, Hebr.6.4 & cœlestia dicuntur spiritualia beneficia Christi antiquis figuris adumbrata, Hebr.8.5. Christus autem panis est spiritualis, non alendæ carni, sed saginando spiritui præparatus, & sub lege veteri variis cibis & sactificiis figuratus. 3. Est panis viuus, siue panis vitæ: non propriè quatenus subsistit in se & viuit in æternum, quà Filius Dei habens vitam in seipso, Ioann.5.36. sed propter effectum, quia scilicet ab eo vitam spiritualem haurimus. Et panis quidem vitam quam habemus conseruat; sed quam non habemus non præstat. Christus autem & vitâ nos donat, quam anteà non habuimus, & semel donatam potenter conseruat, vnde etiam vitæ princeps dicitur. Viuus ergo i.e. viuificus, prout ipse exponit, sese dicens panem esse vitæ, qui vitam dat mundo. Dat, inquam, & meritoriè, quia eam nobis morte sua promeruit: & efficienter, quia ad vitam cœlestem nos regenerat Spiritu suo, & materialiter, quia caro eius & sanguis illud est. Vnde spiritualiter pascimur & vegetamur: habent enim respectu animarum nostrarum rationem cibi nutrientis, non per supplementum, quomodo alimenta corporea assumuntur, ad id supplendum & reparandum, quod exhaustum est per digestionem: sed per viuificationem siue internæ virtutis subministrationem continuam, quâ animus noster sustinetur & corroboratur in spem æternæ beatitudinis.

6. Assumit & Scriptura similitudinem ex rebus œconomicis, ex fœdere nimirum conjugali, seu vinculo matrimonij, quo vir & vxor ita inter se conjunguntur, vt mors vna eum nexum dissoluat, Roman.7.2. Quamuis enim longissimis locorum spaciis alter absit ab altero, manet tamen & perseuerat arctissima illa conjunctio, quam fecit mutuus conjugatorum consensus, & institutionis diuinæ ratio, jubentis, vt qui duo erant, fiant vna caro, Genes.2.24. Ephes.5.31. Hinc est, quòd Christus vt sponsus Ecclesiæ describitur, & Ecclesia vt Christi sponsa, Os.2.19. 2.Corint.11.2. &c. Imo vt quantum sit in hac comparatione momentum vnicuique clariùs appareret, voluit Deus integrum hac de re in Scripturis volumen extare librum, nempe Cantici Canticor. Hac ergo similitudine Communionis cum Christo nostræ tum veritas declaratur, cum firmitas. Illa, quia quanquam humana Christi natura cœlum possidet, nos in terris

agimus,

agimus, arctissimè tamen nobis personatus manet, fœderis illius spiritualis virtute qua nobiscum conjungi dignatus est, vt nobiscum in æternum maneret, neque nos vnquam viduos aut orphanos relinqueret. Matth.28.20.Ioan.14.18.Ista verò,quia nihil est quod à Christo disiungere nos valeat,postquam nos suâ communione dignatus est, Os.2.19. Ac ne ipsa quidem mors, quæ tantùm abest, vt hoc connubij spiritualis vinculum abrumpat,sicut fit in conjugiis corporalibus,vt illud è contra fortiùs astringat; vnde votum illud Apostoli, dissolui & abire ex hac vita cupientis, vt esset cum Christo, id est, intimiùs ipsi jungeretur, Philipp. 1.23.

7. Ex artificialibus duæ sumuntur comparationes. Altera ex ædificiis humanis,vbi architectorum peritia varios lapides, lateres & ligna dissecta priùs dispersaque,cœmento & commissuris ad stabilitatem aptis ita conuertit & componit, & fundamenti soliditati superstruit, vt exurgat inde domus integra,Domini sui grata tutaque habitatio,pluuiis imperuia, à ventis & procellis secura, in plures annos compaginum firmitate perseuerans.Ergo Ecclesia & qui eam componunt fideles,domus Dei dicuntur,Psalm.27.4. 1.Tim.3.15.Hebr.3.2.3.56. 1.Petr.3.15.& Domini templum,1.Cor.3.16.17.& 6.19. 2.Cor.6.16. & tabernaculum Dei; Eph.2.21. Apoc.13.6. Nec dubium est alludi nominatim ad tabernaculum Iudaicum,& templum Hierosolymitanum, quod passim in Scriptura Dei domus nomine designatur, quia in eo fuit oblatus excellentissimus Ecclesiæ typus,per Christum suo tempore colligendæ & ædificandæ. Hæc ergo spiritualis domus, fundamento nobilis & ædificio. Fundamentum Christus est vnicum, firmissimum, ipsum ab ædificio nequaquam pendens,sed à quo totum pendet, continetur, sustentatur & conseruatur ædificium.Fideles autem habent istar lapidum viuorum, 1.Petr.3.15. in sese quidem rudium & impositorum, huc & illuc dissectorum. Adeoque in sese mortuorum: sed huic fundamento semel impositi,ab ejus firmitate vitam,spiritum & virtutem accipiunt, vt à Deo congruenter aptati, coagmentati, & in vnum collecti, & per varias afflictionum tunsiones & pressuras, sancti Spiritus efficaci virtute parati & expositi, crescant in templum sanctum Domino,Eph.2.21. illi domui similis,quæ petræ inædificata nec ventorum impetus,nec aquarum affluxum timet,Matth.7. 25. atque ita in ipsa tanquam in electo suo domicilio Deus in æternum habitet, Zachar.2.10. 2.Cor.6.16. Eph.2.2.

8. Alteram similitudinem Scriptura petit à Vestibus, quarum nouimus vsum esse multiplicem. Aduersus aëris injurias corpus tegunt; nuditatem celant, ornatum addunt, calorem excitant & fouent:& iis vestiti homines solent pro ratione vocationis ad laborem & opera progredi. Hinc variæ in Scripturis metaphoræ. Aliquando enim induendi vocabulo designatur exercitium & occupatio circa rem aliquam: Ita induit Iustitiam,qui in ea sese exercet & occupat, Iob.29.14. Psal.132.9. Et contra induit vestem violentiæ, qui in rapinis & injustitia totus est, Psal.73.6. Aliquando decus & ornamentum eâ phrasi significatur. Deus

gloriam & fortitudinem induit, cum gloriæ virtutisque suæ decorem manifestum facit, Psalm. 93.1. & 104.1. Corruptibile hoc nostrum incorruptionem induet & immortalitatem, id est, mutatâ conditione & qualitatibus in beatam & gloriosam incorruptionem transibit, 1. Cor. 15.53. Aliquando singularis & arctissimæ appropriationis siue applicationis vim habet. Dicuntur impij maledictione induendi & confusione, id est, obruendi penitus & opprimendi, vt confusio & maledictio nunquam ab eis discedat, Psalm. 109.18.19. Contra, spiritu dicuntur induti homines, in quibus ad aliquid extraordinariè & efficaciter operandum diuina virtus sese conspicuam exhibet, 1. Chron. 12.18. 2. Chron. 24.20. Iudic. 6.34. Cùm ergo fideles dicuntur Christo induti, Rom. 13.14. Gal. 3.27. significatur arctissima & intima Christi cum ipsis vnio: vt Christus instar vestis spiritualis & preciosissimæ habeat, quæ animis nostris vndiquaque circumponitur, vt & ab injurijs spiritualium aduersariorum muniamur; & horrenda nostra nuditas, adeoque defectus inuiti tegantur; & calor cœlestis, id est, deuotio erga Deum & res diuinas in cordibus nostris excitetur & foueatur: & ita decoremus atque ornemur, vt coram patre cœlesti sancti & ἄμωμοι comparere valeamus; & hac veste denique probè ornati ad obseruationem diuinæ voluntatis progrediamur. Vnde & qui qualitatibus illis nouis & spiritualibus, justitia, inquam, & verâ sanctitate in vnione Christi donati sunt, dicuntur induisse nouum hominem, Eph. 4.24. Colos. 3.10.

CAPVT VI.

Vnionis cum Christo necessitas demonstratur.

VERITATEM Communionis exposuimus. De Necessitate nunc dicendum. Ea vel respectu Christi spectari potest, sese nobis communicantis, vel respectu nostri quos Christus ea communione dignatur. Ad Christum si respicimus, nulla eum necessitas ad eam communionem compulit, quasi scilicet aliquis beatitudinis gradus ad ipsius personam inde posset accedere. Nostrum bonum ad ipsum minimè pertingit, Psal. 16.2. Nec potuit ille aliquid de manu nostra accipere, cùm ipsius sit terra & plenitudo ejus, Iob. 35.7. Psalm. 50.12. Æterna Dei sapientia sibi sufficientissima est, nil opis externæ cupiens, nil indiga nostri. Tota igitur illa necessitas nos spectat: Et quemadmodum agnoscebat Ioannes esse sibi necessarium vt baptizaretur à Christo, non vt ab ipso Christus baptismum acciperet, Matth. 3.15. Ita Christo nihil opus est vt commune aliquid nobiscum habeat, sed nobis omnino necessarium est, vt ad illius communionem adducamur.

2. Pendet illa necessitas ex duobus capitibus, scilicet ex ratione miseriæ in quâ naturaliter jacemus siue malorum quibus obruimur, & ex ratione salutis siue bonorum quibus destituimur. In miseriâ nostra statum

tum considero & actum. Ac miseriæ quidem status in eo consistit, quòd homo à Deo alienatus est, vnde consequetur æterna perditio, Psalm. 73. 27. Atqui in eo miseriæ statu necessariò detinentur quicunque cum Christo communionem non habent. Cujus rei illustrem confirmationem subministrat Apostolus, cùm hominum miseriam variis capitibus exponens, illud primum omnium proponit, quòd sint sine Christo, Ephes. 2. 12. Quia sicut Christus est diuinarum promissionum scopus, 2. Corinth. 1. 20. & totius salutis ac salutaris boni fundamentum, Actor. 4. 12. Ita in eo, quòd homo est sine Christo, siue à Christi participatione exclusus, meritò constituitur status ille miseriæ, quem per partes explicat Apostolus, Ephes. 2. 12. Nam 1. Qui sunt extra Christum, alieni sunt ἀπὸ τῆς πολιτείας, à rep. Israelis, id est, separati à corpore Ecclesiæ, quæ antè reuelatum Christum apud solos Israëlitas consistebat, & cui soli beneficia salutaria Deus ita communicat, vt extra eam nulli cuiquam salus esse possit. 2. Extranei sunt à fœderibus promissionis, id est, ab illo gratiæ fœdere exclusi, quo Deus promittit se nobis Deum fore, & omnia præstiturum quæ ad rationem beatitudinis pertinent. Et est quidem fœdus illud substantia vnum, promissiones autem Euangelicæ quæ ipso continentur multiplices: *sed fœdera* tamen Apostolus numero multitudinis enunciat, & promissionem singulari numero dicit. Nempe promissionem dicit, quia quanquam illæ si singulatim spectentur sint variæ, facilè tamen omnes ad vnam illam reuocantur, quæ est salutis in Christo & per Christum promissio, Ioan. 3. 16. fœdera verò dicit διαθηκῶν, vt & Rom. 9. 4. non quòd plura sint essentialiter gratiæ fœdera, sed primò, quia illud vnum fœdus cum Abrahamo semel initum, sæpius deinde repetitum & confirmatum Isaaco, Iacobo, Dauidi, &c. Deinde quia plurium in se bonorum complexionem continet, quomodo scilicet Hebræi beatitudinem numero pluratiuo designant, vt significent esse statum bonorum plurimorum cumulo constantem: Denique quia rei vnius & singularis excellentia per numerum pluralem in scientia non rarò designatur, vt cùm filius Dei vocatur sapientia, Prouerb. 1. 20. & 9. 1. & *gratia Dei, misericordia*, & veritas ejus in præstandis promissis, Iustitiæ, Dan. 9. 9. 16. Ergo & ita fœdera dicit Paulus, vt fœderis gratuiti præstantiam designet, quippe quòd tantùm & tam certum est, quàm si pluribus fœderibus & juramentis Deus se nobis obstrinxisset. 3. Spem non habent. Quæ enim posset illis inesse spes, qui ab eo fœdere sunt exclusi, quo salutaris cujuscunque boni & promissio continetur & ratio? ab omni certè Reconciliationis, Iustificationis, glorificationis spe depositi sunt, neque possunt rebus terrenis vnicè affixi, cœlestia illa bona, quibus se spes Christiana pascit atque sustentat, vel expectare vel expetere. Imò cum saluifica fide careant, eadem ratione spem ignorant, quæ ita individua est fidei comes, vt sæpe nomina inter se commutent, & vna in alterius definitione locum sibi deposcat, Hebr. 11. 1. 1. Petr. 3. 15. 4. Sunt ἄθεοι, expertes Dei, nulla Dei cognitione, nullo amore præditi. Etsi enim extra Christum aliquis insit naturaliter hominum cordibus & sen-

sus & cultus diuinitatis, Rom.1.19.adeoque pauci *omnino* fuerint inter Ethnicos qui Deum vel esse; vel colendum esse negauerint: meritò tamen ἄθεοι dicuntur qui veritatem illam in injustitia detinent, & ita flagitiosè viuunt,ac si nullum omnino Deum agnoscerent; vel cultum vni Deo debitum transferunt ad idola, quæ quòd ad virtutem & efficaciam nihil sunt, & in quibus nihil aliud inest quàm figmentum & fallacia, 1.Corinth.8.4. Hæc Paulina est humanæ miseriæ, quod ad statum descriptio. Ex eo vero statu non possunt non consequi actus congeneres. Vt enim solis absentiam necessariò consequitur frigus, horror, & caligo densissima: sic & alienationi à Deo comes est omne genus malorum,& vitiorum, squalor, & peccatorum infamis pullicies,quæ id ò etiam vocantur opera tenebrarum infructuosa, Ephes.5.11. quia fiunt per remotionem à Deo, vera illa & æterna veri luminis scaturigine.

3. Ex eo miseriæ statu & actu emergendi & eluctandi, nulla ratio, nulla via est, nisi in communione cum Christo, quod Apostolus eodem cap. à ℣.13. Vsque ad finem explicat. Illud enim primo generaliter ponit ℣.13. eos qui procul erant appropinquare tantùm per Christum. Tum id deinde sigillatim declarat. Nempe quot modis homines procul sunt, *tot modis appropinquant per Christum.* Atqui 1. Procul sunt à Deo, non quidem loco, sed statu; neque absentia, sed conditione, ad quam Propheta respiciens, dicit salutem esse longè à peccatoribus, Psal.119.55. quod illo etiam designatum voluit publicanus, cùm templum ingrediens eminùs staret, Luc.18.13. Propinquant ergo per Christum, quatenus Christus in Dei gratiam eos restituit, & pax ipsorum fuit, id est pacem eis & reconciliationem cum Deo per sanguinem crucis promeruit,ita vt per ipsum liberum habeant accessum ad Patrem, Ephes.2.18. vt accedentes ad Thronum Gratiæ misericordiam obtineant in tempore opportuno, Hebr.4.16. 2. Procul sunt à repub. Israelis, nullam cum vera Ecclesia spiritalem communionem colentes. Ergo propinqui fiunt per Christum,qui vt est Dominus Ecclesiæ; ita eos in Ecclesiam suam introducit, & facit vera ejus membra per Spiritum suum, vt nullo jam Iudæorum aut Gentium discrimine,vtrique fiant vnum,Eph.2.14. & diuersi populi in vnius ouilis rationem sub vno pastore Christi coalescant, Ioan.10.16. 3. Procul sunt à fœdere promissionum, adeòque à bonis hoc fœdere comprehensis. At per Christum propinqui fiunt, quatenus euadunt in συμπολίτας sanctorum ita vt eorum πολίτευμα sit in cœlis, Ephes.2.19. Vt tamquam cœlestis patriæ municipes se gerant, Philipp.3.20. adeoque ciuitatis illius & Hierusalem cœlestis Iura & προτίμια possideant: Illi enim municipes dicuntur,qui in ciuitatem recepti munerum & honorum participes fiunt. 4. Procul sunt à spe fruendæ Dei gratiæ. At per Christum ita propinqui fiunt, vt habeantur & numerentur inter domesticos Dei, Eph.2.19. Iam si quis suorum domesticorum curam non habet,infideli deterior est, 1.Tim.5.8. Quomodo fieri possit vt fidelissimus Dominus & optimus paterfamilias Deus domesticorum suorum spem & expectationem fallat, in eum vnicè respicientium, Psal.123.1.2. 5. Denique procul

procul sunt quippe Dei expertes & ab omni salutari Dei vel cognitione vel cultu remotissimi. At nunc propinqui fiunt per Christum, qui non modo salutiferam ipsis Dei cognitionem impertitur, sed & ad ipsum ita trahit, vt Deus in medio ipsorum commoretur,& ipsi sint templum sanctum Domino & habitatio Dei per Spiritum,Eph.2.21.22.

4. Hinc facilis transitus ad alterum caput ex quo pendet communionis hujus necessitas,nempe rationem salutis. Sicut enim à miseria liberari nisi per Christum non possumus ; sic ad salutem nisi per Christum perueníre non valemus. Quod Scriptura tum κατ' ἀφαιρ & negatiuè;tum κθ' θεσιν & positiuè declarat. Et negatiuè quidem bifariam. Nam. 1. sine Christo nos aliquid boni vel aggredi vel perficere posse negat.Sine me, χωρὶς ἐμοῦ nihil potestis facere, inquit ipse, Ioan.15.5. χωρὶς ἐμοῦ, id. seorsim & separatim à me. Nempe, nequis diceret, nobis quidem ἀδύνατον esse circa bonum occupari sine Christo, id est sine adjumento Christi: Sed fieri posse tamen vt bonum à nobis producatur, etiamsi Christo intimè non simus vniti : quomodo scilicet planta germinare non potest sine sole id est sine solis efficacia, neque tamen opus vt cùm ipso sole reuerâ conjungatur: Ideò non dicit Christus simpliciter nos nihil posse κἀθ' ἑαυτὸ absque ipso sit: Sed χωρὶς ἐμοῦ, inquit nihil potestis, id est à me separati atque disiuncti. Itaque antequam aliquid boni à nobis fiat, necesse est ante omnia nos Christi communione dignari. Tum ne quis putet in rebus salutis esse quædam saltem leuioris momenti,quæ à nostra facultate dependeant,nihil,inquit,potestis facere,nempe ne alicujus quidem bonæ cogitationis capaces sumus ex nobis, sed omnis nostra sufficentia ex Deo est 2.Cor.3.5. Nequis item autumet, esse quidem operis perfectionem à Christo, sed ejus initia saltem & rudimenta quædam esse in arbitrio nostro constituta, nihil inquit, potestis non modò perficere sed ne facere quidem. Facere siquidem respicit operis non gradus tantùm & progressus & complementum, sed etiam ipsa initia & prima tentamenta. Neq; tantùm Scriptura docet à nobis nihil veri & spiritualis boni extra Christi communionem produci posse, sed ne tantillum quidem vitæ spiritualis nobis ineſse posse.Nisi enim manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis, Ioan.6.53. Etenim occupatio circa bonum spirituale, cùm sit actio vitalis, procedere debet ab aliqua vita seu principio spiritualis vitæ. Atqui extra Christi communionem nulla esse potest vita spiritualis, Ioan.6.53. Ergo extra Christi communionem , nulla edi potest operatio salutaris & spiritualis. 2. Negat nos aliunde quàm à Christo & per Christum consequi posse salutem nostram, vt non tantùm nostra facultas excludatur , sed & causarum & mediorum & instrumentorum omnium citra & extra Christum doceatur nullam esse posse vim,rationem aut efficaciam.Non est enim in alio quoquam salus, nec aliud nomen datum, in quo nos saluos esse oporteat,Act. 4.12. Non satis est semel dixisse , non esse salutem in alio ; idem repetit statim aliis verbis, vt hac geminatione nos doceat, quàm altè debeat hujus veritatis certitudo animis nostris infigi. Notemus verò locutionem.

Nam vt cùm Deum dicimus esse salutem nostram, significamus quicquid est in nobis salutis, à Deo efficienter produci. Ita cùm dicitur salus non esse in alio, quàm in Christo, denotatur salutis meritum & acquisitionem à Christo vnicè pendere. Vnde subjungitur, non esse aliud nomen sub cœlo, id est nullam aliam rem, personam, virtutem, meritum, autoritatem quæ nos saluet atque ita quicquid est illius effectus, vt à Patre quod ad destinationem, vt à Spiritu, quod ad applicationem, ita à Christo, mediatore pendere quod ad acquisitionem.

5. Deinde illud idem explicat Scriptura positiuè, quoties docet ex Christi communione omnia in nos bona procedere, Philipp.4.12. omnia possum in Christo qui me corroborat. Quanquam enim Apostolus de iis specialiter loquitur, quæ ad ipsius tanquam Apostoli munus & vocationem pertinent, quòd nimirum à Christo virtutem accipiat, quâ possit inter medios persecutionum æstus, impositi sibi muneris partibus generosè defungi; generaliter tamen referri potest ad rationem bonorum omnium spiritualium quippe quæ obtinemus virtute ac Spiritu Christi nos communicatione sua dignantis, Coloss.2.10. Dicimur esse repleti in Christo, quia scilicet ex virtute & efficacia communionis illius est, quòd omnium ejus donorum atque charismatum pro mensurâ donationis Christi sumus participes. Pro mensurâ, inquam, donationis Christi: Illud enim πεπληρωμένοι, repleti, non significat, postquam homo est adductus ad communionem Christi, esse statim vltimam manum impositam, vt ad perfectionem omnem deuentum fuerit, quæ ex Christo sperari potest: sed actûs potiùs continuitatem designat, quo Dei Spiritus in nobis implendis assiduè operatur, dum tandem ad pleniſſimum Gratiarum cumulum peruenerimus. Ita Ioan.6.54. qui edit carnem Christi, id est verâ ejus communione fruitur, dicitur habere vitam æternam, vt significetur communionem Christi esse quasi fontem & scaturiginem, vnde fluat æterna vita, siue eam consideres quà inchoatum in hoc mundo per donum Gratiæ, siue spectes quà perfectum in cœlis per participationem gloriæ. Denique huc pertinet quòd Christus secundus Adam dicitur, 1.Cor.15.45. Quia sicut omnia quibus in hoc sæculo subjicimur mala, peccatum, miseriæ, morbi, dolores, adeoque mors temporalis & æterna ab vno fonte procedunt, ab illa videlicet conjunctione quâ cum primo Adamo sociati sumus, Roman.5.12. Ita quicquid possidemus veri boni: Iustitiæ & sanctitatis dona, pax, gaudium, vita denique spiritualis & æterna ab vna eademque proficiscuntur origine, illa scilicet mystica & spirituali communione, quam cum Christo posteriore Adamo habemus: vt norimus in eo totam rationem nostræ felicitatis constituendam, quòd ab Adamo veteri, in nouum Adamum transplantati, & in Christum sumus spiritualiter insiti.

CAPVT

CAPVT VII.

De nostræ cum Christo communionis modo, ac primum de Qualitatibus illius.

1. TERTIVM caput est de Vnionis istius modo, quo vocabulo, tum Qualitates & conditionem illius intelligimus, tum Vniendi rationem designamus. Qualitates hæ sunt, quòd Vtilis, quòd firma, quòd jucunda est. Sed quia de vtilitate dicere nihil opus est, postquam de ejus necessitate diximus, cùm quod necessarium est, negari non possit esse vtile; duas illas conditiones consideramus firmitatem & jucunditatem.

2. Firmitas Vnionis consideranda tum respectu totius Ecclesiæ, tum ratione singulorum fidelium. Vnionem Christi cum Ecclesia firmissimam, constantissimam, indissolubilem multa demonstrant. 1. Christus incarnatus est propter electos redimendos & ad sui communionem vocandos, Matth.18.11. 1.Ioan.4.9. Sicut & in Incarnatione Filius Dei humanam naturam non ad breue tempus assumpsit, sed vt in ea perpetuò habitet: ita Ecclesiam assumpsisse putandus est & sibi vniisse in æternum, vt Ecclesia scilicet capitis sui gloriam contempletur, & cum ipso in æternum possideat, Ioan.17.24. 2. Verbi ministerium institutum est ad colligendam Ecclesiam, Eph.4.11.12. & vniendam Christo, 1.Ioan.1.3. Eodem etiam pertinet institutio Sacramentorum. Sacra Cœna dicitur communio corporis & sanguinis Christi, 1.Cor.10.16. quia symbolum est & organum sacrum illius communionis. At Euangelij prædicatio & administratio Sacramentorum ad finem vsque sæculi perduratura est, Matth.28.20. 1.Cor.11.26. Ergo & vnio illa perdurabit, qui præcipuus finis est instituti verbi & sacramenti. 3. Dei Gratia & communio cum Christo indissolubiliter inter se connexa sunt, vnde Gratia Dei vocatur dilectio in Christo, Roman.8.39. Vt igitur Dei gratia nunquam recessura est ab Ecclesia, Esa.54.10. ita communio Christi & Ecclesiæ futura est perpetua. 4. Huc pertinet illustre testimonium, Os.2.19.20. Vbi Deus spondet se desponsaturum Ecclesiam: Sed quâ conditione? Non modò in justitia & judicio, id est, maximâ sinceritate atque rectitudine, adeò vt in illa Dei conjunctione, nihil sit fallax aut simulatum; nec modò in benignitate & miseratione, id est merâ & planè gratuita beneuolentia, ita vt fœderis illius tota ratio non ex meritis & dignitate hominum pendeat, sed solo Dei beneplacito & διαθήκῃ nitatur: verùm etiam in veritate siue fide, id est stabiliter ac firmiter, adeoque in æternum, vt illius communionis nullus sit vnquam futurus finis aut durationis terminus.

3. Cæterùm quæ rationes docent vnionem Christi cum Ecclesia firmam esse atque constantem, eædem docent constantem etiam esse cum

vnoquoque fideli. At enim, inquies, multa sunt quæ de tota Ecclesia dicuntur, nec tamen singulis fidelibus attribui possunt. *Resp.* Eorum quæ de Ecclesia dicuntur non vnam esse rationem. Sunt enim quæ de Ecclesia dicuntur sub ratione totius, siue qua totum est ex variis partibus constans. Quæ verbo ejusmodi sunt, nemo tam sit absurdus, qui existimet de singulis fidelibus dici posse : quia quod ex toto dicitur, quà totum est, non pertinet ad singulas partes seorsim consideratas. Sic Ecclesia dicitur societas fidelium, Ierusalem cœlestis, corpus Christi ex variis membris compositum, quod nemo de singulis Christianis dixerit. Sunt etiam alia quæ de Ecclesia dicuntur, ratione status illius externi quem habet in hoc sæculo, vt cùm dicitur extendi vsque ad fines mundi, & durare ab initio sæculi ad finem. Neque ista spectant ad quemlibet fidelem, vt per se patet. Sed sunt alia quæ pertinent ad statum internum siue formam & rationem essentialem Ecclesiæ, vt quod euocatur ex conditione naturæ ad conditionem Gratiæ, quod fide donatur, & fide stat, & fide percipit remissionem peccatorum, &c. Hæc verò ita pertinent ad totam Ecclesiam, vt etiam in singulis fidelibus veritatem suam obtineant. Cùm ergo vnio cum Christo vel maximè pertineat ad statum illum formalem & internum Ecclesiæ, non est dubium quin eadem ratione ad singulos fideles pertineat. Itaque testatur Christus se omnibus suis singulis vitam æternam daturum, nec vllum esse, qui ipsas de manu sua rapiat, Ioan. 10. 28. & eos qui sunt ipsi à Patre dati, ita custoditurum vt nemo ex eis pereat, Ioan. 17. 12. & nihil possit ipsos à Dei dilectione separare, Rom. 8. 35. Neque relicturum ipsos orphanos, Ioan. 14. 18. sed mansurum in ipsis, i.e. in medio cordis ipsorum habitaturum, Ioan. 6. 56. & habitationem in eis stabiliturum in æternum, Ioh. 14. 23. & 8. 35. Psalm. 112. 9. 1. Pet. 1. 23.

4. Vt firmitatem, ita jucunditatem maximam sibi adjunctam habet ista Communio. Nam si fraterna & spiritualis piorum inter se concordia jucunditatis nomine commendatur, Psalm. 133. 1. quanto magis lucundam putabimus communionem cum Christo, in quâ & propter quam communio sanctorum inter se expetenda est? adde istas considerationes. 1. Veræ felicitatis proprietas est esse jucundam, & integram partibus omnibus voluptatem afferre. Picol. Philos. Mor. Grad. 9. cap. 48. Est autem vera felicitas in Christi communione posita, cùm bonum nostrum in eo sit, vt Deo adhæreamus, Psalm. 73. 28. Et verò vt felicitas omnium præcipuarum actionum finis est; ita Christi communio scopus est ad quem tota collimat Euangelij prædicatio, 1. Ioan. 1. 3. 2. Non potest non esse jucundissimum illud, in quo reperitur id esse quòd expeti potest & in quo semel comparato animus cumulatissimè acquiescit. Atqui talis est vera cum Christo communio, in quo est vera omnis boni plenitudo, vt inde largiter hauriamus, Ioan. 1. 16. Itaque cum quæreret Christus ab Apostolis, vtrum à se discedere vellent, respondeat ipsi, Domine, quonam abiremus, cùm tu solus habeas verba æternæ vitæ? id est, cùm penes te repositum sit, quicquid expetere possumus, vt nobis bene sit, Ioan. 6. 68. 3. Iucundum est, quod naturæ consentaneum est, eamque

eamque auget, fouet, roborat & firmat. Atqui communio Christi similitudine cibi declaratur in Scriptura nutrientis, fouentis, corroborantis animas nostras in spem æternæ vitæ. 4. Exurgit etiam iucunditas & voluptas ex dignitate atque præstantia rei possessæ. Ita enim animus noster ex rerum sublimiorum cognitione miram voluptatem capit, quam propterea Plato lib. 9. de Rep. dicit esse voluptatem Physicam, vilissimam, suauissimam omnium & hominis maximè propriam. Quid autem præstantius esse potest, quàm cum eo communionem habere, cui par est nihil, & nihil secundum: qui quicquid est in mundo præstantissimum infinitis parasangis antecedit, quippe æternus Dei Filius, omnis gratiæ, præstantiæ, gloriæ fons & principium. Denique res jucunda est propter copiam & excellentiam effectuum quos profert. Ex communione autem Christi infinita & eximia procedunt beneficia, Ephes. 1. 3. ac nominatim pax illa Iustificationis fructus, Roman. 5. 1. quam testatur Apostolus superare omnem intellectum, Philipp. 4. 7. quia qui ejus particeps est, neque eam quanta esset agnoscere potuit, antequam possideret, neque vbi jam possidet ejus vim & efficaciam satis explicare potest.

CAPVT VIII.

Variæ vnionum species. Vnionem cum Christo, non esse Naturalem, sed Relatiuam.

SVperest, vt de vniendi ratione dicamus, & admirandæ hujus vnionis modum explicemus quàm fieri poterit accuratissimè, illud interea certum habentes, non humanam modò, sed ne Angelicam quidem intelligentiæ sublimitatem tantæ rei perfectæ comprehensioni parem esse. Cùm autem plurimæ sint Vnionis species, videndum erit quænam ab hoc mysterio excluduntur, quæ ad illud pertineant, vt ita constituamus istius vnionis modum.

2. Vnionem in genere dictam quam definiunt, plurium rerum conjunctionem, diuidere possumus in singularem & Communem. Singularem voco cujus vnicum extat exemplum. Talis est vnio inter sanctæ Trinitatis personas, vbi tres personæ propter vnitatem naturæ sunt vnus idemque Deus. Talis vnio quâ tres Naturæ, Diuinum Verbum, Anima, caro constituunt personam Christi Θεάνθρωπε, Mediatoris nomen. Porrò nemo est qui sibi vnquam finxerit, talem esse Vnionem Christi cum fidelibus qualis est vnio vel personarum in natura diuina, vel naturarum in persona Christi.

3. Vnio Communis variè diuiditur: Est enim alia Realis & φυσικὴ: alia Rationalis & ἠθικὴ: alia artificialis & τεχνικὴ. Primum genus in varias item species distinguitur. Nam ad vnionem naturalem siue realem pertinent. 1. Vnio elementorum inter se contemperatorum ad constitu-

tionem corporum naturalium. 2. Vnio materiæ & formæ ad constitutionem compositi. Hanc formalem vocant. 3. Vnio animæ & corporis humani ad efficiendum personam hominis, quam ideò personalem dicunt. 4. Vnio specifica, quam vocant Vnionem ab vno, quamque illa dicuntur habere, quæ sunt ejusdem speciei & naturæ, quomodo indiuidua ejusdem speciei dicuntur vnum esse inter se, propterea quod ejusdem naturæ specificæ sunt participia. Ad hanc refertur quam vocant ab vno communicato, qualis est eorum quæ non modò eandem naturam communem habent, sed communem habent eo ordine, vt vnum alteri eam communicet. Ita omnes homines vnionem habent cum Adamo, quatenus ab eo duxerunt originem, fecit enim Deus genus humanum ex vno sanguine, Actor. 17 26. Ita Filius vnitur cum Patre à quo per corporalem generationem habet humanam naturam. 5. Vnio cibi cum re nutrita, quæ fit per cibi ingressum penetrationem & immeationem atque conuersionem in naturam nutriti. 6. Vnio substantiæ cùm suis accidentibus, vt corporis cum quantitate sua. 7. Vnio accidentium inter se, vt cum in melle sociantur dulcedo & flauedo. Vtramque hanc accidentalem nominant: quanquam latius est vocabulum, quàm vt ita restringi debeat, cùm aliæ fermè omnes vniones, quas explicatum imus, accidentalium nomine venire possint.

4. Ad secundum genus, Vnionem videlicet Relatiuam, quam rationalem, respectiuam, & secundùm habitudinem nuncupant, variæ species referuntur. 1. Vnio per dependentiam, quomodo Creatura vnitur cum Creatore suo, quoniam ab eo dependet in essendo, conseruando, operando. 2. Vnio per assistentiam, qualis est vnio angeli cum assumpto corpore, vnio gubernatoris cum naue. 3. Vnio per prouidentiam siue generalem, qua Deus dignatur omnes omnino creaturas: siue specialem, quæ erga aliquos sese singulariter exerit, vt cum Spiritu suo Bezaleelem dirigit & gubernat in omni opere tabernaculi, Exod. 31. 3. 4. Vnio per gratiam, qualis est vnio Dei cum sanctis quos dirigit tum in aliis, tum in iis nominatim quæ ad salutem & regnum Dei pertinent. 5. Vnio per localem continentiam, quomodo corpus & sanguis vniuntur, quia sanguis est & continetur in corpore tanquam in vase. 6. Vnio per consensum & affectum, quomodo amici vniuntur inter se: etiam primi Christiani dicuntur fuisse vnum cor & vna anima, Actor. 4. 32. 7. Vnio apprehensionis & contactus, vt cùm duæ personæ sese inuicem apprehendunt & firmiter tenent. 8. Vnio carnalis siue socialis, qualis est inter virum & vxorem, qui propterea dicuntur esse vna caro, Eph. 5. 31. 9. Vnio politica, qualis est inter ciues vnius reip. & incolas vnius regni, qui quamuis reapse inter se disiuncti locis, ex institutione tamen inter se deuinciuntur & colliguntur certo ordine & positarum legum vinculo atque glutine, vt ex multis fuit vnum politicum, putà familia, schola, ciuitas, exercitus. 10. Vnio secundùm effectionem, vt cùm aliquid efficaciter agit in aliud, quomodo Sol vnitur creaturis hisce inferioribus, quatenus eas mouet, lumine, & influentia sua vegetat. 11. Denique vnio secundùm re-

dùm repræsentationem siue significationem, quam dicunt Vnionem per speciem siue objectiuam, qualis intercedit inter facultatem & objectum circa quod facultas occupatur: Ita cum quis de re aliqua cogitat eamque voluit animo, dicitur intellectus ejus vniri cum re intellecta, quatenus ejus imaginem seu speciem habet intellectui actu obuersantem. Huc spectat Vnio Symbolica, quam Theologi considerant in Sacramentis, vnde & vnionem sacramentalem appellant: quomodo in Sacramento Baptismi aqua abluens & sanguis Christi sanctificans vniuntur, non vnione locali sed Sacramentali, quatenus in vsu legitimo aqua exterior designat & obsignat remissionem peccatorum & regenerationem in sanguine Christi. Sic in Sacramento Eucharistiæ panis & vinum vniuntur cum carne & sanguine Christi, non localiter sed sacramentaliter, quatenus panis & vinum signa sunt in vsu legitimo significata, obsignantia & exhibentia carnem & sanguinem Christi.

V. Tertium genus constituit vnio artificialis, quum scilicet res diuersæ arte aliqua inter se vniuntur; talis est vnio per appositionem siue congregationem; vt cum multa grana tritici colliguntur: Vnio per commixtionem siue σύκρασιν, vt cum ex aqua & melle ὑδρόμελι siue mulsum: vnio per confusionem, vt cùm ex cinnamomo, zinzibere & pipere contusis, fit aroma, quod est aliquid ex iis exurgens: Vnio per applicationem, vt cùm asser asseri applicatur, ita vt proximè sese contingant.

6. Ex variis istis Vnionum speciebus facile est judicare esse varias præsentiæ species, quas hic enumerare nihil est necesse. Ad omnem enim Vnionem consequitur aliqua præsentia ejusdem rationis, siue existentia aliqua rei cum re. Hic tantùm noto quatuor præcipuè modis aliquid præsens dici: 1. per substantiam, quomodo Sol præsens est in cœlis. Et anima præsens omnibus partibus corporis. 2. Per operationem quomodo Sol præsens est terris efficacitate sua, quam in terris exerit. 3. Per apprehensionem seu objectiuè; quomodo Sol præsens est oculis per speciem suam non per substantiam. 4. Per repræsentationem, quomodo Sol mihi præsens & per imaginem quæ ipsum mihi repræsentat.

7. Ex tot vnionis speciebus, videndum quænam ab hoc mysterio excludantur, quænam ad illud justa ratione referri valeant. Ex tribus illis sanè generibus comparationis desumi jam diximus ad explicandam Christi cum fidelibus Vnionem. Sed non sunt illæ ita vrgendæ, vt ideò existimetur vnio Christi ad illas omnes species pertinere: imò potiùs colligendum, rebus illis corporeis designari res mysticas, adeoque ab illis longè diuersissimas. Certè vnionem artificialem quod attinet nemo fuerit tam ab omni ratione depositus, qui vnionem Christi & fidelium putet ad genus istud esse referendam. Nimirum res arte factas oportet esse in artificum potestate: at mysterij tanti effectio non in alicujus creaturæ arbitrio aut facultate posita est, sed in vnius Dei operatione constituta: Et nihil est arte factum, quod non vel hominum opera destrui, vel temporis diuturnitate possit aboleri: cùm vnio hæc nec vim hominum nec temporis edacitatem pertimescat. Neque verò cum fidelis,

Christo vnitur, vel persona personæ apponitur aut applicatur, vel personæ inter se confunduntur aut commiscentur: sed manet fidelis quod erat antea naturaliter, & mysticè fit quod non erat: neque per illam vnionem fit aliqua tertia persona quæ, neque Christus sit neque fidelis. Ergo nullomodo est artificialis illa vnio.

8. De Vnione Naturali non est idem simpliciter dicendum. Nam neque Patres nonnulli dicere dubitarunt, Christum nobis naturaliter vniri, & ex illis quas proposuimus, naturalis vnionis speciebus, nonnullæ sunt sine dubio quæ huc pertinent. Nam vnionem ea dicunt habere naturalem, quæ communem habent naturam cui participent. Ergo cum Christus eandem quam nos humanam naturam habeat, & verè sit homo, dum ageret in terris nobis per omnia similis excepto peccato, quis dubitat esse nobiscum vnum naturaliter? adeoque hoc quidem significatu vnionem habere, non modò cum fidelibus, sed cum toto hominum genere, fuit enim particeps carnis & sanguinis, sicut pueri, Hebr. 2. 14. Imò si naturalem vnionem eam dicimus, quâ vniuntur cum originali suo principio, qui habent ab eo & duxerunt originem, putà homines omnes cum Adamo: haud absurdè dicemus, non esse quod hanc vnionem abdicemus ab isto mysterio, cùm nouimus Christum esse caput & originem regenerationis, & secundum Adamum à quo principium habeamus naturæ nostræ sanctificatæ atque Regenitæ.

9. Enimuerò vt quid sit liquidò in hac causa probè norimus, obseruandum est vnionem naturalem tribus modis dici causaliter, formaliter, subjectiuè. Illa dicuntur vnionem habere naturalem causaliter, quæ per vim & viam siue ordinem naturæ vniuntur. Hoc sensu, absit vt vnionem hanc naturalem esse existimemus. Nam 1. Neque naturæ, neque vllius creaturæ viribus, sed vnius Dei potentiæ & efficacitati hanc vnionem Scriptura transcribit, cùm docet Deum esse qui pro fidelitate suâ nos vocat ad communionem Christi, 1. Cor. 1. 9. 2. Cùm neque caro neque sanguis id est, nihil aut natura aut creatura profectum, possit in istius mysterij cognitionem nos perducere, Matth. 16. 17. multò minus potest illud operari atque producere. 3. Quæ sunt ordinis inferioris, non possunt per vim & efficaciam suam propriam ac naturalem attingere illa quæ sunt in ordine superiore collocata: Vnde illud omnibus in confesso est, non posse corpus agere in rem spiritualem, quia corpus inferioris est ordinis, quàm Spiritus. Atqui natura, sicut & ars, pertinet ad ordinem Inferiorem: Communio autem Christi sicut & alia Gratiæ mysteria ad ordinem superiorem: quò fit vt Scriptura hæc mysteria vocet τὰ ἄνω, quæ supra sunt id est, quæ ordinem omnem naturalem transcendunt, Coloss. 3. 1. 2. Itaque natura nihil quicquam potest in vnione illa concilianda. 4. Quod nos eleuat supra statum & conditionem naturæ, inter opera naturæ reponi non debet, cùm res vnaquæque certos habeat limites, quos vocant Sphæram actiuitatis, intra quos continetur, & extra quos actionem aut vires suas porrigere non potest. Atqui per vnionem Christi supra modulum & conditionem naturæ eleuamur & in

conditione

conditione Gratiæ conſtituunt. Ergo non magis in naturæ, quàm in artis manu poſita eſt ratio iſtius vnionis.

10. Deinde naturalem vnionem formaliter habere dicimus, ea quæ formam habent & modum vnionum naturalium. Talem non eſſe vnionem hanc facilè patebit eunti per illas quas propoſuimus vnionis naturalis ſpecies. Vniuntur Elementa ad mixti conſtitutionem, vt ex iis contemperatis exoriatur aliquid certum ab Elementis diuerſum. At ſubſtantia Chriſti & noſtra, non vniuntur, vt ex illis mixtis & contemperatis exurgat aliquid tertium diuerſum à Chriſto & fidelibus. Vniuntur materia & forma, ſubſtantiæ incompletæ, ad conſtituendam compoſiti naturam. At quis vnquam ſomniauit Chriſti & fidelium ſubſtantias eſſe entia quædam incompleta & imperfecta quæ in vnum ſocientur & coaleſcant ad producendam ſubſtantiam aliquam perfectam atque completam, imò quæ non ſit ante fidem ſæculi complenda, cùm vſque ad illud tempus Deus euocet electos ex mundo aſſiduè, ad beatam illam communionem? Vnitur cibus cum corpore noſtro & in naturam noſtram tranſit atque transfunditur, ita vt minutiſſimæ partes partibus agglutinentur. At neque Chriſtus transformatur & abit in naturam propriam corporum aut animarum noſtrarum; neque animæ & corpora noſtra conuertuntur aut tranſmutantur realiter in ipſam Chriſti ſubſtantiam. Vniuntur corpus & anima ad perſonam hominis conſtituendam. Nihil quicquam ejus generis hic imaginandum. Neque enim Chriſtus & fideles concreſcunt in vnam perſonam, id eſt in aliquid numericè & indiuiduè vnum: alioqui cum humana Chriſti natura vnam faciat cum diuinitate perſonam, ſequeretur fideles vnam efficere perſonam cum diuinitate verbi, quia quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe.

11. Tertiò dici poteſt vnio naturalis ratione ſubjecti, quæ nempe contingit in re aliquâ naturali: Itaque cum hæc vnio accidat hominibus, qui ſubſtantiæ ſunt naturales, eâ ratione dici naturalem poſſe non inficiamur. Et verò apud Patres, ac nominatim apud Hilarium, hæ phraſes non infrequenter occurrunt, Chriſtum eſſe naturaliter in nobis, & in nobis naturaliter manere, & naturalem eſſe illius vnionem nobiſcum. Quare verò ita loquuntur; 1. Quia naturale opponunt, non ſupernaturali & ſpirituali, ſed ficto & imaginario. Ita vt naturalem vnionem vocent, eodem ſenſu quo nos veram & realem dicimus: vt Chriſtum naturaliter nobiſcum vniri, non ſit aliud, quàm vniri per veram non imaginariam vnionem. 2. Quia vnionem naturalem vocant, ratione terminorum vnitorum, ſiue objectorum quæ inter ſe conjunguntur, quia natura ſiue ſubſtantia Chriſti & noſtra vniuntur: non autem ratione modi vnionis, quaſi naturali quadam ratione vnirentur.

12. Sed vnionem relatiuam quod attinet, eam præcipuè conſiderandam in iſto negocio arbitramur, cùm pleraque illius vnionis genera ad hoc myſterium accommodari poſſint. Hæc igitur vnio dici poteſt 1. Vnio per dependentiam, quatenus per Chriſtum ejuſque virtute cuſtodimur & conſeruamur in vitam æternam, Ioan. 17. 12. 1. Pet. 1. 5. 2. Vnio

per assistentiam & Gratiam & prouidentiam, quatenus Spiritu suo Christus nos dirigit & gubernat, prout etiam pollicitus est se nobiscum fore vsque ad consummationem sæculi, Matth. 28.20. neque nos vnquam derelicturum orphanos, Ioan. 14.18. 3. Vnio secundùm effectionem non enim ociosè in nobis habitat, sed Spiritu suo efficaciter operatur vt & velimus & efficiamus Philipp. 2.13. 4. Vnio per apphrehensionem, sed internam & spiritualem, quatenus eum amplectimur, apprehendimus & firmiter tenemus fide, sicut Angelum Iacobus, Cen. 32.26. vt ab eo justiciam, benedictionem & vitam consequamur. 5. Vnio secundùm repræsentationem, quatenus fidelium mens & intelligentia occupatur assiduè circa dulcissimam contemplationem Redemptoris sui, Psal. 16.8. quæ scientia est quam solam quærunt & in qua sola gloriantur, 1. Cor. 2.2. 6. Vnio secundùm consensum & affectum, quatenus Christus vt nos diligit vnicè ita viuidum & efficacem sui amorem cordibus nostris ingignit, & pellicit vt curramus post eum Cantic. 1.4. funiculis humanitatis id est dulcissimis sed efficacissimis nos trahens, Os. 11.4.

CAPVT IX.

Vnionem cum Christo non esse corporalem.

1. ALTERA est vnionis distinctio in corporalem & spiritualem; vt corporalis dicatur, non quæ corporum est, sed quæ corporea quadam ratione perficitur: spiritualis, non quæ inter spirituales naturas sociatur, sed quæ spirituali modo ea ratione peragitur. Atque hinc controuersiarum quæ Christianum orbem agitant, maxima ferè & obstinatissima. Quanquam enim esse aliquam spiritualem & internam cum Christo communionem diffiteri non sustinent aduersarij: tamen corporalem prætereà inuexerimus, quæ fiat in vsu & perceptione sacramenti Eucharistiæ. Nos nullam omnino corporalem admittimus: Solam spiritualem agnoscendam pertendimus. Itaque erunt hic nobis duo confirmanda, alterum, nullam esse corporalem fidelium cum Christo vnionem; alterum, fideles solùm spiritualiter vniri Christo.

2. Quam habemus cum Christo veram & realem communionem, eam neutiquam esse corporalem, crassam; oralem, carnalem, ex variis cõsiderationibus liquere euidenter potest: Nos hic tribus contenti erimus. 1. Illud euidenter conficimus ex variis illis & diuersis similitudinibus, quibus vt jam vidimus, hujus communionis mysterium in Scripturis explicatur. Certè sunt illæ ita diuersi generis, vt si considerari eas corporaliter oporteat, nulla possint inter se ratione componi. Quis enim dixerit, viri & Vxoris consociationem ejusdem esse rationis cum conjunctione vitis & palmitum aut vnionem cibi cum partibus nutritis ejusdem esse generis cum vnione vestium & partium corporis vestiti; aut capitis & membrorum conjunctionem ejusdem esse speciei cum compaginatâ fundamenti domus-

domusque structura; Cùm igitur tam diuersi Generis vniones ad vnam eandemque Christi nobiscum vnionem repræsentandam in Scripturis vsurpentur, nemo non inde facile concludet, quod illis similitudinibus figuratur, non aliquid esse corporeum & carnale, sed mysticum & spirituale. Neque fugit hæc colligendi ratio Chrysostomum, qui cum obseruasset Ecclesiam diuersissimis in Scriptura appellationibus indigitari, vt Virgo sponsa, serua, Regina, mons, hortus dicatur, hac de re ita locutus est in Psal. 44. Hæc quæso, ne corporalia esse existimes; corporalia enim talia haudquaquam esse possunt. Nec mons sponsa est, nec sponsa Virgo, nec serua, Regina. Et Ecclesia tamen est hæc omnia. Quare verò? Quia hæc non secundùm corpus, sed secũdùm animum dicuntur, id est non corporaliter, sed spiritualiter intelligi debent. Si benè collegit Chrysostomus in causa similitudinum quibus explicatur Ecclesiæ ratio & natura; nihil obstare potest, quominus & nos in negocio nostræ cum Christo communionis concludamus. Nec vitis sponsus, nec fundamentum cibus, nec caput vestis esse potest. Et tamen hæc omnia Christus dicitur, quia hæc non corporali, sed spirituali ratione accipienda sunt.

3. Etenim quia singulæ illæ similitudines & figuræ perfectiones omnes spirituales repræsentare nequeunt, quæ in hac Christi vnione continentur, ideò necessarium fuit similitudines diuersas vsurpare, vt quod singulis figurari non potest, ex omnibus simul sumptis euidentiùs innotescat. Quod in depingendâ eximia imaginis pulchritudine fecisse legitur Apelles, vt quod in Virginis vnius vultu & habitu inuenire non poterat, quæreret ex pluribus. Christus v.g. fundamentum dicitur, quia nos fulcit & sustentat aduersus tentationum impetus & quasi procellas. Sed Christus etiam nos viuificat, quæ nulla potest esse fundamenti proprietas aut virtus. Itaque ad hoc significandum aliam similitudinem assumi oportuit, putà vitis aut trunci vnde vitalis succus in palmitem & surculum transfunditur, Atqui Christus non tantùm nos viuificat, verùm etiam motum & sensum & ductum spiritualem præstat, quod palmitibus suis præstare vitis non potest. Ergo alia comparatio vsurpanda fuit vnde id colligeretur, nempe capitis, quod mouet, & ducit & regit reliquas corporis partes. Neque verò Christus nos tantùm spiritualiter mouet & regit, verùm & defectus nostros suâ Iusticia tegit & operit, quâ virtute caput non pollet. Hic iterum alia similitudine opus fuit, vestis putâ & indumenti, quod turpitudinem & defectus corporis obtegere solet. Necdum satis similitudinum. Nulla enim ex præcedentibus declarare sufficit, cuinam rei innitatur illud communionis Christi nobiscum beneficium. Ergo accersi oportuit in subsidium conjugij figuram, vt pateret Christum nobis vniri ex ratione fœderis illius arctissimi, quod nobiscum inire dignatus est. Denique cùm nulla sit ex jam dictis vnionibus, quæ temporis παρεδρομὴ lapsu non pereat tandem & dissoluatur: Nam & ædificia subuertuntur, & vites eradicantur, & caput à membris, & vestis à corpore, & vir ab vxore tandem separatur, cùm è contra communio Christi perseueret in æternum, adsciscì oportuit aliud simile, à cibo nempe de-

sumptum; qui vbi semel in substantiam corporis nostri transmutatus est, non potest ampliùs à corpore separari.

4. Atque hæc ita certa sunt, vt illi etiam qui corporalem cum Christo vnionem in Eucharistia sibi fingunt, vbi de figuris illis agitur fundamenti & ædificij, vitis & palmitum, capitis & membrorum, vestis & corporis, viri & vxoris, prolixè fateantur iis non aliam quàm spiritualem conjunctionem denotari. Itaque vt suæ de vnione corporali sententiæ fulcrum subjiciant, in vnâ illa similitudine hærent cibi & potus, manducationis & bibitionis, hac præcipuè ratione subnixi, quòd Christus, non similitudinem eam simpliciter proposuerit in Scriptura, sed etiam inde sacramentum confecerit in Ecclesia vsque ad sæculi finem perduraturum. Atque id quidem haud satis examinatè. Nam si Eucharistiæ in cibo & potu institutæ ratio id ab ipsis obtinere potuit, vt quoniam ibi dicimur edere carnem, & bibere sanguinem Christi, concludendam putent vnionem quandam corporalem, dicant, quare & rei vestitæ similitudine putent non esse quærendam conjunctionem corporalem cùm in Baptismo dicamur induere Christum Gal. 3. 27. non minùs quàm in sacramento Cænæ dicimur corpore Christi pasci. Nos potiùs ita colligamus. Scriptura varias similitudines promiscuè vsurpat ad vnionem cum Christo designandam, neque illam obliuiscitur quæ desumpta est ex cibo & potu, sed in medium producit extra causam & rationem sacramenti, Ioh. 6. Vbi de Sacramento Eucharistiæ agi negant Pontificij plerique, & ipse Bellarminus concedit saltem vsque ad vers. 51. ejus capitis de Sacramento non agi, cùm tamen ante versiculum illum Christus se cibum & panem quater aut quinquies appellet. Ergo quemadmodum per alias similitudines nulla corporalis vnio designatur, ita neque per cibi & potus edendi & bibendi vocabula corporalem vnionem significari certum est. Neque verò ex eo quòd Christus se verum cibum & potum dicit, Ioan. 6. 55. corporalis aliqua vnio exsculpenda est, sicut neque ex eo quòd Christus se veram vitem dicit, Ioan. 15. 1. aliquis hactenus fuit qui aliquam ejusmodi carnalem corporalem conjunctionem concluderet.

V. Secundam considerationem, id est, alterum aduersus corporalis vnionis assertores argumentum, suppeditat ipsius inutilitas. Scitum est apud Philosophos, entia non esse sine necessitate multiplicanda. Sed beneficiorum præsertim quæ Deus in Ecclesiam confert, hæc ratio est, vt nullum eorum vanum aut inutile sit existimandum. Itaque promissiones eorum donorum Scriptura vocat magnas & pretiosas, & omnia eiusmodi dona docet ad pietatem pertinere, adeoque necessarium aliquem cum ea nexum habere, 2. Petr. 1. 3. 4. Atqui vnionis illius corporalis, quam fingunt aduersarij in Eucharistiæ perceptione, nullam esse vtilitatem considerantì facile liquebit. Quicquid enim vtilitatis nomine commendatur, illud oportet vel per se & ex propria sua natura esse vtile, vel certè per accidens, & præter rationem naturæ suæ. Non dicent autem, vt speramus, aduersarij Communionis vtilitatem non aliam esse quàm accidentalem & quasi fortuitam. Quis enim in animum inducere possit,

Chri-

Christum tam diserta institutione Cœnæ Sacramentum ordinasse, vt non aliam quàm fortuitam quandam vtilitatem afferret? Deus sapientior est, quàm vt aliquid velit in Ecclesia instituì vel administrari in fortuitum & accidentarium finem. Dixerint igitur esse per se vtilem hanc vnionem, & ex propria suâ ratione: Atqui si dicant, Christi doctrinæ euidenter obluctabuntur. Nam cùm carnalem aliquam & corporalem manducationem imaginarentur sibi Capernaitæ, Christus vt eos ab ejusmodi sententia abduceret, testatus est carnem suam nihil prodesse, Iohan. 6. 63. An quòd nulla sit omnino Christi carnis vtilitas? Absit. Cùm è contra caro Christi tradita in Crucem sit Remissionis peccatorum & viuificationis nostræ causa moralis & meritoria, vnde non in alia re se gloriari dicit Paulus, quam in Cruce Christi, quippe per quam sit crucifixus mundo, Galat. 6. 14. Sed carnem suam aliquid prodesse Christus negat, quia eam ore corporis carnaliter accipere nihil cuiquam prodesset; Nam inde neque ad corporis nostri commodum, neque ad animæ salutem quicquam posset accedere. Et cùm spiritualem vnionem & magnam ipsius vtilitatem agnoscant aduersarij; quid est porrò quod præterea per carnalem vnionem obtinere valeant?

6. Aduersarij in enumerandis corporalis vnionis vtilitatibus magno labore desudant, nec tamen hilum proficiunt. Aiunt nimirum hac vnione fieri, 1. Vt Christus nobis conjungatur substantialiter, & ita suam nobis charitatem magis testatam faciat, quod optimæ matris instar, non alienum lac immulgeat, sed propria suâ carne nos pascere dignetur. 2. Vt augeatur in nobis gratia & charitas, adeoque restituatur hoc vnionis beneficio vigor animæ per peccati reliquias debilitatæ. 3. Vt imprimatur corporibus nostris germen quoddam & quasi seminalis character immortalitatis, siue virtus & dispositio quâ fiet vt in extremo Iudicio corpora nostra cum conditionibus glorificati corporis excitentur de sepulcro. Sed hic frustrà laborant 1. Vel hæc nulla sunt effecta per se necessaria & immediata vnionis corporalis: aut si sunt, necessarium est vt ad hanc vnionem consequantur, & ponantur ea posita. Itaque vel excluduntur ab istius vnionis beneficio impij omnes, quippe ad quos ejusmodi effecta non pertineant: vel si possunt impij vnionis hujus esse participes, fatendum erit eos proprio corpore Christi ex amore infinito Christi pasci, & restitui eis vigorem animæ per peccata debilitatæ, & donari eos illo germine vnde procedat olim glorioſa immortalitas corporis, adeóque illa ipsa beneficia in eos conferri, quæ propria sunt fidelium. 2. Eucharistia in vsu suo legitimo vnionis nostræ spiritualis cum Christo vinculum constringit: ad eam autem pertinent tria illa quæ enumerantur effecta: Nam & nos verè ac realiter Christo conjungit: & charitatem Christi facit testatissimam nos carne sua pascentis: & gratiam in cordibus nostris auget, & animi vigorem instaurat & viuificat interiùs, & parat ad æternæ vitæ glorioſæque resurrectionis participationem, sine qua non possunt corpora nostra in æternam beatitudinem transferri. Quid igitur opus est vnione corporali ad eadem effecta pro-

ducenda? 3. Sicut initium Gratiæ Christi, datur nobis per ipsius spiritum intùs agentem in cordibus nostris, non per aliquam applicationem carnis Christi ad corpus nostrum, Ephes.3.16.17.18. Ita & augmentum gratiæ atque charitatis non carnis Christi contactui, sed efficaciæ spiritus tribui consentaneum est. Et in genere quæcunque in Christo est vis viuifica, & quæcunque potentia ad nos è sepulcris gloriosè excitandos, ea vt humanitatis est quod ad meritum, ita diuinitatis solius est quod ad efficaciam. 4. Scriptura totam vim ad gloriosè resurgendum, tribuit externæ Dei potentiæ, non internæ cuidam corporum nostrorum dispositioni, siue qualitati cuipiam quæ ex carne Christi in carnem nostram deriuetur: Apostolus certè docet Christum transformaturum corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, non affricando qualitatem aliquam carni nostræ per participationem corporalem humanitatis suæ, sed pro efficacitate quâ potest sibi subjicere omnia, nempe ex diuina illa potentia quam habet in omnia, Philip.3.21. Concludimus ergo cum Vasque in 3.disp.204. cap.3. eam qualitatem in carnem nostram deriuatam, & præparantem eam ad immortalitatem, sine fundamento omnino contritam videri.

7. Accedat consideratio tertia, ex variis incommodis & absurdis deducta, quæ illud de participatione corporali carnis Christi in solo Eucharistiæ sacramento dogma consequuntur. 1. Nullum est beneficium aut Gratia sacramentis vel designata vel donata, quam non Deus aliquando aliquibus extra sacramenti participationem communicare possit, & reipsa communicet, vt patet omnia illa sacramenta percurrenti, quæ vel reapse talia sunt, vel pro talibus inter aduersarios habentur. Ita extra Baptismum aliqui sanctificationem aliquando acceperunt. Extra vsum sacramentalis, quam vocant pœnitentiæ aliqui aliquando absoluti sunt à peccatis. Citra ordinum collationem aliqui aliquando gratiam acceperunt prædicandi Euangelij, vt Ædesius & Frumentius. Et in gen re Dei beneficia non sunt ita simpliciter necessario & omnimodè sacramentis alligata, vt ab eorum vsu absolutè dependeant: Imò docent Aduersarij, vbi sacramentum non adest, sufficere sacramenti votum ad obtinendam rem sacramenti. Ergo aut vnio corporalis cum Christo, nulla est sacramenti gratia, aut potest obtineri & aliquando obtinetur ab aliquibus extra Eucharistiam. Atqui hoc posterius non dicent, nisi fallor, aduersarij: qui cùm Christum non nisi secundùm esse vt vocant, sacramentale nobis corporaliter vniri velint, extra Eucharistiam nihil ejusmodi contingere posse dicant necesse est. Ergo ad prius deuenien-dum ius est, Corporalem vnionem nullam esse sacramenti gratiam.

8. Secundò, quicunque cum Christo vnitur, non tantùm ei propinquitate loci conjungitur, sed ipsi etiam specialiori aliqua ratione conuertitur. Vt ex duobus fiat vnum; ait Vasquez vbi suprà, non sufficit propinquitas secundùm locum aut substantiam, verùm oportet vt aliqua præterea ratione inter se conuertantur. Itaque cum etiam impiis vniri Christum velint Eucharistiam suscipientibus, non modò Christus erit illis

illis propinquius secundùm substantiam corporis, sed etiam alia ratione connexus. Quoniam autem potest esse illa ratio, cùm nulla sit inter Christum & Belialem communio, 2.Cor.6.14. & cùm connexionis ejusmodi vinculum nullum corporale nominare possint adversarij : neque spirituale dicere ausint, cum Spiritus Dei non impiis, sed fidelibus tantùm ad faciendam & fouendam cum Christo vnionem concedatur. Addamus & aliud tertio loco.

9. Quæ nobis cum Christo intercedit vnio eam Scriptura Sacra ita describit, vt eam doceat non modò veram esse, sed & continuam & indissolubilem, vt antè docuimus. Vnio verò corporalis non est eiusmodi, cùm doceant adversarij eam ad breuissimum tempus perdurare : Cùm enim Eucharistiæ sacramentum aliquis percepit, tamdiu Christum in corpore communicantium permanere volunt, quamdiu species sub quibus delitescit non corrumpuntur neque per vim naturalem stomachi dissoluuntur : statim autem atque species corruptæ sunt, desinere corpus Christi ibi esse. Itaque corporalis vnio non est illa quam nobis Scriptura commendat.

10. Quartò, Christus per vnionem illam quæ in Scripturis docetur, non conjungitur nobis secundùm aliquam tantùm compositionis nostræ partem, sed nobis totis ita consociatur & conuertitur, vt fiamus σύσσωμοι & vnum in Iesu Christo, Gal.3.29. Ephes.3.6. Vnde totum illud vnitum, nempe Christum & Ecclesiam non dubitauit Apostolus designare nomine Christi, 1.Corinth.12.12. Quis autem hæc putet de vnione corporali dicenda ? Certè cùm Christus, ex Adversariorum scitis, per Eucharistiam intra corpus receptus, non extendat præsentiam suam extra species, quæ recipiuntur tantùm in exiguo aliquo stomachi spacio, non potest dici vnitus toti corpori, cui toti non vniuntur species. Itaque cùm docerent Adversariorum aliqui Christum sacramentaliter manducatum, non solùm fieri realiter præsentem in loco quem sacramẽtales species possent naturaliter occupare, sed quodammodo diffundi per totum corpus hominis, vt illi toti & omnibus ejus partibus realiter vniatur & sese immisceat, Suarez in 3.disp.64.s.3. cogitationem illam reprehendit tanquam improbabilem, absurdam, temerariam, & quæ sit contra sanam & receptam doctrinam.

11. Denique Christus corporalis vnionis impossibilitatem satis euidenter demonstrauit : cùm enim ejus verba perperam accipientes Capernaitæ, ejusmodi aliquam Christi manducationem sibi fingerent, quâ Christi caro in corpora manducantium inferretur, correxit Christus errorem his verbis. Hoc vos scandalizat ? quid igitur si spectaretis Filium Dei ascendentem vbi erat priùs, Ioan.6.61.62. Quibus verbis tale argumentum continetur docentibus Augustino, Alcuino, Ruperto, Carthusiano, Hugone Cardinali. Caro quæ in cœlestem gloriam translata est dari non potest in cibum corporalem iis qui in terra habitant. At mea caro mox est in cœlestem gloriam transferenda. Non est igitur quòd me putetis de aliqua manducatione aut conjunctione corporali fuisse locu-

tum. Vbi cumprimis obseruari par est, axioma illud à Christo suppositum, corpus quod in cœlis est non posse corporaliter manducari ab iis qui sunt in terra. Subuertit enim funditùs, quidquid Aduersarij tanto conatu obtrudunt, de πολυτοπίᾳ vnius ejusdemque corporis ita in cœlo existentis, vt simul esse possit in terra. Christus enim contra fieri posse negat, vt caro cœlis illata, simul præsens in terris esse possit.

12. Sed, inquies, quid sibi volunt Patres Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, apud quos haud infrequenter legas, Christum se nobis immiscere, & suum corpus in nos contemperare, & vniri nos Christo corporaliter & carnaliter, imò cum ipso conjungi non modò spiritualiter, verùm & corporaliter! his enim testimoniis triumphare solent aduersarij. Expenderunt illa diligenter doctores nostri, & manifestissimum fecerunt, nihil esse in iis phrasibus, ex veterum mente expositis, quod à nostra, id est Scripturarum & veritatis sententia discedat. Considerarunt enim vnionis tum objecta, tum modum. Objecta vnionis siue res vnitæ sunt Christus & fidelis. Vnitur autem Christus cum suis fidelibus, tum quà Deus tum quà homo, id est & secundùm diuinitatem suam, vt nostra communio sit cum Patre & Filio, 1. Ioan. 1. 3. & diuinæ naturæ fiamus participes, 2. Petr. 1. 4. & secundùm humanitatem vt membra simus corporis ejus, ex carne eius & ex ossibus ejus, nimirum habentes arctissimam cum humana ipsius natura communionem, Ephes. 5. 30. Iam qui versantur in scriptis Patrum, non ignorant, apud ipsos corporaliter & spiritualiter, idem esse atque secundùm corpus siue humanitatem, & secundùm Spiritum siue diuinitatem. Ita Ignatius apud Theodot. dialog. 2. cum dicit Christum fuisse conjunctum Patri σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς carnaliter & spiritualiter, significare voluisse conjunctam ratione humanitatis & diuinitatis. Et cum Athanas. in exposit. fid. dicit aliqua esse quæ de Christo dicuntur corporaliter, σωματικῶς, intelligit dici ratione humanitatis ipsius. Imo Cyrill. Apolog. contr. Orient. cum dixisset Virginem genuisse Christum carnaliter, & nonnullos ea phrasis malè haberet, rem ita explicuit, Christum à Virgine genitum fuisse secundùm carnem vel ratione humanitatis. Ergo Christum vniri nobis non modò spiritualiter sed etiam corporaliter, dum dixerunt, intellexerunt conjungi nos Christo non ratione diuinitatis modò, sed & ratione humanitatis.

13. Deinde considerarunt etiam vnionis modum. Etenim Christi caro seu humanitas nobis duobus modis vnitur siue duplici vinculo, altero spirituali, altero corporali. Spirituali: Deus enim Spiritus est, qui operatur admiranda sua efficacitate conjunctionem illam sanctissimam, vt mox videbimus: Tum etiam fide, quæ spirituale donum est, communionem illam percipimus, cùm per eam Christus in cordibus habitet, Eph. 3. 17. Corporali verò, quatenus Deus, vt Filio suo nos vniat, & verbo externo vtitur, quod auditum nostrum corporaliter afficit; & sacramenta Baptismi & Cœnæ instituit, quæ corporalia sunt instrumenta & media, quibus nos ad vnionem illam perducit: nam & in Baptismo Christum induimus,

induimus, Galat.3.27. & sacra Cœna communio est corporis Christi, 1.Corint.10.16. Dicunt ergo Patres nos in Eucharistia Christo corporaliter vniri, vt intelligamus institutam esse à Deo Eucharistiam, vt sit externum & corporale medium internæ illius & spiritualis vnionis cum Christo. Nec nouum est apud eos vt corporaliter dicatur fieri, quod fit per medium vel signum corporale. Sic apud Cyrill. Hieros. lego Catech.10. Spiritum sanctum descendisse σωματικῶς, id est in signo corporali & sensibili. Et apud Cyrill. Alexand. dialog. de Incarnat. vnigen. Christum quà hominem Spiritum sanctum Apostolis inspirasse corporaliter, id est per signum corporale, putà insufflationem. Neque ab ista phrasi Thomas ipse abhorruit, cùm ita loquitur par.3.quæst.69.art.5.ad 1. Adulti priùs credentes in Christum, sunt ei incorporati mentaliter: sed postmodùm cum baptizantur. Incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum.

CAPVT X.

Vnionem cum Christo esse spiritualem.

CONCLVDENDVM est ex iis quæ diximus, vnionem Christi nobiscum variis respectibus & corporalem dici posse & spiritualem. Quandoquidē si terminos & objecta vnionis consideremus, haud immeritò dicimus esse realem non imaginariam, quia qui conjunguntur, Christus & fideles, figmenta non sunt, sed entia realia: esse substantialem non accidentalem, quia vniuntur non tantùm ratione accidentium, puta per consensum aut voluntatem: sed etiam ratione substantiarum, quia Christus suæ substantiæ nos facit verè participes: esse corpotalem, & non simpliciter spiritualem, quia non soli spiritui & diuinitati Christi, sed etiam ejus carni & corpori verè vnimur. Sed cùm de modo, forma, ratione & vinculis illius vnionis loquimur, dicendum est eam nullo modo carnalem esse vel corporalem, id est non fieri modo aliquo corporali, ita nempe vt ore nostro percipiamus, & in stomachum nostrum demittamus carnem & sanguinem ipsum Christi in se substantialiter & materialiter consideratum: esse potiùs merè & omnino spiritualem, ita vt per solum Spiritum ex parte Christi, & per solam fidem ex parte nostra peragatur, quatenus scilicet Spiritus Christi in animas nostras illabitur, & in corda nostra effunditur, & suo illo illapsu, effusione & habitatione in nobis, Christi diuinæ humanæque naturæ nos conjungit: & quatenus fides vera ad Christum confugiens, & in eo ac per ejus sanguinem remissionem peccatorum quærens sibique firmiter applicans Christum tanquam Redemptorem & Seruatorem suum, in eo planè acquiescit, eo pascitur ac viuit, & in eo totam salutis fiduciam reponit.

2. Ad vnionem eiusmodi non est necessaria localis substantiarum, id est humanitatis Christi & corporis nostri propinquitas siue contactus

physicus : sed sufficit vnius ejusdemque Spiritus in Christo & in nobis habitatio atque operatio. Exemplo res clarescere potest. Nam sine dubio Deus si vellet, hominem perfectum, anima rationali & corpore constantem creare posset tantà corporis mole præditum, vt pedibus terram contingeret, capite in cœlum vsque perringeret, brachia in ortum & occasum porrigeret. Ejusmodi corporis partes externæ, quod ad locum attinet, à se invicem distarent longissimè : neque tamen illa locorum intercapedo impediret, quominus verè & substantialiter conjungerentur cum capite partes omnes tanti corporis, & totum compositum verè diceretur vnus homo & vna persona, quia scilicet vna esset anima totum illud corpus pervadens, informans, viuificans, & actus omnes ac membra cum capite & inter se conuertens. Et verò in vastissimo omnium corporum, nempe cœlo vltimo, partes omnes ad ortum, occasum, septentrionem & meridiem sitæ, habent inter se veram & realem & substantialem vnionem, quia habent vnam eandemque formam partes omnes continentem & adunantem. Itaque cum Ecclesia tota sit mysticum quoddam corpus ex Christo tanquam capite, & fidelibus tanquam membris compositum, quorum alia in cœlestem gloriam subvecta sunt, alia in his terris adhuc versantur : vnus autem sit spiritus, qui [illegible] in capite residet, & in omnibus membris agit, viuificatione & quasi informatione cœlesti & efficacissima, concludere sanè possumus, omnes fideles, quantumvis diuersissimis locorum spaciis constitutos, cum Christo Christique in cœlis agentis carne & humanitate veram & realem communionem habere.

3. Non aliam autem quàm spiritualem cum Christo vnionem agnoscendam esse, id est quæ per quæ S. Spiritus veræ & fidei vinculum peragatur, multis rationibus est à nostris confectum. 1. Quæcumque Christi communio in Scripturis proponitur, eam esse nobis ad salutem omnino necessariam, jam ante demonstratum est. Atqui non aliam quàm internam & spiritualem esse necessariam ad salutem etiam aduersarij largiuntur : nempe manducationem duplicem ita statuimus, spiritualem & sacramentalem, vt soli spirituali ea μετουσία transcribant quibus opus est, vt ad vitam æternam perueniamus. Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. sacramentalem manducationem ita distingui docet à spirituali, vt huic soli posteriori salus & effectus quicunque salutaris attribuendus sit ex doctrina veterum Patrum : nam illi demum, inquit, qui Christum sumant spiritualiter, viuâ fide qui per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt. Et Thom. part. 3. quæst. 80. art. 1. in c. Sacramentalem manducationem, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, diuidi docet contra spiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum hujus Sacramenti, quo spiritualiter homo Christo conjungitur per fidem & charitatem. Ergo non alia quàm spiritualis communio in Scriptura proponitur.

4. Verum hic obducat aliquis : nónne totuplex est Christi communio, quotuplex eius manducatio ? Manducationem autem duplicem sacramen-

cramentalem & ſpiritualem doctores omnes agnoſcunt, adeoque nonnulli de vtraque plenos tractatûs ediderunt : quidni ergo conjunctionem etiam cum Chriſto duplicem eſſe dicamus, ſacramentalem vnam ſiue corporalem,& alteram internam ſiue ſpiritualem. *Reſp.* Cum ſacramentalis manducatio dicitur, non intelligi manducationem quandam veram & realem corporis Chriſti à ſpirituali ſeparatam; ſed manducationem internam quatenus exteriori & corporali ſigno ſacramenti confirmatam: vel etiam ipſam exteriorem ſacramenti participationem, etiam ſi cum interiori non conjungatur. Cùm enim ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti dicatur tropicè, prout, docente Cypriano, ſignificantia & ſignificata iiſdem nominibus cenſentur, factum eſt vt ex vſu Eccleſiæ corpus Chriſti manducari dicatur ſacramentaliter, vel ſacramento tenus, vt Auguſtinus loquitur, quando ſignum & ſacramentum corporis manducatur.

5. Secundò, vera & realis cum Chriſto communio, non eſt beneficium, quod ad illos tantùm pertineat, qui poſt aduentum Chriſti ſub Euangelij gratia viuunt, ſed commune donum eſt ad eos omnes ſpectans, quicunque ab initio mundi vera & ſalutari fide præditi fuerunt, quippe qui per eandem gratiam Chriſti ſaluati fuerint, per quam & nos Act. 15. 11. Interceſſit enim mors Chriſti etiam ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerunt ſub Vet. Teſtam. Hebr. 9. 15. ad oſtenſionem juſtitiæ Dei per remiſſionem peccatorum præcedentium, Roman. 3. 25. i. e. quæ præceſſerant ſub Vet. Teſtam. & patrata fuerant ante Chriſti aduentum, vt conſentiunt Thomas, Carthuſ. Cajetan. Perer. & Iuſtinian. Neque minùs euidenter idem docetur, 1. Cor. 10. 3. 4. vbi dicuntur Veteres ediſſe eandem ſpiritualem eſcam, & cibum nempe Chriſtum. Inde nobis emergit argumentum. Quæ vera eſt Chriſti communio eſt beneficium commune Veteribus & nómine fidelibus id eſt, Iſraelitis & Chriſtianis. Atqui non corporalis vlla vel oralis communio ſed ſpiritualis tantùm eſt beneficium commune Veteribus & nobis. Ergo non corporalis, ſed ſpiritualis tantùm vnio, ea vera eſt communio quæ in ſacramentis proponitur.

6. Præterea, vnio Chriſti, qualem Scriptura proponit & deſcribit, reciproca eſt & mutua, fidelium cum Chriſto & Chriſti cum fidelibus. Itaque vt nos dicimur eſſe in Chriſto & Chriſti cum fidelibus. Itaque vt nos dicimur eſſe in Chriſto, Rom. 8. 1. 9. 1. Cor. 1. 30. Ita & Chriſtus in nobis eſſe dicitur, 1. Cor. 13. 5. vt nos in Chriſto manere, ita Chriſtus manere Ioan. 6. 56. & habitare in cordibus noſtris, Epheſ. 3. 17. Vt Chriſtus viuere in nobis, Gal. 2. 20. Ita nos viuere in Chriſto Rom. 6. 11. Cùm ergo noſtra in Chriſto exiſtentia, permanſio, & vita non corporaliter fiat, ſed ſpiritualiter tantùm, nimirum per Spiritûs Sancti operationem & fidei apprehenſionem; facilè concluditur, Chriſtum non corporali quadam, ſed ſpirituali tantùm ratione in nobis eſſe, manere, viuere, adeoque conjungi.

7. Quartò, cùm Chriſtus & beneficia Chriſti ita ſint ἀχώριστα, vt ne-

mo alterutrius siue alterutro particeps esse posset vnde Apostolus ex præsentia & mansione Christi in nobis, concludit vitam & Iustitiam in nobis esse, Rom.8.10. satis patet eundem esse modum, eamdemque rationem communicandi Christo, & Christi beneficiis. Atqui spiritualium Christi beneficiorũ, puræ vitæ, adoptionis, accessionis ad Patrem, sanctificationis & justitiæ, &c. non aliter quàm per Spiritum & fidem nos fieri participes Scriptura docet, vt per singula eunti manifestum erit. Quod ad vitam spiritualem, eam per Spiritum haberi docet Christus, Ioan.6.63. & Paulus Rom.8.9.10.11. Et per fidem, quippe per quam justus viuit. Quod ad adoptionem, vt Spiritus de illa testatur Rom.8.15.16. Ita etiam habetur illa per fidem, Ioan.1.12. Gal.3.26. Sic accessum ad Patrem habemus per Spiritum, Ephes.2.18. & per fidem, Ephes.3.12. Ita sanctificatio & Iustitia est per Spiritum, Rom.14.17.1.Cor.6.11. & per fidem, quæ corda purificat, Act.15.9. Concludo, eadem ratione Christo conjungimur, quâ beneficiis ejus participamus. At beneficia per Spiritum & fidem tantùm, non vlla corporea ratione accipimus. Ergo & Christum.

8. Denique Scriptura non modò benedictiones quibus in Christo benedicimur, spirituales vocat, vt à corporalibus quibuscunque distinguat, Eph.1.3. Sed etiam cùm de illa Communione loquuntur, quæ inter benedictiones Dei præcipua est, diserte docet & sæpiùs repetit, eam per Spiritum quidem sanctum ex parte Dei perfici, per fidem verò ex parte nostra percipi: adeoque cùm Spiritus & fides res sint mere spirituales, vinculum & rationem hujus communionis esse totam spiritualem.

9. De Spiritu S. vt primùm loquamur, cum dicitur Rom.8.9. qui non habet Spiritum Christi, non esse Christi, satis manifestè significatur, modum vnionis cum Christo non alibi quærendum, quàm in operatione Spiritus. Et 1.Corinth.6 Vbi dixisset Apostolus, corpora nostra esse membra Christi, vers.15. subdit vers.19. corpora nostra esse templa Spiritus S. vt significet nos membra Christi non effici, neque communionem habere cum ipso, nisi quatenus templa sumus in quibus Spiritus habitat & operatur. Huc pertinet quod ibidem vers.17. dicitur, qui agglutinatur Domino, esse vnum Spiritum cum ipso. Vbi rectè Cajetan. Declarat quomodo sumus membra Christi, scilicet non vnione corporali, sed vnione spiritus. Vnus siquidem atque idem est spiritus meus, & meorum membrorum; & vnus est proportionaliter Spiritus Christi & spiritus adhærentium ei, adhærentes siquidem Domino & Dominus ponunt quodammodo spiritus in communi, vt tanquam pro indiuiso habeant spiritum communem vtrinque. Sic & 1.Corinth.12.12.13. Apostolus eam vnionem proponens quam omnes fideles habent cum Christo & inter se, vt sint vnum corpus sub illo capite, quæ communio baptismi & Cœnæ symbolis obsignatur, dicit nos, vt simus vnum corpus, esse Baptizatos in vnum Spiritum, & potatos vno Spiritu. Nimirum vt illius vnionis vinculum doceat non aliud esse quàm spiritum. Theophyl. ex Chrysost. adeò distantes, inquit, tantoque interuallo disiunctos spiritus nos conjungit, & Iustinianus vnum corpus efficiunt omnes, quia omnes eodem spiritu præditi sunt, à quo vitam hauriunt.

10. Fi-

10. Fidem verò quod ſpectat, per eam nos Chriſto vniri Scriptura teſtatur. Nam 2.Corint.13.5. docemur, quòd ij qui ſunt in fide, facilè agnoſcunt Chriſtum eſſe in ipſis, id eſt Chriſtum eſſe ipſis intimâ vnione conjunctum, vbi Iuſtinian.de fide Theologica loquitur, inquit, quàm euidenti experimento cognoſcere poterant, eademque ratione intelligere Chriſtum habitare per fidem in ipſis. Sic Epheſ.3.17. Chriſtus per fidem habitat in cordibus noſtris, id eſt nobis perſeueranter & intimè conjungitur ſubſtantia, virtute, gratia ſua per fidem in cordibus à Spiritu S.excitatam. Concludamus cum Cypriano tract.de Cœn. Dom. non tam corporali quàm ſpiritali tranſitione Chriſto nos vniri. Et cum Cyrill.lib.10.in Ioan.cap.39.Participes nos diuinæ naturæ fieri, & in nouam inauditamque vitam transformari, quòd aliter quàm participatione Spiritus fieri non poterat.

CAPVT XI.

De beneficiis ex Vnione Chriſti profluentibus, id eſt, de Prophetia, Sacerdotio & Regia dignitate Chriſtianorum.

COMMVNIONEM cùm Chriſto fieri non poteſt vt habeamus quin conſequatur ingens beneficiorum ſpiritualium numerus. Nam cùm in Chriſto habitet diuinarum gratiarum plenitudo ampliſſima, neque poſſint illæ magis à Chriſto ſeparari, quàm vel lux à Sole, vel calor ab igne, vel proprietates eſſentiales à ſubjectis ſuis diſiungi, certum eſt eos omnes qui ad veram Chriſti communionem adducti ſunt, eſſet ad gratiarum Chriſti participationem eadem ratione vocari. Qui Chriſtum & nobis & pro nobis dedit, non poteſt non omnia vnà cum eo largiri, Rom.8.31.

2. Ex ea gratiarum communicatione factum Chriſtianis nomen, vt vel appellatio doceat ipſos ad cæleſtis alicujus Vnctionis priuilegium vocari: Nam & aliquando eſt cum Chriſtianorum ſiue Vnctorum indigetatione dignantur: Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum Vnctos Dei Scriptura vocat, Pſ.105.15. Quod ſanè exiſtimandum non eſt de exteriori aliquâ vel ceremoniali Vnctione dici, quam longo poſt tempore certum eſt Moſis miniſterio fuiſſe in Iſraele inſtitutam. Eſt igitur de ſpirituali Vnctione, de gratiarum ſcilicet diuinarum communicatione intelligendum, vt vncti dicantur eodem ſenſu, quo Deus ſub N. Teſtamenti gratia fideles vnxiſſe dicitur, 2.Corinth.1.21. qui propterea dicuntur vnctionem accepiſſe à ſancto quæ in ipſis maneat, 1.Ioan.2.27. Id ſcilicet nos Deus commonitos voluit: ſicut Chriſtus oleo lætitiæ vnctus eſt ſupra conſortes ſuos, Pſalm.45.8. vt nobis in Prophetam, Sacerdotem & Re-

gem ſpiritualem conſecraretur : Ita & pro demenſo donationis Chriſti vngi fidelem vnumquemque & obſignari Spiritu ſanctificationis : & gratiæ diuinæ tum internam certitudinem in cordibus ſuis percipere, tum externa teſtimonia & ſymbola referre (per verbi prædicationem & ſacramentorum adminiſtrationem) vocationis illius cœleſtis quâ ordinantur tanquam Prophetæ, Sacerdotes & Reges Deo Patri, Apoc. 1. 6.

3. Hic tamen, antequam vlteriùs progredimur, gemina occurrit difficultas expedienda. Primum enim eſt illud extra omnem controuerſiam ponendum, eſſe Chriſto ita propria quæ illi Pater impoſuit officia, vt in neminem vel hominum vel Angelorum transferri poſſint aut debeant, quæ cùm in Prophetia, Sacerdotio, & Regno conſtituantur, vt anteà explicatum eſt, qui fit, vt triplex illa dignitas Chriſtianis omnibus communiùs eſſe dicatur? Aut quæ ratio eſt, vt fideles Prophetarum, Sacerdotum & Regum appellationem accipiant ex communione Chriſti, & ex ea communione non dicantur Redemptores aut Saluatores, cùm non ſit vnum Chriſti magis proprium quàm alterum?

4. Hujus difficultatis non erit difficilis explicatio, ſequentia diligenter expendentibus. Etenim id in confeſſo eſt omnibus, quotquot ſunt ſpiritualia Dei erga nos beneficia, ea omnia ex Chriſti plenitudine in nos exundare, Ioan. 1. 16. Sed Chriſti plenitudinem in triplici veluti gradu ſpectandum Scriptura exhibet, cùm ſit in eo plenitudo Diuinitatis, & plenitudo meriti, & plenitudo gratiæ. Primum plenitudinem explicat Apoſtolus, cùm ait in Chriſto habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, Coloſſ. 2. 9. Nam Deus quidem in ſanctis ſuis habitare dicitur, ſed per effectus & operationes ſpirituales, cognitionem putà quam inſtillat mentibus, & amorem quem ingenerat cordibus : ſed in Chriſto Deitas corporaliter habitat, id eſt, ſubſtantialiter & perſonaliter, nempe per aſſumptionem humanitatis ad vnitatem perſonæ verbi, ita vt qui verus homo eſt, nobis per omnia ſimilis excepto peccato, idem etiam ſit verus & æternus cum Patre Deus.

5. Altera plenitudo quæ meriti eſt ſiue ſatisfactionis conſiſtit in infinito illo pondere, valore, dignitate operum Chriſti τῶν ἀγωνῶν, id eſt, actionum & paſſionum quibus ſalutem acquiſiuit Eccleſiæ, vnde fit vt poſſit eos Chriſtus perfectè ſeruare qui per ipſum accedunt ad Deum, Hebr. 7. 25. Quippe qui ſemel ſeipſum Patri obtulerit in cruce, vt multorum peccata tolleret, Hebr. 9. 28. atque hæc ratio eſt, vt agnus dicatur tollens peccata mundi, Ioan. 1. 29. occiſus ab origine mundi, Apocal. 13. 8. propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. 2. propter ſcilicet illud paſſionum & mortis meritum, quod infiniti eſſe & nunquam exhauriendi valoris ſupra ſuo loco confirmatum eſt. Hæc plenitudo Chriſti eſt quà vt τὰ πάντα conſideratur.

6. Sed & tertia in Chriſto conſideratur plenitudo, quam gratiæ plenitudinem dicimus, quia ſpectatur in abundantiſſimo illo cumulo gratiarum & donorum quæ in Chriſti humanitatem effuſa ſunt à Patre cœleſti, vltra omnem illam menſuræ rationem cujus vel homines vel Angeli

Angeli sunt capaces, quantumuis illa bona sit & pressa & agitata & superfluens, vt loquitur Scriptura, Luc.6.38. Vnctus est enim oleo lætitiæ supra omnes suos consortes, neque spiritus est ei ad mensuram donatus, Psal.45.8. Ioan.3.34.

7. Iam eos plenitudinis gradus si comparauerimus inter se, videbimus primam in Christum competere, quà Deus est vnus cum Patre & Spiritu S. secundam ei conuenire quà σωτηρ est & Mediator pro hominibus constitutus apud Deum: Tertiam autem ei attribui, quà homo est, & ratione inferioris illius naturæ quam assumpsit vt in eâ salutem nobis acquireret. Cùm igitur quæ de fidelium quà Prophetarum & Sacerdotum & Regum dignitate dicuntur, neque ad primum, neque ad secundum genus pertineant, quæ duo ita in vnum Christum competunt, vt nulli creaturæ citra blasphemiam attribui possint, sequitur in eo nullum gloriæ Christi præiudicium inferri, quòd in ipso dicuntur fideles Deo facti fuisse Prophetæ, Reges & Sacerdotes.

8. Quod vt latiùs explicetur, dico in prima plenitudine fundari & stabiliri vnicè totum illud augustissimum mysterium & œconomiam redemptionis & salutis nostræ, quippe quòd peragi & ad optatum finem perduci non potuit, nisi per eum qui simul esset verus homo & verus Deus, vt suo loco dictum est. Secunda verò plenitudo finem respicit & scopum missionis Christi, quippe qui missus est vt saluum faceret quod peribat, & per mortem suam eum aboleret qui mortis habet imperium, adeoque nos Deo reconciliaret & in eius gratiam restitueret, Matth.18. 11. Hebr.2.14. Coloss.1.21.22. Ad hunc enim finem assequendum opus fuit merito & satisfactione infiniti pretij, vt ante omnia seuerissimæ & exactissimæ Dei justitiæ plenè & cumulatè satisfieret. Tertia verò plenitudo decora spectet & ornamenta illa, quibus eum locupletari par erat, qui ad tantum opus vocabatur, & qui à Deo fons & canalis constitutus est, vnde procurrerent in vnumquemque fidelium salutares gratiarum riuuli.

9. Ergo quæ appellationes vel ad primam vel ad secundam plenitudinem respiciunt, eas agnoscimus ita in Christum conuenire, vt alteri cuipiam competere neutiquam possint. Ita ex primâ plenitudine est, quòd Christus dicitur Æternus, Omnipotens, Infinitus. Hoc nulla creatura vsurpare sibi potest. Ex secunda plenitudine est, quòd Mediator, saluator, Redemptor, Reconciliator vocatur. Hoc pariter ita sibi Christus vindicat, & in earum appellationum consortium neminem vocet, cùm in nullo alio præter eum sit salus, Act.4.12. Sed quæ tertiæ sunt plenitudinis, cùm ad collationem Gratiarum in humanam Christi naturam pertineant, ita in ipsum competunt, vt ex ipso in nos corriuetur, vnde nihil mirum, si nomina etiã gratias illas designantia, nobis pro modulo nostro communicentur. Itaque quemadmodum Saluator noster vnctus dicitur & Iustus & Sanctus, & Propheta, & Sacerdos & Rex, ita & fideles eisdem appellationibus haud rarò cohonestantur: non quatenus ea vocabula officium Mediatorium, & Redemptionis opus significant, sed qua-

tenus ea vocabula officium Mediatorium, & Redemptionis opus significant, sed quatenus iis denotatur donorum collatio, quæ Christus accepit vt nobis distribueret, Psalm.68.19. Christiani ergo vncti & Prophetæ & Sacerdotes & Reges appellantur, non quasi Christus officium Mediatorium quo salutem nobis acquisiuit vel applicat in nos vlla ratione transtulerit; sed quia quatenus est caput nostrum spirituale nos tanquam membra participes facit vnctionis & Spiritus sui.

10. Extricemus nos & alterâ difficultate. Videri enim possit alicui, dignitas ista fidelium omnium communis, confusionem in societatem politicam & Ecclesiasticam introducere, adeoque illi vocationum distinctioni præjudicare quas voluit Deus in humana societate vigere ad ipsius conseruationem. Et verò si omnes Sacerdotes sunt & Prophetæ, vbi populus & Grex? Si omnes Reges, vbi subditi? Sed neque nodus iste Gordius videri debeat. Noui quidem à communi ista Christianorum dignitate, argumentum ducere hodiernos Anabaptistas & Socinianos, vt suam illam absurdissimam sententiam confirment, cùm sint omnes Christiani Prophetæ ac Sacerdotes & Reges, neque Magistratum esse inter ipsos necessarium, neque opus esse, vt certis quibusdam personis verbi ministerium legitimo ordine & ritu concedatur, sed omnibus sine vocatione speciali potestatem fieri docendi in Ecclesia Euangelij.

11. Absit verò vt prophanam ejusmodi ἀϛαξίαν putemus in Ecclesiam inuehi debere, quæ ordinata est sicut acies, & in qua debent omnia fieri κὶ τάξιν, ordine legitimo, 1.Cor.14.20. Certè non omnes sunt prophetæ vel doctores, 1.Cor.5.12.29. & aduersus eos qui absque vocatione irrumpunt in Ecclesiam, fulmen suæ maledictionis stringit Dominus, Iere. 23.21.22. & 27.9.14.15. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur, Rom 10.15. Non potest aliquis sibi hunc honorem sumere, sed is tantùm eo vti debet, qui vocatur sicut Aaron, Hebr.5.4. Sic & Magistratus à Deo Institutos ad humanæ societatis bonum & res ipsa demonstrat, & Scriptura clarissimè docet tum alibi, tum nominatim, Rom.13.1.2.3.4. Ergo dignitas ista Christianorum Ecclesiam non subuertit sed exornat; neque dum conditionem ipsorum extollit, potestatibus præeminentibus autoritatem abrogat; quia vocatio Generalis specialem neque abolet, neque turbat. Christianismus vocatione speciali quietus & tranquillus sese contineat, ad quam vocatus est, 1.Cor.7.20. Itaque & pastor & ex Grege quilibet; & magistratus & vnusquisque ex fideli populo, manet in vocatione speciali & perseuerat vt pium decet; sed vocationis tamen diuinæ beneficio ad istud spiritualis dignitatis fastigium cum aliis euehitur: nec minùs pauper Lazarus quàm diues Abrahamus, aut Lydia purpuraria quàm Paulus Apostolus hisce prærogatiuis fruitur. Et qui ad nullam Ecclesiasticam aut politicam dignitatem vel aspirat, vel adducitur, potest tamen hujus spiritualis dignitatis Gratia & vsu in medio Ecclesiæ cum aliis fidelibus gaudere, sicut ex legitima illius explicatione clarum euadet.

CAPVT

CAPVT XII.

De Christianorum Prophetiâ.

1. APOCAL.1.6. Dicitur Christus nos fecisse Reges & Sacerdotes patri: Vbi etsi de prophetica dignitate nihil expressè dicitur, potest illa tamen existimari comprehensa sub nomine Sacerdotij, prout nouimus Sacerdotum sub V.T. institutorum id fuisse muneris, vt non sacrificia tantùm offerrent, sed & in cœlestis doctrinæ prædicationem incumberent: Et si non comprehenderetur posset tamen ex euidentibus aliis in hanc rem Scripturæ locis facilè suppleri. Sunt autem ea Apocalypseos verba obseruatione dignissima. 1. Docent vnde tanta nobis dignitas concilietur. Non enim nos eam merito aliquo aut opere nostro nobis comparauimus: Sed eam à Christo mediatore habemus: Ille enim est qui nos tales fecit, id est, & constituit & conseruat in ea conditione: quia sicut illam sanguine suo nobis promeruit, ita in ejus possessionem Spiritu suo nos immittit, neque patitur vt eâ vnquam excidamus. 2. Neque tantùm dicitur nos olim tales facturus, vbi nimirum in regni cœlestis gloriam nos introduxerit; sed jam fecisse dicitur, quia hoc beneficio nos mactat in hac vita, & id juris obtinemus eo ipso quòd membra sumus Ecclesiæ in his terris militantis, quanquam olim in plenam & omnimodam tantæ Gratiæ fruitionem extollendi sumus cùm nimirum expurgatis quibuscunque concupiscentiis & affectibus malis, nos sibi plenè consecrarit, & gloriæ suæ cœlestis participes effecerit. 3. Dicitur fecisse nos tales Deo Patri, vt intelligamus finem nostræ dignitatis esse, non vt eâ insolescamus, aut inde quidlibet agendi licentiam vsurpemus, sed vt illam potiùs ad gloriam & cultum Sacro-Sanctæ Trinitatis referamus.

2. Circa Prophetiam exponendam primus esto nobis labor. Neque verò de variis hujus vocabuli notionibus hic agimus. Fecimus alio loco diligenter. Quia tamen hoc nominis Christianis omnibus attributum, desumptum est & quasi mutuò acceptum ex appellatione quæ primùm in Christum, deinde in eos competit, quos Deus olim extraordinaria vocatione instruebat, vt voluntatem suam deferrent ad Israeliticum populum, non potest faciliùs explicari, quid hac appellatione designetur, siue quare & quomodo Christiani omnes propheræ dicantur, quàm si oculos ad Christum & Veteres illos prophetas conuerterimus vt videamus quanam illi ratione id appellationis acceperint.

3. Sed postulat rectæ methodi ratio, vt illud ante omnia ponamus omnes verè Christianos esse Prophetas. Qua de re magnifica sunt illa Ioëlis verba, Ioel.2.28.29. Erit posteà, vt effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ; seniores vestri somniabunt, Iuuenes vestri visiones videbunt; super seruos & super ancillas in illis diebus effundam Spiritum meum. Etenim postquam prophe-

ta benedictiones temporales expoſuit, accedit ad ſpiritualium Gratiarum promiſſionem, prout eſt ſolemne Prophetis à terrenis ad cœleſtia ſermonem ſuum transferre & ab iis quæ Iudaicum populum ſpectant ad ea moliri gradum, quæ Chriſtianam Eccleſiam reſpiciunt. Ea ergo beneficia deſignari, quæ tempore N.T. Deus in ſuos vbique fideles erat abundanter effuſurus, ſignificat illa frequens apud Prophetas formula, erit poſteà, erit in diebus illis, ſæculis ſcilicet venturis ſiue temporibus vltimis, vt hæc verba exponuntur, Actor.2.17. Vltima enim tempora nemo neſcit ex vſu Scripturæ tempus reuelati Meſſiæ ſiue Gratiæ Euangelicæ denotare.

4. Et hanc quidem Ioëlis prophetiam refert D.Petrus, Actor.2.17.18. ad viſibilem illam Spiritus S. in formâ linguarum ignearum diſtributionem quæ ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes facta eſt: quoniam illa effuſio tunc primùm fieri cœpta eſt, & quia viſibili ſigno miraculosè confirmata, & quia in Apoſtolos primùm apparere oportuit, quanta noui fœderis participibus beneficia reſeruarentur. Neque tamen ad ſolos Apoſtolos pertinere, niſi quod ad viſibile ſignum, patet ex ipſa promiſſionis formula, quæ ad omnem carnem extenditur, neque tantùm ad viros ſed & ad mulieres: Itaque ſic illa referenda ſunt ad Pentecoſtes diem vt fuerit ſimul eis verbis expreſſa explicataque ratio & conditio regni Chriſti per totam ſæculorum ſeriem vſque ad conſummationem mundi.

5. Propheta igitur Gratiarum ſub N. T. communicandarum ſubjectum, Modum, & Excellentiam exponit. Subjectum eſt, *omnis caro*, vt diſtinguatur conditio V.T. à Noui Teſtam. conditione: Ibi pauci erant hujus beneficij compotes, ſoli nimirum Iudæi, quos Deus ſui cognitione dignabatur. At ſub N.T. omnis caro, nullo diſcrimine Iudæorum aut Gentium ad ſalutarem illam Gratiam vocari debuit. Omnis, inquam, caro; non vt vniuerſaliter intelligatur, pro omnibus & ſingulis quotquot futuri erant vſque ad finem ſæculorum, neque enim fides aut Dei Gratia eſt omnium; ſed vt intelligatur ſpecialis vniuerſitas fidelium & electorum, ſicut ipſe Ioël exponit, qui quod dixerat omnem carnem, poſteà exponit ℣.32 Omnes qui inuocauerint nomen Domini, nullo diſcrimine ætatis, ſexus aut conditionis. Non ætatis nam de ſenibus & Iuuenibus loquitur: Non ſexus nam filios & filias nominat: Non conditionis, Nam ſeruos & ancillas vnà cum aliis comprehendit. Modus deinde beneficij explicatur, cum dicitur ſanctus Spiritus non ſimpliciter donandus, ſed effundendus, quo verbo nemo neſcit copiam & abundantiam ſignificari. Et ſolet Scriptura ſpiritualem Gratiam aquæ nomine deſignare, qua in terram aridam non guttatim inſtillatur, ſed deſuper effunditur copioſè, vt eam fœcundet & lætificet, Eſa.55.1.Zachar.14.8. Ioan.4.10. Excellentia denique donorum ſignificatur vocibus Inſomniorum, Viſionis & Prophetiæ. Vbi rurſus obſeruanda Prophetarum loquendi ratio, qui per res aut actiones in V. Teſt. frequentatas, ſolent Noui fœderis beneficia deſignare. Quia igitur Deus olim per ſomnia, viſiones & Propheticas illuminationes ſolebat Veterem illum populum inſtituere, inde fit vt illis vo-

cibus

cibus significetur eximia illa cognitio rerum spiritualium & cœlestium quæ Messiæ temporibus fuit communicanda longè supra mensuram illam quam Deus Iudaico populo dispertitus olim fuerat. Nec verò vis facienda est in vocabulis, quasi Deus per extraordinaria illa media Christianos instituturus esse significetur, cùm norimus Deum multis vicibus & modis olim locutum fuisse Patribus per Prophetas, nunc autem nobis loqui per filium suum Heb.1.1.2. In scripturis scilicet quæ possunt nos plenè instruere & sapientes reddere ad salutem, 2.Tim.3.15.16.

6. Itaque cùm hic prophetandi verbum legimus, non debemus intelligere præcipuè de vaticiniis & prædictionibus rerum futurarum, quam Gratiam non nisi paucissimis concedi certum sit, aut de munere publicè in Ecclesia docendi, cùm sciamus mulieribus in Ecclesia loqui non esse licitum, 1.Tim.2.12. Quæ tamen hîc non minùs quàm viri dicuntur prophetaturæ. Hæc igitur omnia referri debent ad salutarem rerum cœlestium cognitionem, quibus Deus fideles suos quantum satis est imbuit.

7. Sed nominis vim vt meliùs percipiamus, videndum est, quâ ratione Christus & Prophetæ hac appellatione insigniti fuerint. Certè Propheticum munus antiquitus tribus istis capitibus præcipuè continebatur. 1. Prophetæ intus à Deo docebantur, & Spiritu illuminationis donabantur, vnde dicuntur locuti fuisse acti à Spiritu S.2.Pet.1.21. Et Christus testatur Spiritum Domini fuisse super se, seque ab illo fuisse vnctum vt Euangelizaret, Esa.61.1. Luc.4.18. 2. Quòd à Deo prophetæ acceperant, illud non apud se continebant, sed foràs efferebant ad institutionem & consolationem populi; Et Christus testatur se docuisse quod audierat à Patre, Ioan.15.15. & Apostolos jubet ire ad omnes nationes, vt ea doceant quæ ipsis mandauerat, Matth.28.20. & Esaiæ Deus imperat vt exclamet gutture ne se cohibeat, sed extollat vocem suam tanquam buccinam, Esa.58.1. Adeoque cùm impositum à Deo munus detrectaret Ionas, ad illud seuerâ castigatione reuocatus est, Ion.1. 3. Veritatem non modò docere debuerunt, sed & propugnare constanter inter pericula & persecutiones quaslibet. Et Christus in hunc mundum se venisse dicit, vt nihil obstantibus variorum hostium furoribus testimonium veritati perhiberet, Ioan.18.37. Et propter firmam & constantem veritatis defensionem indigna multa Ieremias perpessus, & Daniel in Leonum foueam detrusus est. Hæc jam proportione quadam ad omnes Christianos accommodanda sunt.

7. Prophetiæ igitur Christianorum ratio in tribus præcipuè consistit. Primum est, quòd Deus non tantùm eos verbi exteriùs sonantis ministerio instituit, sed etiam interiori S. Spiritûs illuminatione dignatur, & dispulsis cæcæ mentis tenebris cœlesti diuinaque luce collustrat ad percipienda, quantum sufficit ad salutem, Regni cœlestis mysteria. Huc spectant testimonia de fidelibus θεοδίδακτοις, à Deo edoctis, vt scilicet prædicatam doctrinam intelligant & verâ fide amplexentur, Esa.54.13.Ioan. 6.4. Acceperunt enim Spiritum qui ex Deo est, vt cognoscant quæ Deus est ipsis gratificatus, 1.Cor.2.12. Et habent vnctionem à sancto, & nô-

runt omnia, 1.Ioan.2.20. Id est habent à Christo vero sanctificationis fonte ac dispensatore donum Spiritus S. quo illuminante sufficientem cognitionem adipiscuntur omnium cœlestis doctrinæ partium ad salutem necessariarum. Quin etiam Scriptura eò aliquando progreditur, vt docere videatur nihil opus esse fidelibus, ut à quoquam in via Domini instituantur. Nemo, inquit Deus, Ierem.31.34. Eo tempore docebit proximum suum, quia omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum quod repetit Apostolus Noui fœderis præ Veteri Test. dignitatem explicans, Hebr.8.11. Neque verò est quòd putemus cum Veteribus & Scholasticis nonnullis, esse illa verba intelligenda de perfectione notitiæ quâ donabimur in futura vita Deum coràm intuentes, neque vllius vel hominis vel Angeli opera & documentis ampliùs indigentes: cùm omnia clament, hæc de fidelibus dici in hoc mundo viuentibus, quibuscum Deus fœdus suum pepigit, in quorum cordibus legem suam scribit, quibus peccata condonat, & quos ad sui cognitionem perducit. Sed neque restringi par est ea verba ad Apostolos, quasi solis illis hæc prærogatiua concederetur, cùm ad fœderatos omnes pertinere dicatur, & ad omnes fideles illud accommodet Ioannes, quod non opus habeant à quoquam doceri, 1.Ioan.2.27. Nec denique trahenda verba ad impugnandam Ecclesiastici ministerij necessitatem, quasi sub Nouo Testamento inutilis esset externi verbi prædicatio: sed notandum est potiùs iis locis contineri figuratam quandam loquendi rationem, quam vsurpat Scriptura, vt eo faciliùs lectorum mentes ad considerandam & pensandam pro merito tantæ gratiæ magnitudinem attollat. Vt enim cùm dicitur 1.Reg. 10.27. tempore Solomonis argentum in Ierusalem fuisse sicut lapides, nemo non intelligit esse hyperbolicam phrasin ad denotandam ingentem auri argentique copiam, quam Solomo collegerat. Ita cùm dicitur nihil opus esse, vt aliquis sub Nouo Testamento fideles doceat, phrasis est ex vsu populari desumpta, vt significetur eâ mensurâ donandum Spiritum, vt non opus sit magno labore aut molestia in edocendis piis, & sub ista Euangelij gratia, longè vberiorem fore cognitionem, quàm fuerit olim sub Veteri Testamento. Intelligendum igitur hæc, non ita simpliciter accipi debere, sed per comparationem quandam ad designandam salutaris notitiæ sub Euangelio tum facilitatem, tum vbertatem.

8. Alterum in quo ista Prophetia constituitur, hoc est, quòd fidelis ita doctus & institutus à Deo, veritatem agnitam non in obscuro patitur delitescere, neque lucernam abscondit sub modio, neque creditum sibi talentum defodit, sed in eo seriam nauat operam, vt pro ratione doni sibi concessi alios in cœlestis doctrinæ veritate erudiat aut confirmet. Id muneris injunxit olim patribus familiàs Deus, cùm iussit, vt natos vnusquisque suos legem edoceret, & eis miracula narraret, quæ Deus in populi sui gratiam patrauerat, Deuter.6.7.20. Et quando Prophetæ de Noui Testamenti gratia loquuntur, illud [illegible] quaquam prætereunt, fideles mutuis hortamentis [illegible] ad illos, Esa.2.2.3.Mich.4.1.2.Ierem.50.5.Zach.8. [illegible] ad illud

officium Christianos frequenter excitant, Colos. 3.16. 1. Thess. 5.15. Hebr. 10.24.25. Iud. vers. 21.22.23. Quod officium tanti est apud Dominum, vt qui alium ab erroris diuerticulo ad veritatis viam documentis & exhortationibus suis reduxerit, ei scientia testimonium reddat, quòd ita conuersi animam à morte seruauerit, quatenus salutis instrumentum ipsis fuit, Iacob. 5.19.20. Et in Ecclesiastica historia Ædesmus & Frumentius eo comprimis nomine laudantur, quòd cùm ad Indos penetrassent, non pœnitendos ibi progressus fecerint, & assiduis hortatibus, multos ad Dominum perducendo, Christianæ ibi fidei fundamenta jecerint. Et mulier illa captiua suis præconiis non defraudatur, quæ Iberes, Gentem ad Pontum Euxinum positam, ad veræ pietatis professionem, & exemplo sanctissimæ vitæ, & crebris Institutionibus non inuitarit modò, sed adduxerit.

9. Denique ad prophetiam Christianorum illud esse pertinet, quòd fideles de Christianæ Religionis veritate ita firmiter persuasi sunt, vt ab eâ eiusque professione se nunquam diuelli patiantur, déque illa cuilibet petenti respondere parati sint, 1. Petr. 3.15. eam omnibus bonis præferant, eam vnicè diligant, in eâ totam suæ gloriationis summam constituant, pro ea omnia tolerare velint, quippe qui pro ea omnia possint, nihil aduersus eam, 2. Corint. 13.8. pro ea denique etiam exquisitissima supplicia subire, cùm Deus eo vocat, nequaquam recusent, quippe Christi verbo instituti, Matth. 10.32.33. & tot per omnia sæcula martyrum exemplis animati atque confirmati. Iam verò si ad Christiani rationem pertinent ejusmodi prophetia, quæ & sacra nouit, & de rebus sacris alios instituere potest, & euangelium non erubescit, viderint quomodo de Christiano nomine gloriari possint, qui vel fidem implicitam inuolutamque, id est, ignaram & in mysteriorum diuinorum Scriptura planè peregrinam profitentur, vel ita rationes suas instituunt, vt minante aut imminente persecutionum procella, ad hostes Christi transfugiant, & statjonem suam deserant, & ab apertâ pietatis professione deficiant tantisper dum reflante vento redierit tranquillitas & omnia sint in vado.

CAPVT XIII.

De Christianorum Sacerdotio.

CHRISTIANOS esse Sacerdotes Scriptura non obscuris testimoniis docet, Esa. cap. 61.6. potentem Christi operationem in Ecclesia proponens, & Euangelij primùm ab ipso, tum deinde ab Apostolis prædicati effecta commemorans, fututum dicit, vt fideles Sacerdotes Iehouæ dicantur, & ministri Dei vocentur, i.e. non modò tales audiant, sed & reuera sint. Et Esa. 66.21. Vocationem Gentium describens, Deum dicit assumpturum ex Gentibus in Sacerdotes & Leuitas. Hoc enim quamuis ad pastores Euangelicos referri posse non inficior, qui magno numero primis Euangelij temporibus ex media Gentilitate in sacrum ministe-

rium assumpti sunt: non minùs tamen aptè ad omnes omnino fideles referri possint, quorum ibi dignitatem Scriptura exponit transsumptis ex Sacerdotij Leuitici ratione appellationibus. Sic Ierem. 33.22. Deus promissionem proponens de credentium sub N. Test. multitudine, dicit ad instar exercitus cœli multiplicandum semen Dauidis & Leuitas ministrantes Domino: Vbi quos vocat semen Dauidis, nempe credentes, qui alibi semen Abrahæ, seu Abrahæ filij secundùm promissionem dicuntur, Rom. 9.7.8. Eosdem vocat Leuitas ministrantes, nempe vt sicut in vocabulo seminis Dauidis regia dignitas, ita in nomine Leuitarum Sacerdotalis fidelium excellentia significetur. Atq; illud etiam longè antea Deus Exod. 19.6. designatum voluerat augusta illa appellatione, qua Israelem suum honorat, dum vocat regnum Sacerdotum. Quanquam enim velint aliqui, atque in eis Cajetanus in 1. Petr. 2.9. nomen illud relationem suam totam habere ad Aaronicum Sacerdotium, & Regnum in familia Iudæ constitutum, ita vt dignitas illa vtraque collata dicatur populo, non vt singulis, sed vt vniuersis, quatenus nimirum in vniuersitate Iudaïci populi erat & dignitas Sacerdotalis & dignitas Regalis. Spirituale tamen aliquid & mysticum eâ appellatione denotari nemo negauerit, qui verba Petri expendet, 1. Petr. 2.9. Vbi communia fidelibus omnibus beneficia explicans, & locum eum Mosis alludens docet eos esse βασίλειον ἱεράτευμα, Regale Sacerdotium: neque aliud sibi voluit Ioannes, dum eos dicit esse Reges & Sacerdotes, Apoc. 1.6. & 5.10. Sanè vero ea fidelibus nomina attributa sunt, cùm nulli adhuc principes & Reges Christo nomen suum dedissent, adeoque dici non debuit fideles vocari Reges, quia in eorum Vniuersitate vigeret Regia dignitas. Itaque titulos illos Regum & Sacerdotum in fideles & pios omnes Christianos competere, & Veteres agnouerunt, & Pontificij non diffitentur. Bellarminus enim lib. 4. de Sacr. Euch. cap. 16. Basilium laudat lib. 2. de Bapt. c. 8. expressè docentem, omnes Christianos esse Sacerdotes: Et Catech. Trid. p. 2. cap. 7. distinguit inter Sacerdotium internum & externum, docetque ratione Sacerdotij interioris omnes fideles, postquàm salutari aqua sunt abluti, Sacerdotes dici, & præcipuè justos & qui Spiritum Dei habent, & diuinæ Gratiæ beneficio Iesu Christi summi Sacerdotis viua membra effecti sunt.

2. Quia verò Sacerdotis nomen relationem habet ad Sacrificium, ita vt à sacrificandi munere Sacerdos appelletur, videndum est quænam sint ea Sacrificia, propter quæ Sacerdotum nomine Scriptura Christianos condecorat. Nimirum non ita dicuntur, quòd victimas corporales & externas aliunde adductas offerant, aut bestias Deo immolent, vt factum sub Mosaicâ ceremoniarum lege: absit enim vt tirûs illos per Christum abolitos in Ecclesiam reducendos putemus. Non quòd corpora nostra vel animas in Sacrificium Expiationis aut in Redemptionis precium offerenda existimemus, qui nouimus Christum hoc significatu verum esse & vnicum in Ecclesia Sacerdotem, in cujus officium nemini liceat inuolare. Aliæ igitur hujus appellationis rationes conquirendæ sunt. Nempe cum Sacrificiorum alia sint λογικὰ, alia ὑλικὰ, & verò Christianorum

notum Sacrificium ἱλαστικὸν vnum sit, quod Christus Deo Patri pro Redemptione animarum nostrarum obtulit, consequitur vt Christianorum Sacerdotium in Sacrificiis tantùm Eucharisticis constitui debeat, quæ cùm varij sint generis, etiam Sacerdotij rationem variis capitibus contineri necessum est. Neque verò nos hic scrupulosiùs desudabimus in iis omnibus expendendis, quæ de Veteribus Sacerdotibus in Scriptura docentur, vt ad Christianos analogia quadam accommodemus : sufficiet ad quatuor capita totam Sacerdotij nostri rationem reuocare.

3. Imprimis ergo Christianorum Sacerdotium consistit in abnegatione nostri & crucifixione veteris hominis, & concupiscentiarum carnis mortificatione. Caro siquidem & cupiditates carnales atque affectus sunt victimarum instar, quas spirituali quadam immolatione jugulare oportet, vt ne in nobis ampliùs viuant. Atque apud Israelitas quidem bestiæ immolabantur mites & cicures, boues, oues, agni, columbæ, quæ ducentibus ad altare facile præstabant obsequium, neque vbi mortuæ fuerant, iterum resurgebant in vitam. At nobis cum passionibus & concupiscentiis illis res est, quæ militant aduersus animam nostram, & ferarum instar habent sæuissimarum & contumaciter oblu-ctantium, quæ nunquam ita jugulantur, vt non sæpiùs reuiuiscant, & aduersus nos ferociant, quæque adeò exitium intentaturæ sint, nisi desuper gratiam suam Spiritus S. infunderet & aduersus earum impetum idoneis viribus nos instrueret. Ad spirituale istud sacrificium referri debet, quod Christus ait, Matth.5.29.30. si oculus noster aut dextra faciant vt offendamus, eruenda illa protinus & abjicienda. Vbi oculi & dextræ nomine, non externa membra, sed interni affectûs vitiosi, & impotentes animi motus ad illicita nos compellentes intelligendi veniunt, adeoque quicquid est nobis in hac vita charissimum, quatenus vel ad malum nos impellit, vel à bono nos retrahit. Ea enim omnia vel procul abjicienda, vel quasi immolanda sunt, & immolatione consumenda, ne ampliùs nocere valeant. Hinc nascitur spiritus contribulatus, sacrificium Deo gratissimum, Ps.51.19.

4. Consistit deinde Sacerdotium nostrum, in affectu sincero & summo, certoque proposito & nos & nostra omnia Deo offerendi. Nos quidem ipsos; hæc enim est oblatio illa membrorum nostrorum, id est, omnium facultatum naturalium, animæ nostræ per organa corporis actus suos exercentium, de qua Rom.6.13. Hæc hostia illa viuens & sancta, de qua Rom.12.1. Deinde nostra omnia, id est, quæcunque habemus vel naturalia vel spiritualia dona, quæ omnia parata habere debemus tum in Dei gloriam & honorem, 1.Corinth.10.31. tum in ædificationem proximi, 1.Thessal.5.11. cauentes ne scandalum fratri nostro ponamus, Roman.14.13. atqui ita certissimam nobis prædicationem accersamus, Matth.18.6.7. Huc pertinet, quod fidelis cùm occasio postulat, pro Dei gloria & Euangelij veritate paratus est ad jacturam alacriter faciendam & bonorum omnium, Hebr.10.34. & existimationis suæ, 2.Corinth.6.8. quæ sunt stigmata illa Iesu Christi in quibus Paulus gloriatur, Gal.6.17.

Et denique vitæ suæ quam pro nomine Christi amittere, seruare est Matth.10.39.Vnde gauisurum se dicit Apostolus,Philipp.2.17.si pro libamento offeratur super hostia sacrificioque fidei Philippensium, id est, si accedit ei vt morte suâ spirituale illud sacrificium fidelium sanciat, & hoc velut additamento obsignet.

5. Tertia istius Sacerdotij pars consideratur in oblatione precum & εὐχαριστίας actionisque Gratiarum siue pro nobis siue pro fratribus nostris. Vnde orationes fidelium modò thuri & suffitibus comparantur,Ps.141.2. Apoc.5.8.& 8.3.4.modò victimis sub lege immolatis, ideoque vocantur vituli labiorum, Ose.14.2. Hebr.13.5. Imò sacrificiis externis vitulorum longè præferuntur, Psalm.69.31.32. Sed distinctionis gratia dicuntur sacrificia actionis gratiarum, Psalm.116.17. & laudis, Hebr.13.15.Hoc habentia commune cum veteribus oblationibus quòd sicut illa in altum tollebantur coram Domino,Leuit.13.17.ita jubet inter orandum Apostolus vt manus puras attollamus ad Deum, 1.Tim.2.8. quod signum est ardoris in precibus & eleuationis cordium ad Dominum; sicut & procubitus in genua humilitatis est Symbolum.

6. Deniq; Sacerdotum etiam munere funguntur Christiani in omnibus illis sinceræ charitatis officiis, quæ juxta Dei præceptum in proximos suos exercent, siue consolentur afflictos, siue errantes in viam reducant, siue dubiis & anxiis consilia sua impertiantur, siue pauperibus eleemosynas largiantur, siue peregrinos hospitio excipiant, siue denique alio quouis honesto & legitimo modo proximis subueniant. Hinc est quòd beneficentia & communicatio siue liberalitas quæ sua proximis libenter impertit, siue quæ vsibus & necessitatibus sanctorum communicat, Roman.12.13. dicuntur esse sacrificia Deo accepta, Hebr. 13.16. & quòd eleemosynæ Cornelij Centurionis vnà cum ipsius orationibus dicuntur tanquam oblationes quædam spirituales ascendisse coram Domino, Actor.10.4. sacrificiorum scilicet illorum instar, quæ cùm à Noacho essent oblata Domino, dicitur Dominus odoratus esse odorem odoratissimum, Genes.8.21. Et quòd subministratio quæ facta est à Macedonibus & Achæis in sanctos & fideles Ecclesiæ Ierosolymitanæ vocatur oblatio supplens defectus siue necessitates sanctorum, & redundans in multas gratiarum actiones apud Dominum, 2.Corinth. 9.12.

CAPVT XIV.

De Regia Christianorum Dignitate.

1. DENIQVE de Regia fidelium dignitate dicturis tria se capita exponenda offerunt: Primum erit de statu ipsorum & conditione; alterum de officiis & actu, postremum de decoramentis & ornatu. Primùm ergo dicimus fideles esse Reges conditione & statu, veros,inquam, omnes

omnes fideles, nullo magistratuum & subditorum, superorum & inferorum, diuitum aut pauperum discrimine, quippe cum ista conditio non in rebus externis & caducis, sed in præstantia cœlesti & spirituali spectari debeat. Quod iis Scripturæ locis ostenditur, vbi fideles & Reges & Sacerdotium regale dicuntur, Apoc.1.6.1. Pet.2.9. Et dicuntur constituti Principes super terram Psal.45.17. Vbi Psaltes ita Christum alloquitur, loco patrum tuorum nascentur tibi filij, præpones eos Principes super omnem terram. Quæ verba non posse ad Solomonem & ejus posteritatem referri certo certiùs est, cùm Solomon filium vnicum Roboamum habuerit, hic plures filij promittantur: Et Roboami temporibus ita laceratum fuerit regnum, vt ex duodecim tribubus quibus imperarant pater Solomo, & auus Dauid, decem ipsius imperio sese subtraxerint: Hic autem de filiis agatur, qui regnaturi sint super totam terram. Est igitur ad Christum Psalmus necessariò referendus. Sed quòd de constituendis principibus dicitur, referunt multi ad Apostolos & Apostolorum successores, adeoque pastores & Episcopos, vt illi dicantur Principes super totam terram, quoniam eam Christo verbi prædicatione subjugauerunt, quod est sceptrum illud diuinæ potentiæ in Gentes omnes tranimittendum, Psal.110.2. Neque ad eos eximia quadam & peculiari ratione referendum neganerim, sed ita vt ne reliqui fideles ab ejus tituli participatione putentur excludendi. Reliqui fideles, inquam, in hoc sæculo degentes. Nam quòd Costerus ad Sanctos cœlites refert, quasi dicantur ji principes super totam terram, quia hæc terrena curent & administrent è cælis, & autoritatem habeant impios cohibendi & pios ex ipsorum manibus eripiendi, ita vt possint beneficio gloriæ suæ quicquid possunt Reges potestate, opulenti diuitiis & docti sapientia, in eo frustra desudat, neque habet vel antiquos astipulantes, vel fauentem Prophetæ scopum. Non ignoro Theodoretum in h.l. de Apostolis & Martyribus post mortem intelligere, quippe quos dicat terra mariqúe dominari, & imperium gubernare, & omnes homines habere subditos, alios amore, alios timore. Sed Theodoreti sensum explicat in eundem locum Euthymius, hujus mundi administrationem docens ad Apostolos & Martyres pertinere, quatenus eorum præceptis & monitis scripto traditis fideles vbique Gentium obtemperant. Imo ipse se Theodoretus exponit lib.8. de Curat. Græc.affect. Vbi docet Apostolos mortuos nunc quoque vertendis ad Christianam Religionem populis ea conficere, quæ cùm viuerent faciebant, nempe vt explicatur sequentibus, quia monumenta scripta nobis reliquerunt, quæ sunt hominibus cunctis fidelibus clarissima. Scopum verò Prophetæ si bene obseruamus, reapse comperiemus ipsum de Ecclesia militanti agere quam vers.17. mirè commendat à fructu Spiritualis sui cum Christo conjugij, quippe vnde nascituri sint plurimi & glorioſi filij, qui paterni regni sint futuri consortes. Eusmodi porrò generationem spiritualem in hoc sæculo peragi non est dubium: hic enim nascimur Dei Filij in Ecclesia militante 1.Pet.2.2. vt adolescamus tandem in virum perfectum ad justam staturam Filij Dei, quod fiet demum in æternâ vitâ Eph.4.13.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

2. Consequens ergo est vt hæc verba, constitues eos principes super totam terram referamus ad fideles. Nempe loco Patrum Christi, id est loco, nationis Iudæorum, ex quibus Christus secundùm carnem oriundus fuit, nasci debuerunt in Ecclesia Christiana multi filij, id est Christus habiturus fuit pro populo totum credentium multitudinem latè per totum terrarum orbem disseminatam. Dicuntur autem illi futuri principes per totam terram non terrenum principatum adipiscendo, sed spiritualem in Christo dignitatem obtinendo, quatenus scilicet suo gradu & mensura, spiritualis Christi regni consortes fiunt & participes.

3. Præterea probatur eadem Regia fidelium dignitas ex iis omnibus locis, vbi fideles dicuntur esse Filij Dei, nimirum per cœlestis adoptionis gratiam. Quis enim dubitet quin filij patrum conditionem sequantur & referant; Ita enim filij nobilium sunt nobiles, & filij plebeiorum plebeij; Ita liberi liberos. & serui seruas progenerant: Ita filij Regum Principes sunt, & Regiæ dignitatis consortes, adeoque regni ipsius hæredes. Itaque Apostolus ex eo quòd sumus Filij Dei colligit nos esse hæredes Dei, Roman. 8. 17. Vt ergo nemo melioni titulo Rex est, quàm Deus Rex Regum & Dominus Dominantium: Ita optima est ratio, quâ fideles ex Deo, spirituali regeneratione nati, Regiæ dignitatis dicuntur esse participes.

4. Officia verò quod attinet, non possunt ea melius & familiariùs explicari, quàm eorum comparatione in quibus constituitur Regum & Principum terrenorum officium, quod certum est duobus capitibus contineri Regimine nimirum proprio, & alieno siue publico. Regimen proprium voco, quo Rex erga Deum, erga se, & erga suos obstrictus est. Erga Deum pius esse debet, eum colere, ejus legibus se obstrictum fateri, ab ejus nutu dependere, à quo dignitatem suam obtinuit. Erga seipsum sobrius & temperans. Erga suos Iustus, Clemens; beneficus. Publicum verò regimen in bello & in pace spectatur. Ergo pacem amare debet, colere, stabilire & curare vt leges & justitia vigeant. Cùm verò necessitas eum ad arma vocat, omnia tuta intus præstare debet, fines munire, exercitus colligere hostium impetus frustrari artes & consilia detexere, & cùm opus est, prælio decernere, suos verbis ad virtutem stimulare, exemplo animare, omnia denique strenui ducis munia exequi. His omnibus qui probè defungitur & legitimo modo Regni sui Dominus est.

5. Hinc jam patet quàm multa sint officia ad Regiam Christianorum dignitatem spectantia. 1. Quòd Reges sunt spirituales, agnoscant id se non habere ex propriis meritis, quasi Regnum illud industria sibi & virtute sua quæsiuissent. Dei munere, & Christi gratia sunt ad illud vocati, Apoc. 1. 6. Luc. 22. 29. & 12. 32. 2. Itaque Deo viuere debent, ejusque legibus se se subjicere, neque Regio titulo ad luxum & nequitias abuti: Hoc enim non Regum est sed tyrannorum. Sitam potiùs agnoscant in eo maximam suam dignitatem, vt Christi sceptro spirituali id est verbo diuino se totos regendos tradant. 3. Vt piè erga Deum, ita sobriè ac temperanter erga seipsos; Iustè ac fideliter erga proximos suos se se gerant, Tit.

2. 12.

2.12. 4. Pacem colant, sequantur, tueantur, veram illam & spiritualem præcipuè quæ pars est nobilissima regni Dei, Rom.14.17. Quæque consistit in intimo sensu charitatis quam Deus in corda nostra effundit, Roman.5.6. & quæ effectus & Iustificationis nostræ, Rom.5.1.Esa.32.17. Tum pacem etiam quà fieri potest, foueant cum omnibus, Rom.12.18. vt ita cœlesti conscientiæ tranquillitate fruantur, cùm vera fidelium gloria sita sit in testimonio bonæ pacatæque conscientiæ, 2.Corinth.1.12. 5. Norint ἄσπονδον sibi bellum esse aduersus hostes ferocitate, potentia, calliditate timendos, mundum, carnem, peccatum, diabolum, mortem, infernum. Assumant ergo armaturam fortium, Eph.6,12.13. & arma illa diuinitus efficacia ad subuertendas Aduersariorum munitiones. 2.Cor.10. 4.5. Muniant pia sollicitudine pectus & animam aduersus impetum & artes quascunque hostiles, & fines suos tueantur & præparent corda sua Domino, 1.Sam.7.3. Et caueant ne per viam sensuum hostis intus obrepat. Itaque fœdus pangant cum oculis suis, Iob.31.1. Id est eos ita componant & submittant obedientiæ Spiritûs, vt ab illis conspiciendis abstineant, quæ possunt ad peccatum allicere, cùm concupiscentia oculorum non sit ex patre, sed ex mundo, 1.Ioan.2.16. Aures obturent carnis & mundi blanditiis, sicut obstruit aurem serpens incantationibus, Psal.58.5.6. Curent vt ne lingua loquatur iniquitatem, neque labia pronuncient dolum, Iob.27.4. Psal.34.14. & 39.2. Denique sistant membra sua non arma Injusticiæ peccato, sed arma justiciæ Deo, Rom.6.13.

6. His muniis qui probè defunctus fuerit, eum certè Christus tum Regni gratiæ participem in hoc sæculo, tum Regni gloriæ consortem in futuro constituet, imò & Dominum hæredemque totius mundi efficiet, quatenus id præstabit, vt cùm Impij rebus & beneficiis temporalibus indignè abutantur, Deique Gratiam ad lasciuiendi occasionem transferant, Iud.ỳ.4. Vnde ipsis nihil purum est, cùm polluta sit eorum mens & conscientia, Tit.1.15. è contra pij vsu libero & Sancto creaturas omnes vsurpent, eisque fruantur ad animarum suarum salutem, cùm sint ipsis omnia sanctificata per Verbum Dei quo declaratur posse ipsos iis vti bona conscientia, 1.Tim.4.5. Vnde dicuntur etiam omnia munda esse mundis, Tit.1.15.

7. Ornatus denique & decoramenta ad Regiam nostram dignitatem spectantia possunt per appropriationem & analogiam quandam in ornatu & insignibus regum terrenorum spectari. Reges enim solemnibus quibusdam ceremoniis consecrantur & inaugurantur. Deinde habent suum palatium ad habitationem, satellitium ad conseruationem, consilium ad gubernationem, delicatos cibos ad victum, pompaticas vestes ad amictum, coronam & sceptrum ad dignitatem, thronum seu tribunal ad majestatem. Atque iiis omnibus eminent supra vulgus & subditos suos.

8. Christianum ergo consideremus similibus sed spiritualibus decoramentis insignem. 1. Solemnis est & sanctissima ceremonia quâ Deo consecratus & in Regiam dignitatem inauguratur, nempe Baptismus, vbi hæres Dei, cohæres Christi, Regni cœlestis consors declaratur, & symbo-

lum recipit quod ex Regno tenebrarum in Regnum lucis translatus sit. Vnde eximiæ illæ nomenclaturæ Baptismi apud Veteres; quod sit diuinitatis communio, adoptionis filiorum Dei participatio, sempiternæ hæreditatis arrhabo, futurorum bonorum primitiæ, seruitutis depulsio, vinculorum solutio, cœlestis regni clauis, &c. 2. Habet pro domicilio Ecclesiam, i.e. domum, ciuitatem, palatium, templum Dei, Ecclesiam, inquam de quâ tot honorabilia dicuntur, Ps.87.3. & quæ sola sacro deitatis lumine collustratur, dum reliqua omnia in hoc terrarum orbe sordem, & merâ caligine sunt obducta. Inde gaudium prophetæ quod in domo Dei sit in perpetuum habitaturus, Psalm.23.6. & 27.4. 3. Habet pro suo satellitio Angelos, qui quanquam multis eum nominibus antecellant, non dedignantur tamen castrametari in circuitu fidelium, Psal.34.8. 2.Reg.6.16.17. prout curam acceperunt nostræ conseruationis, Psal.91.11.12.Heb.1.14. 4. Neque certo & fideli consilio destituitur, vt sæpe regibus accidit, & Roboamo res suæ mala cesserunt propter consiliariorum temeritatem; neque enim semper magni sapiunt, neque senes semper intelligunt Iudicium, Iob.32.9. At fidelis eos habet consiliarios, qui sunt extra omnem erroris, ambitionis, infidelitatis aleam positi, Prophetas, inquam, & Apostolos, id est totam Scripturam sacram perfectè nos instruentem, Psal. 19.8.9. 2.Tim.3.15.16. in quo cumprimis Dauid gloriatur, Ps.119.24. 5. Victus fideli paratus est longè magnificentissimus: non ille quidem carnalis & corporeus, in quo non est situm Regnum Dei, Rom.14.17. Sed totus spiritualis & cœlestis, & permanens in vitam æternam, quem Deus parat nobis, Ioan.6.27.Psal.23.5. Nempe tum verbum suum cœleste, quod melle dulcius est, Psal.19.11. & 119.103. Quodque vinum illud est & lac inemptum, in quo consistit pinguedo & vita animarum nostrarum, Esa. 55.1.2.3. Tum caro & sanguis Iesu Christi, qui verus est cibus & potus animabus nostris, Ioan.6.55. 6. Vestitus quoque splendidissimus est, justicia nimirum & sanctitas Christi, quo in die inaugurationis, id est Baptismi nostri vestimur, Gal.3.27. Atque hæc est Iustitia illa imputata, quæ sordes nostras obtegit vt sancti & irreprehensi sistamus coram Deo, 2.Cor.5.21. Accedit etiam vestis Regenerationis siue noui hominis, Eph. 4.24. quæ habet intextam materiam, humilitatem, caritatem, &c. Col.3. 12.14. 1.Petr.5.5. Quod significatur Ps.45.14.15. vbi dicitur filia regis, id est Ecclesia esse tota intus glorioſa, & indumentum ejus ex vestibus phrygionicis auro ocellatis. 7. Adde coronam, quâ fidelis redimitur, eaque duplici: Nam & in hoc sæculo gratiæ misericordiæque corona cingitur, Ps.103.4. & in futuro corona vitæ gloriæque cœlestis decorabitur, Apoc. 2.10. 8. Habet denique thronum in quo consideat, qui ei paratus est in cœlis, Apoc.2.21. & ideò dicuntur fideles mundum judicaturi, 1.Cor. 6.2. non in persona quidem suâ, sed in communione Christi, quatenus regni ejus erunt participes.

CAPVT

CAPVT XV.

De Christianorum officiis erga Deum & Christum. Ac primum de Religione, eiúsque significatis.

POST expositum prius hujusce tractationis caput, quod de Dignitate Christianorum erat, sequitur alterum explicandum de ipsorum erga Deum & Christum officiis. Cùm enim tanto sint prærogatiuarum cumulo à Patre cœlesti donati, & Vnione Christi dignati, & Vnctionis eius spiritualis participes facti postulat beneficij ratio, vt qui paria referre nunquam possunt, gratitudinem saltem suam testentur. Et sunt officia quidem illa plurima, si sigillatim enumerare velis; sed vno tamen, timoris, cultus, siue adorationis religiosæ nomine comprehendi possunt. Itaq; Scriptura paucis verbis & Dei beneficia, & fidelium officia describens, docet apud Deum esse conditionem siue propitiationem vt reuerenter colatur, Psalm.130.4. Vbi sicut Dei Gratiam condonationis nomine: ita quicquid est officij nostri, cultus seu timoris voce Regius Propheta complectitur. Et cùm in timore Dei caput siue summam veræ sapientiæ psaltes idem collocat, Psalm.111.10. eadem ratione docet nullam esse partem officij nostri, quæ non ejus vocabuli latitudine contineatur. Vnde qui verorum Christianorum partibus defunguntur, eos Scriptura passim vocat Dei timentes, θεοσεβεῖς, θεοσεβεῖς, θεοσεβεῖς, Dei cultores, pios, religiosos, Iob.1.1. Psalm.34.10.& 8.2.Luc.2.25.Actor.2.5. & 10.2.Ioan.9.31.&c. Timorem autem & adorationem Dei nemo dubitabit vno eodemque significatu accipi, qui obseruârit, quod dicitur Deut.6.13. Deum tuum timebis, id Matth.4.10. his verbis exprimi, Dominum Deum tuum adorabis. Timorem hunc siue Religiosum cultum, & adorationem definire possumus, obseruantiam ea præstantem quæ ad debitum honorem Deo & Christo deferendum directè pertinent.

2. Adorationis religiosæ vel ipsa appellatio docet ad eius naturam intelligendam duo capita explicari debere, alterum de Religione, alterum de Adoratione. Quam Latini Religionem vel pietatem vocant; ea Græcis θρησκεία est & θεοσέβεια, siue εὐσέβεια. Nec Fauorinum audio θρησκείαν ab εὐσεβείᾳ ita distinguentem, vt illa sit δαιμόνων σέβας, præstitus dæmonibus & falsis diis cultus; hæc verò θεοσεβὲς σὺν τῇ ἁγίᾳ πειθοῖ, adoratio sanctæ Trinitatis; cùm certum sit ex Scripturæ vsu θρησκείαν etiam de vero Dei cultu dici: nam ita nominatur Religio Iudaica, Actor.26.5. & Christiana, Iac.1.26.27. Cujus nominis etymon quanquam vulgò arcessunt à Thracibus, quasi Orpheus natione Thrax Deorum sacra & cultum Græcos primus edocuerit: ad eos tamen facilius accesserim, qui vel ἀπὸ τοῦ τὸν θεὸν δερκέσθαι, quod est Deum videre, vel ἀπὸ τοῦ τῷ θεῷ ἀρέσκειν, quod est Deo placere, vocis notationem deducunt, quia etymologiæ illæ aliquid docent quod ad Religionis rationem & propositionem pertinet.

vera enim Religio & nos ad Dei cognitionem perducit, & officia præscribit, quorum præstatione Deo placemus. Θεοσέβεια etiam Scriptura vocat, 1. Timoth. 2. 10. & eum θεοσεβῆ dicit, quem nos Dei cultorem siue religiosum, Ioan. 9. 31. Neque ignotum Veteribus nomen est. Vsurpat Augustinus Enchir. cap. 2. & 3. apud Clementem Alexandrinum in libris stromaton occurrit frequentissimè, vt nulla ratione negarit Vasquez in 3. disp. 93. cap. 1. apud Patres de Dei veneratione agentes parum esse frequentem istius vocis vsum.

3. De Religionis etymo variè quoque sentiunt Grammatici. Aliis placet à relegendo deduci, quòd frequenter relegi, id est, diligenter pertractari & recoli memoriaque repeti oporteat ea quæ ad Dei cultum & honorem pertinent. Alij malunt à religando dici, quòd per eam Deo vniamur & religemur in fidele obsequium. Priorem notationem secutus est Cicero, posteriorem Lactantius. Seruius in Æneid. 12. maluit dictam, quòd eâ homines regantur ad cultum diuinum. Scholastici *quibus barbara & Latina vocabula eodem censu habentur*, nouum sibi finxerunt religendi verbum, vt inde Religionem deducerent, quòd ejus beneficio Deum, quem per peccatum abjeceramus denuò eligamus. Hoc interim obseruatu non indignum, & Græcæ & Latinæ vocis etymologiam omnes eas esse, quæ doceant Religionem non aliò quam ad Deum esse referendam, neque aliud objectum habere quod respiciat.

l. quibus fauere videtur Augusti. l. 10. de C. D. cap. 4.

4. Factum est tamen propter varias proprietates, conditiones & accidentia Religionis, vt Latini scriptores eo nomine ad varias significationes vtantur. Nam, 1. quia nihil est in quod incumbere debeamus diligentiùs, quàm Religio, hinc fit vt justam muneris cujuscunque honesti functionem, Religionem vocent. Omnium officiorum religione obstringi, apud Cic. Act. 4. in Verr. 2. Quia vera Religio diuini numinis motum & reuerentiam adjunctam habet, ideò Religionem sæpiùs accipiunt pro metu & timore. Religio pauidos terrebat agrestes Dira loci. Virgil. Æn. 8. & Cicero pro Fonteio, Religionem Iurisiurandi, & testimoniorum Religionem Orat. pro Flacco vocat, metum illum quo cauent homines ne pejerantes nomen offendant. 3. Quia in iis quæ ad religionem pertinent magna cura ac cautio adhibenda est, nequid perperam fiat, propterea religio curam aliquando notat & anxiam sollicitudinem, vt in illo veteris poëtæ, non demum animo curas ac religiones Persarum montes. Et apud Ciceronem in Oratore, oratio nimia religione attenuata, id est, nimis curatè & exquisitè elaborata. 4. Quia in negotio religionis bona conscientia imprimis requiritur, factum est vt religio dicatur ipsa recta conscientia, vt cùm Cic. pro Cecinna, senatorem aliquem vocat exemplar antiquæ religionis, id est, bonæ conscientiæ apud antiquos vigentis. Ita quem vulgo dicimus scrupulum conscientiæ, religionem dicunt, & apud Cicer. Injicere religionem, est incutere conscientiæ scrupulum, & soluere aliquem religione, est scrupulum conscientiæ eximere. 5. Quia religionem superstitio imitatur, idcirco κατάχρησις religionis voce significatur superstitio, quæ quia magnorum

sæpe

sæpe malorum causa est, ideò dixit Lucretius. Religio peperit scelerosa atque impia facta. Item, tantùm religio potuit suadere malorum. Hoc sensu Terentius Heautontim. superstitiosas mulierculas & in omnibus hæsitabundas, religiosas vocauit.

V. Sed nos hic propriè vocis vsus Theologicos consideramus: quomodo religionis nomen duas significationes complectitur, vnam latiorem, quà statum denotat, alteram strictiorem quà virtutem significat. Priori sensu Religionem Christianam vocamus statum illum generalem & toti Ecclesiæ Militanti communem, quatenus veram salutis doctrinam, & legitimum Dei cultum profitetur. Quo factum vt communem etiam illum statum populorum & Nationum à Dei fœdere alienarum & falsas doctrinas impiosque cultus profitentium, Religionem per quandam Carachresin vocauerit; hoc enim sensu dicimus religionem Mahumeticam aut Paganam, aut Iudaicam hodiernam.

6. Sed Pontificiis non sufficit ad integram rationem perfectionis Christianæ status ille generalis & communis Deum verè colentium, & sacram ejus doctrinam amplexantium, & ejus præcepta seriò in praxin reuocantium. Itaque alium statum particularem jam à multis sæculis in Christianitatem inuectum laudant & mirantur, eorum nempe qui Monachatum profitentur, & quos solos vt ab aliis Christianis distinguant, religiosos vocant, & eorum professionem, religionem αὐτοφυατικῶς nominant, eamque definiunt, statum hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium. Quod vt explicet Bellarm. lib. de Monach. cap. 2. docet, veram perfectionem in charitate consistere, adeóque vt sunt varij charitatis gradus, ita & varios esse perfectionis gradus; & qui ad excellentiorem perfectionem tendunt, eos viuere in statu quodam perfectiori quàm reliquos omnes. Et vulgus quidem Christianorum teneri Deum diligere, sed non quomodo perfectiores illi diligant. Vulgus enim Deum diligere non quantum creatura potest ipsum in hac vita diligere, sed ita vt nihil æquè aut magis quàm Deum diligat, id est, nihil admittat contrarium diuinæ dilectioni. Sed Religiosos siue Monachos diligere Deum quantum creatura mortalis diligere potest, quæ à se remouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam se Dei obsequio consecrauit.

7. At verò docet quidem Scriptura varios esse in Ecclesia fidelium gradus, siue ratione donorum, vt alij aliis antecellant cognitione, fide, charitate, patientia, &c. siue ratione ordinis, vt alij regant, alij regantur; alij sint pastores, alij auditores. Sed diuersos esse fidelium status in Ecclesiâ, alium scilicet omnibus communem, alium quibusdam peculiarem & proprium, Scriptura non agnoscit, quæ nullibi alium quàm generalem omnium statum insinuat, professionem nempe veri sensus & veri cultus Dei. Nam, 1. Apostolus, Tit. 1. 1. cum fide & veritate pietatem & religionem copulat de cognitione loquens quæ est κατ' εὐσέβειαν, secundùm pietatem aut religionem, vt inde colligamus, sicut ratione fidei & veritatis atque doctrinæ, vnus est omnium status; neque enim alij

aliam veritatem profitentur, sed omnes vnam eandemque tenemus: Ita & ratione cultus atque religionis vnum esse: & proinde, quicunque cultus ad communem omnium Christianorum cultum non pertinet, eum esse non veram θρησκειαν, sed ἐθελοθρησκειαν & cultum voluntarium in Scriptura damnatum, Coloss. 2. 23.

8. Et verò cum status ille peculiaris non aliud habeat fundamentum, quàm propheticas meditationes de variis charitatis gradibus ad omnes Christianos minimè pertinentibus, sed certo cuidam hominum Generi mandatis, qui fundamentum illud subruerit, eadem ratione statum eum peculiarem euerterit. Hoc igitur esto nobis argumentum. Si nullus est perfectionis siue charitatis Christianæ Gradus, qui non communiter imperetur omnibus Christianis, & ad quem non debeant omnes tendere, nullus erit etiam Religionis status, qui non sit omnibus Christianis communis. Atqui nullum esse charitatis & perfectionis gradum, qui non præcipiatur omnibus, & ad quem non omnes aspirare teneantur ex ratione vocationis Christianæ, Scriptura certissimum facit.

9. Nam 1. Præcipit Christus omnibus Christianis, vt sint perfecti, sicut pater ipsorum perfectus est, Matth. 5. 48. Vnde colligo. Nullus est perfectionis gradus eminentior, quàm vt quis sit perfectus sicut Pater cœlestis perfectus est. Atqui ejusmodi Gradus præcipitur omnibus Christianis. Ergo nullus est tam eminens perfectionis gradus, ad quem non jubeantur omnes aspirare. 2. Christus charitatem cunctis præcipiens sese proponit in exemplum, vt nimirum alij alios diligamus, sicut ipse dilexit nos, Ioan. 15. 12. Quis autem dixerit esse posse aliquam dilectionem eâ majorem, quàm quâ Christus dilexit nos? Et si dixerit, annon ipso Christi testimonio confutabitur, docentis non aliam esse majorem charitatem, quàm si quis, quod ipse fecit, animam suam det pro amicis suis, Ioan. 15. 13. Fateor, neminem esse, qui non infinitis parasangis & à Dei perfectione, & à Christi dilectione distet: Sed cùm Scriptura & perfectionem Patris & dilectionem Filij proponit omnib. in exemplum, docet nullum esse inter Christianos qui non aspirare teneatur ad summum Gradum charitatis quò creatura mortalis pertingere potest. 3. Quo modo & quâ mensura Deus velit ab omnibus amari, docet illo præcepto, quo jubet vt ipsum amemus toto corde, viribus, intellectu, potentia nostra, Matth. 22. 37. Quod mandatum cùm Synopticè omnia prioris tabulæ præcepta contineat non minùs ad omnes spectare putandum est, quàm ad omnes pertinent quæ priore tabula legis mandantur. Quæro jam an possit gradus aliquis addi supra totum cor & cogitationem & vires; Et si non potest, annon fatendum sit nullum esse charitatis gradum qui non imperetur omnibus? 4. Doceant verò quis demum sit iste gradus, ad quem omnes ex præcepto non teneantur aspirare. Bellarminus ipsum in eo constituit, vt remoueat homo omnia diuini amoris impedimenta, & totum se Dei obsequio consecret. Quasi verò non omnes fideles in vtrumque illud incumbere debeant. Omnes certè non modò tenentur nihil facere dilectioni Dei contrarium, verùm & jubentur omnia illius

nia illius dilectionis impedimenta remouere, ita vt præcipiat Christus erui oculum dextrum, si sit nobis offendiculo aut impedimento, Matth.5.29. Iubentur item se totos Deo in obsequium consecrare, Rom. 12.1.2.3. Et laudantur Corinthij, qui quanquam intra communem fidelium statum subsisterent, non eo tamen minùs se totos Domino dediderit 2.Cor.8.5. Eant igitur aduersarij cum suo illo peculiari Religionis statu, & agnoscant nihil esse in Scripturis vnde illum stabiliant; esse multa, quæ euertant. Quinimò nec apud Veteres patres Latinos Religionis nomen vsquam inuenient significatione peculiaris ejusmodi status. Nam illi quoties de Religione & Religiosis loquuntur, id nominis toti fidelium communitati attribuant, nusquam ad peculiarem quorundam hominum putà Monachorum aut Eremitarum statum referunt; quod ita certum est, vt ne Bellarminus quidem negare sustineat l.1. de Monach.c.1.

10. Religionis nomen strictiori acceptione Virtutem designat, quâ fidelis Deo debitum cultum interiùs & exteriùs exhibet. Nam cùm omnis actus honestus ad aliquam virtutem referri debeat: Deum autem colere sit inter actus optimos & honestissimos, & à Religione procedat, facilè concludimus Religionem esse inter virtutes computandam. Tum obedientia quæ legi præstatur, virtus est sine dubio eximia. Totam autem obedientiam quæ lege imperatur, duobus membris contineri certum est, Religione & Iustitia: vt Religio prioris tabulæ officia complectatur; justicia posterioris tabulæ mandata respiciat. Nempe sicut totam hominis rebellionem, & corpus illud inobedientiæ in infidelibus agens & viuens Apostolus ad duo capita reuocauit, impietatem & Injustitiam, Rom.1.18. Ita quia contrariorum eadem est ratio, tota obedientiæ Deo debitæ summa duobus capitibus continetur, Religione siue pietate erga Deum, & Iustitia erga homines. Nec pauci sunt, qui eandem distributionem significatam velint iis Scripturæ locis, quæ totam vitæ Christianæ rationem in sanctitatem & Iustitiam partiuntur in quibus etiam imago Dei constituitur, Luc.1.75.Eph.4.24. Vt justitia scilicet, Virtutem denotet debita proximis officia exhibentem. Sanctitas verò virtutem quæ debitum Deo cultum exhibeat. Vnde etiam Thomas 2.2.qu.81. a 8. Sanctitatem & Religionem docet idem esse essentialiter, & ratione tantûm differre, quatenus sanctitas dicitur, quâ mens hominis seipsam & suos actus applicat Deo; Religio verò quatenus exhibet Deo debitum famulatum in his quæ spectant ad diuinum cultum. Ergo sicut Philosophi virtutes ad vitam ciuilem pertinentes, amplitudine justitiæ contineri docuerunt, juxta illud, Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλληβδὴν πᾶσ' ἀρετ' ἐστι. Iustitia in sese virtutes continet omnes. Ita totum virtutum Theologicarum i.e. ad Deum immediatè relatarum & spectantium chorum possumus intra Religionis tanquam virtutis cujusdam generalis latitudinem complecti. Nec dubito hanc fuisse S. Augustino mentem, cum Enchir. ad Laurent. cap.3. Theosebiam siue Religionem in eo consistere docuit, vt Deus colatur fide, spe & charitate. In quâ sententia plerique Scholasticorum acquiescunt.

CAPVT XVI.

An Religio sit virtus Theologica, & quodnam ipsius objectum.

1. RELIGIONEM esse Virtutem nemo dubitat: Sed inter Morales, an potiùs inter Theologicas Virtutes connumerari debeat, quæri potest. Si Scholasticos audias, ad morales pertinere docebunt, & inter eas excellentissimum locum obtinere: Theologicam enim esse omnes inficiantur. Nobis res ita videtur explicanda. Virtus moralis modò latiori, modò strictiori significatu accipitur. Nam aliquando ita amplam habet significationem, vt omne illud comprehendat, quod lege morali mandatur, quodque adeò ad mores, vitam, animum legitimè componendum pertinet. Hoc sensu nemo negauerit Religionem virtutibus moralibus esse accensendam. Quis enim nescit imperari Religionem & verum Dei cultum primo illo decalogi præcepto, quo jubemur non habere alios Deos coram Iehoua? Hac mente verè dictum, Religionem inter virtutes morales primum & dignissimum locum sibi vindicare, quippe quæ Deum propinquiùs respiciat quàm reliquæ omnes, & circa illa versetur quæ ad honorem cultumque diuinum directè atque immediatè respiciunt & ordinantur.

2. Sed restrictiùs etiam accipitur virtutis moralis nomen, vt nimirum contradistinguatur à virtute Christiana & Theologica. Hoc sensu virtutem moralem appellabimus quæ has tres conditiones habet 1. Non respicit Deum pro objecto primo. 2. Citra infusionem haberi potest, cùm acquiri valeat per crebritatem & frequentiam honestarum actionum. 3. Pro regula assumit prudentiam humanam & rectam rationem vt ab eâ dirigatur. Christianam verò virtutem dicemus, quæ & infunditur cælitùs à Deo, & regulatur atque dirigitur diuinæ voluntatis in Scripturis expressæ legibus atque præceptis; Ita Humilitas, pœnitentia, charitas erga inimicos, inter Christianas potiùs quàm morales virtutes communerandæ sunt; Neque verò apud morales Ethnicorum Philosophos aliquo illæ loco aut numero habentur. Theologicam autem vocabimus, quæ præterquam quod nonnisi ex infusione habetur, & nonnisi ex verbo Dei sapit, etiam ad Deum respicit tanquam proprium suum & immediatum objectum.

3. Ita cùm distinguimus, rectè dicimus religionem non esse Virtutem moralem, sed Christianam & Theologicam. Christianam quidem, quia non prudentiæ humanæ legibus, sed verbi diuini præscripto regitur, cùm in causa salutis prudentia carnis sit inimicitia contra Deum Rom. 8. 7. & Deus neget se rectè coli mandatis hominum, Matth. 15. 9. & quicquid religionem vocarunt Ethnici nonnisi mera fuerit Idololatria, vel superstitio,

perſtitio, vel cultus voluntarius; vnde & eos Scriptura Atheos dicere non dubitat, Epheſ. 2. 12. Theologicam quoque eſſe perrendo, quomodo ſcilicet omnes agnoſcunt fidem, ſpem & charitatem in Deum eſſe virtutes Theologicas, quia Deum habent objectum immediatum, quanquam ſub diuerſa ratione conſideratum. Fides enim eum conſiderat ſub ratione veritatis, ſpes ſub ratione potentiæ, charitas ſub ratione bonitatis. Nam religio in Deum fertur & reſpicit, tanquam immediatum ſuum & proprium objectum, ſub ratione excellentiæ conſideratum. Sed ſcholaſtici omnes religionem negant in Deum reſpicere tanquam in objectum ſuum primum & immediatum: Cujus negationis non aliam rationem video, niſi quia ſi hoc ſemel ſtatuatur, colligere promptum erit, neminem eſſe religionis cultu honorandum præter vnum Deum, cum virtus nulla objecti ſui latitudinem egrediatur, adeoque concidet per ſe, quod tanto molimine ſtabilire conantur, creaturas aliquas eſſe religionis cultu proſequendas.

4. Eum ſcopulum vt vitent, omnia malint, quàm vt religioni proprium objectum deputetur Deus. Nec tamen ſatis ſciunt, vbi pedem figant. Itaque varia comminiſcuntur. Aliis placet objectum religionis eſſe, bonam exiſtimationem de excellentia diuinâ; aliis cultum diuinum, aliis non cultum ipſum, ſed bonitatem quæ ineſt in illo cultu. Sed hæc omnia refutare non eſt operoſum. Nam 1. Exiſtimatio bona de excellentia Dei pro religionis objecto quomodo poſſit haberi? Certè objectum religionis ab eo cui religio ineſt non formatur ſed præſupponitur & præexiſtit ante omnem ipſius cogitationem. Atqui bona exiſtimatio ſeu opinio de excellentia diuina, formatur ab vnoquoque fideli in corde ſuo. Deinde, objectum virtutis eſt numericè idem reſpectu omnium ea virtute præditorum. Ita enim vna eademque veritas Dei eſt objectum fidei omnium Chriſtianorum, & vna eademque bonitas objectum charitatis. Atqui bona exiſtimatio de excellentia diuina non eſt vna eadémque numero in omnibus colentibus Deum; ſed vnuſquiſque ſingulariter ſuam habet in ſe numero diſtinctam ab eâ quæ in aliis ineſt. Adde quòd nulla poteſt eſſe ratio, quare potiùs bona exiſtimatio de excellentia diuina dicatur eſſe objectum religionis, quàm bona exiſtimatio de excellentia veritatis aut bonitatis diuinæ objectum fidei vel charitatis.

5. Secundò non poteſt pro religionis objecto haberi cultus diuinus quia objectum religionis religiosè coli debet, ſicut objectum charitatis amari, & objectum ſpei ſperari debet, & objectum fidei credi: Virtus enim vnaquæque actum ſuum elicitum exercet circa proprium. Atqui nemo niſi abſurdiſſimè dixerit cultum diuinum eſſe religioſè colendum. Præterea, nullum objectum poteſt eſſe actus elicitus ejus virtutis cujus eſt objectum; quia objectum debet eſſe prius potentia, vel certè non poſt rius: Actus autem virtutis eſt poſterior virtute, quippe qui ab ea procedat tanquam à principio ſuo. Iam verò ſi quis negauerit cultum diuinum eſſe actum religionis elicitum, confutabitur tum autoritate Thomæ & Scholaſticorum, quibus ſolemne eſt inter actus proprios & im-

mediatos religionis non minùs cultum siue adorationem connumerare, quàm sacrificium & Votum & Iuramentum ; tum certâ etiam ratione: Nam cùm omnis actus bonus, congruus & honestus eliciatur ab aliqua virtute, & nulla sit alia virtus quæ cultum diuinum elicitiuè producat, necessarium est vt dicamus elici & produci à religione.

6. Sic neque Bonitas quæ est in cultu diuino objectum esse potest: bonitas enim illa non est quod reapse diuersum ab ipso cultu, atque adeò si cultus objectum non est religionis, neque bonitas cultus pro objecto censeri debebit. Quid quòd bonitas quà talis, si alicujus virtutis objectum esse debet, erit potiùs amoris siue charitatis quàm religionis objectum ? Charitatis enim, vt omnes Scholastici docent, proprium est occupari circa bonum qua in se & per se bonum est. Denique si nemo hactenus objectum fidei quæsiuit in bonitate veritatis diuinæ, vel objectum spei in bonitate potentiæ diuinæ, quæ ratio docere potest, objectum religionis esse in cultûs bonitate quærendum.

7. Bellarmino satis non fuit vnum objectum religioni ascripsisse; Itaque duplex constituit lib. 1. de sanct. c. 12. Considerat enim latriam siue religionem quatenus est virtus specialis, & quatenus est virtus aliquomodo generalis : Vt est virtus specialis attribuit ei speciale objectum, honorem scilicet siue cultum diuinum : sed quia est etiam virtus generalis, quæ vtitur actibus omnium aliarum virtutum, & præcipuè fidei spei & charitatis, ideò dicit esse ipsi attribuendos pro objecto actus illarum virtutum.

8. Nos verò haud difficulter sanè concesserimus religionem esse virtutem generalem, quæ vtatur actibus aliarum virtutum ad honorandum Deum : sed negamus inde sequi eam pro objecto habere actus aliarum virtutum. Alioqui eadem ratione confirmari poterit ex eo quòd religio facultatibus vtatur & membris nostris & honestis quibuscunque actionibus, imò & creaturis omnibus ad honorem Dei, cùm omnia facere & vsurpare debeat vir religiosus ad honorem & gloriam Dei, 1. Cor. 10. 31. Ea omnia objecto religionis esse deputanda, quod nemo hactenus somniauit. Præterea virtus non dirigit neque ordinat objectum suum, sed potiùs ad illud dirigitur & ordinatur : Sic enim fides non ipsa veritatem dirigit, sed ad veritatem dirigitur : Cùm ergo religionem doceat Bellarminus esse virtutem generalem dirigentem actus aliarum virtutum, sanè nulla ratio est, cur existimetur actus earum virtutum sibi pro objecto deposcere. Denique quæ ratio est motus ad terminum, & medij ad finem, eadem est actuum ordinatorum ad objectum ad quod ordinantur. Motus autem quatenus tendit ad terminum nullomodo haberi potest pro termino, nec medium quatenus dirigitur ad finem pro fine haberi potest. Ergo neque actus quatenus diriguntur ad objectum virtutis, dici possunt aut censeri esse illius objectum. Cùm ergo actus fidei, spei & aliarum virtutum ordinentur ad objectum religionis, fieri non potest vt ipsi religionis objectum dicantur.

9. His igitur rejectis, religionis objectum dicimus vel ex ipso religionis

nis & Θεοσέβεια nomine satis vnicuique patere posse: quippe quòd tantùm non clamat, Deum esse quem religio vnicè spectet, in quem feratur, in quo acquiescat, circa quem totam suam actionem occupet. *Nulla alia* spes vitæ homini proposita est, nisi vt abjectis vanitatibus & errore miserabili, Deum cognoscat, & Deo seruiat, ac se rudimentis Iustitiæ ad cultum veræ religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo justa & debita obsequia præbeamus, hunc solum noue-/ rimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus: vnde ipsa Religio *nomen accepit*, Verba sunt Lactantij Instit. diu. lib. 4. cap. 28. Objectum igitur religionis idem est quod & aliarum virtutum Theologicarum nempe Deus; nisi quòd vnaquæque earum Deum sub ratione speciali considerat, vt vnum sit omnium velut materiale objectum, sed formale suum vnaquæque habeat. Deus nempe quà verax fidei objicitur, quà potens à spe consideratur, quà bonus à charitate spectatur. Religio verò Deum spectat sub ratione quadam latiori, & quæ omnes illas aliquomodo complectatur, nempe sub ratione excellentiæ siue majestatis, Deum enim colit propter infinitam illam quam habet perfectionem & excellentiam. Deus autem excellens est & in veritate, & in potentia, & in bonitate sua. Inde est quod diximus religionem esse *virtutem generalem, quippe* quæ per aliarum objecta vadat, & eâ generaliter consideret, nempe sub ea ratione, quam habent, excellentiæ siue perfectionis diuinæ & infinitæ.

10. Excellentia quæcunque, siue ad naturam siue ad gratiam pertineat, ab eo qui ipsam cognoscit, testimonium adeoque honorem meretur, cùm honor nihil sit aliud quàm testimonium alterius excellentiæ, siue verbis, siue actionibus perhibitum. Itaque cùm excellentia quædam inter homines reperiatur, honorem etiam siue cultum quendam meretur, quem ciuilem vocamus, quique diuersis gradibus variatur pro gradibus excellentiæ quàm respicit; aliter enim honoratur Rex quàm aliquis è vulgo nobilium: & alio gradu Apostolus aut Martyr, quàm aliquis è plebe Christiana.

11. Sed religio actus suos & officia propria non exercet circa quamcunque excellentiam: non enim circa humanam vel Angelicam, vt posteà dicetur: sed solùm circa excellentiam diuinam & infinitam, quod ita verum est, vt Adversarij non potuerint aliter religionem definire, quàm hujus excellentiæ mentione, dum religionem dicunt esse virtutem exhibentem Deo debitum cultum tanquam primo principio. Becan. Theol. Sch. p. 2. tom. 3. ad q. Thomæ 81. qu. 1. concl. 2. Excellentiam autem Dei cùm dicimus, non intelligimus vnum aliquod attributum ab aliis distinctum, sed perfectionem ex multis attributis emergentem, & veluti resplendescentiam multarum proprietatum: Vnde per se consequitur ad religionem nobis ingenerandam, varias esse proprietates Dei quæ vim & symbolàm veluti suam conferant.

12. Hinc est quod Deus ad religionis cultum & debitum sibi honorem nos vocans, multorum simul attributorum excellentiâ aliquando

proponit. Ita enim Exod. 20. 2. 3. & Pſ. 81. 10. 11. prohibens ne alium præter ſe adorent Iſraëlitæ, rationem ex eo deſumit, quòd ipſe vnus ſit qui eos eduxit ex Ægypto, quia ſcilicet in illa eductione ſuam patefecit excellentiam euidentiſſimè, excellentiam ſapientiæ, excellentiam potentiæ, excellentiam bonitatis erga populum quem redemit: excellentiam Iuſtitiæ adverſus Pharaonem & Ægyptios quos perdidit. Ita Exod. 34. 6. 7. 8. vbi varia ſua nomina Deus propoſuiſſet, quòd ſit Iehoua, fortis, miſericors, gratioſus, longanimis & multus veritate ac fide, &c. ſtatim ſubjungitur Moſen, vbi hæc audiiſſet, inclinato vertice in terram ſe incuruaſſe, & Deum adoraſſe, vt intelligamus eam diuinarum proprietatum perfectionem & excellentiam, id eſſe propter quod Deus eſt adorandus ab omnibus. Nonnunquam tamen Scripturæ ſatis eſt ad ingenerandum animis religioſæ adorationis affectum, aliquid ex iis attributis proponere, quippe cùm nullum ſit in quo non ſe diuina illa majeſtas & excellentia teſtatiſſimam faciat. Ita Pſ. 130. 4. miſericordia Dei in remittendis peccatis proponitur, vt inde colligatur Deum eſſe reuerenter colendum. Ita Hebr. 12. 29. in eundem finem profertur Dei Iuſtitia. Teneamus gratiam per quam ita ſeruiamus Deo, vt ei placeamus cum reuerentia & religione, quia Deus ignis conſumens eſt. Exodi autem cap. 20. 5. 6. tum Iuſtitiæ tum miſericordiæ ſuæ meminit Deus, vt nos à cultu imaginum auertat, & ad ſuæ diuinitatis cultum nos adducat: Nam & iniquitatem Patrum viſitat in filios, & miſericordiam exercet erga eos qui ipſum timent & colunt.

CAPVT XVII.

De Religionis Actibus. Adoratio. λατρεία. Diſtinctio cultus in Ciuilem & Religioſum.

DE OBIECTO Religionis diximus. Ad Actûs jam nobis accedendum, qui ſunt in duplici genere: alij proprij, immediati & eliciti, quos ipſa religio ex ſe fundit & producit, vel ad quos per ſeipſam inclinat: alij Imperati, quos aliæ virtutes producunt ex religionis imperio, ſiue quos homo producit ex affectu quem habet ad religionem, etſi actus illi eliciantur & oriantur ab alia virtute, vtrique religioni deputantur; illi quidem propriè, hi verò impropriè.

2. Sic quando, Iac. 1. 27. dicitur hanc eſſe immaculatam religionem, vt inuiſantur orphani & viduæ, & immaculatum vnuſquiſque ſeipſum ſeruet à mundo: Intelligendum eſt, loqui Scripturam de actu religionis Imperato, non elicito. Nam viſitare Orphanos & viduas eſt actus charitatis proprius, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo, eſt actus à ſanctitate procedens, & à puritate cordis. Sed quia homo ex affectu quo fertur erga Dei majeſtatem, quod eſt verum Religionis objectum, inclina-

inclinatur ad hos charitatis actus, ideò actus illi religioni tribuuntur.

3. Elicitos verò siue proprios & immediatos religionis actus scholastici diuidunt in interiores & exteriores. Interioribus deputant orationem quæ est ascensio mentis in Deum : & Deuotionem quæ est interna quædam sui ad cultum diuinum oblatio & traditio. Exteriores dicunt Votum, Iuramentum, Sacrificium, Adorationem & Laudem. Sed non placet quòd ad interiores actus retulerunt orationem, ad exteriores adorationem : Cùm adoratio non minùs internè fiat quàm oratio : & cùm oratio non minùs deposcat exteriorem verbi prolationem, quàm adoratio externam genuflexionem, aut aliud ejusmodi signum sensibile. Itaque debuit vtraque ad eandem actûs speciem referri, non ita diuidi disjungique.

4. Cùm autem omnes hactenus Scholastici inter actûs religionis proprios immediatos & elicitos retulerint orationem, laudem, & adorationem siue cultum, nescio quid Becano in mentem venerit pertendenti vbi suprà, qu.3.concl.3. eos non esse actûs elicitos Religionis, sed Imperatos ; actum verò elicitum esse potiùs amorem cultûs interni. Nam, 1. ipse seipsum refutat, dum religionem definit virtutem exhibentem Deo cultum diuinum. Quis enim nescit definitione comprehendi actus elicitos non imperatos ? alioqui posset religio definiri per actus cujuscunque virtutis, siquidem Religio eos imperat. 2. Si cultus & adoratio non sunt actus eliciti religionis, dicat igitur quænam demum sit illa virtus, quæ adorationem tanquam actum elicitum sibi deposcit? 3. Quis nescit amorem esse actum proprium charitatis non religionis ? adeoque amare cultum Dei internum esse actum elicitum à charitate non à religione ?

V. Ex omnibus religionis actibus vnus ille nobis expendendus venit. quem cultum siue adorationem dicimus. Obseruantia igitur siue officium aut Deo, aut Creaturis sub Deo, putà hominibus & Angelis præstitum variis vocibus exprimitur. Hebræos עבד est & השתחוה, Græcis σέβεσθαι & τιμᾶν, Latinis colere ac venerari: quæ omnia promiscuè de honore vsurpantur siue diuino siue humano. Προσκυνήσις & adorationis vocem vix est vt reperias apud classicos autores significatione cultûs humani : De iis officiis ferè semper intelliguntur quæ ad religionem spectant. Nam & eò refertur vtriusque verbi notatio : Cùm προσκυνεῖν velint esse πρὸς τὸ κύνειν ab osculando, quia osculi ceremonia ex præcipuis erat in ethnica numinum veneratione, qui & præsentia idola osculabantur, 1.Reg.19.18. Ose.13.2. & absentibus atque remotis manum protendebant, tum ad os applicabant, vt significationem darent horroris, & testarentur ab iis se vitam flatumque accepisse : vnde actus ejusmodi inter idololatricos numeratur, Iob.31.27. adorationem autem dictam consentiant, à frumenti specie, quam vocarunt Ador, ex quo molas salsas facere solebant, vt diis suis offerrent; vnde adorare est propriè religiones propitiare, vt est apud Festum : quamquam Virgilius adorandi verbum supplicationis significatione accepit, lib.10.Æn. volens vos Turnus adoro.

6. Sed nos hic Scripturæ vsum & Ecclesiæ consideremus. Græca V. Test. Versio προσκυνήσως, & Latina Adorationis vocem sæpiùs accommodat ad honorem creaturis exhibitum: atque adeò, Matth. 18. 26. dicitur seruus Domino suo προσεκυνῆτω, honorem exhibuisse, vel se incuruasse coram illo. Sed hunc locum si excipias, non puto alium, in Græco N. Testamenti occurrere, vbi προσκυνήσις non intelligenda sit de religioso cultu. Imò apud Patres antiquos hæc vocabula vix vsurpata inuenias extra diuini cultus negocium. Hinc illa apud ipsos, τῷ θεῷ κτίσει οὐ προσκυνητέον. Nefas adorare aliud præterquam Deum; nihil creatum adorationis capax, &c.

7. Nobis gallis adorationis vox cultum Deo debitum ita significat, vt plerosque nostrates Pontificios videas hodie præcisè negantes, vllam omnino creaturam adorandam, vel à se aut sanctos aut imagines adorari. Quâ in re manifesti sunt religionis suæ transfugæ. Etenim, ne jam priuata Doctorum Pontificiorum scripta producam, vbi passim legitur & ex professo confirmatur, adorandos esse Sanctos, Crucem, Reliquias, Imagines, adeo vt Sanderus, lib. 7. de Visib. Monach. p. 529. inter pseudoprophetas & hæreticos & ciuitatis Diaboli membra censeat eos esse reponendos, qui dicunt crucem & imagines Sanctorum non esse adorandas: & Index Expurgatorius Madriti editus anno 1612. passim deleri jubeat, quæ in scriptis Patrum notis marginalibus obseruantur, Deum solum adorandum, angelos & sanctos non esse adorandos. Certè scripta publica quæ doctrinam & confessionem continent Ecclesiæ Roman. & quorum autoritas non potest à Pontificiis in dubium reuocari, hanc adorationem frequenter ingerunt. Catechism. Trid. p. 3. cap. 2. §. 8. & 9. docet Angelos esse à Christianis adorandos. In Missali Rom. ex autoritate Tridentini Concilij edito fer. 6. in parasc. illud identidem repetitur, adorandum esse crucem: Concilium Nicenum II. ad quod in hac causa Synodus Tridentina, sess. 25. suos ablegat, centies illud ingeminat, adorandas esse imagines: & Tharasius Constantinop. Patriarcha, consentiente Concilio, Action. 4. eos redarguendos dicit tanquam hypocritas, qui sacras imagines se venerari contentur, adorationem autem eis recusamus. Vnde fortassis Bonau. in 3. d. 9. art. 1. qu. 4. illam suam distinctionem hausit, cruci deberi cultum & venerationis in obsequium reuerentiæ, & Adorationis in testimonium virtutis & famulatum complacentiæ. Denique cùm adoratio & cultus religiosus idem sonent: qui adorationem sanctis & imaginibus deberi exertè negant, eadem ratione concedere debent nullum cultum religiosum eis esse præstandum, atque adeò iacere hactenus in errore maximo quotquot sunt in orbe Ecclesiæ Rom. asseclæ, qui & religiosum cultum exhibent, & tanto consensu distinctionem jactans religiosi cultus in Latriam & Duliam, quarum illa Deo sit eximia, hæc sanctis eorumque reliquiis & imaginibus debeatur. Nam vbi simpliciter negatur religiosus cultus, ibi sanè omnis religiosi cultus distinctio inutilis est.

8. Duo sunt vocabula quib. diuinus cultus significatur apud scriptores sacros &

ſacros & Eccleſiaſticos: λατρεία inquam & δουλεία. An aliquis ex ſcriptoribus Ethnicis eo ſenſu vſurparit, non poſſum dicere. Certè frequentiſſimè honorem, cultum, ſeruitium hominibus præſtitum, iis vocibus exprimunt; nec teſtimoniis opus eſt in re per ſe euidentiſſima. Verùm an etiam in ſacræ Scripturæ libris, vel in vſu ſcriptorum Eccleſiaſticorum λατρεία de ſeruitio humano dicatur, controuerſia eſt. Bellarminus ſiquidem lib. 1. de ſanct. cap. 12. quem ſequuntur alij, in Scripturis contendit nunquam ferè ita vſurpari, in vſu verò Eccleſiæ nunquam. Qui ſi de Eccleſia ſua loquitur, verùm dicit: ſin veterem Eccleſiam, & antiquos Eccleſiæ Patres intelligit, facilè refutatur.

9. Nam Scripturam quidem quod attinet, haud negandum eſt in verſione LXX. λατρείαν de cultu diuino ſæpiſſimè dici. Sed de cultu etiam ſine ſeruitio humano non rarò vſurpari certum eſt. Occurrit enim illud vocabulum eo ſignificatu, Leuit. 18. 21. & cap. 23 ſexies, & Num. 28. ter, & Numer. 29. quater; item Deut. 28. 48. & Iob. 2. 14. Qua fronte igitur dixit Bell in Scripturis nunquam ferè ita vſurpari, quod ſedecies ita vſurpari legitur. In vſu tamen N. Teſt. obſeruo non vſurpatam hanc vocem niſi pro cultu diuino. Cujus ergo rei cauſam non aliam video, quam quæ à magno viro allata eſt; fieri hoc non quòd alium ſenſum in Eccleſia vox iſta non debeat aut poſſit habere: Sed quia vult Scriptura veri Dei cultum opponere velut è Diametro falſorum Deorum cultui. Ergo quia falſi numinis cultûs ob Euphoniam, cujus Græci ſunt in verborum compoſitione obſeruantiſſimi, εἰδωλολατρεία dicta eſt potiùs quam εἰδωλοδουλεία, hinc factum vt propter directam oppoſitionem inſtituendam, veri Dei cultum Scriptura N. Teſt. λατρείαν dixerit.

10. In vſu Eccleſiæ non eſſe ignotam hanc vocem ſignificatione cultus humani, ſi non alia ratione demonſtrare poſſem, vel hæc vna ſufficeret, quòd Eccleſia Græca verſione 70. Seniorum vſa ſemper eſt, in concionibus & lectionibus publicis ad confirmanda fidei myſteria & confutandos hæreticos: Itaque ſi LXX. vt diximus eâ voce non infrequenter vſu ſunt eo ſignificatu, & Eccleſia eadem ratione vſa fuerit, ſaltem in proferendis iis locis, vbi ſignificatio iſta vocis manifeſtè vſurpatur. Sed non dubito eos qui ſunt in legendis græcis Patribus aſſidui, idem in eorum ſcriptis obſeruare poſſe. Mihi nunc Athanaſij locus occurrit, qui lib. de comm. eſſent. Patris & Filij; Prouerbium illud vulgatum quo Chriſtus vtitur in Euangelio, & quod procul dubio de ſeruitio humano intelligitur, nemo poteſt ſeruire duobus Dominis, ita enarrat, οὐ δύναται δύο ἀξιώματα λατρευθῆναι κατὰ τὸ αὐτὸ ἐὰν μὴ ὁμότιμα ᾖ non poſſunt duæ poteſtates eodem modo coli, niſi ſint eiuſdem ordinis: quod vt noris Athanaſium etiam ad cultum humanum referre, ſtatim exemplum profert Regis & præfecti. Et fuit Nonnus author metricæ paraphraſeos in Ioannem, ſcriptor ſine dubio Chriſtianus; apud quem id vocabuli hoc ſenſu ſæpe reperias, Ioan. 13. 16. non eſt ſeruus major domino ſuo, οὐ πέλε λάτρις ἄνακτος ὑπάτερος. Et 18. 10. Seruum ſummi Sacerdotis, λάτριν ἀμαιμακέτοιο διάκριτον ἀρχιβῆος. Et ℣. 23. reſpondit Ieſus miniſtro, Ἰησοῦς δ' ἀγόρευε τανύτριχα λάτριν ἐλέγχων.

11. Sed à vocabulis ad rem transeamus. Quamuis cultus omnis siue obseruantia, cuicunque demum exhibeatur, honoris significationem includat, videtur tamen latiùs patere Honoris quàm cultus vocabulum. Honor enim si generaliter accipias, nihil est aliud quàm testimonium quod quis perhibet de alterius excellentia: siue id fiat verbis, vt cùm aliquem laudamus; siue Gestu, vt cum alicui assurgimus aut genu flectimus; siue factis & rebus ipsis, vt cùm ei statuas erigimus, aut libris vel tabulis vel parietibus ejus elogia inscribimus. Cultus verò præter testimonium excellentiæ, includit etiam significationem alicujus submissionis. Itaque major minorem potest honorare, sed quà major est non dicetur inferiorem colere. Certè Deus dici non potest cultum hominibus exhibere: sed honorare tamen dicitur homines, 1.Sam.2.30.Ioan.12.26. Quanquam, vt hoc explicem, honor ille quo Deus Sanctos suos afficit, non est tantùm intelligendus de testimonio, quod quibusdam præbet singulariter, vt cùm testatur Dauidem virum fuisse secundùm cor suum, Actor.13.22. & cum Iobo testimonium pietatis & integritatis eximiæ perhibet, Iob.1.8. Et cùm Veterum illorum sanctorum Abrahami, Mosis, Eliæ &c. Laudes & exempla sanctitatis voluit in S. Scripturis ad perpetuam rei memoriam extare; verùm etiam referendus est ad Gratiarum salutarium, quibus eos dignatur, communicationem: eos enim honorat, quos honorabiles efficit donorum suorum donatione gratuitâ.

12. Cultus Generali diuisione meritò distribuitur in Ciuilem & sacrum seu religiosum. Costerus vocat humanum & diuinum, vt humanus dicatur, quicunque diuinus non est, adeoque sua latitudine etiam Angelorum cultum comprehendat. Nec malè obseruatum est à Bellarmino, hanc esse diuisionem non generis in species vniuocas, sed analogi in sua analogata: Nam cùm fundamentum cultûs sit excellentia rei quæ colitur: sicut excellentia non dicitur vniuocè de Excellentia Dei & creaturarum, ita sine dubio neque cultus propter excellentiam debitus, vniuocè dici potest de Dei & creaturarum cultu. Quanquam autem etiam cultus ciuilis & humanus, dici possit aliquâ ratione cultus religionis, quia nimirum à religione imperatur, quæ jubet vt omnes honoremus, 1.Pet.2.17. & alij alios honore præueniamus, Rom.12.10. Exerceatur tamen per virtutem à religione distinctam, nimirum charitatem erga proximum quæ finis est & epitome omnium præceptorum posterioris tabulæ. Sed cultus religiosus ita propriè dicitur, quia actus est religionis proprius & immediatus, id est non tantùm à religione pendens, sed etiam ab ea internè & essentialiter procedens.

13. Itaque cultum distingui & in species diuidi debere non negamus secundùm species excellentiæ: sed generalem diuisionem excellentiæ hic solùm attendendam pertendimus, vt sicut excellentia omnino duplex est, alia summa, increata & infinita, nempe Excellentia Dei, alia creata & finita, qualis est excellentia omnium creaturarum: ita & cultus distribuatur in cultum religiosum seu diuinum, qui Deo propter ipsius excellentiam debetur: Et ciuilem seu humanum qui creaturis præstandus est,

ratione

ratione excellentiæ quam possident. Aduersarij ac nominatim Bellarminus, lib. 1. de sanct. c. 12. ex eo quòd excellentia creaturarum alia est humana seu naturalis, alia supernaturalis, quam vocat mediam inter diuinam & humanam, colligit cultum creaturarum esse duplicem; merè ciuilem alium, qui debeatur propter excellentiam merè humanam: alium religiosum siue sacrum, quem vocant Duliæ cultum, qui debeatur propter excellentiam illam supernaturalem siue mediam, in eo longè abeunt à Scriptura & ratione, neque difficilis est commenti illius refutatio.

14. Primùm enim: si pro speciebus excellentiæ finitæ, cultûs species multipicandæ sunt, erunt constituendæ non jam duæ aut tres, sed innumeræ penè cultuum creaturis debitorum species: Nam cùm excellentia alia sit Angelorum, alia hominum; Et inter homines alia ciuilis, alia spiritualis, & vtraque multiplex. Nam ciuilis alia est in donis corporis, alia in donis animi; alia in virtutibus, alia in dignitatibus posita: Et excellentia dignitatum rursus alia politica, alia œconomica, alia Scolastica, alia Ecclesiastica: Item excellentia spiritualis alia gratiæ, alia gloriæ: Et gratia iterum, alia gratia salutaris, alia gratia gratis data, quæ per se salutaris non est: colligendæ erunt inde totidem cultus species, quòd nemo non videt esse absurdissimum. 2. Cultus ad posteriorem tabulam pertinens non est religiosus, sed ciuilis, quia religio & immediati ejus actûs non ad posteriorem sed ad priorem tabulam pertinent. Atqui cultus qui hominibus & Angelis præstatur, ad posteriorem tabulam spectat, cùm contineatur amplitudine illius præcepti, Diliges proximum tuum. Ergo frustra sunt aduersarij dum eum à ciuili separare satagunt, & in specie diuersissima, nempe cultûs religiosi collocant. 3. Quod si vt est excellentia quædam media inter diuinam & humanam, ex Bellarmini dictatis, ita debet esse cultus aliquis illi respondens, sequetur constituendum esse cultum aliquem medium inter humanum seu ciuilem, & diuinum siue religiosum, quique adeò nec ciuilis sit nec religiosus. 4. Imò quid intelligimus per excellentiam diuinam, nisi excellentiam increatam & infinitam? Ergo & per excellentiam humanam, necessarium est intelligere excellentiam finitam atque creatam; quis autem vnquam vel fando audiuit, esse aliquid medium inter finitum & infinitum, creatum & increatum? 5. Sed cùm Bellarminus suam illam mediam excellentiam tribuat in excellentiam gratiæ, & gloriæ: & ei respondere velit cultum religiosæ Duliæ: gratia porrò sit fidelium hic viuentium, sicut gloria est Sanctorum in cœlis regnantium: quis non inde conficiat, si Bellarminus audiatur, religiosam Duliam, siue adorationem inferiorem & subalternam non modò sanctis gloria fruentibus, sed etiam fidelibus quibuscunque gratiam possidentibus esse præstandam: Vt jam nullus sit in Ecclesia fidelis, cui non & genua flecti, & cerei accendi, & festa celebrari, & vota nuncupari debeant, & alia ejusmodi præstari, quæ ad cultum Duliæ pertinere aduersarij non dubitant?

15. Nos potiùs ita judicemus: ex ratione diuersarum excellentiarum quæ in creaturis conspicuæ sunt, posse quidem oriri diuersos gradus cul-

tus & venerationis, sed ita vt semper intra limites & rationem cultus ciuilis maneatur, neque assurgatur vlteriùs ad cultum vsque religiosum quippe qui Deo excellentiæque diuinæ sit in solidum debitus. Nam vt longè dispar est veneratio & reuera quæ Regi præstatur, quàm quæ viro docto & erudito, sed gradu dispar non specie, cum sit humana vtraque & ciuilis. Ita dispari quidem gradu illos venerari possumus qui gratiæ vel gloriæ eminentiâ sunt conspicui, sed sub eadem tamen cultus specie, quem cultum societatis & dilectionis vocauit Augustinus; Nos, quia non suppetit melior appellatio, ciuilem vocamus.

16. Nimirum, vt rem in clarâ luce ponamus, cultus ciuilis dupliciter dicitur, tum ratione causæ. Ciuilem dico ratione subjecti, qui exercetur erga conciues, id est eos qui in eadem nobiscum societate agunt. Ratione verò causæ, qui propter causas ciuiles impenditur, vt cum alicui honorem deferimus, quia magistratum gerit, aut quia scientia, eloquentia, consilio, prudentia valet; aut quia nos externo aliquo & ciuili beneficio demeruit. Porrò alia societas est merè ciuilis & humana, cujus scilicet membra vinculis & legibus humanis & vitam hanc mortalem spectantibus colligantur: alia sacra & spiritualis, id est cujus membra vinculis sacris & ad vitam immortalem pertinentibus continentur inter se ac deuinciuntur; quæ societas Ecclesia vocatur: quæque siue militat in sæculo, siue triumphat in cœlo, Ierusalem cœlestis vocatur, ciuitas Dei viui, & regnum Christi, & familia Patris cœlestis, quæ nomina subinde occurrunt in scripturis sacris: Atque adeò quicunque in Ecclesia habitant, & sunt ipsius vera & viua membra, eos Scriptura vocat conciues sanctorum, domesticos Dei, quorum πολίτευμα seu conuersatio sit in cœlis, Ephes. 2.19. Philipp. 3.20. Ergo quem exhibent conciuibus suis honorem, propter causas ad eam ciuitatem spectantes, quidni eum vocemus cultum & honorem ciuilem? Colimus enim, inquit August. *de Vera Relig. c. 55.* Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei.

l. 20. cont. Faust cap. 21.

17. His finibus cohibendus sanctorum siue Angelorum siue hominum cultus. Coluntur enim à nobis, vt August. loquitur, charitate non seruitute. Ejus ergo cultus, quod ad Angelos attinet hæc sunt officia, 1. vt de Angelis beatis existimemus tanquam de sanctissimis Dei seruis, qui in gratia creationis suæ inconcussè stabiliti omnia Dei mandata sine morâ summâ diligentia & alacritate exequuntur, Psal. 103.20.21. 2. Vt eos diligamus, de eis sentiamus & loquamur honorificè propter ministerium quod in Dei gloriam & bonum nostrum subeunt, Hebr. 1.14. Psal. 34.8. & 91.11.12. 3. Vt siquando nobis præsentes appareant, & Dei nomine nobis aliquid annuncient, externo etiam gestu & sermone tum publicè tum priuatim reuereamur sicut videmus ab Abrahamo, Lotho & aliis sanctis obseruatum fuisse. 4. Vt ad eorum exemplum nos componamus, tum in omnibus Dei mandatis seriò & alacriter obeundis, tum in fratrum omnium nostrorum, & nominatim eorum qui curæ nostræ commissi sunt, consolatione atque salute, quantum in nobis est, procurandâ.

18. Atque

18. Atque indidem patere potest, quibus officiis & actibus contineatur honor, quem hominibus sanctis & in cœlestem gloriam translatis debeamus. Nimirum, 1. Vt eorum memoria sit nobis in pretio & benedictione, Psalm.112.6. Prou.10.7. Nam & hunc honorem expectabat B.Virgo, Luc.1.48. & promittebat Christus, Marc.14.9. & verò justum est de iis honorificè sentire ac loqui, quos Pater cœlestis honorat, Ioan. 12.26. & Christus cohæredes habet, Roman.8.17. & præsentes sunt apud Dominum, 2.Corinth.5.8. & requiescunt à laboribus suis, Apocal.14.13. 2. Vt in iis agnoscamus admirabilem Dei gratiam & potentiam quam in eis exeruit, dum inseruirent consilio Dei in generatione sua, vt ita Deus in Sanctis suis glorificetur & mirabilis appareat, Psalm.68.38. Gal. 1.24. prout B.Virgo declarat in Cantico suo, Luc.1.49.50. 3. Vt dona quæ Deus in eos contulit celebremus & verâ laude prosequamur, Eccl. 44.15. quò pertinent etiam elogia sanctorum, Psalm.105. Act.7. Hebr.11. &c. 4. Vt eorum virtutes nobis ad imitationem proponamus. Nam quæ de ipsorum pietate, fide, constantia, &c. scripta sunt, ad institutionem nostram scripta sunt non minùs quàm reliqua quæ habentur in verbo Dei, Rom.15.4. Itaque hortatur Timotheum Apostolus, vt sit typus fidelium in verbo, conuersatione, dilectione, spiritu, fide, castitate, 1.Timoth.4.12. Ita sectari debemus vestigia fidei Abrahæ, Rom.4.12. Ita sancti Dei homines in exemplum proponuntur, Hebr.12.1. & 13.7. 5. Denique si quando accideret, vt extra ordinem nobis apparerent, externo gestu honorandos fore non diffitemur; & probabile est, cùm Moses & Elias in monte apparuerunt, Matth.17.3. eos ab Apostolis præsentibus externa honoris & reuerentiæ signa accepisse. Hæc sunt quæ ad cultum sanctorum pertinent.

CAPVT XVIII.

De Pontificiâ Distinctione cultûs in Latriam, Duliam & Hyperduliam.

ADVERSARIIS quæ diximus non satisfaciunt. Itaque vlteriùs progrediuntur, & sanctos pertendunt non modò socialiter sed etiam religiosè colendos. Cultum enim sacrum & religiosum diuidunt in λατρειαν & δουλειαν, siue in cultum supremum & inferiorem siue subalternum. Latriam definiunt summam voluntatis prostrationem cum apprehensione Dei tanquam summi principij. Duliam dicunt esse mediam quandam inclinationem voluntatis; cum apprehensione excellentiæ plusquam humanæ & minùs quàm diuinæ. Ita Bellarm.lib.1. de sanct. cap.12. Quod ad cultum ciuilem, eum volunt esse longè minorem inclinationem voluntatis cum apprehensione certa humanæ excellentiæ. Bellarm.ibid.

2. Deinde ad Duliæ præstationem multos honoris gradus pertinere docent. Bellarminus lib. 1. de sanct. cap. 7. septem enumerauit: 1. Inscribuntur homines defuncti in Catalogo Sanctorum, id est, statuitur ac jubetur, vt ab omnibus publicè habeantur ac dicantur sancti. 2. Templa & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. 3. Inuocantur in publicis Ecclesiæ precibus. 4. Sacrificia tam Eucharistiæ quàm laudum & precum, quod vulgò officium siue Horæ Canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. 5. Dies festi in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur & veneratione afficiuntur eorum imagines. 7. Eorum reliquiæ preciosis thecis includuntur, ac publicè honorantur. Sed an septem illis honorum titulis contenti sunt? Absit vt ita credas, alios enim cumulant eminentiores. Nam & vota iis nuncupant, & Iuramenta per eos concipiunt & suffitum siue incensum eorum imaginibus faciunt, & fidem, spem, fiduciam se in eis collocare profitentur, vt in publicis orationibus ad sanctos videre est. Vt vndecim honoribus constet cultus ille Duliæ, Canonization, Inuocatione, templorum erectione, sacrificiorum oblatione, festorum celebratione, imaginum fabricatione & suffitu reliquiarum veneratione, votorum nuncupatione, Iuramentorum conceptione, fide denique & fiducia in ipsos.

3. Hæc omnia & singula si ad serium examen essent reuocanda, cresceret opus in immensum. Itaque contraham me, & summa rerum fastigia breuiter sequar. Alio volumine totam hanc causam expendi diligenter satis & curatè pro modulo meo. Nunc pauca sufficient. 1. Neque duliæ & Hyperduliæ voces agnoscimus in hac causa, & multò magis cultum damnamus iis significatum. Ac voces quidem quòd attinet, δουλείας nomen non ignoramus in Scripturis sæpè dictum de officiis erga homines, sed officiis ciuilibus & humanis, quos alij aliis præstare tenemur in societate ciuili, juxta illud δουλεύετε ἀλλήλοις, Galat. 5. 13. Sed cùm causa Religionis agitur, dico in Scripturis δουλείαν sacram & religiosam vni Deo & Christo mediatori sic attribui, vt damnetur quisquis in creaturam transfert. Attribui nemo neget qui loca considerauerit, Actor. 20. 19. Rom. 12. 11. Ephes. 6. 7. 1. Thess. 1. 9. &c. Damnari certum est quicunque ad creaturam transfert: Nam hoc est peccatum gentilium, quòd ἐδούλευσαν, Duliam tribuerunt iis qui natura non sunt Dij, Galat. 4. 8. Qui tamen factum suum purgare facilè potuerunt in cultu saltem inferiorum numinum; dixissent enim, si Pontificiam distinctionem nôssent, se δουλείαν tantùm impendisse iis non λατρείαν, quippe quibus se non inclinarint cum apprehensione summi principij. Ita cùm cultum Christo mediatori præstandum Scriptura designat, nunquam fere alia quàm δουλείας voce vtitur, Ps. 72. 11. & 102. 23. Dan. 7. 14. Rom. 14. 18. & 16. 18. Coloss. 3. 24. Certè Apostoli semper se Christi δούλους vocant, λάτρεις nunquam. Vnde colligo vel δουλεύειν & λατρεύειν ex vsu Scripturæ in causa religionis non differre; vel si constitui debeat inter ea discrimen aliquod quale volunt aduersarij, blasphemandi occasionem arripere inde posse Arrianos, vt dicant Christum non pro Deo, sed pro excellentissima creatura habendum, quippe cui tantùm non nisi δουλεία tribuatur.

4. No-

4. Noui quid Adversarij regerant, nimirum illa quidem vocabula indifferenter accipi ex ipsorum primâ institutione, sed scholasticos non sine causa excogitasse distinctionem illam de latria & dulia. Sed quis eâ responsione contentus esse possit? Nam in rebus quidem sacris possunt aliquando vocabula nouo significatu vsurpari, quod nouimus initio statim Ecclesiæ Christianæ factum in vocabulis Euangelij, Apostoli, Presbyteri, Diaconi, &c. Sed vt vsurpentur voces contra perpetuum & constantem Sacræ Scripturæ vsum, id verò fieri non debet. Etenim si qui loquitur in Ecclesia, loqui debet vt eloquia Dei, 1. Petr. 4. 11. Illósne putemus excusabiles, qui loquuntur contra eloquia Domini, & abeunt à phrasi Scripturæ, vt nouis locutionibus nouas doctrinas in Ecclesiam inuehant? Quis δουλείαν putet Angelis tribuendam, qui didicerit à Scriptura Angelos esse σύνδουλους nostros? non enim δοῦλος δούλῳ δουλείαν præstat, sed Domino. Quis sanctis δουλείαν impendat, qui nôrit pios non esse δούλους siue seruos hominum, 1. Corinth. 7. 23. Quod cùm expendisset Augustinus, conclusit Angelos honorari debere non seruitute sed charitate, lib. de vera Rel. cap. 55. Cùm expendisset nobilis inter Doctores Pontificios Martin. Peresius lib. de Tradit. pag. 3. consid. 7. testatus est sibi parum omnino probari nomen δουλείας & seruitutis in hoc negotio.

5. Frustra verò Adversarij autorem & fundum hujusce distinctionis laudant Augustinum. Quanquam enim ille λατρείαν & δουλείας distinctionem vsurpauit, tamen neque Scripturæ vsui ea promiscuè in negotio religionis vtentis præjudicatum voluit, neque in eum sensum vsus est, quem sequitur hodie Romana Ecclesia. Cùm Adversarij duliam distinguant à cultu ciuili: Augustinus verò sicut nomine Latriæ cultum religiosum intelligit vni Deo debitum: Ita duliæ voce non aliud significet quam cultum ciuilem siue societatis, quâ alij alios colimus in hac vita. Sic enim lib. 1. de Trin. cap. 6. cum modum quo jubemur per charitatem seruire inuicem, docet Græcè esse δουλεύειν; cum verò modum quo Deo seruitur, esse Græcè λατρεύειν.

6. Præterea Adversarij non modò cultum religiosum in latriam & duliam partiuntur: sed duliam etiam subdiuidunt in minorem & majorem: Illam simplici nomine duliæ nuncupant & vulgo sanctorum attribuunt: Hanc vocant Hyperduliam, & eximiam faciant illis creaturis, quæ super reliquas singulariter excellunt, nimirum humanitati Christi & B. Virgini. In primo tamen hujus distinctionis ortu, latinis hyperduliæ cultus porrectus est; fuerunt enim qui Romano etiam Pontifici deferendam existimarint. Quod me docuit Biel in Can. Missæ, lect. 49. Hyperdulia, inquit, est seruitus quædam reuerentialis exhibita ratione excellentiæ singularissimæ & eminentis in eo cui exhibetur; qualis est reuerentia exhibita Virgini glorioſæ. ---- Hæc etiam hyperdulia secundùm quosdam conuenit monarchis Ecclesiæ, quod admitti potest faciendo comparationem statuum, &c. In his enim supremus & excellentissimus status in spiritualibus est Papatus, &c. Sic admittit Papa tanquam supremus hierarcha in politia Ecclesiastica vt sibi fideles prosternantur vsque

ad pedum oscula, non ratione dignitatis personalis, &c. sed ratione dignitatis sui status, quia Christi vicarius est in terris. Qui verò sic loquuntur, annon illi Papam non dico vulgo sanctorum, sed omnibus Angelis præferunt, quos dulia contentos esse jubent? Imò nónne ipsi Christo exæquant, quà homini, cui non alium volunt hoc respectu quàm hyperduliæ cultum tribui?

7. Sed examinemus hoc quidquid est distinctionis. Nam vel est distinctio in species, vel distinctio in gradus. Si in species, oportebit & excellentiam gloriæ quæ in Virgine est, specie differre ab excellentia gloriæ quæ est in reliquis Sanctis, adeoque in ipsis Angelis. Et quia non minùs superat Christi humanitatis gloria Virginis gloriam, quàm excellat gloria Virginis gloriam reliquorum sanctorum, oportebit iterum hyperduliam in duas species depertiri, quarum vna in solum Christum, altera in solam Virginem conueniat? quænam autem illa species quæ vnicum indiuiduum ita habet, vt ne plura quidem mente cogitare possimus? Neque enim vel duas Christi humanitates, vel duas Christi matres nisi absurdissimè fingere quisquam potest: Sin potiùs hæc dicenda est diuisio in gradus, quid in duobus illis membris sistitur? Nam cùm suum gloriæ gradum siue aureolam, vt vocant, habeant in cælis Virgines, suam Doctores, suam Martyres, suam Apostoli, & cùm inter Angelos, Eparchiæ Mesarchiis, & Mesarchiæ Hyparchiis sunt gradu superiores ex Aduersariorum Theologia: non duæ jam, sed multiplices erunt cultus sanctis debiti distinctiones adhibendæ; vt nouus quidam de cœlo Dionysius cadat, qui totum hoc mysterium distribuat in classes suas.

8. Iam quid hoc est, hyperduliam Virgini deberi à nobis, quàm nos esse Virginis ὑπερδούλους, adeoque Virginem esse ὑπερωείαν & superdominam nostram, cum inter seruum & Dominum sit mutua relatio? Itaque nobiliori nomine B. Virgo gaudebit, quàm Deus ipse, cui satis est Dominum nostrum vocari. Item, si sumus ὑπερδοῦλοι & plusquàm serui S. Virginis, quid fiet illi aduersariorum doctrinæ, quam Bellarminus habet lib. 1. de sanct. cap. 14. docens seruitutem perfectam deberi Deo soli: quæ verò exhibetur sanctis omnibus, eam non nisi imperfectam seruitutem esse? an enim ὑπερδουλείαν & plusquam seruitutem exhibere, erit seruitutem imperfectam præstare? Præterea si simplex δουλεία ea omnia præstat sanctis quæ hoc cap. proposuimus sect. 2. vt scilicet inuocatio, votum, juramentum, festum, fides, spes in eis collocetur: quem gradum addet ὑπερδουλεία Virginis, an erit plusquam inuocanda, aut in eam plusquàm credendum & sperandum?

9. Quàm verò putamus hanc doctrinam à sensu Veterum Patrum abire? Epiphanius certè hæres. 79. vt doceat Virginem adorandam non esse, argumentum inde ducit, quòd ne Angeli quidem adorari debeant? Si Deus, inquit, Angelos adorari non vult, quanto minùs eam quæ genita est ab animâ? at Pontificij nostri argumentum ridebunt: qui nôrunt Virgini longè præstantiorem cultum deberi, quàm vlli Angelorum. Sed

quid

quid si manifesta ipsius Pauli argumentatione reuincuntur? Ille enim Hebr.1.4.5.6.7.8. Diuinam Christi excellentiam demonstraturus, suæ demonstrationis medium inde assumit, quòd Christus sit præstantior Angelis: quasi dicat, quisquis Angelis excellentior est & eminentiori gradu collocatus, ille non potest non habere diuinam & infinitam excellentiam. Atqui Christum esse Angelis præstantiorem Scriptura Veteris Testam. clarissimè docet. Est ergo agnoscenda à nobis omnibus vera & glorioſa Christi diuinitas. Accede jam ad aliquem istorum ὑπερδούλων, & ab eo quære, ecquid Apostolus apodicticè Christi diuinitatem confirmet? & respondebit, nequaquam sanè videri posse, quia B.Virgo sit longè præstantior Angelis, quam tamen hactenus infinitæ & æternæ diuinitatis participem esse nemo dixit: Non enim nisi fallor maxima pars Pontificiorum illos titulos B.Virgini ascripserit, quos Cardinalis Bembus epist.l.8.ep.17. & Lipsius in Diua suâ Hallensi & Aspricolli attribuunt, qui ipsam disertè Deam appellant.

10. Nos illud meminerimus, qui Christo nomen dederunt, eos in negotio religionis non esse debere seruos hominum, multò minûs ὑπερδούλους, 1.Cor.1.23. neque probabile vllomodo esse, Beatam Virginem, quæ nonnisi seruam Dei se vocat, atque adeò ipsi nonnisi δουλείαν præstitit, Luc.1.48. velle vt sibi ὑπερδουλεία præstetur.

CAPVT XIX.

Adorationis actûs. Contra adorationem creaturarum argumentum prius.

1. Hæc aduersus Hyperduliæ cultum nobis breuiter dicta sunto. Totam verò adorationis creaturarum, molem & fabricam euersuris quædam de adorationis actibus præponere & præmonere haud absfuerit. Adorationis officium Theologi tribus partibus siue actibus definiunt, quorum primus ad mentem & intellectum pertinet, secundus voluntatem & affectum respicit; tertius ad corpus refertur & exteriores hominis sensus; vt ita pateat nihil esse in homine, quod non ad adorationem Dei se componere debeat. Primus actus ad mentem spectans, consistit in agnitione infinitæ Dei excellentiæ, quippe à quo & nos & omnia nostra sunt & continuè dependent. Secundus ad voluntatem pertinens constitutus est in profundissimâ voluntatis submissione coram Deo, quam indiuiduè comitatur affectus sinceræ reuerentiæ erga ipsum tanquam Deum & Dominum atque patrem nostrum. Accedit tertius exterior, quo interiorem sensum & affectum testificamur, nempe Genuflexio, prostratio corporis & alia ejusmodi signa externa submissionis vel in verbis vel in gestu vel in factis consistentia. Hi verò actûs hunc habent ordinem inter se, vt primus antecedaneus sit, & supponatur adora-

tioni, tanquam ipsius fundamentum & basis; secundus sit actus ipse formalis adorationis in quo vera & essentialis ratio adorationis consistit. Tertius verò consectaneus sit & signum illorum duorum præcedentium, adeoque aliquid accidentarium, & quod per se ad naturam & essentiam adorationis non spectet: quodque immediatè quidem significet internam animi submissionem, mediatè verò etiam declaret eminentiam Dei, & tum nostri tum rerum omnium ab ipsa dependentiam.

2. Fallitur ergo Vasquez cum in 3. disp. 93. cap. 2. & seq. disputat, adorationem esse solùm in signis submissionis sitam. In quo & plerosque habet ex scholasticis aduersarios & certâ ratione refutari potest. Nam sanè externa illa submissionis signa, genuflectio, prostratio corporis &c. non ad alios pertinent, quàm ad eos qui sunt corporeis membris præditi. Ergo si in eis signis vera & propria ratio adorationis consisteret, Deum possent illi tantùm adorare, quos ejusmodi partibus natura donauit: adeoque nulla spiritualis natura verè posset & propriè Deum adorare: Cùm tamen & Angeli Deum adorent, Psal. 97. 7. Et beatæ mentes fidelium in cœlitum numerum receptæ, adorare dicantur viuentem in sæcula, Apoc. 5. 14. Imò tantùm abest vt propriam adorationis actionem Christus constituat in externorum signorum præstatione, vt è contra doceat, illos demum esse veros adoratores qui Deum adorent in Spiritu & veritate, vt concludamus in interiori animæ motu esse propriè constitutam veræ adorationis naturam: adeoque intelligamus quàm abeat à veritate Vasquez, cùm Angelis & beatis animabus non aliam tribuat adorationem, quàm impropriam & incompletam. Nam Christus certè non est putandus adorationem aliquam impropriè & incompletè dictam describere voluisse: Et verò cùm in eodem genere illud quod completum, est melius habeat & præstantius sit eo quod est incompletum, qui Vasqui assenserit, eum oportebit ad eam sententiæ absurditatem [illegible]ire, vt dicat homines in hoc sæculo Deum externa adoratione colentes [illegible]ùs & præstantiùs ipsum adorare, quàm in cœlo ab Angelis & spiritibus beatorum adoretur.

3. Iam verò si adoratio eos actus significatione sua contineat, quos diximus, agnitionem diuinæ & infinitæ excellentiæ, & summam inclinationem atque submissionem voluntatis & affectuum, quod ipsi aduersarij docent & videre est apud Becan. vbi supra q. 1. concl. 3. Nemo non inde manifestâ argumentatione colligerit, vt illa duo non nisi ad Deum pertinent, ita nonnisi ad ipsum adorationis religionem spectare. Nobis interim ex omnibus quæ aduersus creaturarum religiosum cultum militant rationibus, duas hic in medium proponere & examinare sufficiet.

4. Priorem ex illis Scripturæ locis extruimus, quæ religiosam omnem adorationem ita Deo soli transcribunt, vt vlli omnino creaturæ vlla ratione præstari debere negent. Sunt enim in eam rem tum præcepta manifestissima, tum exempla illustria. Ac præcepta quidem tum Dei, tum Apostoli autoritate diuinâ docentis. Enimuerò cùm adorationem à Christo diabolus exigeret in tentatione illâ de quâ, Matth. 4. repulsus est hac

Salua-

Saluatoris responsione, scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Vbi vt refutetur aduersariorum exceptio de suprema non de inferiori adoratione hic esse sermonem contendentium, ad sequentes obseruationes velim vnusquisque diligenter attendat animum.

4. Primò, desumptum hoc testimonium ex Deut.6.13.& 10.20. Et tamen in neutro loco vox illa, solus, comparet: addita igitur est à Christo, vt intelligamus quæcunque loca de sacro & religioso cultu loquuntur, ita esse accipienda, vt norint omnes ejusmodi cultum esse Deo eximium, neque ad creaturas transferendum. 2. Christus hic in responsione suâ non spectat personam Diaboli, vt dicat posse quidem nonnullis creaturis adorationem impendi sed Diabolo non posse, quippe qui hostis Dei sit infensissimus: verùm ipsam in se rem considerat, & simpliciter affirmat nullam esse creaturam quæ debeat vlla ratione adorari, sed adorationem esse Deo vnicè præstandam. 3. Vox illa, solus, etiam si addatur tantùm ad posterius membrum, ei soli seruies, tamen est referenda etiam ad prius, Deum tuum adorabis, vt intelligatur Deus solus adorandus, quod non tantùm agnoscit Iansenius Concord.Euang.cap.15. sed Veteres quoque docent. Nam & Iustinus ex hoc loco astruit τὸν Θεὸν μόνον δεῖν προσκυνεῖν, Apol.2. & Athanas. dial.3.de Trinit. obseruat, eos qui Christum adorant, non propterea Deum alium adorare, cùm scriptum sit Deum tuum adorabis & illi soli seruies. 4. Christus manifestè docet, in ratione cultus religiosi, vanam esse distinctionem latriæ atque Duliæ. Etenim, quam petebat adorationem Diabolus, ea sine dubio non erat suprema, quam dicunt adorationem latriæ, sed subalterna tantùm & inferior, adeoque adoratio Duliæ. Neque verò postulabat Diabolus adorari tanquam summũ principium & supremus omnium Dominus, cùm agnosceret aliquem esse se superiorem à quo potestatem accepisset in regna mundi, hæc inquit, ἐμοὶ παραδέδοται, mihi tradita vel donata sunt, Luc.4.6. Et Christus tamen hanc ejus petitionem refutauit, Scripturam profert, vbi de adoratione vni Deo debita agitur, & vbi vox latriæ vsurpatur. Ergo aut argumentum Christi valdè fuerit infirmum, quod cogitare blasphemum est; aut cultus Duliæ creaturis tributus iis Scripturæ locis firmiter refutatur, quæ docent vni Deo esse seruiendum, & vni ei adorationem præstandam, adeoque frustra esse aduersarios in statuenda illa distinctione latriæ & duliæ.

5. Apostolus quoque, Colos.2.18.19. Cultum Angelorum manifestissimis verbis redarguit, nemo vos seducat volens in humilitate & cultu Angelorum, in ea quæ non vidit se ingerens, & temerè inflatus sensu carnis suæ, non retinens caput. Ac nequis dicat cum Bellarmino damnari Simonianos, quòd docerent quosdam Angelos adorandos quasi minores Deos, quia non nisi per illos Deus placari posset; vel cum Baronio, damnari Cerinthianos, eò quod efferrent Angelos supra Christum, notanda sunt diligenter omnia. 1. Apostolus disputat generaliter aduersus τὴν θρησκείαν, cultum religiosum angelorum; Ergo non tantùm hos aut illos hæreticos respicit, sed generatim omnes redarguit, quicunque cultum

illum Angelis exhibent. Quod si aliquam Angelorum θρησκείαν aut emendabilem, aut tolerabilem existimasset Apostolus, quis arbitretur ita generali refutatione vsurum, & nihil vel hic vel alibi dicturum, vnde doceri possemus & colligere cultum religiosum Angelorum aliquem esse licitum & legitimum? 2. Si refutat Simonianos Apostolus quòd Angelos colerent, qui tamen eos non colebant adoratione latriæ, cùm non haberent eos pro summo numine; sed tantùm adoratione duliæ, tanquam, inferiores quosdam Deos (puta quomodo sanctos Iouius appellat Deos tutelares histor. l. 24. aut quomodo Deam Bembus & Lipsius B. Virginem) siue tanquam Mediatores quibus opus esset ad placandum Deum, quis non inde concludit, Angelos ergo non modò non esse adorandos λατρευτικῶς, sed ne quidem δουλευτικῶς? Vt hac sua de Simonianis responsione Bellarminus causam suam jugulet, & suæ distinctionis εὐδιάπτωτα demonstret.

6. Sed obseruari par est argumenta, quibus Apostolus cultum hunc supremo minorem nos refutare docet primum latet in voce καταβραβεύειν, quam reddit Vulgatus Interpres per seducendi Verbum. Qui cultum Angelorum docent, tanquam minorum summo Deo, & ad Deum placandum nobis ministerium & operam suam impendentium, sunt seductores. At Pontificij ejusmodi doctrinam proponunt. Quod si vim vocis καταβραβεύειν examinemus, idem propriè significat, quod debito βραβείῳ siue præmio aliquem defraudare, aut, sententiam aduersus aliquem ferre, quâ is βραβείῳ indignus declaratur. Vnde argumentum exurgit. Qui cultum Angelorum inculcant & eis adorationem præstant suprema minorem, homines promisso æternæ vitæ βραβείῳ defraudant, putà, quia ipsos à vero Dei cultu auocant. Atqui Pontificij hoc faciunt. Secundum argumentum continetur iis verbis, *volens in humilitate.* Qui ad cultum aliquem persuadendum ficta humilitate vtuntur, eo ipso declarant cultum illum esse illegitimum. At qui cultum angelorũ docent ficta humilitate vtuntur; docent quippe non esse nos, qui rectè possimus Deum adire: itaque conciliandos esse religioso cultu Angelos, vt per ipsos ad Deum adducamur. Tertium exurgit ex iis verbis, *in ea quæ non vidit sese ingerens.* Qui nec visa nec audita sed à sese excogitata pro Dei oraculis obtrudunt, eorum doctrina explodi meretur. Sed qui Angelis adorationem exhibere docent, ea obtrudunt, quæ nec viderunt nec audierunt à Deo aut viris θεοπνεύστοις, sed ipsi excogitarunt. Quartum nectitur ex iis verbis, *temerè inflatus carnis suæ sensu.* Quæ non alio fundamento nituntur, quàm opinione hominum sibi immodicè in commentis suis placentium, neque Dei Spiritu ductorum, sed sensu carnis suæ turgentium. Ea sunt ab Ecclesia Dei eliminanda. Talis autem est Angelorum θρησκεία. Vltimum præponitur in iis verbis, *non retinent caput.* Qui Christum caput cui videbantur adhærere non retinent, sed eum suâ dignitate spoliant, qui solus tum fouendo tum augendo corpori suo sufficientissimus est, in Christum sunt injurij. Atqui ejusmodi sunt qui cultum Angelorum vsurpant, & docent, cùm ad ipsos partem transferant illius operis mediatorij, quod Christus ex mã-

ex mandato & voluntate ſupremi patris & ſuſcepit ſolus, & ſolus objit. Videatur Theodoretus in hunc locum & Photius in Scholiis Græcis, & Auguſt. epiſt. 59. ad qu. 7. Vbi cultum hunc Angelorum ſignificat eſſe falſum aut inualidum medium ad cohærendum Deo.

7. Exemplis quoque poteſt eadem veritas confirmari. Duo illuſtria hic propoſuiſſe ſatis fuerit: alterum Petri, alterum Angeli. Nam cùm ex Dei mandato Petrus ad Cornelium accederet, & occurrens Petro Cornelius ad ejus pedes accederet eum adorans, abjudicat Petrus honorem ejuſmodi, & ſibi debitum eſſe negat, ſurge, inquit, nam & ego ipſe homo ſum, Act. 10. 25. 26. Quaſi dicat, qui homo eſt religioſæ adorationis cultu nequaquam afficiendus eſt. Atqui ego homo ſum. Non igitur adorationem à te vel mereor vel expecto. Quo eodem argumento Paulus & Barnabas vtuntur, atque adeò, in abominationis ſignum, veſtes ſuas lacerant, cum ad eos adoraturi Lyſtrenſes accederent, Actor. 14. 15. Nec ſatisfaciunt vel Bellarminus, vel Lorinus in Comment. ad h. l. cum ſuis reſponſionibus quòd ſcilicet Cornelius aliquid diuinum in Petro eſſe putauerit, adeoque jure correctus fuerit: vel quòd exiſtimarit eſſe aliquem Angelum humana forma veſtitum, vel aliquem ex diis minorum gentium: vel quod Petrus ex modeſtia eum honorem, alioquin ſibi debitum, recuſarit, quæ vltima reſponſio præſupponit, non aliam quàm duliæ adorationem fuiſſe Petro exhibitam, quod etiam placet Lirano & Carthuſiano.

8. Nam vt ab hoc vltimo initium ducam, hanc fuiſſe veram & Chriſtianam Petri modeſtiam nullus negat, cujus exemplum viderint quomodo ſequantur, qui non centuriones modò ſed Principes & Reges ad pedum oſcula non admittunt modò, ſed adigunt, quod non duliæ modo ſed hyperduliæ ſignum eſſe Biel exiſtimat, in iis verbis quæ citata habes ſuperioris cap. ſect. 6. Verùm modeſtiam illam non ciuilis aliqua comitas fecit, ſed infirmitatis conſcientia & cultûs vni Deo debiti notitia expreſſit. Illa enim ratio, quâ nititur Petrus, homo ſum, omnium eſt & locorum & temporum, non modeſtiæ ſolius ſed & veritatis argumentum, non ab externa quadam & politica ciuilitate, ſed ab interna & communi naturæ humanæ conditione deſumpta. Vnde ita argumentor. Qui adorationem duliæ ex infirmitatis & conditionis humanæ vero ſenſu recuſat, is eo ipſo ſatis docet, nulli homini ejuſmodi adorationem deberi. Atqui adorationem duliæ ex eo conditionis communis ſenſu & notitia recuſat Apoſtolus. Docet ergo adorationem duliæ nulli homini eſſe debitam, adeoque nec præſtandam.

9. Neque illud negauerim, putaſſe Cornelium aliquid diuini Petro ineſſe, ſi diuinum intelligis, quod excellens & eximium eſt; id enim vel ex Angeli admonitionibus & mandatis intelligere potuit, Actor. 10. 5. 6. At ſi diuinum vocas, quod eſt infinitæ excellentiæ, & quod ita proprium eſt diuinitatis illius ſupremæ, vt in nullam creaturam reuera competat, nego tale aliquid Petro ineſſe arbitratum Cornelium: ſciebat enim, obſeruante etiam Lirano, Petrum non eſſe Deum ſed ejus nuncium, qui

Dei autoritate esset ea ipsi dicturus, quæ facere oporteret, Act.10.5.6.

10. Iam si ex Lorini sententia putauit Cornelius Petrum Angelum esse humana forma vestitum, an ideò debuit Petrus adorationem recusare à Cornelio præstitam, qualis debebatur Angelo? Nequaquam verò, si Adversarios audias. Etenim & Angelis & sanctis hominibus eandem specie adorationem deberi docent, nempe cultum duliæ. Itaque sic colligo. Cultum duliæ sancti non recusant. At cultus qui debetur Angelis non est nisi cultus duliæ. Ergo Petrus cultum sibi debitum, non minùs quàm Angelo, recusare non debuit: aut si recusauit, agnouit eum neque sibi deberi neque Angelo. Quod verò de Diis minoribus gentium garrit Lorinus, nihili est: tum quia si Cornelius cultum eâ ratione Petro exhibuisset, quòd putaret eum aliquem esse ex minoribus diis, non ideò tamen culpandus fuisset, quasi latriæ cultum exhibens, cùm ejusmodi cultus non nisi supremo numini exhibeatur, non iis qui infra supremi numinis excellentiam subsidunt: tum quia falsum est tale aliquid de Diis minoribus Cornelio tum temporis in mentem venisse, cùm jam Paganismum abdicâsset, & veri Dei cultum profiteretur, vt patere potest ex eo quòd in Scriptura laudatur tanquam pius & Dei metuens Act.10.1.

11. Alterum exemplum est illius Angeli, ad cujus pedes cùm Ioannes adorabundus caderet, reprehensus est verbis obseruatu dignissimis: vide ne; conseruus enim tuus sum ex fratribus tuis qui habent testimonium Iesu. Deum adora, Apoc.19.9.& 22.9. Hinc enim varia ducuntur argumenta. 1. A verbis ὅρα μή. Quem cultum Angeli à se remouent verbis magnam sollicitudinem testificantibus, in eis impendi non debet. Atqui Angelus religiosæ adorationis cultum, quem Ioannes præstitum ibat, à se remouet verbis ingentem sollicitudinem testificantibus, ὅρα μή, vide ne. Hæc enim verba intercisa & incompletam sententiam habeant, satis arguunt magnum fuisse quòd tunc agebatur, neque leue peccatum esse vel in Ioanne si adorationem præstitisset, vel in Angelo, si adorationem sibi præstari passus fuisset. Solemus enim in rebus ejusmodi, vbi magnum periculum incurritur, vel vbi magnus & subitus nobis metus incutitur, sermone conciso & incompleto vti. 2. A voce σύνδουλος. Conseruus tuus sum. Σύνδουλος non debetur cultus δουλείας, quia δοῦλος, quà talis, δουλείαν præstat, non ipsi δουλεία præstatur. At Angelus agnoscit se σύνδουλον & conseruum esse fidelium in hoc mundo agentium. Ab iis igitur δουλείαν exigere nec poterat nec volebat. 3. A verbo προσκυνεῖν, quod pro cultu religioso sumptum, generale est, λατρείαν & δουλείαν sub se continens, vt fatentur aduersarij. Qui negat sibi deberi προσκύνησιν, negat etiam sibi deberi aliquam προσκυνήσεως speciem, quia negato genere, negatur etiam species ex regula logicorũ. Angelus autem sibi deberi negat προσκύνησιν. Ergo & latriam & duliam à se abjudicat. 4. ab iis verbis, Deum adora. Quam adorationem Ioannes Angelo exhibere voluit, eam vult Angelus vni Deo impendi, non sibi. Atqui adorationem duliæ Ioannes adhibere voluit, vt agnoscunt Thomas & Carthusianus,

thusianus in h.l. neque diffiteri possunt illi, qui docent Ioanni ignotum non fuisse eum qui apparebat esse Angelum, non Deum aut Christum; quo numero sunt Viegas in h.l. Lorinus in Act.10.25. Bell.l.1. de sanct.c. 14.& Richeomus tract.de sanct.cap.8.

12. Sed audiamus respondentem Bellarminum eo cap. Ille enim primò sic argutatur. Si B.Ioannes eum putauit Angelum,& tamen adorauit; cur nos reprehendimur, qui facimus quod Ioannes fecit ? num meliùs Ioanne nôrunt Caluinistæ, sintne adorandi Angeli? Nos verò contra longè meliùs arguerimus. Si Angelus adorationem quam Ioannes præstiturus erat, reprehendit; quis male factum putet, quod à nobis Pontificij reprehenduntur, in eo peccato Ioannem longè superantes ? an Pontificij meliùs Angelo nôrunt, quid sit in adorationis causa reprehendendum ? Quòd si Pontificij in adoratione Angelorum faciunt, quod Ioannes facere voluit: Ioannes autem præstare voluit cultum quem Angelus rejecit tanquam sibi minimè debitum, sed vni Deo præstandum; quid sequitur nisi vt agnoscant Adversarij, se præstare adorationem Angelis, quam Angeli docent vni Deo deberi, quamque adeò damnant & rejiciunt ? Iam verò si Bellarminianus imitemur argutias, quàm absurda multa, aut etiam impia colligere poterimus? Ita enim polygamiam, adulterium, incestum, idololatriam, abnegationem Christi licitam esse possit aliquis eâdem ratione confirmare. Si enim Iacobus, Lothus, Dauid, Solomon, Petrus ita fecerunt, cur reprehendantur illi qui idem cum illis faciunt ? Num meliùs illis aliquis nouit, quid fieri oporteat ? Dices, in Scripturis ejusmodi peccata damnari; fateor. Sed & Scriptura verbis Angelicis adorationem Ioannis reprehendit. Ita ergo potiùs concludamus, non factis sed legibus adhærendum : & considerandum, non quid Ioannes facere voluerit in extasin raptus admirationes visorum & auditorum, sed quid extra raptum extaseos illius scribat & doceat quietus & tranquillus: neque factum ipsius imitandum, sed modestiam magis respiciendam, quâ infirmitatem suam non confitetur modo, sed & scripto consignat, vt sit nobis omnibus documento, ne ad illius instar labamur, aut honorem vni Deo debitum, ad creaturas etiam præstantissimas vnquam transferamus.

13. Respondet secundò Bellarminus, rectè voluisse Ioannem Angelo debitum cultum exhibere: Angelum verò prohibuisse, non quòd ipsi non deberetur, verùm ob reuerentiam humanitatis Christi. Angelos ante enim aduentum Christi se passos adorari ab Abrahamo, Lotho & aliis: sed postquam Deus homo factus est,& omnes Angeli hominem Christum adorare cæperunt, noluisse se ab hominibus adorari, & præcipuè ab Apostolis & summis viris. Ex Gregor.M.lib.27.Moral.c.11.vbi ita habet: Quid est quòd Angeli se priùs æquanimiter concedebant adorari, post ab homine Angeli recusant, nisi quòd priùs hominem carnalibus corruptionibus deditum nec ab iis redemptum, quo abjectiorem nouerant, eò justiùs contemnebant: sed posteà non debuit hujus natura & membra subjecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari.

14. Verùm, quis ad hæc Gregorij verba non obstupescat? quis non ad ejus sententiam accedat, qui Gregorium istum dixit esse perentis Theologiæ præsultorem? Ego verò ferendum nego, vt ita probrosè & veteres sancti excipiantur, & ipsi Angeli habeantur: hominem, inquit, quò abjectiorem nouerant, eò Iustiùs contemnebant. Itane? vt ex sanctissimis Angelis superbos facias contemptores illorum omnium hominum, qui ante Christi aduentum in viuis egerunt? Etiámne illos contempsisse dicentur, quorum curam & custodiam Deus ipsis expresè demandauit, Psalm. 34. 8. & 91. Qui tamen dicuntur Deo præsentare obsequium in omnibus, Psalm. 103. Quos toties ex Dei jussu inuiserunt, protexerunt aduersus hostes, eruerunt de mediis incendiorum ruinis, periculis quibuscunque liberarunt, solati sunt in omnibus angustiis, vt eos contempsisse dicantur, quos denique Scriptura tales fuisse docet, vt iis mundus non esset dignus, Hebr. 11. 38. Tum quale illud est aduersùs Abrahamum, Lothum & totum illum Veterum Patrum chorum? Passi sunt Angeli se ab iis adorari, quia nouerant esse carnalibus concupiscentiis deditos, nec ab eis redemptos. Fuerit carnalibus concupiscentiis deditus Abrahamus, quem Dei amicum Scriptura testatur, quem Patrem vocat *omnium fidelium, cujus fides in exemplum omnibus proponitur*? Non fuerit redemptus à concupiscentiis, qui cupiuit diem Domini videre, & vidit, & miro gaudio in ejus contemplatione exultauit? Non fuerit redemptus, qui credidit & ei imputatum est ad Iustitiam, & cujus Iustificationem Scriptura proponit, tanquam omnium Christianorum Iustificationis exemplar? Non fuerint denique illi redempti à carnalibus suis concupiscentiis, quos Deus testatur per eandem gratiam seruatos fuisse, per quam & nos seruamur hodie, Act. 15. 11. Quòd si fuerunt illi omnes ita carnalibus concupiscentiis dediti nec ab eis redempti, quid sequitur nisi vt omnes ad infernos & æternos cruciatus damnati fuerint; cùm mundanæ concupiscentiæ non possint non ad æterna supplicia hominis perducere, 1. Ioh. 2. 16. 17. Hæc paulò concitatiùs fortasse, sed expressis à me vel inuito rei indignitas.

15. Ad Bellarminum redeo. Nam generalis est Apostoli sententia, reddendum esse omnibus quod ipsis debetur, Rom. 13. 7. Quis igitur putet Angelum, siquidem existimasset eam adorationem esse sibi debitam, non fuisse passurum vt sibi præstaretur? non enim sanè Angeli præcepta Apostolica vel negligi volunt, vel non obseruari. Et cùm inuariabilis sit omnibus locis & temporibus Cultus Moralis ratio, si acceperunt olim Angeli hunc honorem ab hominibus, quidni & hodie acciperent? an possunt ipsi aliquid in ratione cultus moralis autoritate sua mutare? Et si Angelus aliquid doceat, præter id quod à Deo institutum est, annon etiam ei anathema dici jubet Apostolus, Gal. 1. 8. Ergo vel eo ipso quod sub temporibus Messiæ noluerunt à summis viris adorationem recipere, satis ostenderunt, se numquam etiam priùs accepisse. Neque vnquam ostensuri sunt Aduersarij, quem Abrahamus & alij sancti viri cultum Angelis exhibuisse leguntur eum alium fuisse, quàm ciuilem & socialem, & qualem Angelis deberi supra docuimus.

16. Præ-

16. Præterea rationes, quas Angelus in medium proponit, prout supra eas ordine digessimus, perpetuæ sunt necessitatis, adeoque non minùs sub Veteri, quàm sub N.T. valere debuerunt. Non vult adorari Angelus, quia conseruus est, quia Deus vnus adorandus. An putamus non fuisse etiam veterum Patrum conseruos? aut Deum vnum tum temporis non fuisse adorandum? sed cùm rationibus ostendat Angelus, se adorari non debere, quidni & illam proposuit in medium, quam vnam Adversarij causam faciunt recusatæ adorationis, quòd nimirum Christus jam in terris comparuisset, & Verbum caro factum fuisset, vt eam deberet Christi humanitati reuerentiam? nimirum opus habuit Angelus submonitore aliquo Iesuita, qui illi nouam hanc rationem in aures insusurraret.

17. Porrò, si ob reuerentiam humanitatis Christi Angeli sub N.Test. recusarint adorationem; eadem ratione ab initio creationis eam recusare debuerunt: Quia reuerentia humanitatis Christi est reuerentia personæ Christi, non autem aliquid ab eâ distinctum & separatum, vt est in Synodo Ephesina definitum. At personam Christi semper Angeli reueriti sunt. Denique si post Christi aduentum non patiuntur Angeli cultum etiã duliæ sibi præstari, quidni ergo Pontificij ab ejusmodi adoratione cessant? an etiam inuitos & reluctantes Angelos adorabunt? Et honorem impendent, quem Angeli testantur, sibi non placiturum? Nec dicas, recusare à summis viris, non à vulgo Christianorum: quia Angeli ratio non minus vulgum respicit, quàm alios excellentiores, est enim conseruus non tantùm summorum, sed omnium omnino fidelium. Et qui Romanam praxin obseruarit, facile videbit Angelis cultum tribuere non tantùm qui sunt ex fæce populi, sed Magistratus & Reges, sed Episcopos & Cardinales & Papam, vt planè oporteat eos esse prohibitionis istius Angelicæ immemores.

CAPVT XX.

Contra creaturarum adorationem Argumentum posterius. Inuocationem religiosam vni Deo deberi. In eo vno fidem & spem collocandam.

1. ADIVNGAMVS argumentationem alteram, quæ ita vna est, vt varia tamen capita contineat, quæ omnia nobis diligenter examinandum est. Aduersarij suam duliæ adorationem quam sanctis impendunt, ita describunt, quemadmodum superiùs audiuimus, vt inuocationem, fidem, & spem in sanctis contineat, necnon & votorum nuncupationem, juramentorum conceptionem per sanctos, item templorum & altarium erectionem, & festorum celebrationem & thurificationem in honorem sanctorum. Vnde ita possumus argumentari. Adoratio quæ-

cunque religiosa hæc omnia sub se continet, inuocationem, fidem, spem, voti nuncupationem, juramenti conceptionem, Templorum erectionem, festorum celebrationem & thurificationem in honorem ejus qui adoratione tali colitur. Atqui nihil est eorum quod non vni Deo debeatur. Ergo & adoratio religiosa quæcunque Deo debetur tantummodo, & in ejus honoris consortium nulla creaturarum aduocanda est. Majorem & Aduersarij concedunt, & si non concederent & eorum praxi facilè confirmari posset. Inuocant enim sanctos, credunt in sanctos, fiduciam collocant in sanctis &c. Tantùm leuibus quibusdam distinctionibus ludunt, quas statim examinatum ibimus ergo de probatione minoris sola nobis cura esse debet: Eam instituamus per partes.

2. Ac primò quidem inuocationem Religiosam soli Deo deberi, si non aliunde ostendi posset, certè euidentissimè concluditur ex perfectione orationis Dominicæ: Eam enim non autoritate solùm & efficacia, verùm & perfectione reliquis omnibus inuocandi formulis longè antecellere, agnoscit ipse Bellarm. l. 1. de bon. oper. in part. cap. 4. Quod & Patres frequenter inculcant. Tertullianus enim lib. de Orat. Orationem hanc vocat breuiarium Euangelij, quia scilicet ea omnia continet & complectitur quæ circa orationis doctrinam. Euangelium nobis proponit. Et Cyprianus, cùm hanc orationem explicare vellet illud præmisit imprimis, aliter orare quàm docuit Christus, non ignorantiam tantùm esse, sed & culpam. Et August. Epist. 121. cap. 12. quamlibet, inquit, alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in ista oratione positum est, si rectè & congruenter oramus. Hinc argumentare. Perfecta orandi siue inuocandi formula, tum objectum, tum subjectum vniuersum orationis continere debet, cùm hæc duo sint ad benè precandum necessaria, vt nôrimus & quem inuocare, & quid ab eo petere debeamus. Atqui oratio Dominica, formulam continet inuocationis nostræ partibus & numeris suis omnibus longè absolutissimam ergo sufficientissimè ostendit, non materiam tantùm precum nostrarum, sed & verum objectum ad quod preces nostras dirigere debemus. Et tamen non aliud proponit inuocationis nostræ objectum quàm vnum Deum & trinum, patrem omnium nostrum, cùm oratis dicite, pater noster qui es in cœlis, Matth. 6. Luc. 11. Hinc consequens est, vt qui aliter dicit, & qui alium inuocat præter Deum, non oret vt Christus jussit, adeoque illicitè oret, vt ait Augustinus.

3. Hic nihil prodest distinctio inuocationis supremæ & subalternæ. Quia cùm Christus omnem religiosam inuocationem ad solum Deum dirigendam docuerit, eadem ratione ostendit nullo cujusquam distinctionis prætextu posse inuocari eum qui non est pater noster cœlestis, & cujus non est regnum, gloria & potentia in æternum. Ne jam dicam huic distinctioni lumbos fregisse Bellarminum cùm lib. 2. de Euchar. cap. 22. Dicit inuocari esse speciem supremæ adorationis. Quomodo enim potest esse aliqua inuocatio subalterna, si quisquis alterum religiosè inuocat, eo ipso speciem supremæ adorationis exercet. Sed neque inuocatio vel

ſuprema vel ſubalterna ei præſtari poteſt in quem non creditur. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt Rom.10.14. Vbi Ambroſius, priùs credendum eſt, vt ſit fiducia inuocandi. Theodoret.oportet priùs credere, deinde inuocare. Iuſtinian. Eum planè inuocare non poſſunt in quem non crediderunt. Cùm ergo in ſolum Deum fides ſpectare debeat, etiam in eum ſolum recumbere debet inuocatio. Sed hoc latiùs explicatum eo.

4. Nam quod eſt ſecundo loco declarandum, fidem in vnum Deum tanquam proprium ſuum & vnicum objectum perſonale reſpicere debere clariùs Scriptura docet, quàm vt in controuerſiam vocari poſſit. Certè Chriſtus cùm diuinæ ſuæ naturæ veritatem confirmare vellet, inde argumentum deſumpſit, quod in ſe non minùs, quàm in Patrem credi debeat. In Deum creditis, & in me credite, Ioan.14.1. Vbi Auguſt. & ex eo Alcuin. conſolatur eos, Deum ſe eſſe conteſtans: conſequens enim vt ſi in Deum creditis & in me credere debeatis: quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus. Atque inde illa Clement.in protrept. Exhortatio, omnes homines, credite in ſolum omnium hominum Deum.

5. Regerunt aduerſarij, diſtinguendos eſſe terminos fidei: eſſe enim alium principalem, finalem, vltimum, alium medium, ſubalternum, ſubordinatum, inferiorem. Fidem ergo in Deum reſpicere, tanquam in terminum vltimum, vltra quem nihil aliud quærendum ſuperſit. In ſanctos tamen fidem reſpicere, tanquam in medium & ſubalternum terminum, vt inde vlteriùs aſſurgat ad Deum. Atque adeò ad hujus ſententiæ probationem aduocant Scripturarum teſtimonia: cùm dicantur Iſraelitæ in Deum & Moſen credidiſſe, Exod.14.31. Et cùm Paulus Philem. ℣.5. Philemonen laudet propter charitatem & fidem quam habuit in Dominum Ieſum & in omnes ſanctos.

6. Sed diſpergamus hos funiculos. Nam 1. Scriptura non aliam fidem nouit, quàm quæ eſt in Deum & in Chriſtum, vnde toties dicitur fides Dei, vel in Deum & fides Chriſti vel in Chriſtum Actor.20.21.& 24. 24.& 26.18. Rom.3.22.26. Galat.2.16. Philipp.3.9. Iac.2.1. Imò in Scriptura credere ſimpliciter & credere in Deum vel Chriſtum vſurpantur tanquam æquipollentia. Itaque cùm quærit Philippus ab Eunucho, vtrum credat, reſpondet Eunuchus, credo in Filium Dei, Act.8.37. quia ſcilicet ſupponit & credere Chriſtianorum non aliud objectum habere præter Deum & Chriſtum. 2. Fides in Chriſtum eſt ſumma totius Scripturæ tum propheticæ, Actor.10.43. Tum Euangelicæ, Ioan.20.31. Ergo fides in Angelos & in ſanctos doctrina eſt extra Scripturæ propheticæ & Apoſtolicæ terminos, adeoque à Chriſtianis minimè ſuſcipienda. 3. Fides verè Chriſtiana & Catholica eſt neceſſaria ad juſtificationem noſtram, ita vt ſine ea & citra eam nemo vnquam juſtificationem & remiſſionem peccatorum aſſequi valuerit, vt tota Scriptura demonſtrat. Sed fides in Angelos vel in ſanctos non eſt ad juſtificationem & remiſſionem peccatorum neceſſaria; cùm ſemper in hac cauſa Verbum Dei fidem in Deum & in Chriſtum vrgeat, de fide in creaturas ne vel meminerit quidem. Non

igitur ejusmodi fides Christiana & Catholica dici debet. 4. Si sancti sunt medius terminus fidei; Deus autem & Christus terminus vltimus: consequetur, vt sicut ad vltimum terminum & finalem non nisi medij pertransitione peruenìri potest, ita nemo ad Christi fidem pertingere valeat, quin priùs in sanctos fidem habuerit, quod est hactenus, vt spero, inauditum. Denique Patres antiqui & ipsi Pontificij Doctores, Bellar. l. 1. de Christ. cap. 6. Valent. l. 1. de Trinit. cap. 18. inde probant Christum & Spiritum S. esse Deum, quod in eum fides nostra recumbat. Aut hoc argumentum nullum est: aut nulla est distinctio duplicis termini fidei. Quid enim procliuius fuit, quàm vt responderent hæretici; credi quidem in Christum & Spiritum S. sed vt in terminum medium, non vt in terminum vltimum fidei?

7. Nec suâ locorum scripturæ productione hilum proficiunt. Nam quod Exod. 14. 31. dicuntur Israelitæ in Deum & Mosen credidisse, quis nescit non de persona sed de prædicatione Mosis intelligendum, quatenus scilicet vera fide receperint Dei verbum à Mose fideliter annunciatum. Nos autem sicuti prolixè fatemur, Dei verbum & mysteria quæ ibi continentur, esse reale obiectum fidei nostræ id est esse res & doctrinas hujusmodi, quæ verâ fide credi à nobis & recipi debeant, siue eas ipsi legamus in Scripturis, siue à verbi ministris expositas audiamus; Ita nouimus personale fidei obiectum non aliud esse præter vnum Deum & mediatorem nostrum.

8. Quod autem de Philemone testimonium Apostolus perhibet, charitatem & fidem eum habuisse in D. Iesum & omnes sanctos, nihil ad causam aduersariorum facit. 1. Quia non de Angelis aut sanctis cœlitibus, sed de sanctis hic viuentibus loquitur Apostolus. Agnoscit Iustinianus, & ideò fatetur eos qui hoc testimonium transferunt ad sanctorum defunctorum venerationem, planè ludere extra chorum. 2. Cùm Paulus duas proponat Philemonis virtutes, fidem & charitatem, & obiecta duo Iesum & sanctos, esse illa sic disponenda, vt fides quidem ad Christum pertineat, charitas verò ad sanctos referatur, ipse Apostolus declarat, Colos. 1. 4. Audiimus, inquit, fidem vestram in Christum & dilectionem quam habetis in sanctos. 3. Quod si Hieron. in h. l. Etiam in sanctos fidem habendam esse docet, longè tamen alio sensu intelligit quàm fiat à Pontificiis: Non enim vt colligat fidem nostram in sanctos tanquam in suum obiectum recumbere debere; sed vt doceat credendum esse de sanctis, quicquid de ipsis scriptum est, puta Adamum creatum fuisse, ædificatam ex costâ ipsius Euam, & quæ alia multa exempla ibi Hieronymus prosequitur. Quàm hoc autem nihil faciat ad causam præsentem, nemo non videt. 4. Quod si quis dicat cum Thoma & Anselmo credendum in sanctos, quatenus credere debemus, non solùm quæ per ipsum Christum nobis sunt annunciata, sed etiam quæ per sanctos illius, putà prophetas & Apostolos? Hæc enim certè explicatio causam aduersariorum nihil omnino iuuat, vt per se cuilibet manifestum esse potest.

9. Quemadmodum Fidem, ita & spem atque fiduciam salutis non nisi

in vno

in vno Deo esse reponendam, ita vt nulli distinctioni *fiduciæ supremæ & subalternæ* locus esse possit, Scriptura testatissimum facit. Nam 1. In Deo sperandum vbique clamat, & centies in vno libro Psalmorum ingeminat. 2. Hominis beatitudinem in eo collocat, si speret & confidat in Domino, Psal.2.12. & 34.9. & 84.3. Prouerb.16.20. Esa.30.18. Sed aliquam esse fiduciam in creaturis nonnullis subalternè collocatam, quæ ad complementum aut rationem illius beatitudinis aliquid addat aut conferat, de eo verò altissimum in Scriptura silentium. 3. Quin è contra fiduciam in vllo homine collocare præcisè prohibet. Locus est inter alios eximius, Psal.146. Vbi varia congeruntur argumenta aduersus omnem in creaturis fiduciam, quæ hic proponere non pigebit.

10. Nam 1. Quia potuit aliquis dicere non esse quidem promiscuè fidendum in omnibus hominibus sed esse hic diligentem & serium delectum faciendum, ideò, ad præcludendam cogitationem ejusmodi, docet propheta generatim, non esse fidendum in vllo filio hominis. Quis autem Scriptura ita generaliter negante, respondeat, imò fidendum esse in aliquibus, saltem in iis qui vitam degunt beatissimam in cœlis? 2. Si fidendum esset in aliquibus creaturis, tum in iis sine dubio, quæ sunt eminentissimæ. Atqui ne in principibus quidem fidendum esse docet, id est qui vel potentia, vel gratia, vel gloria super alios eminent. 3. Rationes addit certissimas. In iis enim non est vlla pars fiduciæ religiosæ constituenda, qui ad liberationem & saluationem nostram nihil per se conferre possunt, cùm fiduciæ in aliquo reponendæ fundamentum illud sit, quod valeat nos periculis eripere, & ad salutem aliquid ex parte sua conferre. At, inquit, in homine non est salus; est homo planè ad salutem præstandam impotens. Nam si hominem viuentem consideres, ita infirmus est, vt ne seipsum quidem à morte aut labe sepulcri seruare valeat exit spiritus ejus, & reuertitur in terram suam: quanto minùs aliis salutem parare potest? Si mortuum spectes, pereunt, in morte omnes ejus cogitationes, omnes conatus, omnia studia, adeoq; nullam ampliùs partem habét in iis quæ hic geruntur Eccl.9.5.6. frustra igitur in mortuis fiduciam colloces. Inde concludit ℣.5. in vno Deo esse constituendam spem & fiduciam totam, quippe in quo vno reperiuntur omnia veræ fiduciæ fulcra; omnipotentia: fecit enim cœlum & terram; Veritas, & fidelitas; seruat enim fidem in sæculum. Efficax & cœlestis prouidentia: toti enim hominum generi & nominatim fidelibus suis prouidet, quocunque difficultatum genere vexentur ℣.7.8.9. Ita totam rationem fiduciæ explicat eximiè, tum negatiuè, quòd non sit in creaturis collocanda, tum affirmatiuè, quòd sit in vno Deo reponenda.

11. Sed quòd quarto loco in hoc fiduciæ argumento spectandum erat, Scriptura non modò docet fiduciam non esse in hominibus collocandam, sed illud adjungit quoque, eum esse planè maledictum qui fiduciam in homine collocauit, Ierem.17.6.7. Quòd si fiduciæ pars, vel species, vel gradus aliquis esset in creatura aliquando reponendus quis putauerit eò processurum Deum, vt maledictionem ita intorqueret aduersus omnes in

homine sperantes ? Nam certè vbi aliqua virtus duo habet objecta in quæ respiciat, alterum primarium, alterum secundarium inauditum est eos damnari, & diris deuoueri, qui in alterum objectum, nullo alterius præjudicio, virtutis illius actum direxerint. Ita quia Christus in Deum primariò, in proximum secundariò respicit, homo nusquam maledicitur, eo quòd proximum charitate prosequatur: Atque hîc operæ pretium est Hieronymum audire ex hoc loco refutantem hæreticos illos, qui cùm Christum negarent esse Deum, tamen in eum fiduciam & spem se collocare profitebantur. Si maledictus est, inquit, omnis homo qui confidit in homine, Paulus autem Samosathenus & Photinus, quamuis sanctum & cunctis excelsum virtutibus prædicent Saluatorem, tamen hominem confitentur, ergo maledicti erunt spem habentes in homine. Distinctionis Pontificiæ θρὶν φαρμακων huc accommoda nugatus fuerit Hieronymus, & quicunque hoc telum in hæreticos illos contorserunt. Quid enim faciliùs, quàm vt responderent, se non summam, sed subalternam fiduciam in Christo collocare, quippe cui fidant & in quem sperarent non tanquam in ipsum Deum bonorum omnium autorem, sed tanquam in præstantissimam sub Deo creaturam.

CAPVT XXI.

Votorum & Iuramentorum religionem esse vni Deo debitam.

INuocationem fidem & spem non aliò quàm ad Deum dirigenda superiori cap. docuimus. Hoc votorum & Iuramentorum considerationi dabitur, vt ostendatur non alium esse siue voti siue Iuramenti terminum aut objectum præter vnum Deum. Ac vota quidem Deo tantùm non alicui creaturæ & nuncupanda & reddenda esse tribus argumentis confirmamus. 1. Ex autoritate Scripturæ. Nam Esaias cultum illum moralem & spiritualem describens, qui statuendus erat toto passim orbe terrarum in aduentu Messiæ, dicit Esa. 19. 21. homines tum facturos Sacrificium & oblationem & voturos vota domino & reddituros. Et Dauid, Psalm. 50. 15. fideles hortatur, vt sacrificient Deo sacrificia laudis, & vota sua reddant altissimo. Vbi cum cultus & λατρεία Deo debita significetur nomine sacrificiorum & votorum, & jungantur sacrificia cum votis, satis ostenditur, non minùs ad Deum pertinere votorum, quàm sacrificiorum religionem. Sacrificia verò non esse nisi Soli Deo offerenda in recognitionem supremi Dominij, si Adversarij non confiterentur, facilè patet, ex eo quòd exterminari jubetur quisquis vlli præterquam Deo sacrificauerit, Exod. 22. 20.

11. Deinde ab exemplis omnibus sanctorum in verbo Dei. Neque enim piorum quisquam alteri quàm Deo vota sua vel nuncupasse vel soluisse

soluisse legitur, Genes. 28. 20. Numer. 21. 2. 1. Sam. 1. 21. Psalm. 58. 2. Quòd ita certum est, vt ne Bellarminus quidem negare sustineat, sed miserâ excusatione conetur euadere, l. 3. de Sanct. c. 9. In Scripturis, inquit, nomen voti semper accipitur pro promissione Deo facta; nam cùm scriberentur Scripturæ sanctæ, nondum cæperat vsus vouendi sanctis. Vt habeamus confitentem reum, & agnoscentem suos in hac causa esse manifestissimè tota Scripturarum possessione depulsos. Hoc maneat igitur, vsum & morem viuendi sanctis aliunde esse quàm ex Dei in Scripturis loquentis præscripto & institutione.

3. Neq; minùs id clarum & veterum & recentiorum apud Pontificios Doctorum vnanimi ferè sententia. Quam enim illi voto definitionem assignant? audi & non aliud obseruabis apud omnes, quàm promissionem Deo factam. Lombard. lib. 4. dist. 38. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Hugo de S. Victore, est sponsio animæ voluntaria, & Deo facta pollicitatio. Azor. Moral. lib. 11. cap. 12. votum est promissio Deo facta ex Iudicio rationis & proposito voluntatis. Bellarm. lib. de Monach cap. 14. est religiosa promissio alicujus excellentioris boni Deo facta liberâ voluntate. Quòd si vera definitio non debet esse angustior definito, & voti definitio non aliam quàm Deo factam promissionem insinuat, conclude votum non porrigi neque extendi ad aliquam creaturam, sed actum esse & officium religionis vni Deo debitum. Atque hoc ipsi Aduersarij etiam disertè docent. Nam Thom. 2. 2. qu. 88. art. 5. votum esse actum latriæ; nec minùs Bellarm. lib. de Monach. cap. 16. & Azor. vbi supra, votum dicitur & est quod Deo fit, vnde est propriè actus religionis, quæ Deo justum ac debitum cultum tribuit. Actus autem latriæ & religionis proprij conueniunt in solum Deum, omnium confessione.

4. Hic verò Aduersarij mirè tumultuantur, & scinditur incertum studia in contraria vulgus. Duræus, cùm de alia responsione desperaret, huc delatus est illa argumenti quasi tempestate, vt contumaciter negarit vllum esse Catholicum qui vota Virgini faciat aut sanctis, lib. 6. adv. Vitak. Sed nimis illa quidem impudens negatio. Quis enim nescit, vel ex Bell. lib. 3. de sanct. cap. 9. prædicatores fratres, dum profitentur, ita dicere, voueo Deo & B. Mariæ & omnibus sanctis ne prælato tali vel tali obediturum.

5. Itaque Thomas & alij non inficiantur quidem vota fieri sanctis, sed alia rima elapsuros confidunt. Nempe, inquiunt, vota quæ fiunt sanctis includunt duas promissiones; alteram quæ fit sanctis, & hæc non est formaliter votum, sed tantùm materia voti; alteram quæ fit Deo, & hæc demum est verè ac formaliter votum. Vt cùm quis dicit, Voueo B. Mariæ, me ad ejus domum peregrinaturum, promittit Virgini hanc peregrinationem, sed hæc promissio non est votum; & simul promittit Deo se impleturum promissionem Virgini factam, & hæc promissio secunda habet sola rationem veri & formalis voti. Sed hoc ludere est. Nam cùm quis dicit, Voueo B. Mariæ, nec aliquid per ea verba promittit Deo, & vel

communis sensus dictat, eum quod intelligit nomine voti dirigere ad B. Virginem, adeoque facere Virginem objectum voti, non minùs quàm cùm dicit, promitto B. Mariæ, omnes intelligunt eum promissionem suam dirigere & terminare ad Virginem. Itaque non arrisit responsio Cajetano, vt nec Bellarmino, qui vbi suprà, eam euertit duplici ratione. 1. Quia in formulâ votorum, voueo Deo, & B. Mariæ & omnibus sanctis, manifestè Deus & sancti proponuntur tanquam distincta voti objecta. 2. Quia qui vouet sanctis, ipsos sanctos religiosè honorare intendit, adeoque votum ipsum in sanctos dirigitur.

6. Bellarminus ergo post Cajetanum non negat vota reuera fieri sanctis, & ad sanctos terminatiuè pertinere: Sed negat ideò latriæ cultum sanctis præstari; quia vota illis fiunt, non quatenus ut sucreaturæ rationis participes, sed quatenus Deus in ipsis habitat per gloriam, & ipsi beati sunt & glorioſi & dij quidam per participationem. Item, quia aliter promittitur munus Deo, aliter sanctis: Deo quidem in signum gratitudinis erga primum principium, & autorem beneficij, & proinde illa promissio est cultus latriæ: sanctis verò in signum gratitudinis erga mediatores & intercessores, per quos à Deo beneficia accepimus, & proinde illa promissio non est cultus latriæ, sed duliæ.

7. Harum responsionum prior nihil præter meram tergiuersationem continet. Nam vbi semel positum est & constitutum, votum esse actum latriæ, quid aliud consequitur, quàm vt dicamus illud nullo cujusquam distinctionis aut considerationis beneficio posse ad creaturam transferri? Certè, quæ ex natura sua & propria conditione talia sunt, vt soli Deo debeantur, ad nullam creaturam referri possunt quia nullus respectus aut consideratio potest essentialem rerum rationem mutare. Sic quia sacrificium est actus religionis vni Deo debitus, pro ridiculo habendus fuerit, qui dixerit sacrificia fieri posse sanctis, non quatenus sunt creaturæ rationales, sed quatenus Deus in eis habitat per gloriam. Quod autem aduersarius sanctos esse Deos per participationem dicit, in eo neque Scripturarum vsum sequitur, quæ sanctos defunctos nullibi Deos dicit, neque Ecclesiæ Catholicæ praxin, quæ nunquam vel Angelos vel sanctos Deorum appellatione insigniunt: Et cùm Deos vocat per participationem vel essentiæ vel similitudinis participationem intelligit. Prius dici sine blasphemia non potest, cum diuina essentia sit creaturis planè ἀκοινώνητος: posterius si intelligit, frustra ex eo collegerit, vota sanctis nuncupari posse. Nam sunt hoc sensu veri omnes fideles naturæ diuinæ participes, 2. Pet. 1. 4. Neque tamen inde quisquam hactenus concluſit debere vel posse vota illis nuncupari.

8. Alterius responsionis non est firmior soliditas, vota fieri Deo in signum gratitudinis erga primum principium & esse actum latriæ. Fieri verò sanctis in signum gratitudinis erga mediatores, & esse signum duliæ. Etenim vno eodemque actu vouent Deo & sanctis, vt audiuimus in formula prædicatorum vouentium. Atqui. 1. Inauditum est vnum eundemque actum pertinere posse ad duas virtutes toto genere differentes, quales sunt

latriæ

latria & dulia. Latria enim est religionis actus. Sed dulia, inquit Vasq. in 3.disp.93.cap.4. Non est aliquis religionis actus, nec idem cum ipsa, sed alia virtus: est enim obseruantia quâ majoribus honorem deferimus. Quomodo ergo vnus idemque substantia vouendi actus pertinere possit ad latriam & duliam; Nec verò, si votum hoc diuerso respectu possit ad Deum & ad sanctos pertinere, causam dicere poterit Bellarminus, cui non eadem ratione dicatur sacrificium & Deo offerendum in recognitionem supremi Dominij, & sanctis in recognitionem intercessionis & mediationis ipsorum. Denique nihil erit Deo tam proprium, quod per ejusmodi distinctionum canales, non possit ad sanctos vsque deriuari.

9. Valentiani responsio tantùm non memoriam fugerat. Ille l.2. de Idol.cap.6. hac de re ita censet: Vota seu promissiones quæ Deo fieri dicuntur, quatenus ad cultum diuinum pertinent, non directè referri ad ipsos sanctos; sed tunc dici eis voueri, cùm eorum amore & reuerentia inducti Deo vouemus; tanquam sit illis hoc ipsum obsequium, propter amorem quo Deo sunt conjunctissimi, placiturum: Itaque fieri hoc modo sanctos quasi testes deuotionis vouentium, qui eorum auspiciis & intercessione freti, constituunt adimplere quæ Deo promittunt.

10. Dixerat Bellarminus vota terminari ad sanctos & reuerâ fieri sanctis: negarat Duræus, exercè, vota ipsis vel deberi vel fieri. En tibi tertium Loyolæ socium, qui tanquam caduceator accedit, & mediâ quadam viâ incedendum monet; non pertinere vota directè ad sanctos, sed tamen non negandum iis voueri, quatenus vota Deo facta, fiunt ex eorum amore & iis placent. Egregiè. Quasi verò cum Dauid ex amore Ionathanis Mephiboseth um susceperit & mensâ suâ dignatus est, dici debeat propterea Ionathanem ipsum suscepisse & ad mensam suam admisisse. Aut qui amore & reuerentia Principis inductus, filium principis instituit in politiori litteratura, atque ita obsequium præstat patri gratissimum, ideò dici debeat Principem ipsum instituisse. Sed isti suis subtilitatibus omnia subuertunt, vt neque ipsum loquendi vsum nobis liberum relinquant, sed nouarum & hactenus inauditarum locutionum ludibriis omnes dementent.

11. Et hujusmodi responsione annon sese facile fieri potuere Collyridiani, & Epiphanio atque Ecclesiæ per Epiphanium eos Idololatriæ postulant responsum istud opponere, offerre se B. Virgini Collyridem siue placentam, non quòd eum honorem directè referrent ad Virginem, sed quòd Virginis amore reuerentiaque inducti, Deo illud offerrent, vt obsequium Virgini maximè placiturum, & vt eam haberent testem deuotionis suæ, eiusque auspiciis & intercessione freti munus illud Domino offerrent. Atqui cultus non ex intentione aut leui aliqua colentis excusatione, sed ex re ipsa & ex actus natura metiendus est. Ne jam dicam popellum vota sanctis nuncupantem non aliò intentionem dirigere, quàm ad ipsos sanctos, neque has distinctionum minucias attendere. Laici non ita actualiter dirigunt intentionem suam in votis sanctorum ad Deum, sed inituntur mori & consuetudini publicæ, vt fatetur Antonius p.2.tit. 12 c.1.n.3.

12. Denique si vouere sanctis, sit vouere Deo ex amore sanctorum, & quia votum illud est illis placiturum, & vt ipsi sint testes deuotionis & auspices; tribuatur eadem ratione Mosi, & ad ipsum pertinuisse dicatur totus cultus inter Iudæos institutus. Nempe Mose in terris agente, ex ipsius amore & ejus reuerentiâ inducti Israëlitæ prestabant Deo cultum & obsequium, quod Mosi mirè placebat, & erat Moses deuotionis ipsorum testis & quasi auspex, adeoque mediator typicus, qui pro ipsis ad Deum intercedebat. Ita, quoniam Manoah sacrificium Deo obtulit, reuerentia & mandato Angeli inductus, nec dubitare potuit, quin suum illud obsequium esset placiturum Angelo & habuit eum suæ deuotionis testem & quasi auspicem, accedet aliquis à Valentiano institutus, qui contendet obstinatè, Manoam Angelo sacrificasse, quantumuis disertè Scriptura doceat, hoc sacrificium non Angelo, sed Deo fuisse oblatum Iudic. 13. Quantò satius est, vt sanam verborum formam sequamur, quàm phraseon rationem omnibus hactenus scriptoribus ignotam?

13. Aduersarij de Scriptura desperantes, patrum loculos in hac votorum causa excutiunt. Ex l. 13. de præpar. Eu. Eusebij hæc proferunt, ad monumenta Martyrum accedimus eisque vota facimus. Theodoretum producunt lib. 8. ad Græcos ita loquentem, testantur illa quæ votorum rei Martiribus persoluunt. Et ita quidem in latinâ interpretatione: Sed Græca nihil ejusmodi insinuant; Nec magis vota sanctorum, quàm Calendas Græcas autores illi memorant. Eusebius apud monumenta Martyrum τὰς εὐχὰς ποιεῖσθαι, ait, preces aut vota fieri, quibus putas non Martyribus Dei sed Deo Martyrum. Theodoretus de votis ne, γρύ quidem: sed hæc erit verba, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τα τούτων ἀναθήματα, manifestè testantur ipsorum donaria. Qui hinc vota sanctorum expresserit, ille etiam ex pumice aquam elicuerit. Prudentius quidem & Paulinus votorum meminerunt, sanctos enim obseruari dicunt voce, votis, munere, & pia ipsis vota reddi. Sed quid si poëticè ludant? Nam pictoribus & poëtis concedi multa nouimus. Quod si quæ denegoricωs in Ecclesia dicuntur, pro dogmatum regula haberi non debent ex Theodor. dial. 3. Quanto minùs quæ dicuntur poëticωs? Tum votorum nomine non ea quæ vouentur & promittuntur sanctis. Sed optata intelligenda veniunt & preces, vt in illo Virgilij, cessas in vota precesque; Nempe illo tempore nondum votiuarum promissionum vsus inualuerat; sed superstitio circa sanctorum inuocationem in cunis quasi erat & in germine. Denique vt omnia excutiantur, & nihil intentatum reliquatur, etiam hæreticis testimonium potiùs denuncient, quàm conticescere discant. Faustus, inquit Manichæus, Catholicos accusat, quod votis colerent Martyres, apud August. l. 20. cont. faust. cap. 3. Sed & accusat, quod Idola verterint in Martyres, quod solem adorent quod defunctorum vmbras vino placent & dapibus. An ideò verum, aut eorum testimonio standum? Sed Augustinus respondens reliqua negat, de votis nihil respondet, adeoque fatetur veram esse accusationem. Imò dum Augustinus negat Catholicos sacrificare Martyribus eadem ratione negat quia votum est sacrificij quædam species, vel certè quia actus est latriæ non

criæ non minùs, quàm sacrificium, adeoque non minus vni Deo debitum.

14. De juramentis sequitur. Esse illa per vnum Deum concipienda omnia clamant. 1. Iuramentum vna est ex præcipuis partibus diuini cultûs, adeò vt etiam haud infrequenter eo nomine veniat cultus vniuersus Deo debitus. Esa.19.18. Iurabunt per Iehouam exercituum id est eum legitimo cultu venerabuntur, Esa.45.23. Per me jurabit omnis lingua: nempe mihi debitum cultum præstabit. 2. Per solum Deum iurare jubemur, Deuter.6.13. collato cum, Matth.4.10. Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies & per eum jurabis: scilicet vt solus adorandus & soli seruiendum; ita per eum solum jurandum esse docemur. Gregor. de Valen.l.4. de Idol.c.4. Per nomen Domini Dei tui jurabis, Deuter.6. sensus est, vt nonnisi per nomen veri Dei juraretur, cùm jurandum esset. 3. Iuramenta per creaturas aut falsos Deos diserte prohibentur, Iere.5.7. filij tui derelinquunt me, & jurant per eos qui non sunt dij. Iurare per eum qui non est Deus, est Deum derelinquere, & abnegare, Soph.1.1. Minatur Deus se eos disperditurum, qui jurant in Domino & in Milcom, vel vt est Hebraicè; Malcam id est vel per nomen Regis sui, vel per nomen illius Idoli quod colebant, nimirum, inquit Cyrill. in h.l. ita facientes à charitate Dei necessariò discedebant, quia lex dilucidè dixit, in nomine Dei tui jurabis.

15. Consideremus in eundem finem, quâ definitione Iuramenti natura explicetur. Iuramentum est affirmatio vel negatio de aliquo, facta per inuocationem diuini testimonij, quâ petitur vt is per quem juratur, tanquam Iudex omnium & cordis inspector, testimonium det veritati, & jurantem puniat, si sciens fallat. Quid ergo supponit juramenti religio in eo per quem juratur? Iudicandi autoritatem summam, adeoque potentiam infinitam, inspectionem cordium, omniscientiam & omnipræsentiam. Et cuinam hæc conuenire possunt, nisi vni Deo; Itaque Aduersarij vel inuiti compelluntur in hanc sententiam, non nisi per Deum esse concipienda juramenta. Audi Gratianum cap.22.q.1.cap. Mouet te. Ipsum quidem jurare per creaturas malum est, quia à Deo prohibitum est. Et posteà. Deus per creaturas jurare prohibuit, ne more gentilium aliquod numen deitatis creaturis inesse putaretur. Audi scholasticos, & docebunt te juramentum esse actum latriæ & religionis munus ex suo genere; quod ex professo confirmat Thomas 2.2.q.89.art.4. Et agnoscit Valent.lib.1. de Missæ sacrif.cap.1. Vbi juramentum ait esse inuocationem tantùm diuini nominis. Atque hoc consentienter testantur Veteres. Concil. Carthag.4. Hæc notantur in decreto Grat.c.22.q.1.cap. Clericum, contra eos qui per creaturas jurant, clericum per creaturas jurantem acerrimè objurgandum, si perstiterit in vitio excommunicandum. Et seq. capite, ex pio Papa, siquis per creaturam jurauerit, acerrimè castigandum, & juxta id quod synodus dijudicauerit, ad pœnitentiam obstringendum. Quantum illud à doctrinâ Bonauenturæ distare putamus, qui in 3.d.39.a.2.q.2. contendit, quoniam in omni creatura relucet Deus, per creaturam

omnem licitè fieri posse juramentum ? Hienonymi hæc sunt in Matth.5. In lege præceptum est,vt non juremus nisi per Deum nostrum Iudæi per Angelos & vrbem Ieruſalem,& templum & Elementa jurantes creaturas, resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei.

16. An verò intra hos prohibitionis limites Aduersarij sese continuerunt ? Imò nihil apud eos frequentius quàm juramenta per creaturas concepta. Et praxin non agnoscunt modo, sed tuentur doctores. Alstentagius in Lexico. Iurare per creaturas in simplici juramento licitum est. Filinc.tract.25.cap.2. Per creaturas rationales, vt per sanctos & per homines viatores licitè jurari potest. Azor.lib.11.cap.3.q.5. Iusiurandum per creaturas tantùm abest vt blasphemiam contineat, vt sit etiam religionis opus & officium si juretur in veritate,judicio & justicia. Mirificè. juratur per creaturam & tamen est officium religionis siue latriæ : Quidni etiam dicas, inuocando & adorando creaturam, exerceri actum latriæ siue supremæ adorationis ? Id est,cultum qui creaturæ impenditur, esse actum latriæ qui non debetur nisi Deo?

17. Interim,quære ab Aduersariis quid sit jurare; & respondebit Filincius vbi supra, juramentum juxta Etymologiam nominis esse actionem qua inuocatur Deus in testem, quia jurare est Deum in testem assumere, juxta Thomam & communem Theologorum sententiam:Ideoque Iuramentum esse actum illum inuocandi Deum in testem. Quo ferrumine possunt ista sociari, Iurare nihil aliud esse quàm inuocare Deum, & tamen licitum esse Iurare per creaturas ? Eadem enim ratione dixeris, sacrificare esse Deum pro supremo Domino agnoscere,& tamen creaturis sacrificari posse.

18. Sed videamus hic varia variorum effugia.Quidam prohibitionem Iurandi per creaturas restringendam putant ad Iudæos, ad Christianos non pertinere. Ita Alstentaig in Lexico, Iudæis tanquam patuulis prohibitum est ne per creaturas jurent, & concessum jurare per Deum, ne honor Deo attribuendus, scilicet veracitas & infallibilitas creaturæ attribuatur. Et secundùm hoc intelligendi sunt canones & Patrum dicta prohibentia jurare per creaturas. Insubidè imprimis. Nimirum Patres & Concilia Christiana, cùm Iuramentum per creaturas prohibent, legem posuerint Iudæis non Christianis; & de iis qui foris sunt & nullam cum Christo communionem habent,solliciti fuerint:sed quorum cura iis demandata fuit, eos noluerint regulis suis obstrictos. Quæ verò fuit illa Conciliorum aut Patrum autoritas, quæ jus ipsis tribueret in Iudæos,vt possent & vellent eis vitæ morum & fidei regulas præscribere ? aut qui demum fuerunt illi Iudæi, quos obsequentes habuerint ? Deinde quid hoc est fuisse Iudæis concessum jurare per Deum ? Nam cùm juramentum ad cultum diuinum per se pertineat, si jurare non mandatur, sed conceditur : eadem ratione dicendum fuerit,cultum diuinum non esse mandati sed concessionis,quod est absurdorum absurdissimum. Præterea quæ mandata Iudæos specialiter respiciunt, ea oportet esse ceremonialia, quæ nouimus huic Genti fuisse singulariter rradita : Moralia enim

omnes

omnes omnino populos ſine diſtinctione ſpectant. Atqui juramentum pars eſt cultus moralis non ceremonialis, adeoque de eo cautum eſt ſpeciali præcepto Decalogi Exod.20.7. Non igitur ſolos Iudæos, ſed & omnes Chriſtianos obſtringit. Quod etiam ratione Alſtentagii conficitur. Cùm enim dicat eſſe prohibitum Iuramentum per creaturas, ne honor Deo attribuendus attribuatur creaturæ : Chriſtiani autem non minùs quàm Iudæi debeant honorem ſuum Deo ſartum tectum conſeruare, conſequitur ejuſmodi Iuramentum non minùs eſſe Chriſtianis prohibitum.

19. Aliter ergo Thomas, qu.89.art.6. Iuramentum principaliter referri ad Deum, cujus teſtimonium inuocatur : ſed ſecundariò ad juramentum aſſumi aliquas creaturas, non ſecundùm ſe, ſed quatenus in eis diuina veritas manifeſtatur. Vel vt ait Azor.lib.11.cap.2.qu.1. Iurari per creaturam, non propter ipſam, ſed propter Deum qui in creaturis elucet, id eſt, cujus potentia, ſapientia, bonitas, veritas in creaturis elucet. Sed contradicit Filiucius vbi ſupra docens licitè jurari non poſſe per creaturas irrationales, quippe quæ ſint inferiores nobis, cùm tamen juramentum debeat fieri inter homines per majorem, Hebr.6.16. Quis enim neget Deum elucere, & ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem, veritatem aliquatenus manifeſtari in omni creatura, etiam viliſſima & odioſa muſca, verme, adeoque ipſo Diabolo. Et quis ita frontem perfricuirit, vt dicat per vermem, & ſimum, & Diabolum licitè jurari poſſe. Ita potiùs habeamus juramentum ſupponere veracitatem & infallibilitatem, non quæ reſplendeat aliunde, ſed quæ ſit in ipſo jurante. Veracitas autem infallibilis juncta inſpectioni cordium non in aliqua creatura eſt, ſed Dei vnius eſt propria.

20. Placet aliis jurari poſſe per ſanctos, quatenus in iis tanquam animatis templis Deus habitat & colitur. Sed qui ita ſibi perſuadent quidni eadem ratione ſanctis ſacrificent, & quælibet officia Latriæ exhibeant, quia ſemper ſuppetet accuſatio, præſtari hæc ſanctis non quatenus ſunt creaturæ rationales, ſed quatenus in eis Deus habitat tanquam in animatis templis : & harum ſpeculationum beneficio fiet tandem vt nihil Deo ſit tam proprium & tam eximium, quod non creaturis attribui valeat. Filiucium amo qui vbi ſupra qu.7. fatetur, jurare per creaturas ratione ſcandali eſſe poſſe malum : ſpecialiter enim inquit dari poteſt occaſio ſcandali ex juramento per creaturas, propterea quòd abſolutè & ſecundùm ſe ſpectatum tale juramentum eſt idololatria, quare ſi fiat inter eos qui neſciunt diſtinguere quo ſenſu fiat, facilè poterit afferri ſcandalum. Quæ ſi ſeriò dixit, mirum ni omne per creaturas juramentum in animo ſuo damnauit. Quid enim eſt, quæſo, juramentum ſecundùm ſe & abſolutè ſpectatum, niſi ſpectatum quale eſt ex propria ſua natura & conditione? Quod autem tale eſt per naturam & proprietatem ſuam non poteſt per accedentem aliquem ab homine reſpectum ita mutari, vt ex actu idololatrico fiat actus pius & religioſus. Deinde cùm Chriſtus maledictum pronunciet qui ſcandali occaſionem alteri præbet, Matth.18.7. Iurare autem per creaturas ita facilem ſcandali anſam exhibeat, quid con-

cludemus, nisi jurantibus per creaturas incumbere, væ illud à Christo denunciatum? Præsertim cum maxima Christianorum pars distinctiones illas subtiles neque curet, neque intelligat quibus vtuntur doctores, & pauciſſimi sint qui discrimina juramentorum nouerint, imò cùm sint hæc ita connexa, si Pontificios audias, vt jusiurandum per creaturas non differat specie à jurejurando per Deum Azor. vbi supra qu. 8. adeoque eadem specie cultus honoretur Deus & creatura: cujus doctrinæ vel solus auditus scandalum vnicuique fideli facilè parit.

CAPVT XXII.

Templa, Festa, Sussitûs vni Deo deberi.

TEmplorum adeoque altarium erectionem ad cultum tantùm diuinum pertinere certissimum est, 1. Quid Iustius, quàm vt ad Dei institutionem & mandata totam rationem cultus externi componamus. Atqui ex ipsius mandato institutum templum Ieroſolymit. *nemo dubitat*; Nam & promiserat Deus se electurum locum ad publicum cultum, Deuter. 12. 5. & quæ Dauid parauit in eum finem facta fuerunt autore spiritu & mandante Domino, 1. Chron. 28. 12. 19. Non autem erectum fuit templum illud aut consecratum in alterius honorem quàm Dei, Deuter. 12. 5. 1. Chron. 22. 7. 8. 10. Vnde subinde vocatur domus, sedes, habitaculum Dei, non modò quod ibi præsentiæ gratiæque suæ documenta daret, sed etiam quod ipsi soli ædificatum fuisset. Qui ergo alicui creaturæ templum erigunt & consecrant, à Dei institutione & mandato recedunt.

2. Deinde ei soli templum erigendum est, ad quem solum respiciunt omnes fines propter quos erigitur. Si enim propter sacrificia, prout templum Solomonis dicitur domus sacrificij, 2. Chron. 7. 12. vni Deo sacrificium debetur. Si propter cultum inuocationis vnde orationis domus vocatur, Matth. 21. 13. Inuocatio non aliò dirigenda quàm ad Deum, vt factum veteri templo, 1. Reg. 8. Si ad verbum & sacramenta administranda, sicut Christus in templo docuit, Matth. 26. 55. Ioan. 18. 20. & post Christum Apostoli, Act. 5. 20. & sicut Ecclesiam conueniebat in ædem sacram ad perceptionem sacramentorum, 1. Cor. 11. 18. 20. nemo ignorat verbum & sacramenta non aliò quàm ad autorem Deum esse referenda. Denique vel ipsæ ceremoniæ quibus Pontificij templa consecrant, idipsum ostendunt. Illarum enim finis præcipuus est ad significandum templum illud Deo & sacris actionibus dedicari. Bellarm. lib. 3. de sanct. cap. 5.

3. Tertiò, si cuicunque templum erigitur; ille eo ipso pro Deo habetur, certum est templa nonnisi in Dei honorem esse erigenda. At prius tanquam indubium supponunt & Veteres & Recentiores Theologi, qui ex eo quod vocamur templa Spiritus S. concludunt vnanimiter S. Spiritus diuinitatem. August. l. 1. de Trin. c. 6. non est creatura Spiritus S. Quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est huic eam seruitutem debeamus,

debeamus,quâ non nisi Deo seruiendum est.Et lib.1.contr.Maxim.Arg.11. nónne si alicui S.Angelo de lignis & lapidibus faceremus templum,anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei,quoniam creaturæ exhibemus eam seruitutem quæ vni tantum debetur Deo. Videatur Iustin.in 1.Cor.6.19.& Bell.l.1.de Chr. cap.13.

4. Hæc verò omnia ita certa sunt, vt bona pars aduersariorum fateatur sacras ædes siue templa dicantur siue basilicæ (hæc enim promiscuè vsurpant) non posse propriè erigi nisi Deo, ad quos etiam Thomas accedit,qui 2.1.qu.85. art.2. ad 3. cùm oppositum esset templa & altaria erigi sanctis & Angelis,respondet verbis August.l.8.de C.D.cap.vlt. non constituimus martyribus templa,sacerdotia,sacra & sacrificia,quoniam non ipsi,sed eorum Deus nobis est Deus. Itaque cùm in sermone communi vocatur templum vel Basilica Petri aut Pauli, hoc non esse propriè intelligendum putant, sed hoc modò accipiendum, hoc templum esse dicatum Deo in memoriam & nomen Petri & Pauli,siue vt ibi oretur Deus per ipsorum intercessionem:nempe quomodo vocatur missa S.Petri, non quod ipsum sacrificium offeratur Petro,sed quod offeratur Deo in gratiarum actionem pro gloria S.Petro collata, & quòd interpelletur Petrus tanquam aduocatus apud Deum.

5. Hanc expositionem fatetur Bellarm. esse piam & conformem ritui Ecclesiæ, nec eò tamen minùs eam confutare nititur lib.3. de sanct.cap.4. Ita enim se putat operæ pretium facturum, si expositionibus piis & Ecclesiæ ritui conformibus bellum indicat. Quid igitur ipse? Templa ergo Deo primariò,sed erigi etiam sanctis secundariò quòd ita explicat. Ædes sacras ipsis sanctis verè construi & erigi,sed non sub ratione templi, verùm sub ratione Basilicæ siue memoriæ. Nam sacram domum templum dici quatenus erigitur ad sacrificia; basilicam autem quatenus erigitur ad ornatum sepulcri alicuius sancti & commoditatem visitantium eiusmodi reliquias. Ergo idololatriam fore si sanctis erigerentur templa sub ratione templi: sed idololatriam non esse,si erigantur illis basilicæ.

6. Sed quis hanc distinctionem Bellarmino subministrauit? Nam basilicam & templum (Ecclesiasticam earum vocum significationem attendimus) eodem sensu dici,relatione nimirum ad Deum. 1. Non pessimi autores consentiunt. Perottus in Cornucopiæ,templa docet basilicas dici, quia Deus ibi salutatur & conuiuia spiritualia agitantur. Isidorus, templa basilicas vocari, quia ibi Regi omnium Deo sacrificia & cultus offeruntur.Quò nos etiam deducit vocis Etymon.Quid est enim basilica nisi locus τῷ βασιλεῖ Regi destinatus aut in quo Rex habitat?nobis autem in spiritualibus vnus est Rex, nempe Deus. Ergo ipsi soli debentur basilicæ.Denique ostendat Bellarminus vel templum quod non sit basilica vel basilicam quæ non sit templum,& tum distinctionem suam ingerat. Certè quæ ita differunt, vt si alterum sanctis erigatur idololatriæ crimen incurri necesse sit : si alterum,nulla futura sit idololatria, mirum est ni ea separatim & ædificari possint & consecrari. Sed nimirum vbi in re ipsa nullum est discrimen, ibi saltem in vocibus aliquam differentiam fingi oportet.

7. Festorum verò dierum dedicationem & celebrationem ad Dei solius honorem & cultum esse referenda sequitur vt confirmemus. Bellarminus de festis Christianorum hæc docet lib.3. de sanct. cap.10. & 16. 1. Ea esse obseruanda non ordinis tantùm & politiæ, sed etiam mysterij ratione. 2. Festos dies esse verè aliis sanctiores & sacratiores, adeoque partem quandam diuini cultus. 3. Festa sanctorum non modò Deo dicari in memoriam sanctorum, sed etiam honorem dierum festorum immediatè & terminatiuè pertinere ad sanctos. 4. Talem honorem esse cultum duliæ non latriæ, adeoque cultum religionis, non vt est nomen speciale virtutis, quæ hominem erga Dei cultum bene disponit, sed vt est nomen generale.

8. Nobis circa Christianorum festa hæc est mens. Veteri Sabbato substitutum esse diem Dominicum. Illud esse festum quod sub obligatione præcepti obseruare Christiani tenentur. Neque enim esse illud ordinationis humanæ aut Ecclesiasticæ, sed institutionis diuinæ. Emanare ordinationem illam tum ab exemplo Christi, tum ab Apostolorum praxi. Christum hoc die resurrexisse, eumque in vsum sacrum dedicasse exemplo suo. Post resurrectionem enim quamdiu in terris commoratus est, Apostolus hoc die comparuisse, vt eos doceret ampliùs & confirmaret: hoc eodem die spiritum suum in Apostolos effudisse & dispertitum fuisse in specie linguarum igneatum. Hoc die conueniisse solitos Apostolos ad prædicandum verbum, administranda sacramenta, collectas faciendas. Eam diem dominicam vocasse, Apoc.1.10. Eadem ratione quâ Cœnam Dominicam, 1.Corinth.11.20. quia scilicet & à Christo fuerit instituta, & totam suam relationem ad Christum habeat, & in memoriam beneficiorum Christi fuerit instituta. De cæteris festis Natiuitatis, passionis, ascensionis, &c. nihil tale in Scripturis haberi, aut ex iis necessariò colligi. Neque tamen veteris Ecclesiæ consuetudinem vituperari, quæ certis anni diebus conuenire solita fuerit ad illa beneficia recolenda, quæ Natiuitate, Passione, Ascensione Christi sunt Ecclesiæ acquisita. Neque illud vitio verti, quòd in diebus passionis Martyrum solerent fideles concionibus publicis animari ad exempla illius, quam testati fuerant Martyres, fidei, patientiæ, constantiæ imitanda. Neque illud inficiari ejusmodi celebrationes sine vllo conscientiæ jugo, aut Christianæ libertatis damno peractus, quoddam adminiculum fuisse diuini cultus, quod sua vtilitate non caruerit. Sed & ex quinque finibus celebrationis ejusmodi festorum, quos collegit Filiuc. tr.27. cap.6.qu.1. quatuor esse qui facile recipi possint. Nempe, 1. Vt in eis festiuitatibus gratiæ agantur Deo in memoriam beneficiorum quæ in illis sunt sanctis exhibita. 2. ad confusionem hæreticorum negantium sanctos videre Deum ante diem Iudicij. 3. Vt ita prouocentur homines ad sanctorum imitationem. 4. Vt sicut populus solet celebrare natalem sui Regis, ita Ecclesia celebret sanctorum natalia (id est, mortem) ex vsu antiquorum de martyribus loquentium) in quibus regnum cælorum adepti sunt. Sed finem illum quantum superstitioni deputamus, instituta esse festa vt sancti deuotiùs rogentur tanquâm nostri apud Deum intercessores.

9. Ex

9. Ex iis autem quæ proponit Bellarminus, primum concesserimus, dummodo bene intelligatur, nempe celebrari posse ejusmodi dies non modò ratione ordinis & politiæ Ecclesiasticæ, verùm & ratione mysterij & significationis. Nempe potest in die festo mysterium & significatio considerari vel tanquam causa & occasio antecedens, vel tanquam proprietas & affectio inhærens illi diei. Festum ergo celebrandum negamus ratione mysterij tanquam affectionis cujusdam illi diei reapse inhærentis & insitæ; cùm ille dies non sit per se magis mysticus aut significatiuus rei sacræ, quàm alius quilibet: Celebrari tamen potest ratione mysterij tanquam occasionis cujusdam, quatenus reuocat in memoriam beneficium aliquod, quod eo die olim contigit, vt illud pia & grata celebratione recolamus, quomodo non dubitamus fuisse in Veteri Ecclesia ejusmodi dies celebratos.

10. Cætera quæ Bellarminus adjungit, falsa sunt. Nempe 1. Dies festos sanctis dicatos esse aliis verè sanctiores & sacratiores. Enimuerò eos qui ita sentiunt, & qui æstimant diem præ die, infirmos in fide, adeoque in Christiana doctrina non satis institutos, esse docet Apostolus Rom. 14.1.5. Neque est quòd obducat loqui Apostolum de Iudæorum festis. Nam si festa illa quæ fuerunt à Deo instituta, nullam per se sanctitatem habebant, quanto minùs quæ institutionem non aliunde arcessunt quàm ab hominibus? Itaque Hieron. de festis agens etiam Christianorum agnoscit omnes dies esse æquales, nec vnum celebriorem alio, in Gal.4.10. Deinde homines, neque ipsi sunt autores sanctitatis, neque jus aliquod habent in dies & tempora, adeoque non possunt sanctitatem diebus indere, aut alios aliis verè Sacratiores efficere. Et qui nihil possunt ex se in seipsis verè & internè sanctificandis, quomodo possent aliis extra se rebus veram sanctitatem imprimere? Adde quod, ex vulgata regula. Iudicium Ecclesiæ non est effectiuum sed declaratiuum. Ita enim cùm Ecclesia judicat aliquem defunctum esse habendum pro sancto, non ipsum tunc primùm sanctum facit, sed tantùm talem esse declarat. Itaque si ex Ecclesiæ judicio dies aliquis verè aliis sanctior esse dicitur, oportet jam antè talem fuisse. Quando igitur talis esse incepit? An cùm Apostolus aut Martyr aliquod opus edidit, aut aliquod supplicium in eo die primùm passus est, effecit vt ille dies nouam & veram sanctitatem induerit, & aliis verè sacratior esse cæperit? Atqui vel hinc concluserò non esse aliquas dies aliis sacratiores, sed omnes promiscuè sanctos esse & Sacratos. Nam cùm, vt ex Martyrologiis patere potest, nullus sit anni dies, in quo non aliquid insigne ab aliquo Apostolo, aut Martyre aut sancto patratum fuerit, nullus erit dies, cui non aliqua sanctitas indita fuerit & impressa.

11. Deinde falsum est, festos dies ab hominibus institutos, aliquam esse partem cultus diuini. Cultus enim diuinus ex mandato & instituto Dei pendet, Matth.15.9. Et si festorum celebratio partem faceret cultus diuini. Sequeretur ante ipsorum institutionem cultum diuinum imperfectum fuisse, quippe qui partibus suis quibusdam carnerit. Et cum non modo in Pontifice Rom. amplissima sit potestas instituendi festos dies, verùm

& Episcopi præcipere possint festos dies in sua diœcesi etiam absque speciali facultate aut confirmatione summi Pontificis, vt est apud Filiuc. tr. 27. cap. 6. q. 1. & 2. Sequetur ne hodie quidem perfectum esse diuinum cultum, cùm ad eum ex autoritate Papæ & Episcoporum pars aliqua possit accedere. Imò cùm festa sint quædam Topica, quæ nonnullis tantùm locis celebrantur, & Filiucius vbi suprà q. 5. doceat, vi juris communis posse aliquod festum obligare in vno loco & non in alio, dicendum erit esse aliquam partem cultus diuini, quæ non vbique homines obliget. Quod si pleraque Christi & sanctorum festa post Apostolorum tempus sunt instituta, vt ex parte Bellarm. agnoscit l. 3. c. 15. & 16. Concludendum erit aliquid melius esse nobis prouisum quàm Apostolis & Apostolicis temporibus in causa salutis, cùm cultus diuinus apud nos partibus quibusdam accreuerit, quibus illi caruerunt.

12. Sed quod ad Institutum nostrum maximè pertinet, falsum est Imprimis honorem dierum festorum immediatè & terminatiuè pertinere ad sanctos, adeoque cultum esse duliæ non latriæ. Hoc enim primo refutatur ex ipsis Aduersariorum positionibus. Nam si festi dies sunt pars diuini cultus, vt Bellarm. jam dixit, & honor debitus Angelis & sanctis non *diuinus sit, sed diuino minor* vt Bellarm. astruit l. 1. de sanct. cap. 12. & 13. sequitur ad sanctos terminatiuè non pertinere honorem dierum festorum deinde, actus pietatis ad priorem decalogi tabulam spectantes, ad Deum solum tanquam objectum suum terminatiuè pertinent, vnde & omnia ad eam tabulam spectantia charitatis in Deum nomine comprehenduntur, Matth. 22. 37. 38. Et verò, quæ præcepta in priori tabula descripta sunt, ad Deum pertinere, & homines ad Deum ordinare, & circa diuinum cultum immediatè versari, quippe quibus illud edoceamur quod Deo debemus, & instituamur ad ea religionis officia, quibus Dei majestas colenda est, docent Pontificij consentienter. *Catech. Trid. p. 3. c. 2. §. 3. Thom.* 1. 2. quæst. 100. a. 4. Tolet. l. 4. Instruct. Sacerd. cap. 12. Medina lib. 1. Instruct. Confess. cap. 14. Felis. Elucid. decal. cap. 15. Atqui festorum honor pertinet ad priorem tabulam, ad præceptum nempe de sanctificatione Sabbati, in cujus etiam explicatione, de festis Interpretes omnes Pontificij agunt. Ergo vel hinc patet festorum honorem ad solius Dei majestatem pertinere. Præterea, in eo legis præcepto, vbi de Sabbati sanctificatione agitur, Sabbati nomine intelligitur omnium legitimorum festorum celebratio, quod nemo negat. Atqui Sabbata Deus vocat sua Exod. 20. 10. Leuit. 26. 2. Cur verò Sabbata & festa legitima vocat Dominus sua? Sua certè ratione causæ, quia ipse solus ea instituit, nec alicui præterea jus est in Dies & tempora, vt ea sanctificet ad cultum diuinum lege ab hominibus non imitanda. Sed & sua ratione objecti & finis, quia Deus vnus est, ad quem immediatè festa respicere, & in cujus honorem celebrari debent. Denique dies festos instituere neque Iudaïca neque Apostolica Ecclesia præsumpsit. Potuit Iudaïca longum piorum catalogum texere, Abrahami, Iosephi, Mosis, Samuelis, Eliæ &c. quibus eximia Deus perhibuit rectitudinis atque justitiæ testimonia, & qui variis cla-

fuerunt miraculis. Sed non eò audaciæ progressa est, vt alicui ex iis sanctis festum aliquem diem per annos recurrentem instituerent. Et cùm Apostolorum tempore Martyrio fuerint coronati viri sanctissimi, Ioannes Baptista, Stephanus, Iacobus; legimus quidem eorum ossa sepulcro fuisse honestè condita, Matth.14.12. Act.8.2. Sed fuisse aliquo festi honore cultos non legimus. Ergo à Veteris & Apostolicæ Ecclesiæ obseruatione longè abeunt, qui festorum honorem sanctis & ipsi deferunt, & ab aliis deferendum docent.

13. Vltimo nobis loco de Thurificatione agendum est. Nam inter honores quibus sanctos afficiunt Pontificij, hic non minimus est, quod eorum imaginibus thurificant, & suffitus siue incensum ponunt Bellarm.l. 1.de sanct.cap.13. §. Neque obstat. At honorem illum vni Deo debitum esse facilè probamus. Nam sacrificia vni Deo esse offerenda, nemo dubitat, neque aduersarij negant. Atqui incensum siue suffitus aut thurificatio est sacrificij species: quod si non aliunde pateret, ipsa aduersariorum confessio manifestum faceret. Bellar.enim l.1.de Missa cap.4.sacrificia distribuit in victimas, immolationes & libamenta: & immolationes dicit esse sacrificia ex rebus inanimis sed solidis, vt ex farina, pane, sale, thure. Ergo thus adolere, est immolare, adeoque sacrificare. Sic Durand. de ritib.Eccl.c.9 §.3. Vbi gentiles thure sacrificare cœperunt suffitus thuris erat sacrificij certum indicium. Sed habemus in eam rem clara scripturæ testimonia. Nam, Leuit.cap.1. & 2.& 3.& 6. inter sacrificiorum ritus, thuris & suffitus fit mentio. Et de oblatione thuris specialiter dicitur, Leuit.2.2.& 6.15. Thus quod adoletur, esse memoriale in odorem suauissimum Domino, vt norimus incensum Deo soli deberi. Itaque inter idololatrias Ecclesiæ Israëliticæ hoc obseruatur, Ezech.16.18. quod suffitum posuerint coram idolis suis. Et Ierem.44.17.18.19. Quod thurificauerint Reginæ cœli. Et.2.Chron.28.25. Damnatur Achaz idololatriæ, quod extruxerit aras ad cremandum thus diis alienis. Et quanquam serpens æneus figura Christi erat, Ioann.3.14.15. Laudatur tamen Ezechias, quod eum confregerit, quoniam Iudæi ei incensum adolebant, 2. Reg.18.4. adeoque ex eâ Christi figura idolum faciebant, ei offerendo quæ non nisi Deo debebantur.

14. Mirifica vero hic est Bellarmini solutio l.2. cap.17. nempe fatetur incensum sub V. T. fuisse sacrificium, sed sub Nouo jam esse negat. Quod etsi putidum est per se: cùm tam sit facile incenso sacrificij rationem adimere, quàm homini rationem animalis: Et sacrificium sit genus ad thurificationem, libamenta, victimas, sicut animal ad hominem & brutum: Refutari tamen potest ex perpetuo Ecclesiæ consensu. Nam verbi gratia quod dixerat Plin.l.10.Epist.97. Nolle Christianos imagini Imperatoris thure supplicare, id Tertull.Apolog.cap.2. vocat obstinationem non sacrificandi. Ei ergo idem est thure supplicare, & sacrificare. Cyprian. de lapsis. Non expectauerunt, vt thus accenderent apprehensi, neque hoc sibi reliquerunt, vt sacrificare idolis inuiti viderentur. Basil. homil.de Barlaam, thuris oblationem vocat ἀποθύειν δαιμονίοις sacrificium

diabolicum. Lactant.lib.5. cap.19. ait Christianos interfici malle, quàm tria grana thuris in focum jactare & hoc vocat sacrificium ejusdem, lib. cap.9.& 13.prout nouimus in veteri Ecclesia sacrificulos gentes fuisse,qui thuris aliquid in ara Ethnicorum obtulissent. Quid quòd cùm Magi dicantur obtulisse Christo thus, aurum & myrrham, veteres omnes Iren. Orig.Cyprian.Basil.Nyssen.Chrysost.Hilar.Ambros.Hieron.August. &c. docent oblatum esse thus Christo tanquam Deo.In ea igitur fuerunt omnes sententia non nisi Deo thus offerri debere.Denique inter Carpocratianorum hæreses ista numeratur ab Iren.lib.1. cap.24. & Epiph.hær.27. quod haberent imagines Christi circa quas ritus gentilium exercerent, nempe sacrificia,eas adorando scilicet & iis incensum ponendo,vt explicat Augustinus de Hæres.cap.7.

CAPVT XXIII.

De Adoratione Christo Mediatori debitâ.

ADORATIONIS naturam, & partes,& conditionem rudibus lineamentis adumbrauimus:ex quibus patuit nullam esse creaturam,quæ pro adorationis religiosæ objecto haberi debeat,adeoque nonnisi vnum Deum esse cultu religionis honorandum. Quid ergo inquies de adoratione Christi statuendum,quà Christus est,id est,qua est mediator,adeoque Deus & homo?an quia nullus homo, quà talis adorandus est, etiam Christo dicemus, quà homini nullam adorationem religiosam & debitam? Certè aut religiosa adoratio ei debetur,aut nulla debetur. Nam Ciuili adoratione jam esse Christum prosequendum nemo dixerit.Equidem quamdiu in terris conuersatus est,cùm reipub.Iudaicæ membrum fuerit, quà homo ex semine Dauidis, haberi potuit à Iudæis tanquam conciuis, adeoque ciuili cultu & reuerentia affici, ab eis qui ipsum σωτῆρα esse nondum nouerant.Sed postquam in cœlos sublatus est, postquàm Iesum Christum jam secundùm carnem non amplius nouimus, 2.Cor.5.16.certè non est quòd Christum putemus honore ciuili colendum, qui neque conciuis noster est,sed conciuium Dominus; neque propter causas ciuiles,sed sacras & animæ salutem immediatè spectantes,adorandus est.

2. Quæ ad adorationem Christi pertinent his axiomatis breuiter comprehendi possunt. 1. Religiosa adoratio Christo debetur,eique meritò præstatur ab hominibus & Angelis. Ac de hominibus quidem frequentissima sunt Scripturæ testimonia,Matth.2.2.11.& 8.2.& 9.18.& 14. 33.& 15.25.& 20.20.& 28.9.17. Luc.24.52. Ioan.9.38.Actor.7.59.60. Nec minùs de Angelis certum, Psalm.97.7.Hebr.1.6.Apoc.7.11. 2. Christus adorari debet,qui Deus est,& quà Deus est. Itaque quibuscunque Scripturæ locis docemur Deum esse religioso cultu venerandum,iisdem quoque Christi adoratio confirmatur, & verò cùm adoratio fundamentum suum solidissimum & inconcussum habeat in excellentia diuina & infinita

nita dignitate ejus qui adoratur: Christus autem dignitatem illam & excellentiam cum Patre & Spiritu S. æqualiter possidet, vnde etiam admirabilis vocatur, Esa. 9.5. nulli dubium esse potest quin religiosa adoratione sit colendus.

3. Christus quà Mediator est, id est, Deus & homo, vna & simplici atque indiuisa adoratione adorandus est. Quod ipse Christus nos edocuit, verbis illis insignibus, Ioan. 5.22.23. Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorent Filium sicut honorant Patrem. Hinc enim patet honorem & adorationem deberi filio, quatenus est mundi Iudex à Patre constitutus. At Iudex ordinatus est, quà Mediator, cùm judicij administratio sit pars Regiæ Christi potestatis, adeoque officij mediatorij. Deinde diuinæ personæ diuinus & religiosus honor debetur; Christus autem quà Mediator est diuina persona, diuinam habens excellentiam, Præterea, Apoc. 5.12. Agnus qui nos redemit dignus dicitur honore & gloria, id est, adorationis cultu. Christus verò quomodo est agnus, nisi quatenus incarnatus, & quatenus Mediator? & quomodo nos redemit, nisi ratione officij illius Mediatorij quod ipsi injunctum est à Patre? Illud etiam considerandum, rationem formalem adorationis considerari in submissione & subjectione illa quâ conscientiam nostram alteri tanquam Domino spirituali subjicimus? Atqui Christo submissionem ejusmodi debemus, quatenus Mediatori: Eo enim respectu est Ecclesiæ caput, cui Ecclesia subjecta est Ephes. 5.23.24. Eo respectu mortuus est & resurrexit. Mortuus autem est & reuixit, vt dominetur omnibus, Rom. 14.9. Sic Apostolus rationem quare Deum glorificare & adorare debeamus, inde desumit, quòd empti simus pretio, 1. Cor. 6.20. Quis autem nos pretio redemit, nisi Christus qua Mediator noster est apud Deum?

4. Atque hic etiam habemus consentientia Veteris Ecclesiæ testimonia. Athanas. lib. de Incarn. docet vnam esse verbi naturam incarnatam & adorabilem cum carne suâ, vnâ adoratione. Epiph. in anchor. Quomodo non adorauero Saluatorem incorporatum? Si enim non adorauero non habebo vitam. Cyrill. epist. 10. quæ approbata est in Ephesina Synodo. Vnus intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, qui vnâ adoratione cum propriâ carne adoratur. Item, Qui non vna adoratione Emmanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, sicuti verbum caro factum est, non adaptat, anathema sit. Conc. 5. Constant. Qui non vna adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicuti ab initio Ecclesiæ Dei traditum est, talis anathema sit. Damasc. l. 3. c. 8. vnus est Christus perfectus Deus & perfectus homo, quem adoramus cum Patre & Spiritu vnâ adoratione cùm immaculata ejus carne. Hoc sensu intelligendi Doctores nostri, apud quos hæc effata legas Christus quoad diuinâ naturâ essentialiter est adorandus, quoad humanam personaliter per gratiâ vnionis. Humanitas ipsa Christi est adoranda, eò quòd sit verbi humanitas. Non solùm Christi Deitatem, sed & ejus humanitatem colit, adorat, inuocat tota Ecclesia Christiana. Ex vnione est, quòd Christus homo adoratur.

5. Humanitas Christi per se & in se considerata non est adoratio-

nis capax, siue adorabilis. Quia nihil creatum est per se adorabile. Epiph. hær. 69. sancta Dei Ecclesiâ creaturam non adorat. Athan. orat. cont. Arian. creatura creaturam non adorat. Deinde qui adorat, quatenus adorat, eâ ratione non est adorabilis. At Christus quatenus homo vel in humanitate sua Deum adorat. Nos, inquit, adoramus, quod scimus, Ioan. 4. 22. adde quòd antiqui & recentiores Theologi, inde probant Christum esse verum Deum, quòd ei adoratio legitimè præstetur. Ergo aut humanitas ejus non est adoranda, aut humanitas est Deus. Non igitur vt hominem adorabimus Emmanuelem absit. Deliramentum enim hoc esset & deceptio, & nihil ab eis differremus, qui creaturam vltra Factorem & Conditorem colunt. Verba sunt Cyrill. lib. de Recta fide ad Theodos.

6. Eis itaque assentiri non possumus, qui humanitatem Christi ita per se adorandam volunt, vt ipsa sit propriè terminus & objectum adorationis. Nempe non aliud agunt eâ suâ sententia, quàm vt confirment Diuinitatis proprietates esse realiter humanitati communicatas. Quod quàm longè abit à vero, vt suo loco confirmatum est, tam absonum est, adorabilitatem esse humanitatis Christi propriam. Qui per se adorabilis est, etiam Omnipotens, Æternus, Infinitus est. Atqui hæc in humanitatem Christi per se non conueniunt, vt omnibus notum est.

7. Neque Pontificiis astipulamur, Christi humanitati, quatenus distincta est à Diuinitate, ὑπερδουλείαν attribuentibus. 1. Quia ita duas adorationes comminiscuntur, quarum altera diuinitati, altera humanitati debeatur. Atqui adversus Nestorianos definitum est in Concil. Ephes. non plures, sed vnam esse Christi adorationem. 2. Quia qui humanitati Christi per se & seorsim adorationē tribuerunt, computati sunt ab Ecclesiâ veteri inter idololatras: Ita enim Ariani vocati sunt, quòd cum Christū tantùm pro homine agnouerint, tamen ei adorationem impendebant, quæ non potuit esse adoratio latriæ, cùm Christum pro supremo principio non haberent. Erat ergo ad summum ὑπερδουλεία, & tamen idololatriæ nomine publicè traducta est. 3. Quia qui Christi humanitatem ὑπερδουλείᾳ contentam esse jubent, non modò aliam creaturam ei æquant nimirum B. Virginem, quam eodem cultu afficiendam volunt; sed etiam creaturas ἀναιδήτως ei præponunt, cùm velint crucem in quâ pependit Christus honorandam esse cultu λατρείας, Thom. p. 3. q. 25. art. 4. Bonau. in 3. dist. 9. qu. 2. & 4. Valentinian. in 3. disp. 1. qu. 22. par. 3.

8. Denique docuerunt Theologi esse diligenter in hac causa tria distinguendum, personam quæ adoratur, causam adorationis, & illud sine quo non adoratur. Persona adorationem recipiens est Christus θεάνθρωπος, qui in se & per se adorabilis est. Causa propter quam adoratur, est eius diuina natura & infinita excellētia. Illud sine quo non adoratur, vel quod cum eo adoratur, est natura humana ad Verbi diuini subsistentiam assumpta. Atque hic similitudine vtuntur, Regis, quo adorato etiam ipsius purpura & corona adoratur: quanto magis dicere possumus adorato Verbo Dei, eadem adoratione coli etiam eius carnem? cum longè maior & efficacior sit ἕνωσις & vnio Verbi cum carne, quàm sit Regis cum veste.

FINIS.

INDEX RERVM.

A

ABRAHAMVS fidelium pater dictus. pag. 642
Ad quod genus Actionum mediatio pertineat. 284
Actionum Christi, aliæ naturales, aliæ liberæ. Liberæ, aliæ morales, Redemptoriæ, ac miraculosæ. 507.508
An Actiones Christi habuerint infinitum pretium. 509
Christus Actionibus suis nihil sibi, sed Ecclesiæ meruit. *ibid.*
Actiones Christi tantæ sunt, vt eis infinitum adscribatur meritum. *ibid.*
Acceptor personarum quis.
Distinctio Luther inter Actum primũ, & actum secundum in quæstione de Omnipotentia. 48.54
Adam quare dictus primus homo. 2
Christus vocatur Adam, Admirabilis, Agnus Dei, Angelus fœderis. Item arbor: vide Christi nomina. 3.4.5.6
Inter Adamum & Christum differentia. 3.4
Quid factum Adamo, si in integritate permansisset.
Quid Adoptio. 122
Adoptio duplex, diuina & humana. 112
In quo conueniant & in quo differant. *ibid.*
Adoptionis causæ. 112.113
In Adamo ante peccatum fuerunt defectus negatiui, non priuatiui.

A

Non mansit in Adamo, quædam particula immaculata, vnde Christus formatus fuerit. 90
An Adamus potuisset dici adoptatus Dei Filius, si in integritate permansisset, pro negatiua, vide 113
Angeli non sunt filij adoptionis. 113
Christus non est Filius Adoptiuus. 113.114.115
Christus est Filius naturalis. 113. 114.115
Adoratio, vnde. 713
Adorantur Deus & Christus propter excellentiam. 720
An Adoratio, vt oratio, sit actus religionis elicitus internus, an vero externus. 713.716
Quibus verbis Adoratio, cultus siue honor designentur apud Hebr. Gr. & Lat. 713
Pontificij Adorant crucem, imagines Sanctorum. 714
Refutatur distinctio Adorationis λατρείας & δουλείας. 715.719.& 725.727
Adoratio duplex, ciuilis & religiosa. 716
Adorationis species à Bellarm. propositæ refutantur. 717
Angeli honorandi non adorandi. 718.719.721
Adorationem Angelorum & sanctorum esse illicitam probatur Scripturæ ratione, & exemplis ex Scrip. depróptis. 724.725.727

Adorationis officium ad tres partes reuocatur, ad intellectum, voluntatem & corpus. 723
Christus etiam quà Mediator Adorandus. 750
Humanitas Christi in se considerata, separata à verbo non est Adoranda. 721
Tria in Adoratione Christi considerauda diligenter. 825

De Aduentu Christi.

An Christus aduenisset in hunc mundum, si homo non peccasset.
Agnus Paschalis non fuit sacrificium propriè dictum. 42
Afflictio fidelium, vide & fideles. 29
Agnus Paschalis fuit Sacramentum V. Test. 427
Aliquid commune habuit cum sacrificiis. *ibid.*
An Agnus Paschalis fuerit immolatus à solis Sacerdotibus. 428
Agnus Christus vocatur, 4
In opere Redemptionis Patris & Filij admirandus amor. 534
Amoris vehementissimi exempla. 534
Anabaptistarum somnia sunt à Diabolo eos hoc modo decipiente. 355
Anathema esse quid sit. 230
Angeli Prophetæ quidam dicti propter officium non alia de causa.
Angeli apparuerunt. 358
Animæ non extant ante corpus. 97
Anima Christi fuit separata à corpore τοπικῶς, non ὑποστατικῶς. 79
Animæ Christi dotes explicantur. 187.201.&c.
Animus duplici facultate præditus. *ibid.*
Diuinitas in Christo non est loco animæ, vt somniabant Appollinaristæ. *ibid.*
Anima Christi triplici scientia fuit prædita. 216
Anima Christi non videt in Deo tanquam in speculo omnes omnino creaturas etiam possibiles. 208
Anima Christi suos defectus innocuos habuit. 87.88
Animo Christus etiam cum corpore passus. 91
Cur Antiquitas Deo tribuatur. 590
Apertio cœlorum quid denotet.
Deus aliquando apparuit. 358
Apostoli inspirati à Deo non potuerunt errare. 363
Vtrum Apostoli peccauerint credentes regnum Christi fore temporale. 613
Quo sensu Apostoli dicantur fundamentum Ecclesiæ. 635
Quænam essent illæ Dei Apparitiones. 358
Apostolica vbi appellata Ecclesia. 651
Conformitas Apostolorum cum veteribus Prophetis in munere obeundo. 635
Apostoli dicuntur caput Ecclesiæ propter excellentiam. 626
Tria requisita vt Apostoli & Prophetæ possent Gentiles ad vitam æternam dirigere. 159
Deus aliquando apparuit sub Vet. Testamento. 358
Quænam & quomodo fieret hæc Apparitio Angeli, etiam Apparuerunt. 358
Quare ad Dei Apparitionem homines tantopere expauescerent. 359
Apparitiones Anabaptist. 355
Arca figura Christi dicta Propitiatorium. 267
Assumptio humanę naturę Christi. 8

Assumptio duo significat, 1. principium, 2. terminum actionis. pag. 81.82.
Natura humana assumi debuit in mysterio Incarnationis. 81.83.84
Christus Assumpsit naturam humanam singularem & eius omnes partes, non vniuersalem. 84.86.87
Obiectiones. 87.98
Ex Adami stirpe naturam Christus assumpsit. 84.85.86
Defectus naturales voluit assumere Christus absque peccato. 90
Obiectiones. 89
Etsi: Verbum mortem oppetiit non tamen peccauit in assumpta humana natura. *ibid.*
Antithesis illa quæ inter Christum & Adamum, Rom. 5.9. explicatur. 516.517
Amor siue dilectio Dei distinguitur vt sit vna beneuolentiæ, alia vnionis. 534
Qui sint & dicantur Athei. 665.666.

B

BAptismus quomodo â Patribus vocetur. 702
De baptismo Christi & iis quæ circa illius baptismum euenerunt 158.612.
Ioh. Baptistæ dona & virtutes.
Beatitudo est status omnium bonorum perfectus. 179.665
Beatitudo etiam consistit in immunitate ab omni malo, & in boni possessione. *ibid.*
Boni possessio in 4. consistit in visione Dei, & vnione cum Deo, sufficientia in Deo, & scientia fœlicitatis æternæ. *ibid.*
Cognitio Beatorum duplex matutina & vespertina. 208
Vt Beatitudo acquiratur, tria requiruntur. 206
Beati non vident in Deo, tanquam in speculo omnes omninò creaturas. 208
Bonitas Christi. 128
Duplex bonitas artis & moris. *ibid.*
Duplex Bonum, Iustitia nempe & vita æterna duplici malo opponitur culpæ & pœnæ. 29
Beneficia à Christo nobis comparata duplici genere censentur. Nam & malo vindicauit, & impunitatem obtinuit. 547

C

CAro Christi nos nutrit non per supplementum, sed per viuificationem. 170.662
De capite Ecclesiæ, vide Liter. E.
Christi Caro fuit pura Caro. 96. 97.98
Vnde desumpta in Incarnatione. *ibid.*
Caro Christi fuit passibilis aduersus Hilarium. 38
Quot modis sumatur nomen Caro.
De nomine Catholici. 649.650. 651.652
Quinam essent Celethæi & Peletæi.
Quinam Celethæi. 401
Ceremoniæ possunt bifariam considerari, vid. 517
Ceremoniæ Vet. Test. sub duplici σχέσει spectantur. 444
Ceremoniæ & sacrificia vetera sub duobus temporibus spectantur. *ibid.*
Charitas seu amor Patris & Filij. 533
De Charitate Christi, quâ Deum & proximum dilexit. 122.123
Charitatis Christi erga homines modus & quantitas. 123.124
Discrimen Charitatis Christi &

nostræ. 123
Charitas quomodo in Deum feratur. 121
Charitatis officia præferuntur sacrificiis. 444
Cætera de Charitate Christi, vide lit. C. de Christi virtutibus. 171

De nominibus Christi.

cur Christus Adam posterior siue secundus homo. 3.4
Discrimen Christi ab Adamo. *ibid.*
cur admirabilis Christus. 4
cur advocatus & arbiter. 3.4
cur vocatur Amen. 5
cur agnus Dei & agnus. 4
Vocatur Angelus simpliciter Angelus. 4.5
Iehouæ, Angelus fœderis. *ibid.*
cur arbor vocetur. 5.6
cur Michael Archangelus. 13
cur Consiliarius. 6
cur Consummator. 17
cur Dauid, cur Doctor, cur Dominus. 6.7.8
cur Episcopus animarum nostrarum. 8
Medicus etiam dicitur. 9
cur filius hominis. 9
cur germen. 9.10
cur hæres omnium. 10.11
cur dicitur Christus ostium. 23
Christus Iehoua dicitur. 2.28
cur Emmanuel. 2.311
cur α & ω. 3
cur Iudex vniuersorum. 11
cur Iustus & Sanctus. 11.12
cur lapis angularis. 12
Leo de tribu Iuda. 12
Messias siue Christus dicitur. 2.27
cur minister, siue seruus. 13.14
cur Nazarenus. 14.15
cur Oriens ex alto. 15
cur panis vitæ. 661.662
cur Pater æternitatis. 16
Cur primogenitus. 17.18
Cur Princeps. 16.17
Cur puer & Filius. 16
Reconciliator & Redemptor. 30
Christus seruator dicitur. 28.29
cur Rex & Dux. 16.17
cur semen Abrahæ. 18.19
cur Scilo. 19.20
cur sponsus solus maritus Ecclesiæ. 20.21 22
Christus testis fidelis & verax. 5
cur via, veritas, & vita. 22.23.24.25
De nomine Christi & Iesu. 26.27. 28
Christus non est nomen proprium Christi, sed nomen officij. 32
Vnde dicitur Christus. 27.28
Iesus est nomen proprium Christi. 28
Vnde dicatur Iesus. 29.30
Superstitio in nomine Iehouæ & Iesu. 32
Christi nomen denotat triplex officium. 32.33
Nomine Christi tria designantur. *ibid.*
De Christi persona 35.36
cur oportuerit esse Deum & hominem. 40.
Est verè θεάνθρωπος. 36.
Christi persona modò à Diuinitate modò ab humanitate denominatur. 41.42
Hæreses contra humanitatem Christi refutantur. 36.37.38
Christus est verus homo. 37
Quæ sit opinio Hilarij de passionibus Christi. 38
Obiectiones cum solutionibus in humanitatem Christi. 41.42.43
Vna persona in Christo etsi sint duæ naturæ. 39
Christi natura fuit similis nostræ, excepto peccato. 39.98
Diuinitas non est vnita Christo tantum

tùm accidentaliter, vt voluit Nestorius, sed substantialiter. 39.40
Rationes probantes esse duas naturas in Christo. 40
Christus fuit Rex & Mediator sub. Vet. Testamento ratione Incarnationis futuræ. 263.611.612
Natura diuina & humana in Christo non confunduntur neque earum proprietates vide 44.45.46
Omnia in Christo duplicia præter subsistentiam. 188
In Christo duas esse naturas. 44
Obiectiones refutantur. 42.43
De Vbiquitate, quæ refutatur. 48. 49. &c.
Obiectiones de Vbiquitate refutantur. *ibid.* & 56. & c.
Christus simul viator & comprehensor. 177
Vide. Lit. I. de Incarnatione.
De vnione hypostatica Christi. 72. 74.
Quæ de ea dicantur. *ibid.*
De Conceptione Christi. 92
Conceptio duplex. 93
Christus conceptus est operatione Spiritus S. non hominis. 93.94
An Spiritus S. possit dici Pater Christi. 94
Cur conceptus ex Spiritu S. *ibid.*
Conceptionis fines. 95.96
Vnde desumpta Christi caro in conceptione non ex aliqua parte quæ in Adamo manserit. 96.97
An Christi corpus siue caro eodem modo & tempore fuerint vnita verbo. 97.98
De Christi carne. 98
fuit passibilis contra Hilarium. 38
fuit pura caro. 96
An liceat dicere Christus est compositus, cùm agitur de Incarnatione. 74
Obiectiones. 75
Ista vnio siue compositio, est ineffabilis & inexplicabilis exemplis. *ibid.*
De Communicatione Idiomatum 100.101.
Communicatio Idiomatum intransitiuè, non transitiuè, debet intelligi. 103.
De Christi perfectionibus. 105
De Christi prædestinatione. 106. 107.
Cætera vide lit. P. de Prædestin.
De Christi filiatione. 111.
Christus non est Filius adoptiuus. 112.114.
Cætera vide literam F. de Filio.
De gratia Christi. 115.116
vide lit. G. de Gratia.
De Christi virtutibus. 121.
Ac 1. de Charitate quâ Deum & proximum dilexit. *ibid.*
Pœnitentia Christo non competit. 150
Quo sensu fides, spes Christo competant. 151.152
Discrimen charitatis Christi & nostræ. 124
Christus dilexit Deum summa dilectione. 121.122
Proximum dilexit ardentissimè *ibid.* & 123
Charitatis Christi erga homines modus, & quantitas. *ibid.* & 124
Videtur nos amasse plusquam se ipsum. *ibid.*
De virtutibus reliquis Christi, Vide litt. V.
Charitatem eius maximam demonstrant exquisiti cruciatus quos passus est. *ibid.* 125
De donis Christi. 163
An virtutes morales à donis Spiritus S. distinguantur. *ibid.*
Christus sapientia, ætate & gratia creuisse dicitur. 119.181

Christus respectu humanitatis omnibus gratiis gratis datis instructus est cumulatissimè. 116
Dona & gratiæ datæ debuerunt in in Christo vigere. 162
De communicatione donorum Christi per officium regium, siue quat. Rex Ecclesiæ. 640.641
De potentia Christi respectu humanitatis. 164
Quo sensu Patres ei secundum humanitatem tribuant omnipotentiam. *ibid.*
De gloria Christi respectu humanitatis. 171
Non fuit perfecta ante eius ascensionem in cœlum. 173.177

De dotibus corporis Christi.

De dotibus corporis Christi. 180
De pulchritudine. *ibid.*
De sanitate ac robore corporis. 181. 182.183.
Corpus Christi non fuit impassibile.
Inuisibile, leue, subtile, illocale, vt volunt Pontificij. 184.185.186
Illocalitas refutatur, vbi agitur de omnipotentia, siue immensitate Dei. 184
De dotibus spiritualibus Christi, ac præsertim de scientia. 187
Cætera quæ de illa scientia & eius ignoratione dicuntur vide lit. S. de scientia. 156.187
& lit. I. de Ignoratione. De conscientia Christi.
De memoria. 222
De innocuis Christi defectibus tum animæ, tum corporis, vid. 87.88.
Defectus habuit naturales culpa carentes. 87.88.89.90 vid. 243.244.
Hos defectus habuit vt se hominem esse significaret, tum aliis de causis. 91.92.
Christus animo cum corpore passus est. 243
De ira Christi. 244
De tristitia, fuit aliquando tristis. 246.
De Christi officio Mediatorio in genere. 259
Oeconomia tum Deo, tum Christo, tum hominibus conuenit. 250.
Distinguunt Patres inter œconomiam & Theologiam Christi, vt œconomia sit doctrina de Incarnatione; & quæ Incarnationem secuta sunt. Theologia verò tractatus de diuinitate. 251
Quæ de Mediatore & officio dicuntur cætera vide lit. M.
De officiis etiam Prophetico, Sacerd. & Regio vide lit. P.S.R.

De similitudine Christi nobiscum.

Similis factus nobis per humanitatem, quoad rem non quoad rei modum. 98.

De Christianis.

De Christianorum cum Christo vnione. 653
Cætera vide lit. V. & Christiani, vide lit. F. vbi de fidelibus & Christianis plura dicuntur.
Christiani vocantur vncti i.e. Prophetæ, Sacerd. &c. propter communionem cum Christo. 690
Christiani excellentia consistit in eo præcipuè quod sit vnum cum Christo. 613
Quomodo Christiani sint membra Christi & membra Ecclesiæ. 659
Christianorum cum Christo communio comparatur cum conjugio. 662.
De nomine Christiani. 642.

Christianorum misera conditio & ipsis imposita crimina. 643.644
Christianorum varia nomina à Paganis imposita per odium. 643
Vnde factum vt non Christianorum, sed Iudæorum, aut Gentilium tantùm in Epistolis meminerit Paulus. 646
Quæ sit ratio appellationis Christianæ. *ibid.*
Christiani nomine aliquid nobilius designatur quàm nomine Catholici. 649
Vtriusque nominis discrimen. 650. 651
An ab alio quàm à Christo nomen desumere liceat. 647.648
De excellentia nominis Christiani. 648
Christiani sunt Sacerdotes. 695
Christianorum Sacerdotum Sacrificia. 656.696.697.698.
Quæ sint officia Christianorum ad regiam dignitatem pertinentia. 700.701
Quæ debeant esse ornamenta Regum Christianorum. 701.702
An Christiani possint dici Redemptores, vt dicuntur Reges Prophetæ &c. 688
Quæ sit efficacia doctrinæ Christianæ. 692
Illæ Christianorum appellationes & officia non inuehunt confusionem. 690
Circumcisio eundem effectum apud Antiquos habuit, quem habet apud nos baptismus.
Quid significet potestas clauium vide. 636
Quid prodesset Circumcisio, Circumcisio, vt omnes aliæ Vet. Testamenti ceremoniæ sub duplici respectu considerantur ante & post aduentum.
Vnde aliquid dicatur esse de cœlo.
Cœlorum apertio quid denotet.
Cognitio vnum ex tribus requisitis ad Pastorem. 160
Cognitio Beatorum duplex matutina & vespertina. 208
In Cœna corpus Christi accipitur, vt nos nutriat per viuificationem, non per supplementum.
Communicatio idiomatum vide de Conceptione. 100
Conceptio duplex seminis & hominis. 93
Coniugium Spirituale Christi & Ecclesiæ. 662.663
Corpus Christi non fuit impassibile, inuisibile. 177
Corpus non potest esse illocale.
De Christi conscientia. 317
Conscientia est lex, testis & Iudex. 218
Qualitas & officium conscientiæ explicatur. 219
Triplex conscientiæ diuisio. 218
Differentia Conscientiæ Christi & fidelium. 221.222
Consilium Christi & eius sapientia.
Consiliarius Christus. 155
De Conuersione Gentium & Ethnicorum.
Christus secundùm humanitatem non habet dominium in omnes omnino creaturas. 615
De cultu & adoratione.
Cætera vid. lit. A. 713.716
Cultus quo Christus colitur est spiritualis. 599.622
Cultus religiosus in solidum Deo debetur. 718
Cultus moralis ratio omnibus locis & temporibus inuariabilis. 730
Patres crediderunt in Christum venturum.
An omnes qui putant se credere

credant Resp. per dist. 658
Cultus ciuilis dupliciter dicitur vel ratione subjecti, vel ratione causæ. 718

D

DAVID fuit typus Christi. 602. 608.
Dauid principum decus. 643. &c.
Defectus Christus innocuos suscepit vt se verum esse hominem significaret. 90.91.242
Quid per naturales defectus intelligatur. 98
Enumeratio defectuum. 90
Decimæ tres persoluebantur & quo tempore. 433
In decimarum persolutione fines considerandi. *ibid.*
Deus non est acceptor personarum 340
Christi diuinitas probatur.
Christus est Dei, istius phraseos sensus. 654
Deus aliquando apparuit. 358
Quænam essent illæ Dei apparitiones. *ibid.*
Deus solus inuocandus. 732.733
Deo tribuitur antiquitas. 590
Vocatur etiam antiquus dierum. *ibid.*
Deus est homo, quæritur qnænam hæc sit prædicatio. 100
Regnum Dei quid significet.
Quomodo Deo Iustitia dicitur naturalis.
Dei magnificentia describitur. 590
Christus dilectus à Patre formaliter & causaliter.
Christus Deum dilexit summa dilectione. 121
Proximum dilexit ardentissimè. 122
Cætera vid. lit. C. de charitate.
Sancti non vident in Deo tanquam in speculo. 208
Christum Deum & hominem esse oportuit. 209
Diabolica somnia vid. lite. S. 355
Dignitas alia personæ, alia operis, alia perfectionis, alia aptitudinis & conuenientiæ.
Quomodo Deus homines honorare dicatur. 796
Doctor appellatur Christus. 6.7. & 162
De doctrina Christi vide. 591
Doctrina Christi quę est prima pars materiæ officij Christi prophetici in rebus consistit. *ibid.*
Modus quo Christus doctrinam suam proposuit. *ibid.*
Prius docuit Christus quàm ederet miracula. 408
Discrimen inter dona & virtutes, distinguntur tantùm ratione. 159
Dona necessaria Pastori ad ædificationem. 160
Donorum Spiritus numerus. 154.155
Tribuuntur Spiritui S. Dona. 157
Dona & dotes ex vnione hypostatica necessariò in humanitatem Christi deriuata. 158.162
Duliæ & Latreiæ differentia, Ad Duliæ rationem septem pertinere docent Aduersarij. 720.721
Dominium Christi duplex. 273
Dominus Christus dicitur. 8
Dominus etiam est Christus quà Mediator. 275
Quæ sit efficacia doctrinæ Christianæ Diuinitas non est vnita Christo tantùm accidentaliter vt voluit Nestorius, sed substantialiter. 39.40
Natura diuina & humana in Christo non confunduntur, nec earum proprietates. 100
Christus dicitur derelictus à Patre, non quoad actum, sed quoad sen-

ſenſum, non quoad vnionis diſſolutionem, ſed quoad operis ceſſationem temporariam. 79
Et protectionis negationem. *ibid.* 159
Chriſtus ſecundùm humanitatem non habet Dominium in omnes omnino creaturas. 615
Dies Feſti, vid.lit.F. 746
Chriſtus eſt verus Deus.
Docuit Chriſtus Euangelium & explicauit legem quod pertinet ad officium Propheticum. 375
Chriſtus doctrinam propoſuit antequam ederet miracula. 408
Diſpenſatæ res magni momenti in montibus. 174
Quæ Deus decreuit fiunt neceſſariò. 585
Quare, & à quo dies Dominica ſubſtituta Sabbatho. 746
Diligere & iraſci non ſunt ἀσύμφωνα. 534
Deus diligit ſuos & tamen iraſcitur propter peccata. *ibid.*
Humanitas Chriſti non habuit in omnes res Dominium quod votur vtilitatis. 616
Quid ſit dulia definitur. 739

ε

Ecclesia quare Catholica appellata. 651
Et quare hæc non propria Eccleſiæ ſit appellatio. *ibid.*
In Niceno Concilio quare Eccleſia ſit appellata Apoſtolica. *ibid.*
Eccleſia duplex militans in ſæculo & triumphans in cœlo. 718
Chriſtus Rex ſolus Eccleſiæ. 584. 613
Eo reſpectu poteſtatem habet in omnes omnino creaturas. *ibid.* 615
Chriſtus ſolus Monarcha Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis, nec vllus eſt, ſiue inuiſibilis, ſiue viſibilis præter ipſum. 624. 625
Nullum eſt caput viſibile Eccleſiæ *ibid.*
Pontifex Rom. non eſt caput viſibile Eccleſiæ. *ibid.*
Difficultas in eo quod Patres appellant Petrum & Pontificem Rom. caput Eccleſiæ. 635
Alij Apoſtoli vt Petrus dicuntur caput Eccleſiæ propter excellentiam. 626
Argumentum contra primatum Pontificis in Eccleſia deſumptum ex Matth. 20. 25. 26. 624. 625. &
Reſp. ratiunculis Bell. 629
Refutantur argumenta allata ad ſtabiliendam Monarchiam in Eccleſia. *ibid.*
Eccleſia Iudaica non fuit figura Eccleſiæ Chriſtianæ. 631. 632
Chriſtus verum fundamentum Eccleſiæ. 635
Quo ſenſu Apoſtoli appellantur fundamentum Eccleſiæ. 635
Non licet omnibus citra vocationem hominum in Eccleſia docere contra Anabaptiſtas.
Quid ſit Ecſtaſis. 649.
Prophetæ rapiebantur in Ecſtaſim *ibid.*
Ecſtaſis multiplex à Scriptura narratur. *ibid.*
Ecſtaſis vatum Paganorum quænam fuerit. *ibid.* 350
Ad Ecſtaſim referendæ viſiones Prophetarum per phantaſiam factæ. 353
Citra Ecſtaſim Deus ſub Vet. Teſtamento ſuos edocebat. 354.
Errationes Iſraelitarum in deſerto quid repræſentarent. 603

Duplex esse secundùm Lutheranos conuenit Christo locale & illocale. 51.52.
Refutatur. 53
Efficacia diuinæ sapientiæ & diuini verbi demonstratur. 398
Eua cur vocata prima fœmina. 2.
Euangelij nomine tria comprehenduntur. 385
Euangelium indiscriminatim omnibus populis & Gentibus proponitur. 645
Euangelij propagatio ab Hispanis vide.
Cur Euangelium priùs Iudæis annuntiari debuerit.
Euangelij & legis differentia. 376
De lege & Euangelio. *ibid.*
Explicatur antithesis quæ est inter vtrumque Matth. 5. 377
Euangelium Christus docuit & legem explicauit, quæ est secunda pars officij Prophetici. 396
Antiochus Epiphanes fuit typus Antichristi de quo Daniel. 601
Ethnicismus πλουτίας inuehebat 644
Ethnicismum in 3. religiones.
Epiphanius diuisit in Hellenismum, Scythismum, & Barbarismum. 645
Excellentia nominis Christiani. 648
Phrasis, esse in Christo Philosophiæ ignota. 654
Excellentia duplex alia summa, increata & infinita, alia verò inferior finita & creata. 716
Episcopus animarum Christus dicitur. 8
Esaias Prophetarum Coryphæus. 643.

F

Dies Festi ad Dei solius honorem non ad Sanctorum veneratioñ sunt celebrandi. 746
An aliqui Dies Festi possint celebrari. *ibid.* 747
An dies Festi alij aliis sint sanctiores. *ibid.* 747
Dici Festi celebratio non est pars diuini cultus. 747.748
Honor celebrationis diei festi non pertinet terminatiuè ad sanctos. 748
Eandem nobiscum fidem Patres habuerunt & iisdem Christi beneficiis participes facti. 651
Fides in Deo solo recumbit. Itaque solus Deus inuocandus, 733
Mysteria diuina sunt reale objectum fidei nostræ, vt personale est Deus solus. *ibid.*
Vnde cognoscat Fidelis se habere fidem. 656
An possimus errare in Iudicio de fide. 657
Fidei distinctio & quot modis accipiatur. 161.162
An fides competat Christo. 150.151 152
Quis sit actus fidei, quid sensus illius 656
Fides efficit nostram vnionem instrumentaliter. 657
Fides Patrum in Christum venturum.
Quo sensu fides Christo competat. 150.151.152
Fidei objectum Deus. 733
Fidelium pater dictus Abrahamus. 642
Fideles à Deo inspirantur, circa eorum inspirationem tria obseruanda. 361.362
In fideli duo sunt veritas fidei & certitudo de fide. 735
Fideles Vet. Testamenti, sicut & Noui à Christo Dei cognitionem hauserunt. 692
Fidelium instituendorum duplex mo-

modus.
Fidelium communio inter se. 659. 660
Fideles & pij in hac vita affliguntur, non vt satisfaciant Deo per pœnas temporales pro peccatis venialibus, vt volunt Pontificij.
Fideles mortem timere non debent.
De fidelibus vide multa in lit.C.de Christianis.
Nullæ pœnæ fidelibus remanent in purgatorio luendæ &c. 561
Quæ debeant esse ornamenta fidelium. 701.702
Fidelium communionem cum Christo experientia consensus ad Spiritum S. refert tanquam ad causam efficientem. 636
Fideles Vet. Testamenti in Christum venturum crediderunt.
Fidelium communio cum Christo comparatur conjugio. 662

De nominibus fidelium.

Vocantur vncti i.e. Prophetæ, Sacerdotes & Reges. 690
Ob communionem cum Christo vocantur & sunt veri Prophetæ. 691.
Conformitas fidelium Christianorum in ratione muneris Prophetici cum Prophetis. *ibid.*
Fideles dicuntur Sacerdotes. 695. 696.
Cur dicuntur Reges. 698.699
Dubium cur fideles vocantur Prophetæ, Sacerd & Reg.cùm illud munus competat Christo exclusiuè vide Sol. 688
An fideles possint dici Redemptores. *ibid.*
Fiducia & spes in vno Deo reponenda. 802
Maledictus qui fiduciam in homine collocat. 802
Filia vocis quartum reuelationis genus. 365
An Christus homo sit Dei Filius naturalis, an adoptiuus. 112
Non est adoptiuus. *ibid.*
An possit dici Filius Spiritus sancti, cùm de Spiritu S. dicatur conceptus vide de fœdere Dei cum Adamo. 94
Filius hominis dicitur Christus. 8.9 36.
Quid per formam serui accepisse dicitur Christus. 173.174.181
Christi fortitudo. 156
Fundamentum Ecclesiæ solus est Christus. 635
Deus postremis hisce diebus locutus est per filium. 367
Forma officij Prophetici. 397

G

GEdeon typus eximius Christi. 607
De vellere Gedeonis irrorato. 419
Quidam ex Gentilibus sub Vet. Testamento à Deo sunt vocati, exempla proponuntur. 400.401
Inter Gentes fuerunt etiam rerum sacrarum typi. 601
Germen Zachariæ dicitur Christus. 9.10
Gloria alia essentialis, quæ conuenit diuinitati, alia œconomica, quæ conuenit ἀνθρώπῳ. p.171
De Gloria Christi respectu humanitatis. 171
Gloria duplex alia intrinseca, alia extrinseca. *ibid.*
Gloriæ radios Christus in terra manifestauit. 152
Gloriam perfectam non habuit ante ascensionem in cœlis. 177

De Gratia.

Triplex Gratiæ diuisio prima in

actualem & habitualem, quæ. 119.120
Secunda in virtutum & donorum, quæ. 121
Tertia in gratis dantem, & gratis datam. 158
Virtutes rursus in morales & Theologicas diuidunt. 121
De Gratia Christi. 115.158
Discrimen Gratiæ Christi & nostræ. 117
Gratiis gratis datis humanitas Christi cumulatissimè instructa est. 116.159.
Quo sensu hic Gratiam datam Christo tribuamus. 117
Gratia data ad tria reducitur, cognitionem, loquutionem, & operationem. 159.160
Quo sensu Gratia Christi in humanitatem collata infinita dici potest. 117.& 118.
Gratiæ Christi per sacrificia & oblationes nobis repræsentatæ. 431
Gratia Dei non innotescit per opera creationis, vt eius potentia.
Gratis Deus remittit peccata, etsi satisfactionem à Christo accipiat.
Per eandem nobiscum gratiam salui facti sunt Patres.
De Gratitudine & noua obedientia. 391.392
Homo Deo debet obedientiam & Gratitudinem ex ratione creationis suæ.
Gratia gratis dans in Christo quid 115
Gratia qua Deus peccatores erigit dicitur mater cuiusque doni. 388

H

EPistola ad Hebræos ad fideles, non infideles scripta est.
Hæreses aduersus humanitatem Christi. 36.37
Hæres omnium dicitur Christus. 10
Hilarij Hæresis de carne Christi. 38. 39
Hæresis Iustiniani apud Euagrium. 38
Omnes hæretici se catholicos dici volunt. 651.652
Hircus Hazaelis Christum repræsentabat. 438.527
Hirci duo, quorum vnus mortem, alius resurrectionem repræsentabat. 438
Hircus Azael emittebatur viuus. *ibid.*
De Holocaustis. 426
Alia ordinaria quæ quatuor. *ibid.*
Alia extraordinaria pro necessitatibus. *ibid.*
Holocaustum præcipuum fuit inter sacrificia διαλλατικὰ, Ratio huius rei triplex. 435
Ceremoniæ obseruatæ in holocausto optimè in Christum quadrant. *ibid.*
Inter Holocausta præstantius fuit Holocaustum vitulæ rufæ. 436
In quibus consistat miseria hominum. 665
An Christus venisset in hunc mundum si homo non peccasset.
Refutantur objectiones.
Triplex genus hominum in Ecclesia.
Ad quid comparatur miseria hominum peccatorum. 665
Discrimen passionum Christi & aliorum hominum.
Christus quà Homo tribus modis subiectus.
Cætera vide de subjectione. 617.618
De humanitate Christi. In eam necessariò dona & dotes deriuātur ex vnione hypostatica. 79.105.

Quo-

Quomodo se habebat humanitas Christi in miraculis, An per modum instrumenti. p.165.166.167 physicè, An moraliter agentis. 168.169.176.177.178.179. &c.
Per Humanitatem similis Christus nobis factus est quoad rem & substantiam, non quoad rei modum vide. 43.98
Christus Humanam Naturam habuisse veram probatur. 41
Natura Humana assumi debuit in mysterio Incarnationis. 81
Contra humanitatem Christi variæ hæreses. 36
Solutio objectionum contra humanitatem.
Natura diuina & humana non confunduntur in Christo. 44
Scientia Christi respectu humanitatis. 156.187
Objectiones aduersus eam scientiam *ibid.*
Finita & infinita dici potest. 188. &c.
An Christus quà Homo plurima ignorauerit, 191.192
Humanitas Christi in se considerata & vt separata à verbo non est adoranda. 721
Honor habet pro objecto excellentiam. 716
Differentia honoris & cultus. 716
Cui debeatur honor. *ibid.* 729
Vtrum humilitas sit virtus. 139
Quot modis sumatur nomen humilitatis apud Theologos. 140
Comparationes de humilitate. *ibid.*
De Humilitate Christi. 140
In quibus Christus humilitatem declarauerit. 141.142
Objectiones contra humilitatem Christi. 142.143
Humilitas facit vt alios nobis præferamus. 142
Quid hyperdulia & vnde vocabulum istud, non admittendum 798.
Hyperdulia à Christo rejicienda 727.
Hypocrisis opponitur sinceritati & vituperatur. 133
Hypocritarum simulatio. 138
Homo non par erat reparare genus Humanum siue satisfacere. 507
Quid sit honor. 716
Differentia cultus ab honore. *ibid.*
Deus honorare dicitur homines. *ibid.*

I

DE superstitione in pronunciatione nominis Iehouæ. 31
De superstitione in pronunciatione nominis Iesu. *ibid.*
Vnde nomen Iesus & quando. 2.3. 29.595.
Iesus quis verè dicitur. 29.639
De Iephte & eius voto. 418.419
Iethro quis fuerit. 400
Qualis fuit ignis sacrificiorum, An etiam amotis lignis arderet, An è cœlo descenderet. 430.431
Quæ fuerit Ignorantia Christi. 191. 192
Probatur Christum quà hominem quædam Ignorasse. *ibid.*
Ignorauit diem Iudicij secundùm humanitatem, cognouit secundùm diuinitatem. 196
Ignorationem illam diei Iudicij Pontificij non explicant, sicut Nos. 195.196.197
Pontificij nolunt Christum quicquam Ignorasse quod ad creaturas pertineret. Objectiones eorum refutantur. 200.201.202
Ignorantia est triplex in homine nempe prauæ dispositionis, negatiua & priuatiua. 192

Originatio nominis Iesus. 26
Prima nominum impositio vnde desumpta. 2
De Impositione manuum, & ejus vsus. 458
De Christi Inauguratione. 269.612
Quid intelligatur per Incarn. 62
& quid denotet vox Incarnatio quid vnio, quid assumptio. 81
Incarnatio Christi proponitur. 60. 61.&c.
Incarnatio duo significat, Actionis principium & actionis terminum. 81
Incarnatio est cardo miraculorum vide. 62.83
Quot nominibus indigitetur Christi Incarnatio. 60.61
Variæ hæreses contra Incarnationem Christi. 36
Quæ sit opinio Hilarij. 38
Christi Incarnatio non percipitur naturali rationis lumine, sed beneficio reuelationis. 61.62
Christus est verè Incarnatus contra Iudæos. 63
Confessio Iudæorum in mysterio Incarnationis. 63.64
Probatur contra Gentiles argumentis communibus & particularibus Incar. 64.65
Quo sensu mysterium Incarnationis fuit conueniens. 65.66
Cur tempus Incarnationis Christi vocetur plenitudo temporum. 67
Quare Incarnationis mysterium non citiùs, aut tardiùs dispensatum fuerit. 67.68.69
Causa efficiens Incarnationis Deus finalis ex parte Dei, gloria Dei, & parte nostra Redemptio nostra à peccatis. 70.71.73
Propter quos Incarnatio dispensata intellectus diuinus omnia nouit infinita, humanus, vt finitus, finita tantùm, 69.70.73.45
Quæ persona diuinitatis debuit Incarnari vide. 81.82.98
An solus filius fit Incarnatus otiosè quærunt Scholastici. 82
Cur potius filius, quàm Pater aut Spiritus S. fuerit Incarnatus. 82. 83.98
An excludendus compositionis terminus cùm agitur de Incarnatione. 74.
Obiectiones refutantur. 74.75
Iste compositionis modus est ineffabilis & Inexplicabilis exemplis. 75
Natura humana assumi debuit in Incarnatione. 81.91
Quæ sunt effecta Incarnationis, tum respectu hominum, tum respectu ipsius Christi. 98.99
Natura humana & diuina non confunduntur per Incarnationem, nec earum proprietates. 100
Innocens plectitur pro nocenti. 532. 533.
Iuda incestans Tamarem.
Inspirati sunt à Deo sancti viri. 360
Inspiratio verorum Prophetarum à falsis distinguenda. 360.361
Inspiratio fit aut gratia, aut permissione. Gratia vt in veris Prophetis, Permissione vt in falsis, *ibid.*
Inspiratio alia est peculiaris, quâ donabantur Prophetæ. *ibid.*
Alia communis qua donantur fideles. *ibid.*
Circa fidelium Inspirationem tria obseruanda. 361.362
Omnia duplicia in Christo. 45
Intellectus in Christo duplex. 301
De Intercessione Christi. 570.
Quo sensu intelligantur hæc verba satisfactio Christi destinatur reconci-

conciliationi comparandę. Interceſſio verò firmandæ. Diſcrimina inter Interceſſionem & Orationem Chriſti dum in terris ageret. *ibid.*
Duplex eſt Interceſſio Chriſti. 574
Fines varij Interceſſionis Chriſti in hoc mundo. 572
Quotuplex Chriſti Interceſſio. 574
Quænam ſit ratio Incerceſſionis. *ibid.*
Interceſſit pro reprobis. 574
Interceſſio Chriſti ſpecialis eſt pars officij Mediatorij. 575
Interceſſio Chriſti quatenus eſt Sacerdos pertinet ad Electos. *ibid.*
Reſponſio objectioni ad adſtruendam duplicem Interceſſionem Chriſti Mediatoriam. 576
Diſtinctio Interceſſionis mediati, & immediati nulla eſt.
Inuocatio Sanctorum refutatur. 800.
Deus ſolus Inuocandus. 732.733
De Ira Chriſti. 244
Ira phyſicè, vel moraliter conſideratur. Moraliter vel propter vindictam primum, vel propter zelum. vide.
Quid Iſraelitarum populus repræſentarent. 578
An ſoli Iſraelitæ fuerint veri fideles, nec alij.
Iobus quis fuerit.
Ioſue fuit typus Chriſti. 603
Iudaiſmus vnius Dei cultum profitebatur. 644
Iudicum & Regum diſcrimen. 605
Iudam Chriſtus Saranam vocauit.
Iudicium adminiſtrabit Chriſtus. 640.641
Iuramentum per vnum Deum concipiendum probatur ex Scriptura contra Pontificios. 741
Diſtinctio iuramenti facti per Deum à Iuramento facto per Creaturam nulla eſt. *ibid.* &c.
Iuramentum eſt actus Religionis exterior elicitus. 713
Iuſtitia quomodo dicatur Deo naturalis.
Quæ ſit Iuſtitia Chriſti. 125.126
Chriſtus non dicitur juſtus adjectiuè, ſed ſubſtantiuè. 125.594
Iehoiada in quo Chriſtum repræſentauerit. 459
Infinitas meriti Chriſti. 533
Iudex vniuerſorum Chriſtus dicitur. 126.593.
Iuſtus & ſanctus dicitur Chriſtus, 125.126.

L

Apis Angularis Chriſtus. 12
Laus Dei eſt actus religionis exterior. 513
Latriæ & duliæ differentia ſecundùm Pontificios. 725
Latriæ definitio. 715
Hæc refutantur. 725.727
Leo de tribu Iuda Chriſtus dicitur. 12.
Quinam eſſent qui vocabantur Leuitæ. 465
Quid Leuitæ commune cum Sacerdotibus habebant. *ibid.*
Leuitarum munus & occupatio. 464 465
Leuitarum diſtributio in tres ordines. *ibid.*
Chriſtus Legislator quibuſdam legibus obſtrictus. 131
An Chriſtus ſit Legiſlator, quatenus Propheta, an quatenus Rex, diſtinctio. 392.393
In Legiſlatore conſideratur doctrina & authoritas. *ibid.*
Lex etiam doctrinam & Imperium

respicit. 392
Legis & Euangelij differentia. 376
Legem Christus perfectè impleuit. 134
Non alia præcepta Christus legi addidit sed explicauit tantùm. 377. 378
Legem Christus non correxit. 378
Lex fuit perfecta contra Pontificios 379
Lex aliquando dici potest imperfectior Euangelio. *ibid.*
De Lege, & Euangelio comparationes. *ibid.*
Legis nomẽ bifariam accipitur. 449
Legis duplex consideratio ab Aduersariis inuenta. 557. 558
An vt Legem moralem, Christus etiam Ceremonialem impleuerit. 517
Lex Christi est spiritualis. 621. 622
Christus legem prædicauit & explicauit vide. 375. 377. 378
Liber vitæ. 227. 228
De Libero arbitrio disputatio. 237
Libertas hominis iregeniti non consistit in indifferentia. 339
Quædam species necessitatis conueniunt cum Libertate, quod probatur. 238
Libertas in Christo non reperitur quoad genus mortis secundùm Aduersarios, sed quoad numericam passionis vnitatem. 240
Libertas triplex à necessitate, à peccato, à miseria, additur & à lege. 236.
Christus Liberauit nos à malo culpæ & pœnæ pro duplici bono oppositio dando nobis iustitiam & vitam æternam. 29
Linguarum notitia ex tribus ad Pastorem requisitis.
Refutatur distinctio Lutheranorum esse locale & illocale tributum Christo. 49. 55. 59. 184
Localitas est proprietas inseparabilis à corpore. *ibid.*
Refutantur obiectiones. *ibid.*
Lucis Proprietates. 184
Leuitica Sacrificia nullam vim habuerunt ad peccata abolenda citra Christum. 477
Leuiticum iteratione opus habuit. 478
Liberatio duplex simpliciter dicta, & per modum λύτρου, siue satisfactoria aut Redemptoria. 543

M

MAgnificentia Dei & ejus potestas describitur. 590
Mahumetissimi origo. 645
Modus majestaticus rejicitur contra Lutheranos.
Malorum duplex genus culpæ & pœnæ. 29. 640
Duplex bonum opponitur justitia & vita æterna. 29
A triplici malo Christus nos liberauit. *ibid.*
A Malo Christus nos vindicauit & ad veri boni possessionem nos perduxit. *ibid.*
Malorum quibus premimur duo genera. 640
Mandata prioris tabulæ præferenda mandatis secundæ.
Mandata Patris Christus exequutus est.
An Christus dederit mandata noua. 392.
Manna quid fuerit. 661
Manuum impositio & eius vsus. 458
De mansuetudine. 147
De Christi Mansuetudine. *ibid.*
Obiectiones contra Christi mansuetudinem. 147. 148
Virgo Maria non meruit, sed digna exi-

extitit ex qua filius Dei nasceretur. 80
Mediationis duplex diuisio substantialis & operationis. 34.252
Mediationis multiplex diuisio. 252
Vnde nomen Mediationis. 251
Quid Mediatorem dixerunt Latini 251
In Christi Mediatione duo spectantur, Persona medians, & operatio personæ. *ibid.*
Mediationis finis & opus est extremorum vnio. *ibid.*
In Mediatione non confunduntur opera naturarum, etiamsi ab eodem suppositio procedant, quod exemplo illustratur. 298
Ad quod genus Actionum Christi Mediatio pertineat. 284
Cùm agitur de Mediatione, quatuor consideranda veniunt ὁ ἀφ' οὗ ὁ ἀφ' οὗ &c. 284
De precibus & Mediatione Sanctorum. 312.313
Mediator noster Christus est duplici respectu. 34
Mediator Christus est doctrinæ, arbitrationis, aduocationis, reconciliationis, gubernationis, 34. &c. 298.299.
Mediatorem Christum diuersi actus constituunt. 258
Christus Mediator & Rex fuit sub Vet. Testa. ratione Incarnationis futuræ. 263.264
Mediatoris nomen tribuitur Christo & Mosi in Vet. Testamento. 302
An aliquis nunc præter Christum possit dici Mediator. 300
Non est. *ibid.*
Mediatoris finis nimirum Dei gloria & Salus nostra. 281
Qua ratione Christus sit Mediator, 166.
Mediator fuit Christus quâ σωτὴρ. 59.295
Objectiones refutantur non solum *ibid.*
Mediator etiam fuit non solum secundùm humanam naturam contra Pontificios. 296
Christus est Mediator secundùm vtramque naturam. 295.298
Christus Mediator potest esse apud seipsum probatur exemplo, nimirum quatenus Deus. 295
Christus solus Mediator 300
Per solum Christum Mediatorem accessum habemus ad Patrem typis declaratur. 300.301
Distinctio Mediatoris redemptionis & Intercessionis nulla est. 303
Distinctio Mediatoris mediati & immediati etiam nulla. 304.305
Mediatorium Christi officium in tribus consistit. 280
An Mediatoris officium Christus sit exerciturus in futuro seculo. 281
Christus Medicus dicitur. 8
De triplici officio Mediatoris. 280
Triplex fuisse probatur. *ibid.*
Melchisedec quis fuerit. 600.601
Typus fuit Christi in officio Sacerdotali ex epistola Hebr. patet &c. 639
An Melchisedec fuerit homo purus, An Angelus. 478
Objectiones refutantur. 481
Fuit verus homo & Rex vrbis Salem *ibid.*
Responsio ad locum, Hebr. 5. 11. & Loc. Heb. 7. 7. & 7. 8. 481. 482.
In quonam constituenda sit similitudo inter Sacerdotium Melchisedeci & Christi Sacerdotium. 482. 484. 485
Non in eo quòd obtulerit panem & vinum. 485.488
Objectiones refutantur. 492.

Quomodo simus membra Christi.
Et Membra Ecclesiæ.
De Christi memoria. 222
An aliquod Mendacium sit licitum.
Conditiones ad meritum requisitæ. 510
Meritum operationum Christi. 508
Meruit Christus pro nobis & agendo & patiendo. 178.508
In quo quærenda ratio Meriti Christi. 549
Meritum Christi fuit infinitum triplici de causa. 509.510
Christus non Meruit sibi vnionem hypostaticam. *ibid.*
Pro quibus meruerit Christus. 542
Vnde desumatur infinitas meriti Christi. 509.510
Infinitas meriti Christi non tantùm in vnica actione consistit, sed in omnibus simul. 511
An aliquid sibi Christus meruerit. 510.512.513. &c.
Merita operum nostrorum nulla. 32
Diuersa acceptio vocabuli istius meriti, apud Patres. 322
Qua significatione meriti vox hic accipiatur vide. *ibid.*
Argumenta contra hominum merita. 322. &c.
Sententiæ Patrum hac de re. 328
Obiectiones refutantur.
An aliqua meriti ratio in operibus nostris. 321
Bellarmini acceptiones vocis meriti 322
Nostræ acceptiones. 340
Responsiones ad dicta Bellarmini de meritis. 324
Ministrorum Noui Testamenti conformitas cum ministris Veteris Testamenti. pag.691
Virgo Maria non meruit sed digna extitit ex qua Dei filia nascerctur. 80
Cæt. de bonis operib. lit. O.
Falsi Messiæ. 587.614
Miracula Christi. 408
Quomodo se habeat humanitas Christi in miraculis patrandis. 168
Vtrum per modum instrumenti physicè, an moraliter agentis. 170
Moralis causalitas in miraculis patrandis. 168
Discrimen Christi & Apostolorum & aliorum hominum in miraculis patrandis. 168.169
Miraculorum varia genera. 409
An in infantia Christus miracula fecerit. 408
Prius doctrinam proposuit quàm ederet miracula. *ibid.*
Omnia miracula fuerunt testimonia potentiæ & benignitatis erga homines. 409.410
Miracula externa res spirituales repræsentant. 409
Miseria hominum in quibus consistat. 665
Quibus nominibus indigitetur & ad quid comparetur miseria hominum. *ibid.*
Miseriæ generis humani ad tria capita reuocantur. 664.&c.
Misericordia Dei absoluta in remissione peccatorum respectu causarum præcedentium, non respectu conditionum subordinatarum. 531
In oblatione Minka quæ offerebantur, & quis vsus. 433
De missione Christi aliquis tripliciter mittitur.
Missio vno modo non tollit æqualitatem.
Monachi & religiosi. 647.705
An Monachi perfectè Deum diligunt. *ibid.*
Monachi non habent gradum charitatis

ritatis peculiarem. *ibid.*
Christus solus Ecclesiæ Monarcha contra Pontificios alium visibilem nimirum Papam introducentes. 624.625
Vnicum Christum fuisse Ecclesiæ Monarcham constitutum, praxis veræ Ecclesiæ satis declarat. *ibid.*
Monarchia Ecclesiastica Papæ refutatur. 626.627.
Christus non fuit Monarcha temporalis. 632
Res magni momenti in montibus dispensatæ exempla proferuntur. 174
In morte Christi anima eius separata fuit τοπικῶς non ἀποστατικῶς. 79
In Morte Christus derelictus fuit à Patre non quoad actum, sed quoad sensum, non quoad vnionis dissolutionem, sed quoad operis cessationem & protectionis negationem. *ibid.*
Quo sensu ponatur hæc propositio, Christus mortuus est pro nobis. 301
Mortui non orant pro nobis. 302
Mortui viuis non apparent.
Moses fuit typus Christi in liberatione Israelitarum in toto suo officio. 603
Quomodo Moses sit Mediator. 302
Mosis prærogatiuas. 370
vide & Num. 12.7.8.
Moses Æthiopem duxerat vxorem: vide Num. 12.
Duplici munere Christus diligentissimè defunctus est nimirum declarandæ legis, & Euangelij docendi, quod pertinet ad munus Propheticum. 375
Munus & ministerium Sacerdotum Veteris Testamenti, & eorum vitæ ratio, Ministrorum Euangelij in ministerio & vitæ ratione fuit typus. 691
Mysterium pietatis magnum. 35.36
Qua ratione Deus mysteria sua nobis & Patribus reuelauerit, differentia reuelationis.
Mysterium Redemptionis Patribus non vno tempore totum fuit reuelatum.
Mysterium Incarnationis. 81
Cur Bellar. Sanctos dixerit esse nostros Redemptores. 303
Nullus fuit alius modus possibilis nos saluandi quàm mors Christi. 539.540.541. &c.

N.

NAhaman Syrus quis fuerit.
In Christo sunt natura diuina & humana. 44.45.46
Vna est persona in Christo, etsi sint duæ naturæ. *ibid.*
Natura diuina & humana in Christo non confunduntur neque earum proprietates. 44.92
Duas esse in Christo naturas. 45
Naturæ diuinæ proprietates non esse tribuendas naturæ humanæ probatur contra vbiquitarios & alios hæreticos duplici modo. 48.49.50.51
Natura humana Christi similis fuit nostræ excepto peccato. 82
Natura diuina non est vnita humanæ tantùm accidentaliter, vt voluit Nestorius, sed substantialiter. 39.40
Naturæ humanæ assumptio. 46. 47.82
Natura aliud est Theologis, aliud Philosophis. 542
Naturalis Iustitia Dei non potest ferre peccata, siue sceleratos. 542
Quid per naturalem intelligatur. *ibid.*

Natiuitas duplex in vtero,& ex vtero. 92
Naturales fuerunt in Christo defectus, sed negatiui, vt in Adamo, non priuatiui,vt in nobis,& peccato carentes. 90
Quomodo naturale, Physicum & Ethicum differant. 542
De necessario, necessitatis speciebus.
Quæ necessitatis species conueniat cum libertate. 258
De necessitate satisfactionis. 539
Niniuitæ quinam fuerint.
Iesu nomen quare incommunicabile. 646.647
De nomine Christianorum. 642. 643
De excellentia nominis Christiani. 648
De nomine Catholici. 649.650
Nomina non sunt ex natura, sed ex institutione. 652
Non ab alio quàm à Christo nobis nomen est disumendum. 35.647
Nouum quid dicatur in Scriptura, & quot modis illud verbum accipiatur. 391.392
In nubibus cœli venit filius hominis quomodo hæc Christum repræsentent. 592
Nuncupati ab alio quàm à Christo, non Christi Ecclesia, sed Antichristi synagoga vocari merentur. 647

O

PRæcepta obedientiæ etiam ad Euangelij doctrinam pertinent rationes. 390.391
Quam obedientiam lex requirat. *ibid.*
Obedientia Christi distinctè considerari potest, tum ratione personæ, tum ratione naturæ humanæ naturæ. 516
Obedientia erga Deum quid sit. 128.129
Conditiones requisitæ ad veram obedientiam. *ibid.*
De Christi erga Deum obedientia. 130.131
Obedientia Christi pars est meriti ipsius.
De obedientia Christi modo & fine.
Obedientiæ Christi pro nobis necessitas. 516.
Obedientiæ suæ merito, Christus nos seruauit. *ibid.*
De noua Obedientia, quæ etiam tertia Euangelicæ prædicationis pars, quæ & gratitudo dicitur. 390
Cur obedientia ista dicitur noua. 391
Obediuit Christus semper Patri suo. 516.517
Oblatio quid & oblationum diuisio. 425
De oblationibus siue sacrificiis προφητικῆς. 414.
Quo tempore oblationes statæ fierent. *ibid.*
De oblatione fructuum, & quæ ex fructibus offerrentur. *ibid.* & 424.
Conditiones requisitæ ad oblationem & victimam legitimam. 425
Filiifamilias ab offerendi iure non fuerunt excluſi. 451.
Quæ oblationes redimerentur & quænam non possent redimi. 425
In oblationibus Deo panis, vinum, oleum, sal offerebantur, quæ omnia repræsentabant beneficia, quibus donamur in Christo. 433.
Oblationum ceremoniæ Christum repræsentabant. 431.

Obtinuit Christus quæcunque à Patre petiit voluntate absoluta.
Obumbratio profectionem significat. 95
Oeconomia tum Deo, tum hominibus conuenit. 250
Distinguunt Patres inter œconomiam & Theologiam. 261
Oeconomia siue dispensatio Christi in Mediatione. *ibid.*
De officio Christi Mediatorio. 299
De nomine officij & eius varia acceptione. *ibid.*
Officium Christus Patri præstitit quocunque modo officij nomen interpretaris. 250
Officium Mediatorium ad tria capita reuocari potest. 359.360.364
Triplex esse Christi officium probatur. *ibid.*
Olei proprietas. 33
Oleum quid significaret sub Vet. Testamento. 33.55.56
Omnipræsentia corporis Christi refutatur. 49.50.61.62.57.58
De omnipræsentia corporis Christi contra Lutheranos. 59
Quo sensu Patres tribuant omnipotentiam humanitati Christi. 164
De bonis operibus. 321
Dicimus bona opera esse necessaria. 337
Perfectionem aliquam bonis operibus tribuimus. *ibid.*
An in bonis operibus sit aliqua meriti ratio. 371
Ex nobis bona opera non facimus. *ibid.*
Bona opera non sunt ex nobis. *ibid.*
Sunt debita non habent proportionem cum vita æterna. 312
De bonis operibus sententia Patrum. 340.341
Quo sensu bonum opus dicatur expiare peccata. 333
Operationes Apostolorum ad duo capita reuocantur, fidem nimirum & Propheriam. 161.162
Oracula multa de Christo veteres ex Sybillis desumebant. 352
Oraculorum varia genera.
De oratione & intercessione Christi. 570.571
Differentia inter orationem & intercessionem Christi, dum ageret in terris. *ibid.*
Christus verè orauit. 615
Efficaciter. 615
Christus orauit pro seipso. *ibid.*
Finis orationis Christi. 572
Quomodo sit orandum. 573
Oratio Christi pro reprobis. 574.575
Quomodo Christus orat pro nobis in cœlo. 674
Quid sit oratio expressa & propriè dicta, & oratio impropriè dicta. 579.580
Oratio est actus interior religionis elicitus. 713
An ex operis dignitate Christus satisfecerit an alio modo. 535
Oratio potest considerari vel quoad substantiam vel quoad Circunstantiam. 579
Panis quid in oblationibus significaret.
Papa non habet potestatem absolutam in Ecclesia. 624.625
Quæ opinio Hilarij de passionibus Christi. 38
Christus passus pro nobis.
Passionibus animalibus & corporalibus subjectus fuit Christus. 91
Quid significet patiendi vocabulum
Præcepta patientiæ mandata à Christo.
Discrimen passionum Christi & hominum. 91
Requisita ad Pastorem. 159.160.161

De patientia, vbi de Christi patientia. 148.149
Patres in Christum venturum crediderunt.
Patres eandem nobiscum fidem habuerunt & iisdem Christi beneficiis participes facti.
Peccatum est contra legem, non tantùm præter legem vt volunt quidam ex Pontificiis. 552.556
In peccato duo consideranda, obligatio ad pœnam & macula qua inquinatur anima. 640
Peccata remittuntur gratis, etsi Christus satisfecerit.
Quo sensu peccatum sit infinitum, quo sensu non sit.
Essentialis peccati ratio in eo consistit quod sit, contra legem siue ἀνομία. 552
Opera omnia vel sunt vitæ, vel mortis. *ibid.*
Quo sensu peccata dicuntur venialia. 552
Omnia peccata sunt mortalia. *ibid.*
Peccatum veniale est contrarium legi contrarietate secundùm quid dicta, non simpliciter. 557
Peccata omnia esse mortalia fatentur ipsi Pontificij. 552
Peccatum veniale est merè & perfectè peccatum contra Pontificios. 555
Bellarm. per peccatum hominis violari dicit amicitiam cum Deo, tum etiam justitiam, &c. 548
Resp. ad id. *ibid.*
Triplex est peccatum veniale secundùm Pontificios. 556
Peccata imperfectè dicta confutantur. 555
Peccatum veniale est vniuocè, æquè ac mortale peccatum. *ibid.*
Fideles non satisfaciunt pro peccatis venialibus per pœnas temporales vt volunt Pontificij. 552
Tria in peccato considerantur. 553
Secundò in omni peccato considerantur. *ibid.*
Quare qui peccant in vno totam legem violare dicuntur. 553
An Christus venisset in mundum si homo non peccasset.
Christus liberat nos ab omni peccato & culpa peccati. 550.551
Et ab omni pœna. ibid.
An Deus possit peccatum relinquere impunitum. 542
Duplex peccatorum satisfactio.
Peccatorum expiatio tribuitur sacrificiis veteribus.
Pelethei quinam essent. 401.606. 607
De persona Christi. 35. &c.
An persona quæ vna est possit dici composita. 74
Obiectiones. 74.75
Compositionis illius modus. 75
De periurio. 384
Quæ persona debuit incarnari. 82
Christi persona modò a diuinitate, modò ab humanitate denominatur. 36
Vnitas personæ Christi probatur contra Nestorium. 42.43
Plenitudo temporum quid significet. 67
Triplex in Christo plenitudo. 118. 688
Cur Petrum Christus Satanam vocauerit.
Pisces non sacrificabantur ratio.
Pœnæ quæ infliguntur fidelibus sunt castigationes & dicuntur materialiter pœnæ, non formaliter. 566
Pœnæ temporales non sunt satisfactio pro peccatis venialibus vt volunt Pontificij.
Remissa pœna temporali, remittitur & æter-

& æterna. pag.
Christus liberate nos & à culpa & à pœna.
Refutantur ojectiones Aduersariorum pro pœnis temporalibus luendis allata. 564
pœnam gehennalem ex tribus constituit Bell. 549
De pœnitentia. 386.387
Quot modis sumatur pœnitentiæ nomen. *ibid.*
Christo non competit pœnitentia contra Beccanum. 150
De Polygamia. 383.384
Pontifex Rom. vide de Ecclesia. 624.625
De potentia Christi respectu naturæ humanæ. 59.163.164
Potentia Christi respectu humanitatis fuit finita.
Quo sensu Patres potentiam Christi dicant infinitam. 58.59
duplex Christi potestas naturalis & supernaturalis. 163.164
Summa potestas in Ecclesia soli Christo tribuitur vid. lit. E. de Ecclesia &. 625
potestas clauium quid significet.
præcepta primæ & secundæ tabulæ duplici ratione considerantur.
præcepta primæ præferenda præceptis secundæ.
Quo sensu præcepta & promissiones Noui Testamenti sint præstantiora Veteris Testamenti.
De prædictione Christi.
Christi prædictio est secunda pars materiæ officij Prophetici. 393
Christus prædixit de se discipulis & aliis. 395.396
Modi quatuor præsentiæ. 752
Præcepta accepit Christus à Patre quæ exequutus est.
De Christi Prædestinatione. 107. 108
Quæ fuit ejus prædestinatio & ad quid prædestinatus. 109
Prędestinationis Christi effectus. 110
Ad quid referenda. 108.109
De prædestinatione nostra. 110
De aliis Christi prædictiones fuerunt duplicis generis, 393.
Christus legem prædicauit & explicauit. 377.378
De precibus Sanctorum. 302
Pro precibus Sanctorum argumenta Pontificiorum. 303. &c.
Primitiæ & alia quædam offerebantur.
Primitiæ Christum repræsentabant.
Primogeniti Deo consecrati diuerso modo.
Primogeniti sacrificiis redimebantur. 523
Primogenitorum priuilegia. 72
Erant capita familiarum.
Primogeniti defecerunt Sacerdotij priuilegio post datam in Sina legem.
Promissiones gratiæ Sacramentis Vet. Test. annexæ. 446
Promissionum sub Vet. Test. factarum triplex genus. 447.448
Quo sensu promissiones Noui Testamenti sint præstantiores promissionibus Vet. Test. 447
Vnde dicitur Propheta. 393
Prophetæ vngi solebant. 32.33
Quibus significationibus Prophetæ nomen in Scriptura sumatur. 695
Duplici modo res Prophetis reuelabantur. 349
Prophetæ per Ecstasim à sana mente non dimouebantur. *ibid.*
vt Prophetæ Paganorum. *ibid.*
Pseudoprophetæ aliquid per Dei dispensationem veri pronuntiarunt, exempla. 351
Prophetarum visiones fiebant aliquando tantùm in phantasia. 354.

Prophetæ inde dicti videntes. *ibid.* & 393
Prophetas citra Ecstasim Deus docebat, idque variis modis. 354.355
Duo requisita ad Prophetam vt futura prænuntientur. 356
vt de iis posset judicari. *ibid.*
An Deus Prophetis appareret. 358
Inspiratio verorum Prophetarum ab inspiratione Pseudoprophet. distinguenda. 360.361
Quomodo inspirabantur Prophetæ. *ibid.*
Prophetæ non potuerunt errare. 363
Requisita vt aliquis sit Propheta. 493
Prophetæ fuerunt Christi præcursores. 371
Tria requisita in Prophetis & Apostolis vt efficaciter inseruirent conuersioni Gentium. 163
An Christus fuerit Propheta. 370. 371.372
De officio Prophetico Christi. 346
In officio Christi prophetico quatuor considerandæ Materia. *ibid.*
Forma. 397
Ad illud objectum pertinent omnes homines sed singulariter Gens Iudaica. 397.400
Objectum. 399.400. Modus. 406
Christus per officium Propheticum nobis salutis doctrinam reuelauit pro cujus officij considerandæ necessitas & ratio. 369
Partes officij Prophetici. 374.375
Vaticinia de officio Christi Prophetico. 370.371
Partes & naturæ officij Prophetici Christi sunt. 1. ejus doctrina. 375
2. ejus prædicatio. *ibid.*
Doctrina in legis explicationem & Euangelij declarationem diuiditur iterum. 395
Legem explicauit. 397
Euangelij prædicatio. 385
Forma officij Christi Prophetici consistit in longè maxima efficacia quam habuit. 397
Efficaciæ exempla. 398
Propter quos officium Propheticum Christus exercuerit. 400
Objectum Prophetici muneris longè latius patet hodie quàm olim sub Vet. Testamento. 403
Modus & ratio qua Christus progressus est in isto officio explicatur. 406. &c.
Officij Prophetici duplex modus mediatus & immediatus. 407
Propheticum munus tribus capitibus contineatur, quæ omnia fidelibus conueniunt. *ibid.*
Discrimen Prophetiæ & Sacerdotij & per consequens partium Prophetæ à partibus Sacerdotis.
Prophetiæ dono Christus polluit. 163.
Necessitas & ratio Prophetiæ Christi expenditur. 369
Prophetia visionis nomine insignitur ad denotandam certitudinem. 354
Proprietates naturæ diuinæ & humanæ in Christo non confunduntur. 44
Proselyti quinam dicantur.
Proselytorum duo genera.
Pseudoprophetæ aliquando Dei dispensatione vera pronuntiarunt exempla. 361
De Christi pulchritudine. 180
Quid sit fomes peccati apud Aduersarios Nullus fuit in Christo. 89. *ibid.*
Pœnitentia. 150.386.387

R

RAptus fieri potest duplici modo. 353
Christus Mediator per modum reconci-

conciliatione. 260
Quomodo fiat raptus. *ibid.*
De raptu Pauli. *ibid.* 370.371
Raptus fiebat cum abstractione ab vsu sensuum exteriorum. *ibid.*
Reatus tollitur per Iustitiam.
Reconciliationis ac Redemptionis vox præcipuè homines spectat, non Angelos.
Reconciliator noster Christus dicitur. 30.31
Redemptionis vocabulum quot modis sumatur. 522.523
Redemptionis objectum. *ibid.*
Mysterium Redemptionis non vno tempore totum manifestum factum Patribus.
Redemptionis vox in Scripturis diuersa significat. 522
Redemptio triplex alia aberrore, ea fit per Christum quatenus sapientia. Alia à reatu, ea fit per Iustitiam, alia à sordibus hæc fit per sanctificationem. 343
Christus Redemptor vocatur. 99
Quomodo Christus nos redemit.
Redemptor noster debuit esse ex stirpe Adami. 85.86
Christus Redemptor secundùm vtramque naturam. 73
Redemptor est Christus meriti & efficaciæ. 30. & 303.639
Redemptor esse debuit & Deus & homo. 84.85
Redemptio fit per æquiualens. 536
Redemptio nostra peccata secundùm formam Iustitiæ. *ibid.*
Fideles non possunt dici Recemptores, etiamsi dicuntur Prophetæ, Reges & Sacerdotes. 688
De Regno Christi, siue de officio Christi Regio. 581
Christus quatenus Deus habet Regnum quoddam quod vocatur naturale, siue essentiale. *ibid.*
Cur vocetur Rex Ecclesiæ. 584.621
Christus quatenus Rex Ecclesiæ potestatem habet in omnes omnino Creaturas. *ibid.*
Regnum duplex à Theologis constituitur. 581
Differentia regni gratiæ & œconomici à regno naturæ, siue potentiæ. 582
Regnum gratiæ non per opera creationis innotescit. 584
Causæ ministræ regni gratiæ. *idid.*
Christi regnum quatenus est Mediator est illud quod vocatur personale, siue gratiæ & gloriæ. 581. 582
Cur personale regnum. 583
Quatuor expendenda in regio Christi munere, Necessitas. 585
Necessitas tribus capitibus explicatur. 589
Vtilitas. 586
Qualitates & conditiones. 661
Denique functiones. 636.637
Necessitas probatur. 585.586.
Veritas demonstratur per visiones, typos & Testimonia Veteris Testamenti, quorum alia realia, alia verbalia Realia. 586.587. vsque 594
Verbalia. *ibid.*
Regnum quomodo stabilitum in manu Christi. 590
Destinatio ad illud officium Regium exprimitur. 548
Administratio regni Christi duobus capitibus proponitur. 598
Regni Christi victoriæ, vbi earum author, Vindictæ aduersus hostes proponuntur. 599
Typi illius officij regij spectari possunt tum ante, tum post constitutam in Canaam Remp. Israelis. 602.603
Typi illi complementum in Christo

habent. 604
Regnum Christi luculentissimis typis explicatur. 600
Tres sunt regni Christi qualitates. 611
Regnum Christi personale est æternum, tum ratione finis, nam incepit post peccatum. *ibid.*
Per regni nomen duo sunt intelligenda. *ibid.*
Quomodo Christus regnum suum exercuerit sub Vet. Testamento. 612
An Christus possit dici Legislator respectu officij regij. *ibid.*
Regnum Christi non temporale sed spirituale fuit. *ibid.*
An peccauerint Apostoli existimantes regnum Christi esse temporale. 613
Vnde profluat opinio regni temporalis. 614
Variæ Scholasticorum de regno Christi temporali sententiæ. 614. 615.&c.
Quo sensu regnum Christi possit dici temporale. 618
Quomodo Reges temporales constituantur. 623
Quæ sunt de ratione regni Christi spiritualis. 618.619
Regnum Christi propriè est spirituale ideò vocatur regnum Dei & regnum cœlorum. *ibid*
Christi regnum esse spiritualiter probatur. *ibid.*
Subditi regni Christi sunt spirituales, vt bona etiam sunt spiritualia. 621.622.623
In quatuor capitibus beneficia Christi per regale officium continentur. 639.&c.
In vocatione, Legislatione, communicatione bonorum & iudicandi authoritate.
Differentia regni Christi & regnorum temporalium. 623
Quæ sit natura & conditio regni Christi. *ibid.*
Regni Christi incommunicabilitas. 614
Ad regium officium actiones spectantes. 639
Regia Christi functio in tribus consistit.
Fideles dicuntur reges. 688
In regia fidelium dignitate tria considerauda. 700.701
De Religione. 701.&c.
Vnde religionis nomen venerit. *ibid.* 700.711
Religio Christiana vnde nomen habeat. 649
Quomodo hic Religionis nomen accipiatur nimirum pro virtute Christiana. 738
Religio & sanctitas non differunt essentia. *ibid.* 707
Religio prior est ratione ordinis iustitia. 705
An Religio inter virtutes morales locum resp. per distinctionem. 708
An Religio sit Theologica virtus. *ibid.*
De obiecto religionis. 709.711. 712
Religionis obiectum Deus vt etiam fidei, spei & charitatis, sed diuerso modo. 706
Religio considerat in Deo excellentiam. *ibid.*
Actus religionis duplices, alij proprij, eliciti & immediati, alij imperati. 711
Et immediati atque eliciti duplices. 712.713
Remissio peccatorum non præsupponit in Deo causas præcedaneas, sed tantùm conditiones subor-

subordinatas in nobis requirit. 531
Differentia & conuenientia inter Deum & nos in remissione offensarum. 532
Ex actibus religionis vnus expenditur, nempe adoratio. 790
Deus remittit gratis peccata, etsi accipiat pretium à Christo.
Quare Deus non remittat, sine satisfactione.
Remissa pœna temporali remittitur & æterna sæpe.
De repudio & libro repudij.
Reuelationes quomodo Prophetis fierent. 349
Quadruplex secundùm Hebræos reuelationis species prima vocatur Prophetia. 355
Secunda Spiritus Sanctitatis. 360
Tertia Vrim & Thummim. 363
Quarta filia vocis. 365
Quo sensu reuelationis nomen vsurpemus. 346
Differentia reuelationis Patrum à nostra tum ratione modi, tum ratione rei. 348
Mysterium Redemptionis non vno tempore Patribus fuit reuelatum. *ibid.*
Resipiscentia. 386

S.

DE Sacerdotio in genere. 411
In Sacerdotio nomen & res ipsa consideratur. *ibid.*
Qui Sacerdotes dicti sunt. 452
Summi Sacerdotis prærogatiuæ. 454
Sacerdotij definitio. 412
De vetere Sacerdotio. 454.&c.
Sacerdotij priuilegium à Patribus famil. ad tribum Leuiticam translatũ post datam in Sina legem. 411
De Christi Sacerdotio. 466
Sacerdotij Christi consideranda necessitas, vnitas, ratio & partes. *ibid.*
Necessitas Sacerdotij Christi probatur. *ibid.*
Vnitas probatur. 468.469.470
Ratio Sacerdotij. 476
An sit aliquod Sacerdotium Ecclesiasticis ministris attributum. 471
Resp. 471.472
In Nouo Testamento fidelibus nomen Sacerdotis attribuitur. 474
Differentia Sacerdotij Christi à Leuitico. 477.478
Distinctio Sacerdotum in primarios & secundarios ab Aduersariis facta refutatur. 475.476
Sacerdotium duplex Aaronicum & Melchised. vtrumque in Christo Aaronici Sacerdotij conueniẽtia supra nunc differentiam à Christi Sacerdotio ostendimus. 476
Melchisedeci Sacerdotium Aaronico præstabilius & eius cnuenientia cum Christi Sacerdotio. 478
Christi Sacerdotium describitur in epistola ad Hebræos & demonst. 485
Christi Sacerdotium non constituitur in eo simile Sacerdotio Christi quod panem & vinum obtulerit. 488.489
Objectiones refutantur. *ibid.*&c. 494
In quonam constituenda sit Sacerdotij Christi perpetuitas. 502
Partes Sacerdotij sunt satisfactio & intercessio, de quibus. 506
Sacerdotes consecrari solitos oleo.
Apud Veteres distinctum est Sacerdotium in Laicale & Clericale. 474
Primus homo Sacerdotem egit. 451
Sacerdotes fuerunt typi Christi inter Sacerdotem & sacrificium

respectus quidam.
Sacerdotis nomen quibus conueniat & quid significet apud Latinos. 452
Quinam Sacerdotes & quinam Leuitæ dicerentur. 452
Consecrationis Sacerdotum ceremoniæ. 453
Sacerdotum muneris officia. *ibid.*
Sacerdotum & V. Testamenti similitudo cum N. Testam. ministris. 461
Sacerdotes per septem dies etiam manebant in loco sancto, quæ omnia referenda verbi diuini ministris, quod etiam à vino abstinerent & lucernas accenderent. *ibid.*
Luctum suum patefacere prohibebantur Sacerdotes. 461
Quid commune fuerit inter Sacerdotes & Leuitas. 462
An Sacerdotes & Leuitæ arcam deportarent. 464
Summi Sacerdotis ornamenta Christum repræsentabant. 455
Summus Sacerdos Christum repræsentabat. 454
Secundùm dignitatem personæ, munus, vitæ rationem, priuilegia & ornamenta. *ibid.*
Summus Sacerdos semel in anno ingrediebatur Sanctum Sanctorum. 460
Sacerdos Christus fuit secundùm ordinem Melchis. quod nullos habebat adiunctos. 468
Nullus Sacerdos sub N. Test. præter Christum. *ibid.*
Obiectiones refutantur. 469
Quare & à quo Sabbatho dies Dominica substituta fuerit. 746
Sacrificij definitio. 412
De Sacrificio 2. notanda primum Sacrificij morem non esse à sapientibus introductum, secundum Sacrificium vni Deo esse offerendum. 413.414.738
Sacrificandi mos est de iure naturali non tamen constitutiones Mosaicæ. *ibid.*
Sacrificia sunt actus religionis externi. *ibid.*
Sacrificia externa postponenda officiis obedientiæ & charitatis. 444
Sacramentorum & Sacrificiorum differentia, & conuenientia. 439 440.
Cætera vide de effectu sacrificiorum. *ibid.*
Collatio veterum Sacramentorum cum nostris. 441
Quomodo considerentur Sacramenta & sacrificia. 443
Sacrificia vetera & Sacrificiorum ceremoniæ primitiuæ thus, oleũ Christum repræsentabant. 438
Quotuplicia erant Sacrificia externa Vet. Test. quatuor nim. 424
Sacrificia διωρθωτικὰ siue oblationes. *ibid.*
Sacrificia ad redemptionem primogenitorum. 425
Sacrificia pro peccato & delicto. 429.437
Quibus sint sacrificia offerenda. 414
Quotuplicia erant Sacrificia apud Ethnicos. 413.414
Sacrificia spiritualia fidelium. 420. 421.581.698
Sacrificia spiritualia, tum ordine temporis, tum ordine dignitatis priora sunt sacrificiis externis. 422.423
Sacrificia & Sacramenta veterum eandem Christi gratiam, & eadem beneficia ipsis contulerunt, quàm quæ nostra nobis conferunt. 460

Sacrificiis veteribus expiatio peccatorum tribuitur. *ibid.* 467
Obiectiones contra efficaciam veterum sacrificiorum. 443
Distinctio circumcisio sub duobus temporibus consid. ante Christi aduentum & mortem. 444
Sacrificia & sacramenta considerantur, vt oppositè & compositè 443
Sacrificio Christi expiantur omnia peccata. 580.581
in Sacrificio Christi quatuor consideranda.
quę sint Sacrificia sacerdotum Christianorum. 420.421
Sacrificiorum generalis distributio. 413
Sacrificia humana apud Ethnicos frequentata. 413.414
varia Ethnicorum sacrificia. 413
Sacrificium filiæ Iephte 414.415
an fuerit legitimum. *ibid.*
Sacrificia humana Deus execratur. 419
Aliqui in sacrificio filiæ Iephte mysterium mortis Christi quærunt. *ibid.*
an fuerit sacrificata. *ibid.*
Sacrificia quæ Deum habent authorem, alia ἱλαστικὰ, alia εὐχαριστικὰ. 420
Eucharistica variis nominibus insigniuntur. 422
sola Eucharistica homo in integritate offerebat Deo. 423
Diuisio Sacrificiorum. 424
Sacrificia δωροφορικὰ. *ibid.*
Sacrificia Eucharistica seu prosperitatis fideles ad Deum tanquam conseruatorem & omnis doni largitorem adducebant. 456
Vide fines Eucharisticorum sacrif. 431
in decimarū persolutione fines. 433
in oblatione Heb. Minka fines qui & quæ in ea offerebantur. 453. 454
quid Sacrificiorum varietate Deus denotare voluerit. 432
Sacrificium Minka officium fidelium notat. 433
Sacrificiorum siue mactationum triplex genus. 425
Sacrificia expiatoria ad tria capita reuocantur. 426
Sacrificia salutis & laudis. 427
an agnus Paschalis fuerit sacrificium verè dictum. *ibid.* & 428
Requisita vt aliquid sit aptum ad sacrificium. 428.429
Quare Sacrificia potius ex illis animalibus quàm ex his rebus fierent. 429
Sacrificia igne cœlesti combusta. 430
Sacrificiorum finis. 431
quid sal in oblationibus & sacrificiis repræsentaret. 434
Salomo fuit typus Christi. 610
Salus triplex, corporalis, spiritualis & æterna. 28.29
& æterna Christo tribuitur quatenus Mediator & Seruator est, quia bonum contulit, & malum à nobis remouit. 29.34
Salvandi ratio duos actus continet. 639
in quo consistat salutis acquisitio. *ibid.*
Samson fuit typus Christi. 607.608
quæ sit Christi Sanctitas dupliciter intelligi potest, in ortu & in actu.
an Sancti sint Mediatores nostri. 302
obiectiones refutantur. *ibid.*
Sancti non sunt orandi, quia non cognoscunt necessitates nostras. 206
Sancti non vident in Deo tanquam in speculo. 206.306

Sanctorum cognitio naturalis & supernaturalis inducta à Pontificiis 310.311
Sanctos non esse orandos. 312.313
Sancti sunt honorandi, non adorandi, exemplo illud patet. 718.719
Refutantur Aduersarij qui non tantùm honorandos, sed etiam adorandos esse sustinent. 717
Sanctis duliæ cultum ttibuunt. 727. 728
Contra adorationem Sanctorum argumenta. *ibid.*
De sanitate corporis Christi. 182. 183
Sapientia creuit Christus. 198
Sapientiæ donum. 155
Regnum Sataнæ regno Christi oppositum. 620
Satanæ nomen tributum Iudæ & Petro.
Satisfactionis vox explicatur. 518
Satisfactionis Christi probatur veritas, perfectio, necessitas & vnitas. *ibid.*
Veritas patet. *ibid.*
Argumentum contra veritatem satisfactionis. 560
Argumenta pro stabilienda veritate. 521.522
Obiectiones contra Christi satisfactionem. 530
Innocens satisfacit & plectitur. 533
satisfactionum diuisio. 559
Ad satisfactionem requisita. 574. 535
Qualitas & perfectio satisfactionis patet. 535
satisfactio Christi fuit ex se sufficiens ad saluandos homines. *ibid.*
Obiectiones contra sufficientiam satisfactionis in se consideratæ refutantur. 568.569
Vnitas satisfactionis probatur. 544
Definitio Bellar. satisfactionis. 585
Christus satisfecit solus pro nobis. 544.545.568.569
Pro omnibus peccatis originalibus & actu venialibus & mortalibus & pœnis etiam omnibus. 550. 551. &c.
De necessitate satisfactionis pro negatiua. 395
Qualis esse debeat satisfaciens. 546
Pro affirm. positis quibusdam limitationibus. 340
Quare Deus non remittat sine satisfactione. 532.533
Quatuor requisita vt satisfactio sit perfecta. 535
satisfactionis æquiualentia seu superabundantia, atque ita perfectio probatur, ex variis locis. 535 536. &c.
Obiectiones. 537
Nulla plena satisfactio quàm ea Christi. 584
Ratio eius rei. 584
Quid publica Canonica, & Ecclesiastica satisfactio. 585
Quo sensu intelligenda hæc verba satisfactio Christi destinatur reconciliationi parandæ, intercessio firmandæ. 570
Variæ sententiæ Pontificiorum cum agitur de satisfactione hominum erga Deum.
Refutatur Bellarm. asserens hominē posse satisfacere iustitiæ Dei, sed recurrendū ad Christum tantùm pro instauranda amicitia.
Pontificiorum subterfugia refutantur triplex à Pontificiis introducta satisfactio.
Fideles non satisfaciunt pœnis temporalib. pro peccatis venialibus.
satisfactionis Ecclesiasticæ finis triplex. 545

Duplex est peccatorum satisfactio, alia erga Deum, alia quæ præstatur hominibus. 584
Coram Deo præstita satisfactio. *ibid.*
Objectio probans posse Deo ab homine satisfieri pro pœna temporali post dimissam culpam.
Argumenta contra satisfactiones hominum satisfactione Christi semel posita. 550.568
Refutantur objectiones Pontificiorum. 569
De scientia Christi respectu humanitatis. 156.187
Objectiones contra Christi scientiam. 188.189
An scientia humanitatis Christi omniscientiæ titulo debeat insigniri. 190
Per scientiam humanam non omnia nouit. *ibid.*
Triplici scientia anima Christi fuit prædita. 203
scientiæ beatæ objectum & modus expenditur. 206
scientiam infusam Christus habuit. 210.211
scientiæ infusæ objectum & conditio. *ibid.*
Vnde venit nomen Schilo. 19.20
Seruator aliquis dicitur exemplo, seu consilio, & merito. 519
Christus dicitur Seruator vere. *ibid.*
Christus non Seruator tantùm exemplo, sed præcipuè merito contra Socinum. 520
scientiam acquisitam habuit Christus. 211
scientiæ acquisitæ obiectum & modus. 212
scientiam acquisiuit proprio marte. 216
separatio à Christo est à gratia, vel à gloria. A Gratia, nostra culpa.
similitudo & dissimilitudo vnionis animæ & corporis in homine, cum vnione diuinitatis & humanitatis in Christo. 474
sigillorum officia.
similitudo Christi nobiscum quoad rem, non quoad rei modum. 43
Similis nobis excepto peccato. *ibid.* 574
similitudo inter Christum & Mosem de Christi simulatione. 137
Triplex est simulatio. 138.139
Quid sit sinceritas, vbi de Christi sinceritate. 133.134
societas duplex. 718
somnia visionum nomine insigniuntur. 355
somnia sunt in triplici genere. *ibid.*
Quomodo Prophetæ somnia diuina ab aliis discernere possent. 357.358
somnia diuina siue ἐνυπνιάσεα. 356
Diabolica somnia duplicis generis. 355
somnia olim Montanistarum & Manichæorum, & nunc Anabaptistarum sunt Diabolica. *ibid.*
De somnio Pharaonis & Nebucadnetzaris. 356.357
speculi ratio aut proprietas. 209
Cognitio creaturarum per speculum. 209
Quo sensu spes competat Christo. 151.152.
Quod sit objectum spei. 161.162
Quomodo spes in Deum feratur. 735
An Spiritus S. possit dici Pater Christi. 94
subjectus fuit Christus tribus modis quà homo. 1. Patri suo. 2. Legi communi & singulari. Communi rursus, morali & ceremoniali. 3. Iudææ præfectus. 617. 618
superstitio in pronunciatione nomi-

nis Iehouæ & Iesu. 31.32
Sybillarum oracula. 352
Syrus Naaman quis fuerit.

T

TEmplum & Tabernaculum figuræ fuerunt humanæ Christi naturæ Templi sacra Christum repræsentabant.
Templa Deo soli erigenda. 744
Aduersariorum distinctiones ad ea quæ eis objiciuntur nimir. quod templa sanctis construant, refutantur. 745.&c.
Frustranea distinctio templi & Basilicæ, cùm vult Bellarm. posse sanctis Basilicas non templa extrui refutatur. 745.&c.
Tempus Incarnationis vocatur plenitudo temporum. 67
Testimonia diabolorum & impiorum Christus recusat. 136
Thus sacrificiorum Christum repræsentabat. 435
Quid per totum Christum & per totum Christi intelligatur. 47
Christi timor. 156
Timoris à tristitia distinctio. 247
Tristitia conuenit Christo quatenus homini. 91.242
Tristitiam in animo sapientis cadere potuisse negarunt Stoici. 246
Tristitiæ & timoris discrimen. 247
Quomodo inter Gentes à cognitione Dei alienas potuerunt esse typi rerum spiritualium, nempe fuerunt typi rerum malarum non bonarum. 601
Typorum duplex est genus alij cõmunes alij proprij dicũtur. 601
An sub Roboamo post dilacerationem regni Dauidis fuerunt etiam typi rerum cœlestium pro negatiua. 601.602
Populi Israelitici errationes in deserto fuerunt fidelium conditionis in hoc mundo typi. 603
Moses fuit typus Christi in liberatione Israelitarum. 603
Pontifex summus typus Christi. 454.580
Hircus Hazael typus Christi. 438
Iosue, Gedeon, Samson, Dauid, Salomo. 603.607. 608.609.610
Rerum quæ typis repræsentantur aliæ bonæ, aliæ malæ, bonæ. 601
Antiochus Epiphanes fuit typus Antichristi. *ibid.*
Sodoma & Ægyptus typi mali. *ibid.*
Nebucadnetzar malus typus. *ibid.*
Mosis & Iosuæ gubernatio, Gedeonis & Samsonis præfectura, Dauidis & Salomonis regnum typi figuræ fuerunt regni Christi. 619. 620

V.

VAtum Ethnicorum differentia in vaticiniis suis à vaticiniis verorum Prophetarum. 350
Vates Paganorum aliquando vera pronuntiabant. 351
Vaticinia de officio Christi Prophetico.
Vaticinia Christi alia generalia, alia specialia.
Vaticinatus est Christus de se aliis.
Alieni de quibus Christus vaticinatus est sunt in triplici genere.
De Vbiquitate naturæ humanæ Christi. 48.49
Argumenta aduersus vbiquitatem. 48.49 50.51.52.53
Argumenta confirmantia refutantur. 53.55.56
De Vellere Gedeonis irrorato. 419
Verbi diuini efficacia in ore Christi, & in ore discipulorum, & ministrorum, & quomodo illud agat.

Exem-

Exempla efficaciæ Verbi Dei proponuntur.
De Veritate Christi & objectiones contra. 135.136.137
Veritas Christus dicitur & quare. 24
Veritas dicitur de rebus respectu similitudinis vt Christus dicitur vera vitis. *ibid.*
Ad veritatis cœlestis cognitionem tria concurrunt.
Veteres multi ex Sybillis oracula desumebant. 352.353
Via, veritas, & vita Christus dicitur. 22. &c. vsque ad 26.
An Christus simul viator & comprehensor fuerit in his terris. 177
De Victimis. 425
Conditiones requisitæ vt victima esset legitima.
Cætera vide de oblationibus.
Humanę Victimæ frequentatę apud Ethnicos. 414.
Victoriæ Christi in quibus 6. considerantur. 599
Videntes Prophetæ dicti in Israele. 354
Virgo Maria non meruit, sed digna exstitit ex qua Filius Dei nasceretur. 80
Virgo ante partum in partu. 93
Non fuit immunis à peccato. *ibid.*
duplex Virtus moralis scilicet & Theologica. 121
Generales virtutes Christi. *ibid.* & 125.
Virtutes Christi speciales, bonitas, sapientia, fortitudo, consilium conscientia, timor, &c. 155
Quid vinum in oblationibus significaret.
Quale sit discrimen inter Scholasticos inter virtutes & dona. 154
Virtus moralis duo significat.
Visiones Prophetarum in Phantasia. 354.
Visiones vel in phantasia, vel in externis sensibus peragebantur. *ibid.*
An in visionibus Deus ipse appareret. 358
Quomodo fierent istæ Dei siue Angelorum visiones. *ibid.*
Quare ad Dei visionem homines expauescerent. 859
Vita quadruplex è Prophetis proposita. 656
Vnctio Regum & Prophetarum. 32
Vnctione duo denotantur, designatio nimirum ad munus, & gratiarum collatio. 33
Liber vitæ quid sit, & quid significet. 227.228
De Christi vnctione. 32.33
Vngi solebant Prophetæ, Sacerdotes & Reges. *ibid.*
An eodem oleo vngi solerent Prophetæ quo Reges. *ibid.*
Quotuplex sit Vnio. 750.751. &c.
Angeli & homines duplicem cum Deo habent vnionem.
creationis nimirum & reconciliationis.
Res vnita & modus vnionis in reconciliatione considerantur.
Reliqua quæ de vnione dicuntur vide postquam actum est de voto.
Vnio nostra cum Deo est objectiua, non essentialis.
vide cæt. lit. C. de Christianis de vnione hypostatica.
Quot modis sumatur nomen Vnionis, & quæ sit vnio illa in negotio Incarnationis. 75.76.81
Vnio diuinitatis cum humanitate non fuit accidentalis, vt voluit Nestorius. 39.40.
Vnio ista est personalis. 77
Vnio hypostatica Christi fuit perpetua. 75
Christus non sibi meruit vnionem hypostaticam. 80.

Vnio naturarum in Christo est indissolubilis. 44.79
Ex vnione diuinitatis cum humanite multa in humanitatem dona deriuata. 79.89.105.106
Vnitas personæ Christi. 78
Vnitas personæ in Christo probatur *ibid.*
Vocatio legitima Christi. 665.266
Vocatio est prima functio officij Christi regij. 699
Vocatio Christi consistit in vnctione & Inauguratione. *ibid.*
Excellentia vocationis Christi patet ex effectu. 285.286.287
Vocatio Gentium & ejus definitio 403. &c.
Quidam ex Gentibus sub Vetere Testamento à Deo sunt vocati, exempla sunt. 400.401
Voluntas duplex. 224
Voluntas alia efficax, alia inefficax. 225
Duplex est voluntas Dei respectu salutis hominum. 576
quæ refellitur eadem. 225
Quare voluerit aliquando Christus miracula sua non diuulgari. *ibid.* 26
Secunda Voluntatis diuisio, alia est naturalis & indeliberata, alia elicita & deliberata. 226
Tertia diuisio, Alia simplex & absoluta, alia hypothetica & conditionalis. 227
Christus voluit & noluit mortem vid. hoc diuerso respectu. 232.233
In quo consistat qualitas voluntatis Christi. 236
Voluntas non potest esse sine libertate. 237
Votum est actus religionis exterior. 718
Votum aliud poterat redimi pretio, aliud non.
Votum Iephte de filia immolanda.
Non fuit legitimum Votum Iephte 419.420
Votum debet esse non solùm de possibilibus, sed etiam de licitis.
Votum Iephte non fuit de offerenda filia in holocaustum. 419.420
Vni Deo vota esse fundenda. 736.737
Refutantur Pontificiorum argumenta. 737.738
In vnione nostra cum Christo tria considerandà necessitas, modus, & veritas. 655
Veritas communionis nostræ cum Christo patet frequentiss. Scripturæ testimoniis. 655.656
Vnio Christi cum fidelibus exemplis & similitudinibus illustratur. *ibid.* & 65.66
Quænam vnionis species magis repræsentet nostræ cum Christo vnionis mysterium. *ibid.*
Vniones quibus vnio Christi cum fidelibus repræsentantur sunt plurimæ. 671.&c.
Corpus Christi non vnitur nobis corporaliter. 654.655.676.677
Vnio capitis & membrorum, radicis & ramorum. 639.
Ex cibo & potu vid. 660
Viri & vxoris. 666
Ex ædificiis. 663
Ex vestimentis. 663
Corporali vnioni inutilitas. 668
Vnio duplex ab vno, & ad vnum. 75
Ab vno iterum, vel simpliciter communi vel etiam cõmunicatio. 663
In vnione considerandà res siue objecta vnitas, & vnionis modus. 662.
Christi humanitas nobis dupliciter vnitur. *ibid.*
Patres explicantur qui videntur corporalem vnionem introducere.

Modus

Modus vnionis. *ibid.*
Vniendi ratio & admirandus modus *ibid.*
Vnio singularis est aut cõmunis. 671
Singularis duplex essentialis & personalis. 751
Communis dici potest vel corporalis vel Spiritualis. 751
Necessitas vnionis dupliciter spectari potest, vel respectu Christi, vel respectu nostri. 743
Necessitas illa communionis à duobus capitibus pendet. 743
ex ratione miseriæ scilicet & ex ratione salutis quod. 746. continetur.
Ex Christi communione omnia bona procedunt vide. 747
Vnio communis est triplex φυσικὴ ἠθικὴ & τυχικὴ.
Vnio nostra cum Christo inter relatiuas vniones referri debet. 761
Vnio nostra cum Christo & spiritualis & corporalis dici potest diuerso respectu. 683.684
Ad vnionem istam non est necessarius physicus contactus. 684
Christus spirituali ratione nobis vnitur. *ibid.*
Beneficia ex vnione ista prodeuntia. 98.99
Christi vnio personalis & substantialis. 76
Conjunctio siue vnio duplex mediata, & immediata. 77.78
Conditiones seu proprietates vnionis. 178
Objectiones. *ibid.*
Vnio ex mera Dei charitate dispensata est. 79
Vnionis nostræ cum Deo causa tota admirandæ vnioni Christi adscribenda. 98.99
vide de effectis.
Quomodo Deus consulatur per Vrim & Thummim. 364
Vrim & Thummim Christum lucem designarunt. 365

Z

ZElus duplex, Dei & hominum. 143.144
Quid intelligatur per Dei Zelum. *ibid.*
Zelus Dei multos sanctos affecit eosque ad multa impulit. 144
Zelus Christi explicatur. 143
In quorum pectus fuerit Christi zelus. 144
Zelus duplex bonus & malus. 145
Conditiones requisitæ, vt bonus sit Zelus vt ad sint hæc tria, nimirum cognitio, prudentia; & misericordia. 145.146
Zeli & amoris vehementissimi exempla. 146

FINIS.

Bibliopola Lectori ſalutem.

CVm ipſum authoris nactus eſſem autographum cum alio exemplari emendatiſſimo, ſperabam fore vt erroribus careret hæc editio; atque in id diligentiſſimè incubueram; quia tamen compendiariis characteribus vtrumque exemplar fuit exaratum qui multam typographi faceſſerunt moleſtiam, nonnulli irrepſerunt errores qui correctorem etiam fugerunt: Id tamen deſiderium meum ſolatur quod ſint plerique leuiſſimi & quos facile beneuolus Lector potuiſſet agnoſcere & emendare, Vale.

ERRATA.

Pagina 6.linea 9.lege diſtinguuntur, p.6.l.10. dicuntur. p.6.l.pen.Propheta. p.8.l.16. poteſtate. p.9.l.6.hominis.& l.24.faterentur. p.11.l.6. tanquam. p.12.l.11.animum, & l. 13.à fine poſt vocem hominum adde, & l. 18.præſertim. & l.22.connectit. p.13.l.6. ſanctos. & l.10.præſertim.& l.17.Ioſ. p.14.l.14.vrgerent. & l.23.verterunt. p.15.l.20.quaſi. p.16.l.9.Ioſ. & l.10.indicati. p.17.l.21.agonothetis. p.20.l.4. Deique. & l.20.conjugij. p.21. l.vlt.corporeum. p.24.l.17.exerere. p.27.l.19. משח. p.29.l.16.quòd. p.30.l.13.iuſtitia.& l.14.noſtrum.& l.16.ablationem. & l.21.quomodo. p.31.l.8.pars.& l.19.cæteroquin. p.33.l.18.noſtrum. p.35.l.10.habent. p.36.l.17.rimæ. p.39.l.10.quæ. p.44.l.12. perſona. & l.13.habet. & l.21.ſubiectam. p.45.l.16. dignis.l.vlt.ſubiectam. p.48.l.13.articulis. p.50.l.2.omnipræſentes. & l.5.omnipræſens. p.55.l.6. nuſquam. p.58.l.18. propius. p.61.l.13.theoremate.& p.63.poſt יקהת ſupple עמיהם. & l.6. Meſſiam. p.65.l.16.cedere. p.66.l.10.ſubſiſtentia diuina. & l.14.ſubſiſtentiæ.& l.17.ſubſiſtentias. p.71.l.8.ſolicitus. p.72.l.7.permiſſionem. p.73.l.15. Aduerſarij. p.75.l.23 enim alia. p.76.l.12. diuinitate. p.76.l.pen.quomodo. p.78.l.pen.ſit. p.85.l.22. ſpiritus, ibi.l.pen.maieſtas. p.89.l. 6 eſſe. p.90.l.9.moueri, & l.11.animæ. & l.12.quacunque.& l.13.conſtituit. l.19.non. p. 91.l.11.poteſtatem. p.91.l.1. imaginariam,& l.10.defectibus. p.93.l.13.animationem. p. 94.l.19.quomodo, p.95. l.2.adiumentum. p.97.l.6.noſtra. & l.22.ſpiritus. p.99.l.13. genera. p.103.l.20. euecta. p.104 l.14.duæ. p.106.l.22.ſuperſtruunt. p.108.l.13.cœleſtis,& ibid.gubernationi. p.109.l.20.illas. p.115.l.17.ille. p.118.l.3. quandam. & l.22. entis Pſ. 118. valent. p.119.l.18.profectus. p.120.l.1. eiuſmodi,ib.l.1.habitu. p.121.l.15.gratiæ. ib. inclinat, ib.l.18. omnium virtutum comitatum. p.122.l.22.poſt quod ſupple non. p.125. l.20.proximum. p.129.pro prompto. p.131.l.17.& 18.cenſuerunt. p.132.l.22. nolebat. p. 133.l.22. μεωλφα. p.141.l.5.inanitionem. p.150.l.16. תשובה. p.153.l.19.axiomate. p.155. l.10.qua. p.157.l.7. realem communicationem. p.160.l.16. poſt interprete ſupple opus. p.161 l.6.conferebantur, ib.orat. & l.9. poſt intelligunt, ſupple nonnulli facultatem, & l.17.Eccleſia. p.163. l.8.mundum. ib.lin.13. & 14. omne. p.164.lin.vlt.Patris. p.166.l.4. & 5.poteſtatem. p.168.lib.2.gratia. p.170.l.5.perſonam, & l.6.Mediatori. & l.20. virtutem, l.vlt. poſt oportuiſſe, adde pati. p.172.l.2. Prophetas. & l.22.27. præſtantia. p. 174. l.12. ore, & ib.poſt trium,teſtium. p.180.l.9. poſt vocem ratio,ſupple & lege Scriptura, & l.14.prophetici dicti.& l.18. ἀπόφασις. & l.20.cui. p.182.l.23. ſignificandam. p.185. l.4.poſt vocem Chriſti,tolle ea lege. & l.15. בפילוהם. p 184.l.2. multipræſentiam, & l.3.omnipræſentia,& l.5. poſt duplicem,ſupple Chriſti. p.191.l.13.facultate præditus. p. 176.l.1. Iob.14.21. p.187.l.5. ſignificarunt. & l.12.cœlos. p.263.l.12. & 13. tolle autem putas & poſt vocem Dominus, adde ſine dubio non Abraham, ille enim non. p.310.l. 1 vlt.noſtrorum. p.321.l.5. pendere. p.390.l.18. Chriſtum. p.399.l.vlt. ſupple poſt propter quos. p.402.l.10.Iob. p.410.l.20. Ier.13.13. p.424. δωροφορικὸς. p.460.l.22.Chriſti. p.461.l.3. indicium. p.517.l.12.intergerini. p.552.l.11.moralia. p.573.l.12. conueniat, ib.ad. p.579.l.11. Hebr.1.3. p.583 l.20. poteſtatis. p.584.l.23. poteſtatem. p.590.l.15.ſacroſanctæ. p.591.l.5. 7.13. p.599.l.20.culmina. p.602.l.9.poteſtate. p.603.l.7. 40. p. 604.l.19. 1. p.605.l.5. poteſtatem. p.606.l.7. משפט. p.608.l.22. Iohan.1.8. p.609.l.4. potentia. p.614.l.19. poteſtate. p.622.l.vlt.Chriſto. p.629.l.9. verba. p.632.l.10. Epiſtola. p.644.l.3. Gentilium. p.645. l.16. præfractè. p.646.l.21. Chriſtus. p.647.l.16.denominationem. p.663.l.19. inſtar, & paulò pòſt,1.Petr.2.5. p.665.l.16. Scriptura. p.673. l.7.aliquod tertium. p.690.l.10.Chriſtianus. p.695.l.4.Scriptura. p.705.l.16.vſi. p.719. l.18.Bellarminianas. p.740.l.20. Martyribus, ibid.l.16. demegoricas. p.745.l.21. perfricuerit. p.750. l.4. lege ara.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ in his D. GARISSOLII Paſtoris ac SSᵗᵉ Theologiæ Profeſſoris cum de Redemptore tum de Mediatore tractatibus, vel citantur, vel illuſtrantur, vel vindicantur.

Prior numerus caput, poſterior verſiculum, & vltimus paginam indicat.

Geneſis.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	26.	6
III.	13.	18.63.440.593.611
III.	17.	3
IV.	3.4.	425.430.451.467
IV.	10.	
	13.	335.386
XI.	26.	6
XIX.	2.	137
XX.	18.	18
XXVI.	3.	11
XXVII.	15.	452
XXVIII.	12.13.	358
XXXVII.	5.	556
XLI.	45.	411
XLIX.	3.10.	19.63.266.278. 451.487

Exodus.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	8.	391
XVIII.	1.21.	
XIX.	5.	696
XXVIII.	30.36.37.38.	*ibid.* 364
XXX.	12.	426
XXXI.	3.	94.157
XXXII.	32.	227
XXXII.	33.	229
XXXIV.	5.6.	558

Leuit.

Caput.	Verſ.	Pag.
IV.	20.	442
V.	16.18.	*ibid.*
X.	1.2.3.	359
XVI.	2.&c.	459
XVI.	15.	504
XVIII.	5.	379.449.510.
XXI.	1.2.3.	458
XXII.	23.	416
XXVII.	28.	415
XXIX.	29.30	*ibid.*

Num.

Caput.	Verſ.	Pag.
VIII.	10.11.	457
XII.	6.7.	355.370
XVII.	8.	409
XVIII.	15.	414
XXI.	23.	417
XXIII.	7.8.9.	451
XXIV.	16.17.	*ibid.*
XXIV.	34.35.	417
XXVII.	21.	364
XXVIII.	19.	426

Deut.

Caput.	Verſ.	Pag.
VI.	13.	741
VII.	10.	335
X.	20.	341
XII.	31.	419.432
XVI.	5.6.	428
XVII.	10.11.	453
XVIII.	16.18.	214.266.348. 350.370
XXVII.	XXVI.	553

Ioſuæ.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	1.	400
V.	13.	266
V.	14.15.	266
VIII.	5.6.	137
X.	12.13.	604
XI.	20.	335
XXIV.	13.	376
	14.17.18.	*ibid.*

Iudic.

Caput.	Verſ.	Pag.
VI.	21.	359.408.430
XI.	31.	414
XI.	33.	*ibid.*
XI.	34.	418
XIII.	22.	359.608
XX.	28. &c.	137

I. Sam.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	30.	543
III.	7.	357
IX.	9.	354
XV.	22.	129
XVIII.	9.	
XXIII.	11.	365
XXVIII.	6.	365.364.457
XXX.	7.	364

2. Sam.

Caput.	Verſ.	Pag.
VII.	14.	112.361.660
XII.	14.	564
XII.	24.	610
XXIV.	25.	426

I. Reg.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	34.	33
III.	7.	596
VIII.	39.	305
XIX.	16.	344

II. Reg.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	9.	310
II.	15.	120
II.	19.20	
V.	1.2.	28
V.	15. &c.	402
X.	18.19.	138
XII.	22.	409

I. Cron.

Caput.	Verſ.	Pag.
XIII.	9.10.	
XXVIII.	9.	305

II. Cron.

Caput.	Verſ.	Pag.
XXV6.	18.19.	420.462.487
XXXV.	12.	428

Iob.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	1.8.	402.416
XIV.	21.	176.310
XXIX.	14.	663
XXXVII.	18.	187

Pſalm.

Pſalm.	Verſ.	Pag.
II.	totus.	33.275.276.487. 585.586.651
XVI.	8.	211.359.599
XVI.	10.11.	127.262.622
XVII.	15.	182.206.359
XVIII.	10. &c.	177.609.
XIX.	8	379.397.702
XIX.	1.2.3.	653
XXII.	totus.	141
XXII.	2.	88
XL.	8.9.	132.378.515
XLV.	totus.	117.182.318. 371.399.586
XLV.	2.	180
XLV.	8.	106.109.117.157. 200.212 214.255. 344.513.689.
XLV.	17.	687.699
LI.	7.	95
LXII.	11.12.	336
LXIX.	5.	328
LXIX.	10.	143
LXIX.	29.	229
LXXII.	totus.	278.596.628.724
LXXXVI.	11.	154
LXXXIX.	36.	273.593
XCII.	2.	95
XCV.	3.	581
XCIX.	8.	564
C.	1.2.3.	
CIV.	3.	177
CIV.	30.	94
CIX.	31.	599
CX.	4.&c.	266.286.279. 466.477
CX.	7.	178.597
CXVIII.	23.	607
CXIX.	55.	
CXXX.	3.	511
	7.	536
CXXXIII.	totus.	595
CXXXIX.	1.2.	305
CXXXIX.	7.8.	95.305
CXLIV.	10.	256
CXLV.	13.	
CXLVI.	totus.	310

Prouerb.

Caput.	Verſ.	Pag.
VI.	34.	144
VIII.	22.	71.72
IX.	1.	81
X.	9.	219
XV.	15.	219
XVI.	6.	567
VII.	23.	
IX.	1.	
IX.	5.6.	
XV.	9.	
XVII.	14.	

Eſai.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	2.3.	

Caput.	Vers.	pag.
I.	11.	442
I.	26.	3
II.	3.	278.393.403. 406.599
VI.	totus	588
VI.	4.5.	359
VI.	7.8.	359
VII.	14.15.	70.239.371
IX.	2.3.	15
IX.	5.	63.258.322.512
IX.	6.	4.6.16.583.611
XI.	1.2.	59.110.116.120. 200.609
XI.	2.	187.270.597
XIII.	3.	168
XIX.	21.	736
XXV.	10.	120
XXX.	18.	735
XXXV.	8.	23
XXXIX.	18.	310
XXXIX.	18.	
XLII.	1.2.	116.143.158.215. 221.250.270.305 370.377.597.
XLIV.	6.	3
XLIV.	28.	636
XLV.	15.	584
XLV.	23.	741
LI.	18.	
LIII.	2.	181.609.702
LIII.	3.	3.141.244.260
LIII.	4.	512.526
LIII.	7.8.	44.142
LIII.	9.	134.236
LIII.	10.	37.245.296.298. 469.524.550.594
LIII.	11.	13.116.250.526. 617
LIII.	12.	126
LIV.	13.	693
LVIII.	1.	693
LIX.	2.	31.113.232.345
LXI.	1.2.	300.345.391. 387.623
LXI.	6.	659
LXIII.	6.	527
LXIII.	13.	310
LXIV.	2.	263
LXVI.	21.	141.695

Ierem.

Caput.	Vers.	Pag.
II.	5.6.	64
II.	7.8.	
XV.	5.2.	313
XVII.	7.9.	305.658.755
XVII.	11.	410
XXIII.	5.9.	125.594
XXIII.	23.	305
XXX.	9.	7
XXXIII.	32.	696

Ezech.

Caput.	Vers.	Pag.
VIII.	3.	349.353.527.530. 532
XVIII.	20.	388
XXXIV.	23.24.	7.602
XXXVII.	24.25.	7
XXXIX.	25.	143

Daniel.

Capnt.	Vers.	Pag.
IV.	27.	566
VII.	13.14.	5.59.276.279. 480.592.720
VIII.	17.	9
IX.	9.	665
IX.	10.	263
IX.	26.	512
IX.	27.	444
XII.	1	229
XII.	13.	184.385

Oſe.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	19.20.	20.669
VI.	6.	422.442.444

Ioel.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	28.	691

Zachar.

Caput.	Verſ.	Pag.
III.	8.	9
IX.	9.	125
XI.	8.	
XII.	1.	97

Malach.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	7.	351.453
II.	8.	453
IV.	5.6.	348

I. Maccabæ.

Caput.	Verſ.	Pag.
II.	7.	
II.	41.	445
IV.	5.	
XV.	12.13.	

Atque hæc de Veteri Teſtamento.

IAM SEQVVNTVR LOCA quæ citantur, illuſtrantur, & vindicantur ex Nouo Teſtamento.

Matth.

Caput.	Verſ.	Pag.
I.	18.	93
I.	20.	93.356
I.	21.	29.38.608.639
I.	23.24.	
I.	25.	
I.	25.	17
II.	1.	32.93
II.	11.	750
II.	13.	93
II.	14.	162
II.	19.	
III.	2.	386
III.	11.	270
III.	16.	262.296
III.	17.	111.136.158.366. 510.533
IV.	10.	587.741
V.	totus.	66.335
V.	3.	141
V.	5.	
V.	12.	335
V.	17.	377.574.646
V.	20.	380
V.	23.25.	31.148
V.	29.	707
V.	43.	
VI.	10.	581
VI.	12.	261.530
VI.	15.	530
VII.	28.	162.398

Caput.	Vers.	Pag.
VIII.	2.	46.164.168.750
VIII.	4.	135
VIII.	27.	408
IX.	2.	114
IX.	6.	57.287.564
IX.	8.	
IX.	13.15.	20.422.423. 442.444
IX.	18.	750
IX.	30.	135
XI.	27.	59.262.276. 285.
XI.	29.	141.146.270. 279.390
XII.	3.	445
XII.	4.	195
XII.	7.	442
XII.	11.	445
XII.	12.	445
XII.	15.	226
XII.	17.	371
XII.	25.	200
XIII.	24.	619
XIII.	33.	*ibid.*
XIII.	55.	609
XIV.	12.	749
XIV.	33.	750
XV.	9.	747
XV.	24.	162.368.405. 512.612
XVI.	17.	61.346.361. 584
XVI.	18.	627.694
XVI.	19.	627.694.630
XVI.	20.	133
XVI.	21.	395
XVI.	27.	336
XVII.	2.	
XVII.	4.	176
XVII.	9.	136
XVII.	24.	426
XVII.	26.	213
XVIII.	11.	70.345.669.689
XVIII.	17.	629
XVIII.	20.	605
XIX.	8.	384
XIX.	16.	128.379.449
XIX.	17.	449.558
XIX.	28.	319
XX.	8.	335.336
XX.	15.	
XX.	19.	175.466
XX.	22.	
XX.	25.	917.627
XX.	26.	627.632
XX.	28.	13.281.525
XXI.	5.	270.594
XXI.	12.	145
XXI.	13.	744
XXI.	18.	242
XXI.	22.	341
XXI.	42.	12
XXI.	43.	619
XXII.	21.	617
XXII.	31.	213
XXII.	41.	598
XXII.	42.	263
XXII.	37.	706
XXII.	37.38.	746
XXIII.	10.	
XXIII.	10.	5.142.345
XXIII.	25.	138
XXIII.	37	225
XXIII.	39.	562
XXIV.	2.	
XXIV.	3.	393
XXIV.	5.	272
XXIV.	29.	
XXIV.	30.	592
XXV.	21.	337
XXVI.	23.	395.396
XXVI.	24.	396
XXVI.	29.	562
XXVI.	31.	395
XXVI.	34.	*ibid.*
XXVI.	37.	247
XXVI.	38.	246.247
XXVI.	39.	45.226. 233.

Caput.	Vers.	Pag.
		233.511.571.573
XXVI.	67.	372
XXVI.	68.	*ibid.*
XXVII.	5.	396
XXVII.	33.	
XXVII.	51.	409
XXVIII.	6.	49
XXVIII.	9.	750
XXVIII.	18.	142.278.588. 615.
XXVIII.	19.	164.274.455. 458.618.638
XXVIII.	20.	45.455.669

Marc.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	15.	277.386
III.	5.	246
V.	43.	135
VI.	5.	168
VIII.	26.	138
IX.	44.	219
IX.	49.	435
X.	24.	115
X.	41.	627
XI.	33.	193
XI.	34.	*ibid.*
XII.	41.	437
XIII.	32.	45.49.194.368
XIV.	12.	427
XIV.	36.	
XIV.	71.	
XVI.	18.	161
XVI.	20.	*ibid.*

Lucæ.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	8.9.	462.607
I.	15.	88
I.	31.	92
I.	32.	661
I.	35.	40.82.187
I.	35.	3.89.115.267. 662
I.	48.	150
I.	69.	29
I.	74.	125
I.	75.	707
I.	78.	79
II.	11.	27
II.	26.	372
II.	32.	*ibid.*
II.	40.	
II.	46.	216
II.	47.	*ibid.*
II.	51.	238.516
II.	52.	37.149.119. 182.198
IV.	8.	258
IV.	17.	
VI.	18.	262.407.563
V.	8.	183
VI.	12.	408.573
VI.	19.	170
VII.	47.	562.564
VIII.	46.	170
IX.	3	312
IX.	18.	114
X.	18.	600
X.	24.	
XI.	41.	567
XII.	14.	
XII.	49.	301
XIII.	21.	306
XV.	4.5.	71
XVI.	23.	150
XVI.	27.	315
XVII.	7.	331
XVII.	8.	331.333
XVII.	20.	582
XVIII.	13.	564.666
XIX.	27	
XIX.	41.	615
XX.	4.	662
XX.	35.	339

Caput.	Vers.	Pag.
XXI.	5.	230
XXI.	21.	236
XXII.	9.	318
XXII.	18.	619
XXII.	22.	107.110
XXII.	25.	627.628
XXII.	26.	628
XXII.	31.	259.260
XXII.	32.	395
XXII.	42.	223
XXII.	43.44.	216.247.573
XXII.	61.	386
XXIII.	34.	122.259.574
XXIII.	47.	26
XXIV.	26.	178.513
XXIV.	26.	173.240.277. 571.585.610
XXIV.	28.	136
XXIV.	29.	139.237
XXIV.	31.	184.185
XXIV.	32	
XXIV.	39.	37.359
XXIV.	45.	286.546
XXIV.	48.	5.135
XXIV.	49.	94
XXIV.	52.	750

Ioh.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	4.	25
I.	6.	
I.	9.	25.586
I.	11.	616
I.	14.	4.41.44.106. 109.200.253
I.	14.	24.70.84.86. 117.200.267
I.	16.	6.58.85.254.270. 288.588.670
I.	17.	256.328.343. 563.387
I.	18.	5.6.163.258 285.369
I.	20.	372
I.	21.	347
I.	25.	372
I.	29.	4
I.	33.	158
I.	46.	14
I.	48.	372
II.	5.	
II.	6.	
II.	11.	408
II.	14.	145
II.	19.	43.267
II.	24.	60.200
II.	25.	60
III.	2.	120.408.592
III.	13.	100.270.271.292
III.	16.	42.228.369.577
III.	16.	71.79.532.534
III.	17.	286
III.	20.	
III.	34.	33.57.58.117.118. 20.265.288.371. 597.589
IV.	7.	37.38.242
IV.	9.	82
IV.	20.	
IV.	21.	394
IV.	22.	278.752
IV.	23.	
IV.	24.	622
IV.	25.	27.266
IV.	29.	27.372
IV.	34.	225.232
IV.	34.	229.515
IV.	37.	373
V.	9.	
V.	22.	262.588.640.751
V.	31.	135.197
V.	43.	396
VI.	6.	
VI.	14.	214.347.587
VI.	19.	184
VI.	27.	268.702
VI.	32.	586.

Caput.	Vers.	Pag.
VI.	38.	133
VI.	44.	345
VI.	45.	286
VI.	48.	57
VI.	51.	100.661
VI.	55.	586.678.702
VI.	61.	505.681
VI.	63.	679.686
VII.	8.9.	135
VII.	12.	128
VII.	16.	444
VII.	21.22.	297
VII.	37.	407
VII.	38.	
VII.	40.	372
VII.	41.	*ibid.*
VIII.	6.	315.410
VIII.	29.	122.132.221.232. 378
VIII.	39.	315
VIII.	40.	135.216
VIII.	45.	135
VIII.	46.	88.135.221
VIII.	49.	121.145.156.221 407
VIII.	55.	187.188
VIII.	56.	263
IX.	4.	439
IX.	6.	167
IX.	38.	750
X.	6.	
X.	7.	23
X.	8.	
X.	11.	128.232
X.	14.	128
X.	15.	195.515
X.	16.	394.687
X.	18.	91.130.164.262 277.287.617.670
X.	36.	126.268
XI.	5.	
XI.	15.	49.52
XI.	33.	242.245
XI.	38.	245
XI.	42.	162.236.572.581
XI.	50.	525
XI.	51.	51
XII.	12.	590
XII.	23.	433.466
XII.	26.	716
XII.	27.	245.570
XII.	30.	588
XII.	31.	600
XIII.	23.	123
XIII.	27.	396
XIII.	34.	277.390.391
XIV.	6.	22
XIV.	13.	121.670
XIV.	16.	266.288.292.579 580
XIV.	20.	654
XIV.	26.	259
XIV.	28.	297.617
XIV.	31.	132.241
XV.	1.	586.660
XV.	4.	
XV.	5.	659.667
XV.	10.	130.132
XV.	13.	125.232.515.534. 540.706
XV.	15.	323.238.368.693
XV.	18.	114.395.524
XVI.	2.3.	395
XVI.	11.	289.600
XVI.	13.	367
XVII.	1.	570.573
XVII.	3.	1.206.344.406
XVII.	5.	110
XVII.	6.	113
XVII.	9.	570.611
XVII.	11.	585.654
XVII.	19.	268.282
XVII.	21.	578
XVII.	22.	113
XVIII.	16	
XVIII.	20.	407
XVIII.	36.	598.623
XVIII.	37.	135.407.618

Caput.	Vers.	pag.
XIX.	11.	142.221.236.516.617
XIX.	17.	436
XIX.	20.	278
XIX.	26.	123.124
XIX.	30.	444
XX.	19.	184
XX.	27.	
XX.	29.	135.733
XXI.	15.	634
XXI.	16.	*ibid.*
XXI.	17.	59.634
XXI.	18.	395

Act.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	1.8.	94.135
I.	15.	
I.	17.	475
I.	18.	396
II.	2.	160.374
II.	17.18.	692
II.	22.	14
II.	23.	107.110.263.574
II.	26.	
II.	26.	127
II.	36.	8
II.	37.	219.387
II.	41.	574
II.	42.	
III.	6.	14.167
III.	14.15.	11.25.125.285. 322
III.	17.	574
III.	19.	125
III.	22.	370
III.	23.	*ibid.*
IV.	10.	14
IV.	12.	27.28.263.322. 326.529.635. 646.665.689
IV.	15.16.	575
IV.	27.	116.127.200
V.	3.	161
V.	5.10.	316.409
V.	17.	144
V.	31.	16
V.	39.	585
VI.	7.	68
VI.	18.	118
VI.	2.3.	473
VII.	21.	574
VII.	35.	523
VII.	37.	370
VII.	53.	256
VII.	56.	270.580
VIII.	5. & 32.	149
VIII.	37.	157.733
IX.	6.7.	166.367.399
X.	10.	349
X.	13.14.	350.367
X.	15.	*ibid.*
X.	16.	
X.	41.	
X.	34.	437
X.	42.	110
XI	24.	128
XI.	26.	643.645.648
XII.	2.	
XII.	13.	
XIII.	11.	409
XIII.	12.	215.387
XIII.	16.	74.304
XIII.	22.	716
XIII.	35.	127
XIII.	39.	376
XIII.	45.	144
XIII.	46.	405.642
XIV.	23.	458
XV.	11.	263.440.448. 529.651
XVI.	9.	356
XVI.	14.	346
XVII.	5.	
XVII.	31.32.	107.110.640
XVIII.	9.10.	356
XVIII.	28.	630
XX.	19.	

Caput.	Vers.	Pag.
XX.	21.	733
XX.	28.	44.79.100.322. 510.636
XXII.	8.	14
XXII.	17	349
XXIII.	10.	230
XXIII.	12.	
XXIV.	6.	219
XXIV.	16.	*ibid.*
XXIV.	24.	733
XXVI.	18.	524.643.733
XXVI.	20.	150
XXVIII.	8.	161

Rom.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	3.	7.40.44
I.	4.	107.196.265.287
I.	14.	221
I.	16.	37.584.599
I.	17.	387.584
I.	18.	653
I.	19.	
I.	28.	342
II.	4.	
II.	6.	336
II.	14.15.	217
II.	18.	558
II.	28.	
III.	20.	376.386
III.	21.	388
III.	24.	318.343.529.536
III.	25.	522.536
III.	29.	
IV.	4.	328.336
IV.	5.	114.343
IV.	10.	
IV.	11.	272.389.440
IV.	25.	91
V.	7.8.	71.122.524.531.533
V.	9.	524
V.	10.	521
V.	12.	71.668
V.	14.	3
V.	19.	132.516
V.	20.	
VI.	13.	659.697.701
VII.	2.	383
VII.	14.	620
VIII.	1.	548.561.694
VIII.	3.	114.449
VIII.	7.	622
VIII.	9.10.	287.685.686
VIII.	17.	113.114.640.700
VIII.	18.	
VIII.	19.	17
VIII.	22.	279
VIII.	29.	334
VIII.	31.	517
VIII.	32.	42.485.519
VIII.	33.	260.548
VIII.	34.	25.301.303.548. 579
VIII.	39.	669
IX.	1.	217
IX.	3.	230.525
IX.	4.	665
IX.	8.	646
X.	14.	584.733
X.	15.	584
X.	18.	600
XI.	14.	303.374.519
XI.	24.	660
XII.	1.	335.599.622. 659.697.707
XII.	4.	316
XII.	15.	246
XIII.	5.	217
XIII.	7.	730
XIII.	14.	416
XIII.	24.	529
XIV.	2.	
XIV.	5.	219
XIV.	9.	751
XIV.	13.	697
XIV.	17.	425.461.582.619. 686.701

Caput.	Vers.	Pag.
XIV.	18.	720
XV.	8.	150.405
XV.	16.	422
XVI.	18.	720
XVI.	25.	584

I. Cor.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	6.	397
I.	12.	722
I.	21.	221
I.	22.	369.397.638
I.	23.	654
I.	30.	30.342.662.685
II.	2.	676
II.	6.7.	111.361
II.	7.	*ibid.*
II.	8.	42.70.28.510.361
II.	11.12.	305.361.655.658
II.	14.	344
III.	6.	398.584
III.	8.	336
III.	9.	166.304
III.	11.	82
III.	16.	634.663
III.	21.	583
III.	22.	383.653
IV.	12.	150
V.	3.	
V.	5.	409
V.	7.	427
V.	9.10.	127.550
VI.	9.	342
VI.	10.	619.342
VI.	11.	686
VI.	15.	686.659
VI.	17.	686
VI.	19.	39.663.745
VI.	20.	30.260.751
VII.	11.	31.521
VII.	23.	721
VII.	33.	30
VIII.	1.	156
VIII.	6	263.276.587
VIII.	7.	219.278
IX.	20.	374
IX.	22.	303.584
X.	1.2.	441
X.	3.4.	683.622
X.	6.	631
X.	16.	
X.	31.	445.697
XI.	20.	746
XI.	24.	469
XI.	25.	257.469
XI.	31.	221
XII.	2.	349
XII.	3.	230.361
XII.	6.	153
XII.	7.8.	159
XII.	8.9.	*ibidem*
XII.	31.	144
XIII.	8.	163.307.397.461 618
XIII.	12.	208.209
XIII.	14.	347
XIV.	totus.	160
XIV.	1.	144
XIV.	14.	160
XIV.	29.	350
XIV.	40.	466
XV.	20.	9.330
XV.	43.	622
XV.	45.	3.621
XV.	47.	38.621
XV.	53.54.	29
XV.	55.	549
XV.	56.	*ibid.*
XV.	57.	625
XIV.	21.	230

II. Cor.

Caput.	Vers.	pag.
I.	12.	217
I.	20.	264
I.	22.	272

Caput.	Vers.	Pag.
II.	11.	
III.	3.	410
III.	35.	303.341
IV.	17.	332
IV.	18.	423
V.	14.	525
V.	16.	621.750
V.	18.	30.260.262
V.	19.	30.521
V.	21.	29.126.343.485. 517
VI.	14.	23
VI.	15.	605.659
VI.	16.	
VII.	10	386.396
VIII.	5.	445
VIII.	19.	
IX.	7.	129.434
X.	4.	182
XI.	2.	122.144
XI.	28.	635
XII.	2.	349.353
XII.	4.	190
XIII.	3.	360
XIII.	5.	654.657.659

Gal.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	1.	367
I.	8.9.	230.730
I.	12.	363
I.	4.	526
I.	14.	145
II.	20.	421.449.531.685
III.	12. &c.	329.379.389
III.	16.	360
III.	19.	521
III.	20.	252.534
III.	27.	683
III.	28.	439
III.	29.	681
IV.	4.	39.70.85.95.617
IV.	8.	720
IV.	18.	145
V.	3.	617
V.	17.	419.722
V.	19.	343
V.	22.	128.391

Ephes.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	4.	111.346
I.	5.	12.582
I.	10.	49.254.270
I.	11.	109.582
I.	20.	78.369
I.	22.	275.467.615.659
II.	12.	112.345.605
II.	13.	270.345
II.	16.	30.521.480
I.	20.	635
II.	2.	605.663.667
III.	6.	681
III.	12.	593.686
III.	67.	623.654.657.681. 682.685.687
IV.	4.5.	58.263.278.618.
IV.	11.12.	5.211.280.628
IV.	13.	182.618
IV.	24.	84.125.664.707
V.	11.	620
V.	16.	522
V.	24.	751
V.	25.	20.122
V.	29.	122
V.	30.	477.659.682
VI.	7.	720
VI.	12.	84.280.615. 620.701.

Philip.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	23.	176.231.663
II.	7.	30.44.81.142. 173.295.617

Caput.	Vers.	Pag.
II.	8.9.	85.130.172.223 229.250.514
II.	9.10.	58.132.172.178. 612
II.	10.	32.57.591
II.	13.	153.330.676
II.	17.	231.422
III.	9.	654.753
IV.	16.	420

Coloss.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	14.	343.524.621
I.	15.	17.78
I.	16.18.	252.255
I.	17.	31
I.	18.	16.467.635.659
I.	19.	57.58
I.	20.	30.260.270.521.633
I.	22.	341
II.	3.	59.535
II.	9.	57.58
II.	10.	16.78.254.467. 668.688
II.	13.	345
II.	17.	344.431
II.	18.	141.725
II.	23.	706
II.	24.	124
III.	10.	84.664
III.	17.	445
IV.	4.	522
IV.	6.	434

I. Tessal.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	9.	
IV.	9.	346.361.416.562
V.	11.	697
V.	23.	133.423

II. Tessal.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	4.	337
I.	8.	339
II.	13.	346

I. Tim.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	5.	554
I.	10.	
I.	15.	142
II.	5.	34.85.257.528.611
II.	6.	123
II.	12.	693
III.	9.	219
III.	16.	44.60.101
IV.	8.	219.338.558
IV.	16.	519
V.	19.	219
VI.	16.	

II. Tim.

Caput.	Vers.	Pag.
II.	19.	229

Tit.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	1.	
I.	12.	523
I.	15.	219.701
III.	8.	558
III.	11.	217

Heb.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	1.	348.367
I.	2.	194.252.275
I.	3.	3.4.5.127.178.255
I.	4.	255
I.	5.	344.595.610 6. 270.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	6.	270.750
I.	14.	251.255.584.586
II.	9.	524
II.	11.	173
II.	14.	84.436.524.551.689
II.	16.	3.5.81.85
II.	17.	92.496
II.	26.	4
III.	1.	6.490.662
III.	2.	151.457
III.	3.	370
III.	12.	490
III.	16.	335
IV.	11.	490
IV.	12.	133.397
IV.	14.	184
IV.	15.	38.224.297.489
V.	1.	288.473.528
V.	4.	69.690
V.	5.6.	595
V.	7.	246.489
V.	8.	130.132
V.	11.	478.482.473. 484.489.491
VI.	10.	337
VI.	17.18.	212.273.363
VII.	2.	17
VII.	3.	360.480.482.485.502
VII.	13.14.	476
VII.	16.	477.502
VII.	21.22.	468.477
VII.	23.	476.478.502
VII.	24.	23.475.478
VII.	26.	127.435.477.503
VII.	27.28.	460.469.477
VIII.	2.	250
VIII.	5.	633.662
VIII.	6.	257.448.477
VIII.	11.	694
IX.	5.	330
IX.	9.	67.477.529
IX.	10.	67.488
IX.	11.	267.504
IX.	12.13.	270.436.497
IX.	14.	477.478.505
IX.	15.	257.529.685
IX.	24.	625
IX.	26.	467.469.489. 504.529
IX.	28.	465.688
X.	1.2.3.	24.432.478.529
X.	5.	223.224.617
X.	7.	240.617
X.	10.	497
X.	11.12.	478.483
X.	14.	36.478
X.	20.	23
X.	22.	219
X.	27.	219.590
X.	34.	490.697
XI.	4.	431
XI.	32.	414
XI.	33.	448
XI.	39.	*ibid.*
XI.	40.	*ibid.*
XII.	15.	420
XII.	23.	435
XII.	24.	257
XIII.	8.	528
XIII.	11.	436
XIII.	15.	301.471
XIII.	16.	471.698
XIII.	18.	20.19.400

I. Ioc.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	12.	300.338
I.	17.	153
I.	21.	397
II.	10.	552
IV.	8.	134
IV.	13.	227
5.	11.	402
V.	14.	161

I. Pet.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	11.	67.178

Caput.	Vers.	Pag.
I.	12.	268
I.	14.	125.129
I.	19.20.	4.107.277.435
II.	2.	421.622
II.	5.6.	457
II.	21.	92.524
II.	22.	88.127.131.574
II.	24.25.	8.550
III.	5.	422
III.	15.	663.665.695
III.	18.	45.125
III.	21.	443
IV.	1.	41.88
IV.	14.	158
IV.	16.	643
IV.	17.	565
V.	3.	7.474.632
V.	5.	141

II. Pet.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	1.	377
I.	4.	678.682
I.	5.	163
I.	21.	360

I. Ioh.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	2.	88
I.	7.	57.101.550
II.	2.	260
II.	7.8.	391
III.	4.	551.552

Apoc.

Caput.	Vers.	Pag.
I.	2.	387
I.	5.	18
I.	6.	471.596.696.699
I.	16.	10
II.	26.27.	318.344.345.505
III.	4.	339
III.	7.	635
III.	12	318.319
III.	14.	5.151.363
III.	21.	319
V.	5.	10.436
V.	8.	314.698
V.	10.	471.696
VI.	9.10.	316
VII.	11.	
VII.	13.	591
VII.	14.	337
VII.	17.	345
VIII.	3.	268.517.581
XI.	3.	5
XII.	7.	632.633
XIII.	8.	263.431.440. 504.629
XIV.	13.	304.310.318.561
XIX.	9.	16.135.728
XX.	12.	218
XXI.	6.	3
XXII.	2	5
XXII.	9.	728

Finis Indicis capitum & versiculorum.